4°97. ga. Z. L. Bertaux 8 Janvier 1862.

G-E

DGCL
A

Aux œuvres de S^t Thérèse contenues en deux parties, je trouve jointe la vie de la Sainte, traduite de l'Espagnol de R. P. Francisco de Ribera, en Latin, par Robert Saint Maurice. Voir à la fin de la seconde partie.

La Conceptus Divini Amoris, se trouve à la fin de la 1ère partie et non de la 2ème, comme le porte la table. Voir 1ère partie, p. 527.

T. 1597729
C. 1196388

214

S. MATRIS
TERESÆ
OPERA.



R. 120069

Bibliotheca Conventus
Cracoviensis
fratrum Minorum Recollectorum


OPERA
S. MATRIS
TERESAE
DE IESV
CARMELITARVM
Discalceatorum et Discalceatarum Fundatricis
In duas partes distincta
Studio et opera
MATHIAE MARTINEZ
Middelburgij
Ex Hispanico sermone in latinum conuersa.
Illustriss. Comiti ac Domino, D. STANISLAO LVBOMIRSCIO, Comiti in Visnicz etc. D D.
Audita, quid loquatur in me Deus.
PAX ANIMAE
Pax multa diligentibus legem tuam. Psalm. 118.
SILENTIVM
Te decet silentium deus in Sion. Psalm. 64.
Coloniæ Agrippinæ apud Ioannem Kinckium Anno MDCXXVI



ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO,

D. STANISLAO LVBOMIRSCIO,

COMITI IN VISNICZ,

SVPREMO REGNI POLONIAE POCILLATORI, CAPITANEO SANDOMIRIENSI, Scepuſienſi, Bialocerkieuienſi, Dobczycenſi, &c.

ILLVSTRISSIME DOMINE

QVum non Poloniam duntaxat, gentis longè excellentiſſimæ domicilium illud nobiliſſimum, ſed Germaniam ſimul noſtram vniuerſam, ſummo prorſus beneficio nuper affeceris, (vnde & ſtatim ingente nominis tui famâ compleuiſti vbiq; omnia,) gratias tibi, HEROS INCOMPARABILIS, *non habere amplius apud animũ, (quod equidem noſtrates boni faciunt certatim,) verùm agere inſuper, edito publicè venerationis indicio, pridem eſt quod anhelo maximè. Res abs te geſta, vt dixi, compertiſſima longè lateq́ue eſt, iamq; adeò & penes nos ab Annalium conditoribus diligenter ſubnotata, vt nec minùs deinceps*

decantetur, quemadmodum poſtulat, æternùm. Non tempeſtas iocularis quapiã ditionibus iſtic veſtris cultiſſimis imminere, ſed ruina, iam certò quaſi parata, ingruere videri haud immeritò poterat, accenſo ab infernalibus Furijs inflagrantiſſimam bellandi libidinem, ac rabiem, quanta ferè nunquam audita de quîquam, OSMANO, tyranno illo tumidiſſimo iuxtà ac immenſum valido. Ita enim hic prodijt ſanè, vt ſexcenties mille armatos, & eos quidem ex Græcis, Syris, Medis, Caduſæis, Ægyptijs, Elimæis, Scythis, Raſcis, Dalmatis, Croatis, Hungaris, Tranſyluanis, Moldauis, Valachis, ſceptroq; ſuo barbaro ſubiectis populis cæteris, haud perfunctoriè delectos, eduxerit in aciem, tormenta verò ænea formidandæ magnitudinis vexerit quadringenta, præter minora, quorum iniri numerus haudquaquam potuit: omnia deniq; ipſemet coràm exactiſſimè & aptauerit & per legionum tribunos ac duces vaferrimos, audaciſſimos truculentiſſimoſq; moderatus fuerit. Quis non exhorreſceret, inquam, ad malorum Oceanũ illum, cataractis & aggeribus iamiam perrumpendis, inundaturientem terras immerentiſſimas, abolituriente mq; decus mortaliũ iſtud eximium? præſertim & vix decimam partẽ aquan-

aquante veſtra, quæ in aduerſum ſuppetebat, manu militari, & conflictante inſuper cũ lue epidemia, miſeriiſq; id genus pluribus. quin omne malum, è ſeptentrione, inferre pariter conãte inimicâ Scandiâ. Sed redactis in anguſta ſuis, mirè, vt conſueuit, opem tulit Omnipotentis Dei benignitas: adeóq; horroris etiam expertes eos, vtut ſtantes modò ceu in præcipiti, reddidit; in tantilli nempe Exercitus illius Imperatorem ſuſcitato per SIGISMVNDVM *Regem (cui merito venerabũdus aſſurgit orbis terrarum,) ac patriſſantem vbique Principem* SIGISMVNDVM VLADISLAVM (*cuius vel os vultumq; ſpiritus diuinioris indicẽ fulgidiſſimum, conſpicari hic locorum ab eo tempore nobis contigiſſe, in magna felicitatis parte collocamus*) *natalium, virtutum, facinorumq; gloriâ verè Illuſtriſſimo* STANISLAO LVBOMIRSCIO *noſtro. Et ſic reuerà eſt. Neq; enim niſi cælitus tibi ſic impoſita ea moles; ſicuti neque tu, niſi inde, redditus vnà ſcientiſſimus iuxtà & potentiſſimus tum inflammare porrò omnes tum præire intrepidis, (abſit etenim vt horum fuerit inopia in tam alacri ſemper & bellicoſa, totiesque victrice gente,) imò ipſam illam tam immanem calamitatem etiam penitus propulſare. Quod & hercle præſtitiſti, ſicut fortiſſimè, ita feliciſſimè,*

Thracem quippe eum (qui regum & populorum, quotquot sunt, domitorem ac flagellum salutauerat semetipsum paulo ante, leuatis in sublime cristis, proclamaueratq; heriliter,) CARACASSO *alijsq; Bassis, ac præterea plusquam centies mille cæsis, vsque adeo frangens impetu subito, ac deijciens, vt ipse rebus confestim desperatis, pacem supplex precatus, campumq; &, quo Nestrum strauerat, pontem insignem (illic namque a vobis de summâ rei dimicatum.) & palmam denique omnem tibi cedens, Byzantium suum quantocyus repetierit; summo etiam suorum ludibrio, cum fremitu simul & sibilis iam insultantium tristanti afflicta mœrore hypochondria, atque ingeminanti stolidum illud,* Non putaram. *Quæ quum ita sint, annon plurimum tibi debeant Poloniæ ciues,* COMES MAGNANIME ET INVICTE. *Hoc sicuti nemo negauerit facilè, ita vel percontari velle, quidnam redundauerit inde in Germanos, id verò si non malignitatem siue tetricitatem, certè ruditatem nimis absurdam arguat. Quum enim & vicini simus (hoc est, pariete alterutro ardente periclitantes vtrobique,) & à pijssimis ac sibi inter se coniunctissimis Principibus dependentes, cum ijsdem & stemus & cadamus,*

FER-

(FERDINANDVM *hîc noſtrum auguſtiſſimum innuo, vt iſtic* SIGISMVNDVM *veſtrum itidem laudatiſsimum,) & quod caput eſt, in eadem ſacroſanctâ Republicâ, ſub Vicario Saluatoris mundi generali, ciuitate donati, & Fidei, Spei, atque Amoris nexu intimè copulati militemus: neq; non vnicè indidem communis nobis hoſtis iuratuſque ſit, Mahumetis, idoli fœdiſſimi, ſatelles iſte nefandus; quis vel paululum ſaltem peritus rerum ignoret, multis nominibus plurimumq; partibus etiam hiſce noſtris profuiſſe ac prodeſſe tuum iſtum tam egregium & memorabilem triumphum? Profectò tantò promtiùs lubentiusq; id agnoſcimus, quantò minore negotio (ni in murum aheneum tua nobis autoritas, prudentia, vigilantia, dexterrimaq; in milite tractando generoſitas data fuiſſet) magisq; impunè ſibi in prædam ſortiri ſeriùs ocyùs nos valuiſſet Orienti incubans draco ille: vtpote, inteſtinis ibi tum conuulſionibus exhauſto propemodum Romani Imperij robore, accitus per cuniculos à perduellibus Eccleſiæ (quos & autores vnicos habet ea ipſa ciuilium turbarum Ilias,) vt ſibi, rem Catholicam domi ſtrenuè atterentibus, manum per anfractus porrigeret è longinquo. quæ ſanè etiam occaſio ſeu o-*

portu-

portunitas effecit, vt vnà cum Polonia Teutonas, licet minùs id præ ſe ferens, hianti rictui deſtinauerit: imò ſpe iam deglutierit, dum expeditioni tam vaſtæ penitus atque operoſæ animum initio adjiceret; (ô ſatricem omnis peſſimi Hæreſin!) Poſtquàm igitur ita inſigniter de nobis meritus es, HEROVM CORDATISSIME, benigniſſimeq; gratias, quas pridem à me tibi meditatas dixi, nunc ago tandẽ, ſi non, quẽ forſan alius requirat, ſolenni verborum apparatu, ſaltem, quâ par eſt, profunda animi inclinatione ad honorandam ſplendoris tui magnitudinem. At vndenam officium hoc meum ita ſerum? Dicam, quia dicendum eſt. Non decoris obliuio ſic me lentum fecit, ſed in hunc vſque diem penuria muneris, te digni, ſine quo ſiſtere me tibi, religioni ducebam. Quo nunc demum inuento, cunctandi mox finem facere oportuit. Eſtq; id adeò, quod humilimè hic, manum tuam deoſculatus, offero, volumen ſcriptorum TERESÆ, ſanctiſſimæ diuiniſſimæq; Virginis, ex Hiſpanico iã primulùm appoſitè nitideq; Latinum, vt legi deinceps à toto mundo poſsit. Affirmaui confidenter, videri mihi donarium te dignum: nec eſt cur mutem ſententiam, in quâ ipſe mecum eris, ſcio. Quum enim precibus à Diuâ illa

illa ad Altißimum fuſis, de OSMANO *quam diximus victoriam, haud immeritò adſcribas: quippe reportatam ſtatim atque ſanctè voueras, fore vt ſi, contra eum pugnando, exſpectationi & optatis tuis ciuiumque reſponderet euentus, conderes in tuo fundo pro* CARMELITIS TERESANIS *(quod & poſtmodùm condidiſti ſtructura nobili commodaque) Aſceterium, Deo accuratiſsimè colendo & exorando dicandum: quidni eiuſdem S.* MATRIS, *ita impensè tibi honorata, libri & ſcripta, omni cœleſti ſapientia ad miraculum vſque plena, conuenientiſsimè ſub auſpicio nominis tui prodeant in vſum & gloriam Sanctæ Eccleſiæ vniuerſæ? Non, inquam, inficias hoc ibis; verùm gratulabere tibi potiùs eo nomine, prout confido. Atque ita neque dedignaberis vultu ſereno ſuſcipere à me, procuratam de meo, interpretis (quem extenuare haud debeo) typographique miniſtram opellam, ſine qua tibi nihil eius à me nuncupari potuiſſet. Si tamen orandus es, oro vt clementiſsimè conatus meos interpreteris, non tam illorum pretiũ reſpiciens, quàm animi mei, virtutes tuas humilima obſeruantiâ admirantis ac deprædicantis, affectum ſinceriſsimum:*

qui certè vnicus fecit, vt longè hinc in Poloniam tibi editionem, & aliàs nemini, inscriptum iuerim. Spondeo contrà, solicitaturum me sedulò aures immortalis DEI, *vt saltem vita in terris prolixa tibi obtingat. Sic enim non deerit vnquam ansa gratulandi porrò de te, non dicam prosapiæ tuæ, (quam nobilitate antiquissima insignē, & magis in Parente tuo exornatam, omni merito, ab Cæsare* RVDOLPHO II *Tu cumprimis honoratisimā vlteriùs gestis tuis plurimis reddidisti,) sed Poloniæ, imò Ecclesiæ vniuersæ. S.* TERESAM *enim eiusque familiam (ô vitæ Angelicæ Sodalitium!) honorare & magnificare semper, adeoque excellenti pietate erga* DEVM *& omnes Cœlites præluceremortalibus alijs perges absque dubio. Et sic non modo ex voto Primorum Patriæ præclarissimè hactenus peregeris omnia in Valachiâ, Moldauiâ, Moscouiâ & Hungariæ finibus, sed maiora adhuc pollicebitur sibi de te Orbis Christianus; vnde non poteris non adhuc ascendere in terris altius, & capere illic præmia pietatis longè luculentiora, si id quidem desideras: qui potissimùm desideras (scio) æternis ab obitu gaudijs perfrui in vita altera. Expleatur, ô*

exple-

expleatur desiderium hoc tuum, ILLVSTRISSIME DOMINE, *à Patre luminum: cui soli honor & gloria in secula seculorum. Amen.*

Coloniæ, Pridie S. Michaelis Archangeli, CIↃIↃCXXVI.

Illustrissimi Comitis, Domini mei clementissimi

Cliens & seruus humilimus,

IOANNES KINCKIVS
Ciuis & Bibliopola
Colonienſis.

CONTENTA HOC OPERE.

PARTE PRIMA.

I. *Testimonia virorum Doctrina ac Sanctitate Illustrium, quibus S. Matris* TERESÆ *de* IESV *spiritum approbarunt, cõmendarunt, laudarunt:* Ex operibus R. P. Didaci Iepes ordinis S. Hieronymi, Episcopi Taraconensis, & Philippi II. Hispaniarum Regis olim Confessarij.

II. VITA S. MATRIS TERESÆ DE IESV, *quam sua ipsamet manu, iussu Confessarij sui, scripsit.* Sub finem adduntur quædam, ex Schedis S. Matris collecta per R. P. F. Mag. Luisium Legionensem Ord. S. Augustí.

III. *Liber Fundationum Monasteriorum Monialium Discalceatarum à S. M.* TERESA de IESV, *illarum Fundatrice, conscriptus.*

PARTE SECVNDA.

I. VIA PERFECTIONIS, *ad suarum Monialium petitionem conscripta. Itemque Monita & Documenta eiusdem S. Matris.*

II. *Tractatus,* CASTELLVM ANIMÆ, *siue* SEPTEM MANSIONES, *dictus.*

III. EXCLAMATIONES, *vel Meditationes animæ ad Deum suum.*

IV. *Accedunt conceptus diuini amoris super Cantica aliquot Salomonis, & alia quædam opuscula pia, è fragmentis relictis à* S. M. TERESA *de* IESV.

1re partie page 527.

APPROBATIO R. P. ANTONII POSSEVINI

Societatis IESV *Theologi.*

AD Inſtantiam R. P. Magiſtri Sacri Palatii Bartholomæi Mirādæ, legi & excuſſi Opera S.M. Tereſæ de IESV, de quibus ita cenſeo; primùm ſingulares me diuinæ Maieſtati gratias agere, quod illorum tandem aliquando mihi inſpiciendorum, & legendorum occaſionem diu optatam dederit; neque enim poſſum non eximios ex eorumdem lectione fructus percipere, ſi ad ea quæ tradūt præcepta, patentes aures, & patentē animum attulero. Deinde in magnū diuinæ gloriæ incrementum ceſſurum, ſi in quācumque ex Hiſpanica linguam translata, prælo ſubijciantur: quod Spiritus ſanctus ſanctiſſimæ huius Virginis mentem & calamum hic ita dirigere videatur, vt, poſt lectionem, non niſi ſumma ad omnes præſertim Religioſos ac Religioſas, atque adeò vniuerſos ſpiritualium rerum ſtudioſos dimanatura ſit vtilitas. Videtur quippe Deus Opt. Max. non ſine ſingulari quodam munere hiſce vltimis ac nouiſsimis temporibus noſtris, tam diuinā Doctricem, & Directricem in rebus ſpiritualibus mundo ſubmittere voluiſſe, quæ, quidquid ad diuerſos orandi modos, ſpirituum diſcretionem, & internarum locutionum intelligentiam quoquo modo ſpectat, quàm lucidiſsimè exponeret, & omnes, qui incidere hac in materia poſſent, dubitationum nexus, ſumma perſpicuitate diſſolueret; vtpote quæ & orationi, contemplationique fuit addictiſsima, & immediatè à Spiritu Sancto edocta & inſtructa, vt inter Theodidactos non immeritò referri poſſe videatur. Romæ 20. Ianuarij anno 1592.

Ita teſtor.

Antonius Poſſeuinus Soc. Ieſu.

APPROBATIO ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. Cæſaris Cardinalis Baronij.

ROgatu & petitione Reuerendiſſ. Magiſtri S. Palatij legi & diligenter examinaui hunc S. M. TERESÆ de IESV *librum, qui præter ſingularem, quam continet doctrinam, inſignem lectori adferre poterit vtilitatem. Dat. Romæ anno* 1593. *die* 8. *Martij.* Cæſar Card. Baronius.

APPROBATIO R. P. F. M. IOANNIS DE LERMA

Ordinis S. Benedicti, Prioris S. Pauli Barcinone.

EGo infraſcriptus, iuſſu, & mandato Reuerendiſſ. Domini D. Ioannis Dimas Loris, Epiſcopi Barcinonenſis, legi, & peruolui hoc opus, quod Sancta illa Virgo TERESA de IESV Carmelitarum Diſcalceatorum & Diſcalceatarum Fundatrix ſpeciali quodam ſpiritu Dei directa conſcripſit, in quo, vt illud à plurimis ætatis noſtræ viris tum auctoritate, tum doctrina præſtantibus approbatum eſſe taceam, nihil inuenio, quod Fidei noſtræ Catholicæ, & doctrinæ Sanctorum quoquomodo aduerſetur; ſed multa maximæ efficaciæ documenta, quæ ad conuerſionem peccatorum, reformationem morum, & eorum qui in corruptibili hac carne ambulantes, per profundæ conſiderationis & orationis viam (quæ pleriſque occulta & abſcondita eſt) ad DEVM tendere deſiderant, inſtructionem mirè conducent. In hac porro via, altiſſima quæque myſteria, & Sacramenta, quæ ſuperbis, arrogantibus, ac ſibi ipſis nimium quantum placentibus abſcondita ſunt; humilibus, (vt æterna ſapientia in Euangelio ipſis promittit) communicantur; dum hi ad Crucifixi Domini pedes velut ſedentes, in iſthoc vitæ libro, qui vt vitam hanc nobis donaret, mortem ſubire non dubitauit, continuò legunt. In hac quoque via vitæ illius & bonorum, quæ, quia æterna, & durabilia ſunt, ſolæ nomine vitæ ac bonorum, dici poſſunt, primitiæ deguſtantur. In hac deniq; anima ad Deum (qui vltimus finis, & omnium illius deſideriorum velut centrũ eſt) ſuſtollitur. Hoc porrò manifeſtè in Sancta

hac

hac muliere, & admirandis eius operibus videre eſt. Magna quippe eius humilitas, diſcretio & ſeria ſuper ſeipſam vigilantia, quam, quoad vixit, ſemper adhibuit, ſatis euidenter è primo hoc, quē de VITA ſua ſumma cū humilitate & diſcretione, Patris ſui ſpiritualis iuſſu, & mandato ſcripſit, tractatu, colligitur, in quo, & vitæ, & operum ſuorum, non exteriorum ſolum, & manifeſtorum, ſed & ſpiritualium, & maximè occultorum, quæque vt intelligantur cùm viſum defæcatiſſimum, tum oculos perſpicaciſſimos requirunt, exactiſſimam deſcriptionem facit. E ſecundo autem, quem *Viam perfectionis* vocat, quemque ad Monialium ſuarum petitionē & inſtantiam, ſimul & inſtructionem conſcripſit, facilè videre eſt eam, quam ipſa diuinę gratiæ ope, & adminiculo ſibi perfectionem comparauit; cùm tam ſcitè eam per præcepta doceat, tam efficaciter perſuadeat, quæque in via tam parum trita, & negligentibus, torpidis & debilibus vſq; adeò difficili, occurrunt fraudes, & pericula tā apertè declaret, eumq; per ita prudentia, ac cordata monita, & documenta concludit, vt eius, à quo illa proficiſcuntur, prudētiam, & ſummam in rebus ſpiritualibus experientiam ad oculum manifeſtent. Per Tertium, *Manſiones* nuncupatum, manſio illa durabilis nobis deſcribitur, qua ipſa in Cælis haud dubiè iam fruitur, cum adhuc in terra degens, tantis à Deo fauoribus præuenta ſit, tamq; alta & ſublimia guſtare & experiri meruerit, & quidē tā eminenter, ac perfectè, vt ea etiā clariſſimè & diſtinctiſſimè conſcribere (alioquin enim id impoſſibile videatur) sūma cū Sanctiſſimorū, & in rebus ſpiritualibus verſatiſſimorū virorū admiratione potuerit. Ac proinde, ſaluo meliori iudicio cenſeo, hoſce omnes libros tū ad Domini eius, qui vt plurimū ſeligit quod debile & infirmū eſt, vt, quod firmū & validū eſt, euincat & proſternat, idq; ad oſtenſionē mirabiliū, ac ſupremæ potētiæ ſuæ laudē & gloriam: tum etiam ad æternam ſingularis huius mulieris quę meritò ſęculi noſtri decus, quinimo ætatis huius miraculum dici poteſt, memoriam: tū denique in communē omnium fidelium, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis ſint (cū doctrina hæc ſit omniū, in quo illius & magnitudo atq; excellentia, ſimul etiam opus hoc à Deo venire patet) vtilitatem, imprimi & prælo tradi debere; quod eorum diuulgatio &

magno-

magnoperè honorem Dei auctura, & in totius Catalauniæ, Hiſpaniæ, atque adeo orbis Chriſtiani vtilitatem ceſſura ſit. Datum Barcinone in Monaſterio S. Pauli Ordinis glorioſiſsimi Patris N. S. Benedicti, in Feſto Exaltationis S. Crucis. Anno 1588.

Fr. Ioannes de Lerna Prior.

ALIA CENSVRA R. P. F. LVISII LEGIONENSIS

Ordinis S. Auguſtini, Madriti.

VIdi, & relegi libros, quos S. M. TERESA de IESV compoſuit, Vitam videlicet eius, Viã perfectionis, & Manſiones, ſimul & alia opuſcula illis adiuncta: quæ ſanam & Catholicam doctrinam continent, ſimul & quantum mihi videtur, perutilia ſunt iis qui eadem lecturi ſunt. Docent enim, quàm facilè homo poſſit Deo perfamiliaris fieri; gradus item aperiunt, quibus ad tantam, tamque eminens bonum aſcendatur; denique quæ in ea re occurrere poſſunt pericula & illuſiones, patefaciunt, & vt caueantur iubent: Idque tanta cum facilitate & claritate, ac ſimul tanta verborum efficacia, vt nullus, ſi modo ſpiritualium rerum ſtudioſus exiſtat, futurus ſit, qui non magnam ex horum lectione ſibi ſit vtilitatem eliciturus: & ſi ſpiritualis non ſit, quin ſpiritualis fieri volet, & vt fieri poſſit, animum planè ſuum ſit inducturus, aut ſaltem ſummam Dei benignitatem, quam in ſe quærentes exhibet, & quam hi illum citò inueniant, quamq; blanda ipſius cum eis ſit conuerſatio ac communicatio, ſit admiraturus.

Quare, & ad Dei Opt. Max. gloriam, & communẽ reipublicæ Chriſtianę bonum, expedire cenſeo, vt hi libri imprimantur, & publici iuris fiant. Factum in S. Philippi, Madriti 8. Septembr. anno ſalutis 1587.

Fr. Luiſius Legionenſis.

INDEX

INDEX CAPITVM HVIVS PRIMÆ PARTIS Vitæ S. Matris TERESAE de IESV.

Præfatio M. F. Luiſii Legionenſis pag. 1.

Præmium S. Matris pag. 11.

Caput I. *Oſtendit quomodo Dominus animam ipſius, iam inde à pueritia ad virtutum exercitium excitarit, & quantũ huc conferat parentes ipſos pietati ſtudere* 12.

Caput II. *Narrat quomodo prædictas virtutes perdere inceperit, quantique referat in adoleſcentia, cum pijs, & virtutibus deditis perſonis habere commercium* 14.

Cap. III. *Declarat quomodo bonorũ conuerſatione pia in ſe deſideria denuo redierint, & qua illã Dominus via ad cognitionẽ erroris in quo hactenus egiſſet, perduxerit* 19.

Caput IV. *Narrat quomodo Domini ope ſibiipſi in habitu ſumendo vim fecerit; quamque multos eius maieſtas ei morbos dare cæperit* 21.

Caput V. *Graues quos habuit proſequitur morbos, nec non patientiam, quam in iis ſibi Dominus dedit: & quomodo è malis eliciat bonum,* 27.

Caput VI. *Narrat quantum Deo debuerit, quod illi in tãtis cruciatibus bonam cum illius voluntate conformitatem dederit; & quod glorioſum Ioſephum in Patronum & Aduocatum delegerit, quamque hoc ſibi profuerit* 33.

Caput VII. *Quibus modis gratias, quas à Deo acceperat, amiſerit; quam malam vitam agere cæperit, quantumque inde periculi & noxæ ſequatur, quod fœminarum monaſteria arcte clauſa non ſint.* 38.

Caput VIII. *Narrat quam ei bonum fuerit, orationem prorſus non intermiſiſſe ne animam perderet; quamq; ea præſtans remediũ ſit, ad, quæ amiſſa ſunt, recuperanda; ſuadet omnibus, vt ei ſe dent, tantumque in ea ait bonum contineri vt, eſto in ea non perſeuerent, magnum nihilominus bonum ſit, aliquo ſaltem tempore pretioſum hoc monile habere.* 50.

Cap. IX. *Refert quibus animam eius medijs Deus excitare, & aliquid ei, in tam ſpiſſis tenebris lumen dare, & virtutes eius ad eum non offendendũ corroborare cæperit.* 55.

Caput X. *Incipit referre gratias, quas à Domino in oratione accipiebat, & qua in re nos ipſos adiuuare poſſimus, ac quanti referat intelligere gratias quas Dominus nobis præſtat, rogat eum cui hæc mittit, vt quæ poſt hac ſcriptura eſt ſecreta maneant, cum quas Dominus ei præſtat gratias, ita partieulatim enarrare iubeatur.*

Caput XI. *Aperit quid in cauſa ſit, cur perfectè quis in breui tempore Deum non amet, quod comparatione quadã declarare incipit ſimul quatuor orationis gradus conſtituendo, hoc autem loco de primo gradu loqui incipit, qui tractatus inſipientibus, & guſtum in oratione non habentibus perutilis erit.* 65.

Caput XII. *Primum hunc ſtatum explicare pergens, oſtendit quouſq; è nobis ipſis cum Dei gratia & auxilio peruenire poſſimus: quantumque noceat ante ſpiritum ad res ſupernaturales, & extraordinarias attollere velle, quam eum huc Deus moueat, & deuehat.* 72.

Cap.XIII. *Hunc primum ſtatum adhuc proſequitur & quandam circa tentationes, quas diabolus ſubinde immittere ſolet, inſtructionem ſuggerit, ac nonnulla addit monita huc mire facientia.* 76.

Caput XIV. *Secundum orationis gradum declarare incipit, quando ſcilicet Deus animam particularioribus quibuſdam guſtibus iam perfundit. Ideo eos declarat, vt ſignificet hos, iam ſupernaturales eſſe* 86.

Cap.XV. *Eandem proſequitur materiam, & aliqua orationis huius, quam quietis vocant, tenenda precepta aſſignat. Oſtendit item multas reperiri animas, quæ ad hoc orationis genus perueniant, paucas autem quæ vlterius aſcendant. Quæ autem hic tractantur neceſſaria imprimis ſunt & vtilia.* 91.

Caput XVI. *Agit de tertio orationis gradu, in quo ſublimia quædam puncta declarat, & quid anima, quæ huc peruenit, poſſit; necnon affectus quos magnæ hæ gratiæ Dei cauſantur. Erunt hæc, vt quis mentem ad Deum laudandum diſcat eleuare ſimul, & conſolationem eius, qui huc peruenit* 99.

Cap.XVII. *In eadē materia tertij huius orationis gradꝰ pergit, & effectus; quos hic operatur, nec nō dānū, ꝙ ab imaginatione & memoria hic prouenit, ꝓſequitur* 103.

Cap. XVIII. *Agit de quarto orationis genere, & excellenti quodā modo declarare incipit, quāta in dignitate Deus animā; quæ hunc ad ſtatū peruenit; cōſtituat.* 107.

Cap.XIX. *Proſequitur eandē materiam, & declarare incipit quos gradus hic orationis in anima fructus, & affectus operetur, ſuadet quam maxime, ne quis retrocedat, & licèt poſt acceptam hanc gratiam relabatur ne propterea orationis vſum intermittat; Oſtendit quoq; quanta ex huius intermiſſione damna ſequātur.* 114.

Cap.XX. *Declarat quæ ſit inter vnionem & raptum differentia, item quid ſit raptus addit aliquid de bono, quod illa anima adipiſcitur, quam ſua bonitate Dominus ad raptum euehit; nec non de effectibus quos in eā hic operatur.* 122.

Cap.XXI. *Proſequitur vltimum orationis gradum; Oſtenditque quam graue ſit animæ, quæ ad hunc peruenit, iterum inter hominis in mundo viuere, & quantam ei lucem Dominus det ad eius technas & impoſturas proſpiciendas.* 134.

Cap.XXII. *Oſtendit quam ſecurum ac tutum pro contemplatiuis ſit, ſpiritum ad res altas non ſuſtollere; ſi is à Domino non ſuſtollatur, & quod ad altiſſimam contemplationem, ipſa Chriſti Domini humanitas viam ſternat. Declarat quoq; quo in errore ipſa ad aliquod tempus hæſerit.* 139. (bus medijs dare cœperit. 148.

Cap.XXIII. *Pergit in vitæ ſuæ narratione & quomodo ſe maiori perfectioni & qui-*

Caput XXIV. *Proſequitur eandem materiam & narrat quomodo ex quo obedire cœpit, anima eius profecerit.* 152.

Cap.XXV. *Declarat quomodo Dei ad animam locutio, quæ ſine ſtrepitu, & facile fit; intelligenda ſit, ac quænam in ea latere poſſint illuſiones; & vndenam cognoſci poterit, quando illa vera erit.* 156.

Cap.XXVI. *Proſequitur eandē materiā; & narrat quanā ſibi hac in re timorē abſtulerint, ipſāq; credere facerēt, nō eſſe niſi bonū ſpiritū qui cū ipſa loqueretur.* 165.

Cap.XXVII. *Declarat alium modum quo Dominus animam doceat, & ſuam ei voluntatē, ratione quadā admirabili ſine vlla prorſus locutione, patefaciat.* 169.

Cap. XXVIII. *Refert ſingulares, quas ei Dominus præſtitit gratias, & quomodo ei prima vice apparuerit; ſimus declarat, quid ſit viſio imaginaria: nec non magnos effectus, & ſigna, quæ ipſa cum à Deo venit, poſt ſe relinquit, deſcribit.* 177.

Cap. XXIX. *Proſequitur eandem materiam quam cæpit, & ſingulares quaſdam quas à Deo accepit, gratias refert: & quid ſibi Dominus, ad ſe ſecurum reddendam, & ſibi contradicentibus reſpondendum, dixerit.* 186.

Ca. XXX. *Redit ad vitæ ſuæ narrationẽ, & refert quomodo Dñs labores eiꝰ multũ imi-nuerit; Narrat quoq; quas aliquãdo tẽtationes, & interiores afflictiones paſſa ſit.* 192

Cap. XXXI. *Recenſet exteriores quaſdam tentationes, & repræſentationes ſibi à dæmone factas; nec non tormenta quædam ſibi ab eo illata ſuggerit. adhæc ſalutaria quædã monita, ad cautelã & vtilitatẽ eorũ, qui in perfectionis via ambulãt.* 202.

Caput XXXII. *Narrat quomodo Dñs eã, quodã tẽpore in ſpiritu in quodam inferni loco, quem ſuis ipſa peccatis promeruerat, ponere voluerit, quid ibi viderit deſcribit. Deinde refert quomodo monaſteriũ S. Ioſeph, eo quo modo eſt loco fundatũ ſit.* 213.

Cap. XXXIII. *Proſequitur narrationẽ de fundatione monaſterij S. Ioſephi: refert quomodo iuſſa ſit à cœpto deſiſtere, quo tempore rem intermiſerit: quas in ea paſſa ſit difficultates: quo ipſam denique modo Dominus in illis conſolatus ſit* 221.

Cap. XXXIV. *Refert conueniens tunc temporis fuiſſe, vt ex vrbe diſcederet, & qua de cauſa & quomodo à Prælato ad illuſtrem quandam mulierem miſſa fuerit: vt ipſam conſolaretur & quid ibi contigerit* 230.

Cap XXXV. *Proſequitur narrationem de fundatione monaſterii S. Ioſephi, ſimulque declarat quibus Deus modis ſanctam in eo paupertatem ſeruari iuſſerit: ac qua de cauſa à nobili illa matrona deceſſerit.* 239.

Cap. XXXVI. *Proſequitur eandem materiam & refert quomodo tandem monaſterium S. Ioſephi perfectum ſit: & fundatũ quanta quoq; habitu à religioſis aſſumpto, orta ſint obloquia & perſecutiones, & quãtas ipſa paſſa moleſtias, & quomodo demũ victrix à Domino facta fuerit* 246.

Ca. XXXVII. *Agit de effectibꝰ ſibi adhærere ſolitis dũ aliq; ei Dñs gratiã dediſſet, docet. quomodo ꝓficiãdũ, quãtiq; faciẽdũ ad aliquẽ altiorẽ gloriæ gradũ aſcẽdere.* 259.

Ca. XXXVIII. *Narrat inſignes quaſdã gratias quas ei Dñs, tũ in arcanis nõnullis cæli ei pateſaciẽdis, tũ in aliis illuſtrib. viſionibꝰ & reuelationibꝰ ipſi exhibitis: præſtitit.* 265

Cap. XXXVIIII. *Proſequitur eandem materiam, & eximias ſibi à Domino præſtitas gratias recenſet.* 277.

Cap. XL. *Pergit in recenſendis gratiis ſibi à Domino præſtitis. Et vitæ eius quam deſcripſit narratio & diſcurſus finitur.* 289.

Index Libri Fundationum Monaſteriorum. (*aliis agi cœptũ ſit.* 311

Cap. I. *Declarat qua occaſione de fundatione Monaſterij in Medina del Campo &*

Cap. II. *Agit de aduẽtu Patris generalis in Abulã, & quid illius aduẽtu cõtigerit.* 314.

Cap. III. *Declarat quibus modis de Monaſterio S. Ioſephi Metinæ Campi fundando agi cœptum ſit* 117.

Cap. IV. *Agit de gratiis nõnullis, quas horũ monaſteriorũ Monialibus Dñs elargitur.*

ſimulque præpoſitas monet, & docet, quomodo in illis ſe gerere debeant. 324.
Caput V. *Proponit nonnulla quo ad orationem monita* 328.
Cap. VI. *Docet quæ hominibus ſpiritualibus euenire poſſint damnare eo, quod non intelligant, quando ſpiritui eos reſiſtere oporteat. Agit quoque de intenſis, quæ anima habet ad ſacram communionem accedendi deſiderijs* 335.
Caput VII. *Narrat quomodo cum Melancholicis monialibus ſit agendum.* 345.
Cap. VII. *Præſcribit monita q̃dã & documẽta, quo ad reuelationes & viſiones.* 350.
Caput IX. *Narrat quomodo Metina Campi egreſſa ſit, ad Conuentum Malagonenſem à S. Ioſepho dictum fundandum.* 354.
Caput X. *Agit de Fundatione Domus Valliſoletanæ, à conceptione B. Virginis de Monte Carmelo, cognominatæ.* 356.
Caput XI. *Agit de vita & morte monialis cuiuſdam; Beatricis nũcupatæ cuius vita & mors talis fuit; vt memoriam fieri dignum ſit.* 358.
Caput XII. *Narrat quomodo & quo authore primum Fratrum, primogeniam regulam ſeruantium, Monaſterium anno Domini M. D. LVIII. cœperit.* 362.
Cap. XIII. *Proſequitur cœptam de primi Diſcalceatorũ Carmelitarum conuentus fundatione narrationem. De vita quoque eorum, & fructu quem ibi dominus facere incipiebat.* 365.
Caput XIV. *Agit de Fundatione Conuentus Toletani à S. Ioſepho denominati, qui anno* M. D. LIX. *erectus eſt.* 370. *(gloriam Dei contigerunt.* 381.
Caput XV. *Agit de nonnullis rebus, quæ in hoc Toletano conuentu, ad laudem &*
Caput XVI. *Agit de duorum monaſteriorum, vnius* Diſcalceatorum, *alterius Diſcalceatarum, eodem anno M. D. LXIX. Paſtranæ erectorum fundatione.*
Caput XVII. *Agit de Monaſterij Salmaticenſis, à S. Ioſepho denominati, & anno M. D. LXX. erecti fundatione: ſimul & monita quædam Præpoſitis tradit.* 392
Caput XVIII. *Proſequitur coeptam de fundatione Conuentus Salmantini S. Ioſepho dedicati narrationem.*
Caput XIX, *Agitur de fundatione monaſterij B. Virginis annuntiatæ, quæ Albæ Tormeſiæ anno M. D. LXXI. peracta eſt.* *(M. D. LXXIII.*
Caput XX. *Deſcribitur fundatio conuentus S. Ioſephi Segobiſienſis; erecta ea eſt anno*
Cap. XXI. *Fundatio Veaſenſis, à S. Ioſepho Saluatoris nominata, & anno M. D. LXXIV. die S. Matthiæ inſtituta deſcribitur.*
Cap. XXII. *Tractat de cæpta fundatione cænobij Hiſpalenſis, à S. Ioſepho denominati: in quo anno M. D. LXXV. Dominica SS. Trinitatis ſacrorũ dicta ſunt primitiæ.*
Caput XXIII. *Eandem materiam proſequitur.* *(domum haberent.*
Cap. XXIV. *Deſcribit eam vlterius, & quid paſſæ ſint ſorores antequam propriam*
Cap. XXV. *Rurſus de eadem tractat, de prima quæ ibidem habitum aſſumpſit, Monali nonnulla traduntur. quæ ſanè imprimis notatu digna ſunt.*
Caput XXVI. *Caraua cenſis fundatio traditur, in quam anno M. D. LXXVI. Sacramentum Altaris primum illatum eſt. huic à glorioſo S. Ioſepho nomen eſt.*

Caput

Cap.XXVII. *Villanouana de la Xara fundatio quomodo sit peracta.*
Cap.XXVIII. *Palentinæ fundationis quæ fuerit occasio nomen ei à S. Iosepho B. Virginis de platea, quæ anno M.D.LXXX. die S. Regis Dauid peracta.*
Cap.XXIX. *Sorienſis conuentus initia traduntur, quod anno M.D.LXXXI. fundatum. Primum sacrum ipſo S.P.N.Eliſæi die in eo celebratum.*
Cap XXX. *Incipit loqui de fundatione S. Iosephi & S. Annæ in ciuitate Burgenſis. Primum Miſſæ sacrificium oblatum die 19. Aprilis, Dominica in Albis, anno M.D.LXXXII.*
Fundatio Granatenſis conuentus à M. Annæ de Ieſu deſcripta eſt.

INDEX CAPITVM PARTIS SECVNDÆ
Viæ perfectionis.

Proteſtatio S.M. de vniuerſo hoc opere 4.
Proœmium. 4.
Caput I. *Refert cauſas quæ ad monaſterium hoc adeo ſtrictum & arctum fundandum ipſam mouerint.* 6.
Caput II. *Oſtendit, religioſos de corporalibus neceſsitatibus, ſollicitos eſſe non debere, & quantum in paupertate boni ſitum ſit,* 8.
Caput III. *Proſequitur Materiam primo capite cæptam, & monet ſuas, vt Deum identidem pro ijs orent, qui pro Eccleſiæ incolumitate laborant.* 12.
Caput IV. *Inculcat regularum obſeruantiam, & tria alia ad vitã ſpiritualem imprimis facientia, proponit.* 15. (*ctos eſſe referat.* 22.
Caput V. *Proſequitur coeptum de confeſſarijs ſermonem, & exponit, quanti eos do-*
Caput VI. *Proſeq uitur materiam de amore perfecto.* 25.
Capu t VII. *Proſequitur eandem de amore ſpirituali materiam, & quædam, quibus ad eum perueniamus, monit a ſuggerit.* 28.
Caput VIII. *Oſtendit quam bonũ ſit, ab omni re creata, tum interius tum exterius nos ſequeſtrare.* 34. (*ſanguineos fugiant.* 36.
Caput IX. *Oſtendit quantum bonum ſit; vt qui mundum deſeruerunt etiam con-*
Caput X. *Oſtendit non eſſe ſatis vt nos abſtr ahamus, ab eo, quod iam dictum eſt, niſi etiam nos à nobis ipſis abſtrahamus* 38. (*exercenda eſt.* 41.
Caput. XI. *Proſequitur mortificationum materiam, & de ea agit quæ in morbis*
Cap. XII. *Oſtẽdit verum Dei amatorem, vitam & honorem paruifacere debere.* 48.
Caput XIII. *Proſequitur mortificationis materiam, & ait religioſam vt ad veram rationem perueniat, deb ere fugere omnes mundanas rationes.* 47.
Cap. XIV. *Oſtendit multum intereſſe, nullam earum ad profeſsionem admittere quarum ſpir itus rebus prædictis contrarius eſt.* 50.
Caput XV. *Oſtendit multum boni ineſſe in eo, vt quis ſe videns etiã innocentem & ſine culpa condemnari, non excuſet.* 52.
Caput XVI. *Oſtendit quodnam diſcrimen eſſe debeat inter perfectionem vitæ con-*

templatiuorum, & eorum quibus oratio mentalis ſufficit; & quomodo anima negotijs diſtracta, ſubinde à Deo ad perfectam contemplationem extollatur. 54.

Caput XVII. Oſtendit non omnes animas ad contemplationem aptas; aliquas etiam valde ſero ad eam pertingere. 59.

Caput XVIII. Proſequitur eandem materiam, & dicit contemplatiuorum laborem maiorem eſſe, quam actiuorum. 62.

Caput XIX. Incipit tractare de oratione, & cum ijs agere qui intellectu diſcurrere nequeunt. 65.

Caput XX. Oſtendit in via orationis nunquam deeſſe conſolationes, conſuliteque ſuis monialibus, vt hiſce de rebus ſemper illarum colloquia ſint. 72.

Caput XXI. Oſtendit quanti referat, vt quis firmo cum propoſito in oratione ſe exercere incipiat, & omnes Diaboli difficultates parum moretur. 75.

Caput XXII. Declarat quid ſit oratio mentalis. 79.

Caput XXIII. Oſtendit multum referre, eum qui per viam orationis ſemel ingredi capit nõ retrogrediatur, dicitque magna cum reſolutione ei ſe applicãdum eſſe 82.

Caput XXIV. Oſtendit quomodo oratio vocalis perfectè fieri poſſit, & quam ſit cũ mentali compatibilis; 84.

Caput XXIV. Oſtendit valde vtile animæ eſſe vocalem orationem perfectè facere & quomodo per illam Deus ſæpe ad ſupernaturalia ſuſtollat. 87.

Caput XXVI. Præſcribit modum cogitationis recolligendæ. 88.

Cap. XXVII. Agit de magno amore, quẽ in primis orationis Dominicæ verbis Dominus nobis oſtẽdit; quãtiq; referat q̃ filiæ Dei eſſe volũt proſapiã ſuã nihil curare. 92.

Caput XXVIII. Declarat quid ſit oratio recollectionis & media quædam proponit quibus quis eidem aſſueſcat. 95.

Caput XXIX. Tradit alia media perueniendi ad orationem recollectionis, docetq; nihil curandum eſſe, quod prælatos nobis fauentes habeamus. 100.

Caput XXX. Oſtendit quãti referat intelligere ea quæ in oratione petuntur. Declarat quoq; hæc orationis Dominicæ verba, Sanctificetur nomen tuum 130.

Caput XXXI. Proſequitur eandem materiã & declarat quid ſit oratio quietis; & ipſam tenentibus quædam monita præſcribit. 106.

Caput XXXII. Agit de hiſce orationis Dominicæ verbis, Fiat voluntas tua. 113.

Caput XXXIII. Oſtendit quam neceſſarium ſit id nobis Dominum dare, quod in hiſce orationis dominicæ verbis, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ab eo petimus. 118.

Caput XXXIV. Proſequitur eandem materiam. 121.

Caput XXXV. Concludit eandem materiam, cum quadam ad Deum patrem exclamatione & alloquio. 126.

Caput XXXVI. Exponit verba hæc, Et dimitte nobis debita noſtra. 129.

Caput XXXVII. Oſtendit orationis Dominicalis dignitatem. 133.

Cap. XXXVIII. Oſtendit quam ſerio Patrem caleſtem rogare nos oporteat, vt nobis dignetur

dignetur concedere id quod hiſce verbis; Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo, *petimus*. 135.

Caput XXXIX. *Proſequitur eandem materiam, variaque contra tentationes remedia præſcribit*. 140. (*tentationes* 143.

Caput XL. *Oſtendit cum amore & timore ſemper incedendum inter tam multas*

Cap. XLI. *Agit de timore Dei & quomodo venialia peccata nos cauere oporteat* 147

Caput XLII. *Exponit poſtrema hæc verba*, ſed libera nos à malo. 151.

INDEX TRACTATVS
CASTELLVM ANIMÆ, VEL
SEPTEM MANSIONES DICTVS

Manſio Prima.

Caput I. *Agit de animarum noſtrarum pulchritudine & dignitate. Ad hæc quantum ex eo, quod illum intelligamus, donaque & gratias quas à Deo recipimus cognoſcamus, boni ac commodi conſequi poſſimus. Denique demonſtrat, Caſtelli huius portam eſſe orationem* 161.

Caput II. *Oſtendit quam fœda res ſit anima in mortalis peccati ſtatu agens, ac præterea obiter agit de ſui ipſius cognitione.*

Manſio Secunda. fol. 174. Continet vnicum caput

Caput vnicum; *Declarat quantum in perſeuerantia momenti ſitum ſit, vt ad vlteriores manſiones pertingatur; quantum hic diabolus bellum moueat*. 174.

Manſio Tertia.

Caput I. *Oſtendit quam parum ſecuritatis habere poſſimus, quamdiu in hoc exilio viuimus: ad hæc ſemper cum timore nobis ambulandum eſſe*. 180:

Caput II. *Eandem proſequitur materiam, agitque de ariditatibus in oratione occurrere ſolitis, deinde quam nos ipſos neceſſe ſit probemus: Demum Dominum probare eos qui ad hanc manſionem iam peruenere*. 184.

Manſio Quarta. fol. 191. tria continet capita.

Caput I. *Agit de differentia, quæ eſt inter gaudia & guſtus in oratione haberi ſolitos. Refert deinde voluptatem quam habuit, quod intellexerit cogitationem & intellectum inter ſe differre* 191.

Caput II. *Eandem proſequitur materiam, ac ſimilitudines quadam oſtendit, quid ſint guſtus; & quomodo eos ipſi conſequi, nullatenus procurando, debeamus*. 196.

Cap. III. *Declarat quid ſit oratio recollectionis, deinde eius proſequitur effectus* 20●

Manſio Quinta. fol. 208.

Caput I. *Incipit exponere quomodo anima in oratione Deo ſe vniat; oſtendit deinde quibus è ſignis colligi queat, nullam hic fraudem ſubeſſe* 208.

Caput II. *Proſequitur eandem materiam, orationem vnionis ſubtili quadam ſimilitudine declarat, & effectus, qui poſt illam in anima manent*: 213.

Cap. III. *Cõtinuat eandẽ materiam, Et tractat de altero quodam vnionis genere, ad quã cũ Dei fauore pertingere poteſt, quãtumq; ad hoc dilectio proximi proſit* 219.

Caput.

Capùt IV. *Pergit in eadem materia, hoc orationis genus particularius declarans. Oſtendit quanti referat, circumſpectè & diſcretè in hac via procedere propter fallacias damonis. 224.*

Manſio ſexta fol. 229. habet XI. Capita.

Caput I. *Docet quomodo Domino maiores gratias facere, incipiente, maiores etiam fiant labores, & quomodo ſe gerant in his illi, qui ad manſionem hanc iam peruenerunt. 229.*

Caput II. *Agit de quibuſdam modis, quibus animã Deus expergefacere ſolet, 235*

Cap. III. *Pergit in eadẽ materia, & oſtẽdit quomodo Deus animã cũ ei placuerit alloquatur, ſimul admonet, quomodo in hoc nos gerere debeamus, ac ne iudicij proprij ductum ſequamur. 239.* (*taſin & exceſſum. 246.*

Cap. IV. *Exponit quomodo Deus in oratione animam ſuſpendat, per raptum, ex-*

Cap. V. *Continuat eandẽ materiã, & quandã raptus ſpeciem deſcribit; Declarat deniq; aliquid de hac gratia, quã ſuaui & ſapido quodã modo* Dñs cõcedit. *253*

Cap. VI. *Loquitur de effectu quodã, qui ex oratione ſequitur; Agit deinde de alia quadãgratia quã Deus animæ præſtat, quo eã ſuis laudib⁹ faciat occupari. 258*

Cap. VII. *Oſtendit quæ ſit pœna, quam animæ quibus Dominus eas gratias confert de ſuis peccatis ſentiunt.* Dicit *praterea quantus error ſit, quod animæ quantumlibet ſpirituales Chriſti humanitatem, paſſionem & vitam, nec non matrem ac reliquos ſanctos, præ oculis ſe habere non aſſueſcant, 263*

Ca. VIII. *Oſtẽdit quomodo* Deus *per viſionẽ intellectualẽ ſe animæ cõmunicet, deinde quoſnã illa, cũ vera eſt, effectus operetur.* Deniq; *quanto hæ gratiæ ſilentio premendæ ſint. 271*

Cap. IX. *Declarat quomodo* Dominus, *animæ per viſionem imaginariam communicet; monet autem ſuas caueant, ne per hanc conduci viam deſiderent. 276*

Cap. X. *Agit de alijs gratiarum generibus, quas anima* Deus *longè alio modo præſtat, & de fructu qui inde conſequitur. 283*

Cap. XI. *Agit de deſideriis quibuſdam* Deo *fruendis, quæ* Deus *animæ dat; adeo intenſis vt etiam vitæ amittendæ periculum ei creent. 286*

Manſio ſeptima quatuor continet Capita fol. 291.

Cap. I. *Loquitur de magnis gratiis, quas* Deus *eis præſtat animabus, quæ iam in ſeptimam manſionem ſunt ingreſſæ, deinde aliquam inter ſpiritum & animam eſſe differentiam. 291*

Cap. II. *Proſequitur eandem materiam, & deinde oſtendit quæ ſit inter vnionem ſpiritualem & matrimonium ſpirituale differentia, 296*

Caput III. *Agit de præſtantibus quibuſdam effectibus quos oratio hæc prædicta cauſatur 500.*

Caput IV. *Concludit hanc materiam, oſtendens, quid ſibi videatur* Dominus, *hoc impendio tantarum gratiarum in animam, ſpectare, quamq; neceſſarium ſit, Mariam & Martham coniungi & iunctas incedere. 306*

Exclamationes, vel Meditationes animæ ad Deum *ſuum. 314*

DIVER-

DIVERSA VIRORVM DOCTRINA, AC SANCTITATE ILLVSTRIVM TESTIMONIA,

Quibus S. Matris TERESÆ *de* IESV *ſpiritum approbarunt, commendarunt, laudarunt.*

Collecta à R. P. DIDACO IEPES *Ordinis S. Hieronymi in prologo, quem quatuor illis, quos de vita & miraculis S. M. Thereſa in lingua Hiſpanica conſcripſit libris, præmiſit, in latinam translata à D. Matthia Martinez.*

INfiniti, quo Deus hominem proſequitur, amoris nuſquam maiora indicia & argumenta dedit, quam in cruce pendens: in illa namque amoroſa ſua viſcera patefecit, quarum magnitudinem nulla exprimat lingua, verba nulla ſatis exaggerent. At amoris teneri ac delicioſi, qui viſcerum affectus & teneritudo eſt, quin & affabilis, amicæ, ac dulcis conuerſationis, familiaritatiſque, qua ſuis ſeſe amicis communicat, eæ tantum animæ poſſunt eſſe teſtes, quæ reipſa & per experientiam ipſam ſentiunt; illæ inquam, quæ per quamdam vitæ puritatem, contemplationis ſublimitatem, amoriſque ſubtilitatem, eò iam peruenere, illius vt ſponſas delicioſiſſimas & amariſſimas ſeſe appellent, & reuera etiam ſint. Nullius quippe matris tanta eſt ſolicitudo & anxietas, nullius ſponſæ tantum illicium, nullius item animus ita ab amore euictus & ſublatus eſt, vt cum conuerſationis ac familiaritatis diuinæ dulcedine, & ſuauiſſimi illius amoris diuini teneritudine comparari, aut æquari poſſit. At quis, niſi qui de facto ea experitur & ſentit, delicioſa amoris ſigna & ſuauitates quas erga huiuſmodi animas Deus exhibet, verbis exprimat? Hoc conſtat; neminem vmquam potuiſſe aut ſciuiſſe verbis exprimere, quomodo is ipſe ſit; quamuis aliquid ex jis, quæ ipſæmet de eo teſtantur, & ſacra Scriptura

docet, eruere aliquo modo nobis liceat. Christus quippe cum dilectissimis hisce sponsis suis, est adinstar viui cuiusdam fontis, qui numquam exhauritur, & è quo continuò lux, suauitas ac deliciæ promanant; & quidquid demum ab illo fluit & descendit, quædam amoris & ignis sunt flumina. Harum amoris deliciarum & teneritudinis, plurima, eaq; clarissima, in sacris litteris videre est testimonia, in quibus quædam velut imago delicioſi huius amoris nobis proponitur. Aliàs namq; spiritus sanctus eũ vocat cellã vinariam, aliàs ipsummet vinum, aliàs liquorem vino longè suauiorem ac meliorẽ, alias deniq; vberum nomine eũ indigetat: neq; enim tã infauti suauia & sapida materna sũt vbera, nec tantũ vicissim mater eum paruulo suo deliciatur, quam Dei amores & deliciæ sapidæ & delectabiles sunt cum ipso tractantibus & conuersantibus. Alias quoq; ebrietatis, languoris, deliquii pacis, quæ omnem sensum exsuperat, sibili auræ tenuis, cognomine eum significat. & licet alia sexcenta ei darentur nomina, numquam tamen illa ad dulcem illum amorem, quo amicos suos permulcet ac delinit Deus, declarandum aut exprimendum sufficerẽt. Nam quòd Deus infinitus quidã sit amor, & bonũ bona reliqua infinitũ transcẽdens, hinc anima quæ reuera ipsũ possidet, quãdã bonorũ & deliciarũ, q̃ ab infinito hoc amore nascũtur, collectionẽ & coaceruationẽ haud dubiè possidebit.

Quamquam autem certum sit, quoslibet iustos, qui in Dei gratia & amicitia sunt & viuunt illius quoq; familiaritate, ac blanda suauique eius conuersatione gaudere, & sexcentis alijs sinceræ amicitiæ titulis Deo suo cõiunctos esse; hic tamen tener amor, quo animas, quas suauissime amat, & vt sponsas suas habet, afficit & perfundit, in amoris ac conuersationis arctitudine magnitudineque priorem illum longo interuallo trãscendit ac superat. Etenim primi illi velut per fidem habent, quod hi sentiunt per experientiam; vnde tantum inter eos est discrimen, quantum inter eum qui mellis dulcorem reipsa percipit, & eum qui ipsum ideo nosset dulce esse, quòd ita ex alijs audierit: primi, ad summum, aliquam suauitatis huius partem (quòd enim Deus animæ tam vicinus sit, hinc illius odorũ fragrantia sexcentas quodãmodo per rimulas sentitur & percipitur) olfaciũt: hi verò cælestis spõsi sui amplexuum dulcedinem de facto gustant: atque huius adminiculo sanguinem suum lac factũ, id est modo quodam suaui ac sapido, Deus ipsis communicat. Et sicut in Regum aulis quidam sunt, qui ianuam apertam tenent ad cum Rege agendum & loquendum: alij verò, qui interiùs penetrant, quibus sua ille secreta reuelat, & qui semper apud ipsum versantur, eiusq; intimi & familiares sunt, quibuscũ proinde ille amice tractat & loquitur: ita se res in animabus cum Deo agentibus habet: quarum quæ arcto amoris vinculo ei vnitæ & coniunctæ sunt,

illius ſuauiſsima conuerſatione perfruũtur,& abſconditiſsimorum illius ſecretorũ participes ſunt. Hę itẽ ſunt, quę ſuauẽ hunc Dei amorẽ reipſa ſentiunt & experiuntur: de quo nihil aptius aut conuentius dici potuit q̃ quod aliàs de eo S. Ioannes ait, dum eũ mannã vocauit *abſcõditum.* manna quidẽ quia delectatio eſt ſupra modum dulcis ac ſuauis, & non vno ſolum ſaporis genere ſapida, ſed ad comedentis guſtum, ſaporem, deſiderium, conditionem ſe conformans. Abſconditum verò, quia nullus quomodo ſapiat intelligit, niſi qui ipſum de facto comedit & guſtat: ipſa quippe experientia linguam mutam reddit, & quę in anima peragitur, magnitudo illam quodãmodo ineptam & impotentem reddit, ad eorum quæ guſtauit, minimam partem exprimendam. Atq; hæc eſt cauſa, cur hæ gratiæ ac deliciæ, quas animabus Deus præſtat, ita immenſæ ſint, vt homines eas non credant, multi etiam ne intelligant quidem nam, vt bene S. Bernardus ait, hoc amoris idioma, velut Arabicũ eſt non amanti, & intellectu difficilius quàm Græca lingua ei qui ipſam non didicit. Cuius rei hanc S. Auguſtinus dat cauſam: *Quia in homine carnali tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi, quos ſolent videre, credunt; quod non ſolent videre, non credunt.* Atque hoc eſt quod Apoſtolus dixit, *Animalis homo non percipit* nec intelligere poteſt opera & mirabilia *Dei.* Atque ideo & S. Dionyſius Areopagita cum quodam è diſcipulis ſuis de myſtica hac lingua qua ad animas loquitur Deus, agens, ei conſulit, vt cum ſapientibus huius ſæculi, nullam rerum diuinarum ac cæleſtium experientiam & ſcientiam habentibus, abſconditam hanc ſapientiam non communicaret. Et S. Auguſtinus de amoris huius & deliciarum ſubtilitate loquens, ſic ait, *Da amantem, & ſentit quod dico: da feruentem, & ſitientem, & ſontem æternæ patriæ ſuſpirantem, da talem, & ſcit quid dicam; ſi autem frigido loquar, neſcit quid loquor.* Vt ergo ſecreta & arcana amoris lingua intelligatur, aures Auguſtinus exigit amoroſas; eum verò vt ineptum & illius intelligendæ incapacem reijcit, qui per frigiditatem & & tepiditatem ſuã, illius ſuauitatem ac dulcorem guſtare non meruit.

Apoc. 2.

Serm. 79. in Cantic.

Serm 147. de tempor.

Cap 1. de myſt. Theol.

Tract 26. in Ioann.

Tametſi verò plurimis ob ſenſus ſtuporem & hebetudinem amoroſa hæc Dei cum animabus conuerſatio incredibilis videatur, qui tamen fidei & lumen & veritatem habent, eximios illos fauores & delicias, quibus amicos ſuos Deum allocutum eſſe & affeciſſe ſacra ſcriptura commemorat, non poſſunt non fateri & credere. De Moſe quippe ait, eum cum Deo, vt amicus cum amico ſolet, facie ad faciem loqui conſueuiſſe, quin & aliis Prophetis gratiam hanc à Deo factam conſtat. Quin & Deus ipſe in veteri teſtamento manifeſtè profeſſus eſt, delicias ſuas eſſe cũ filiis hominum conuerſari

In nouo verò teſtamento, in quo amorem ſuum in homines magis Deus patefecit, maiores illius erga eoſdem fuere deliciæ, & amoris ac beneuolentiæ effuſiones; quemadmodũ ſi iam indè à temporibus Apoſtolorum ad vſque noſtra hiſtorias ſanctorum percurrere velimus, facili negotio videre erit. Vt autem multos viros ſanctos, quibus Dominus ipſe apparuit, & alios ſingulares fauores præſtitit, iam omittamus; certum eſt, eum ſuperioribus ſæculis eamdem gratiam etiam multis ſanctis mulieribus feciſſe, quarum ſi hic texere catologum & ſeriem vellemus, prius nobis tempus deficeret, quàm materia. Plenæ namque his exemplis ſunt ſanctorum hiſtoriæ, atque adeò vix vlla eſt, in qua non ſingulares & eximios quoſdam Dei erga amicos ſuos fauores legere ſit.

Cum ergo oſtendere vellet Dominus, ingentem liberalitatem & effuſionem ſuam, qua ſe adeò impensè & ſine menſura amatoribus communicat, eamdem eſſe modò quæ fuit olim & ſæculis prioribus; & ad bonum faciendum, gratiam; & ad malum, naturalem propenſionem (etenim eumdem Deum habemus modò, eamdem is quoque bonitatem habet quàm priùs, eaſdem quoque in Eccleſiam ſuam immittit influentias, eoſdem denique ei fauores & gratias facere paratus eſt) eamdem eſſe; hinc vltimo hoc ſæculo & ætate tam eximiam ac notabilem nobis ſanctam dare voluit, ſanctam inquam matrem Tereſam de Ieſu. Cui gratiarum ac donorum, quas magnis ſanctis diuiſim dare ſolet, plurimas iunctim & collectim dedit. Etenim fauores & deliciæ, quibus eam Dominus cumulauit, nec non amoris qua cum ipſa egit affabilitas & teneritudo, tam ſunt ingentes ac ſingulares, pares vt vix vmquam legerim vel audiuerim; vt taceam dona varia & tam admirabilia, ac virtutes adeò perfectas, & in ſummo gradu collocatas nec non alias eximias ſanctitatis, qua eam donauit, prærogatiuas, quibus eam inter multas ſanctas mulieres eminere, & (vt id ſine vllius iniuria dicam), inter reliquas omnes rariſſimam ac perfectiſſimam eſſe voluit.

Nam tametſi multas ſanctas mulieres, maximis eximijſque virtutibus præſtantes fuiſſe; alias admirabiles cælitus viſiones, & particulares quoſdam à Deo fauores accepiſſe; alias quoque inuſitata quædam miracula patraſſe; alias denique omnia hæc coniuncta & ſimul habuiſſe legamus; nullam tamen ipſe ſanctam (tametſi accuratè & diligenter rem excuſſerim) vidi aut legi, cui magis extra ordinarias & particulariores Deus opt. max. meo iudicio, contulerit prærogatiuas, quam ſanctæ huic Matri Tereſæ de Ieſu. Vt enim de donis ac dotibus naturalibus (quæ ſanè plurima fuere) quibus eã Dominus cumulauit, nihil dicam;

diuina

diuina certè & ſupernaturalia tot & tam eximia in ipſa fuere, vt in nulla vmquam maiora apparuerint.

Etenim, præter tantam virtutum perfectionem, ac vitæ ſanctimoniam (per quàm operibus & factis in perfectæ & heroicę virtutis ratione eò peruenit, quo fortiſſimi quique ne cogitatione & deſiderio quidem pertingunt) tot tamque extraordinarij Dei fauores; tanta item cum ſuprema illa Maieſtate familiaritas & communicatio, ac ſi de Seraphinorum, illius amore quam maximè incenſorum, & illi intimorum, num ero fuiſſet; tanta quoque rerum cæleſtium notitia, tanta cũ cæleſtibus ipſis familiaritas & conuerſatio, tamquam ſi de illorum ſocietate fuiſſet; tam ſublimes rerum diuinarum conceptus & ſenſus; tãtum in abſconditis ſecretis, & arcanis myſterijs declarãdis lumen, quãtum in vllo vix quiſquam notauit; tam eminens & ſublimis doctrina, quam libris ſuis comprehenſam ad poſteros tranſmiſit (in quibus è rerum quas ſcribit ſubtilitate, magna qua eaſdem penetrat intelligẽtia, ſingulari qua ipſas exprimit perſpicuitate, ſtili quo ea q̃ dicit, propinat, elegantia & diuino artificio, & quo facit, vt qui legunt, ſpiritus ſancti ignem, qui iſtis in ſcriptis incluſus eſt, notabiliter percipiant, nec non manifeſta illam lucẽ ac calorem, quem ipſa paſſim ſpirant; ad oculum videre eſt, hanc doctrinam à Deo eſſe inſpiratam, è cælo profectam, & non ſine ſpeciali ſpiritus ſancti aſſiſtentia & ope conſcriptam.) Præterea quòd Religionis cuiuſdam fuerit mater & fundatrix, quod nimirũ mulier vna & ſola, integrum tam mulierum quàm virorum Ordinem ad tantam perfectionem & vitæ arctitudinem, & ad eam ſanctitatem reduxit, vt quædam primæuæ illius ſanctitatis & innocentiæ, quæ primitiuę Eccleſię temporibus inter ſanctos illos Ægypti & Paleſtinæ Anachoretas viguit, imago & exemplar eſſe videatur; & hæc omnia, mediante diuina aſſiſtentia & ope, ſuis ipſa manibus, & vt ita dicam in brachijs ſuis, ſuiq; ſodoris impẽdio perfecit. Adhæc miraculoſa corporis illius in corruptio & integritas; nec nõ plurima miracula & mirabilia, quæ illius opera tũ in vita, tum poſt mortem præſtitit, & quotidie adhuc præſtat Deus. Omnia, in quam hæc tam extra ordinaria, noua, magna, ſingularia, tamque ab omni eo quod ſecundum ordinarium rerum ordinem & curſum fit, longe remota ſimul iuncta, quædam miraculorum, prærogatiuarum & ſingularium gratiarum, quibus hanc Deus ſanctam honorauit, coaceruatio & ſynopſis eſt; quę vniuerſa ita ſimul iuncta, ſanctæ vlli obtigiſſe me legere numquam memini. Nolo autem hic aliquam inter ſanctitatis & perfectionis vniuſcuiuſque gradus ac qualitates comparationẽ inſtituere; ſed ſoli Deo, qui vniuſcuiuſque ſpiritum metitur & dignitatem nouit, huius rei iudicium aſcribo:

ſolum hic loquor de illis quæ exterius de ſanctis hac in vita ſcire poſſumus. Nam tametſi in plurimis horum ſubſtantialiter & formaliter ipſa ſanctitas non conſiſtat, vt plurimum tamen Dominus maximis ſanctis maiores conferre gratias, maiorem impertiri lucem, eiſque vt inſtrumento ad maiora obſequij & gloriæ ſuæ opera efficienda vti conſueuit, quemadmodum eum in Beata Matre Tereſa de Ieſu feciſſe conſtat, &c.

§. 1.

DE SANCTITATE & PERFECTIONE VITÆ, SANCTÆ MATRIS Tereſa de Ieſu ſemper omnes bene ſenſerunt.

QVibus propoſitum eſt, illorum ſanctorum & ſanctarum, quibus Dominus particulares quaſdam & extra ordinarias gratias contulit, vitas deſcribere ſolent, quò rite hiſtoriam ſuam auſpicentur, & fidem atq; auctoritatem, quam res tam ſublimes ac diuinæ requirunt, ei concilient, Lectorem præmonere, ante omnia probantes, & oſtendentes, viſiones, reuelationes, & alias id genus gratias, quas ſancti illi cælitus recepere, certas, veras & indubitatas fuiſſe: Poſsé equidem huic ipſe labori ſupерſedere, cum generalis & communis, quæ in vniuerſa Eccleſia eſt, ſanctitatis ac doctrinæ B Matris Tereſæ de Ieſu, tot teſtimonijs confirmata, approbatio adeò ſit euidens, vt nullum (niſi fortè ſit qui ſolem lucere neget) reperire ſit, qui non idem debeat & cogatur confiteri. Nihilominus, tum vt meæ conſolationi, & erga ſanctam hanc virginem deuotioni, nec non illorum, qui eamdem quoque deuotionem habere poſſent, ſatisfaciam, tum vt debita cum opinione & æſtimatione Lector ad vitæ eius hiſtoriam legendam ingrediatur; quædam viſum mihi eſt paucis præmittere teſtimonia, quibus illius vita, libri, ſanctitas & ſpiritus comprobata ſunt. In quo & viris doctis faciam ſatis, & ignorantibus ac rudibus, eos quos Dominus ſuis confert fauores & gratias, reddam credibiles: hi namque, velut animalia bruta & terrena, aliud non iudicant, quam quæ oculis cernunt, & quæ oculorum fidem non excedunt, omni in re ad ſenſuum ſuorum iudicium tribunal appellantes. Atque hac ratione me neceſſe non erit nouo cum labore hic quaſdam ad ſpiritus diſcernendos regulas tradere ac coaceruare, aut quemdã de viſionibus, reuelationibus aut raptibus (vti alios nonnullos feciſſe conſtat) tractatum præmittere. Hac quippe in materia, aut in regulis illis conſignandis ijſque ad caſus particulares applicandis, grauiter errare poſsé: & certè de tot tamque illuſtribus Doctoribus quos hic producam, & qui ſpiritum eius examinare ſuſtinuerunt, nullatenus præſumendum aut opinandum eſt. Nam, ſicuti iamiam videbimus, viri omnes grauiſſimi, & tum

doctrina

doctrina tum vitæ ſanctimonia illuſtriſſimi, qui eadem qua ſancta hæc Virgo ætate floruere, hunc aſſumere laborem, non dubitarunt, qui vna manu lapidem lydium ſacræ inquam ſcripturæ regulas, alia vero ſanctorum virorum ac patrum doctrinam præferentes, vitam reuelationes & ſpiritum illius examinarunt & expenderunt: in omnibus porro illam hiſce regulis & doctrinæ mirè conformem & correſpondentem viderunt, vt iamiam ex illorum teſtimonijs & dictis erit videre. Quæ autem ipſe hic producam non ex incertis & dubijs quibuſdam relationibus, ſed authenticis ac probatis informationib. quæ, quò ſancta Mater in Catalogum Sanctorum referrentur, ſint factæ, deprompta & petita ſunt; hinc etiam penè omnes quos hic adfero, teſtimonium ſuum iureiurando confirmant.

§. 2.

PRIMVM TESTIMONIVM VIRORVM GRAVIVM ET DOctorum, qui S. M. Tereſæ de Ieſu ſpiritum approbarunt.

VT ergo de veneratione & æſtimatione; ſimul & de magna deuotione, quam erga Sanctam hanc tum viuentem tum mortuam varij habuere, aliquid dicam, exordium ducam ab his qui cum ea in vita conuerſati ſunt, eam cognouerunt, ac ſpiritum illius examinarunt, approbarunt, & talem fuiſſe cenſuerunt, qualem eum illa iam mortua omnes confitentur & agnoſcunt. Quod autem ſancta Mater ex vna parte tam eſſet humilis, vt ſeſe indignam reputaret, vt Dominus ſui vllatenus recordaretur; ex alia autem, tot & tam ſingulares à Deo gratias ac fauores reciperet, vti norunt omnes, & in vitæ illius hiſtoria pluribus refertur; timens tamen ne fortè ſua ob peccata) quæ ipſa, vtpote verò humilis, identidem plangebat, tamquam ſi enormiſſima & grauiſſima flagitia fuiſſent) ei dæmon forſan illuderet, quieta non erat, nec, quamuis tot ſibi Dominus gratias conferret, ſecura. hinc identidem cum ſuis Confeſſarijs hac ſuper re conferebat: vnde etiam illos & doctiſſimos, & grauiſſimos ſemper habere ſatagebat, & quærebat; quin & illorum iuſſu & præſcriptione, cum alijs eius notæ viris, & in Hiſpania tum temporis & auctoritate ac doctrina celeberrimis tractabat ac communicabat. Inſignem porro ad hoc faciendum occaſionem & commoditatem S. Mater habebet, quod per Hiſpaniam propè vniuerſam, dum ad noua Monaſteria monialium fundanda, eorumque iam fundatorum directionem & gubernationem abiret, profecta ſit. In quo ſanè diuinam prouidentiam licet admirari & notare, vt nimirum, cum illius viuentis ſpiritus ſanctimonia à tã multis eſſet approbatus, ipſa iam mortua ab omnibus coleretur & ſuſpiceretur: & vt hæc, quæ quoniam tã admirabilia & rara

ſunt

ſunt, aliquem forſitan remorari poſſent, tantorum & tam multorum teſtimonio iam comprobata, & conſtabilita communem omnium opinionem poſt ſe traherent.

Initium ducamus à viris litteratis & doctis, hi quippe ſunt, qui maiore cum rigore & exactiùs Sacræ ſcripturæ regulas, & ſanctorum Patrum doctrinam examinant, quique non ſine prudentia, in hiſce credendis & approbandis, vt plurimum eſſe ſolent tardiores, quàm illi, qui ſolius pietatis oculo eadem conſiderant. Quos ergo viros doctos S. Mater dum viueret, conſuluit & quibuſcum tractauit, ſunt hi ſequentes.

Agmẽ ducat R. P. F. & Magiſter DOMINICVS BANNESIVS primarius facultatis Theologicæ Cathedraticus ac profeſſor in Vniuerſitate Salmanticenſi Iubilarius (vt vocant) & rude donatus (hoc nãq; ad magnã illius doctrinã teſtandã & colligendã ſatis eſt; vt taceã eius ſummã rerũ ad ſpiritum ſpectantiũ, q̃ per tot annos ſibi collegerat, experiẽtiam) hic ad multos annos S. Matri à confeſſionibus fuit, & iam inde penè à conuerſionis illius initio, ad vitæ vſque finem, quatuor nimirum ac viginti circiter annorum ſpatio, cum ea egit ac communicauit. Quin imò, quaſcumque S. Matri occurrebant, difficultates, etiam abſens, cum illo communicabat, atque ex illius directione ac nutu tota ſemper pendebat. Ipſe quoque viciſſim S. Matrem tanti fecit, tamque de ipſius ſanctitate bonã opinionem concepit, vt, cum in illius exequiis in Salmantino Diſcalceatarum monialium cœnobio concionem haberet, illam S. Catharinæ Senenſi in ſanctimonia, æqualem; in ſcriptis verò & doctrina ea ſuperiorem eſſe apertè confiteri non dubitarit. Vt porro melius tam grauis ac docti viri opinio ac ſententia intelligatur, ipſiuſmet teſtimonium, quod, dum de illa in ſanctos referenda ageretur, ipſe de eadẽ tulit, hic viſũ eſt verbotenus adſcribere: *Nemo*, inquit, *melius quàm ego, ſcire poteſt particulares fauores & gratias, quas Matri Tereſæ de Ieſu Dominus contulit: ad multos enim annos eius confeßionem excepi, eamque tum in confeßione, tum extra illam, ſæpiùs examinaui, variiſque eam modis exploraui, ac periculum feci, ſemper me erga illam valdè aſperum & rigidum præbens: quo autem illam magis humiliabam & deſpiciebam, eo magis ipſa ad meum conſiliũ amplectendum animabatur, ita ſe ſecuriùs tutiuſque incedere exiſtimans.* Et inferius paulò, particularibus fauoribus & gratijs, quas Dominus ei contulit, loquẽs, *Hac*, ait, *in parte tã multæ occurrunt particularitates, vt, niſi nouus de ijs conſcribatur liber, per ordinarij teſtimonij viam dici ea nequeant. Et forſitan ego, ſi neceſſe id erit, aliquem de ea re tractatum conficiã, è quo intelligatur & conſtet, quàm ſecura ac tuta Mater Tereſa de Ieſu inceſſerit via. Longè ſecùs, ac ſpiritus quidam deceptores & illuſorii, qui hiſce noſtris temporibus apparuere ac detecti ſunt.* Et

poſt

poſt alia multa, adiungit: *Toto illo tempore, quo cum ipſa egi (egi autem multis annis) numquam in ea aliquid vidi, quod vir uti contrarium foret; ſed maiorem morum ſimplicitatem & humilitatem, quàm in vlla alia perſona obſeruaui. In omni autem virtutis, naturalis æquè ac ſupernaturalis, exercitio ſingulariſſimum omnibus cum ipſa agentibus erat exemplar. Illius porro oratio & mortificatio rarum quid erat, vti de ea teſtari ac referre poterunt, quotquot particularius cum ipſa egerunt.* Illius autem ſinceritate & humilitate nullam ſe vmquam in quoquam maiorem obſeruaſſe aſſeuerat; atque idem penè de omnibus alijs eius virtutibus fert teſtimonium. Præter hæc alia multa de hac ſancta eiuſque libris, quos ipſe, antequam in lucem emitterentur, ſanctæ Inquiſitionis iuſſu examinauit & approbauit, adfert elogia. Pauculis illis verbis plura de ea dicit, quàm cuiquam videatur: cum ait quodam opus eſſe libro, in quo particulares, quos Dominus ſanctæ huic Virgini impertitus eſt, fauores & gratiæ conſcriberentur: quam ſcribendi operam ipſemet quàm libentiſſimè ſubijſſet, ſi occupationes, quæ non vulgares fuere, ei ad hoc opportunitatem & locum dediſſent.

Antequam verò Ordine glorioſi Patris S. Dominici egrediar, alios ex eodem hic viros adducam, quorum teſtimonium auctoritate ac fide digniſſimũ eſt, & omni exceptione maius. Atq; imprimis R.P.F. Magiſtrũ BARTHOLOMÆVM DE METINA, Primarium Academiæ Salmanticenſis Cathedraticum: qui cum tam multa, tamque extraordinaria de S. Matre aliorum ex ſermone inaudiſſet, parui ea faciebat, neque fidem iis adiungere poterat; imò ſatis ſiniſtrè de ea ſentiebat, ob ea quæ hoc in caſu de alijs audiuerat. Cum ergo Tereſa Salmanticam, monaſterij ſui fundandi cauſa, veniſſet, omnimodis curauit cum magno hoc viro conferre; ſemper namque eos quærebat viros, quibus ipſius ſpiritus vſque adeò non placebat, & qui maiores illius occaſione ei mouere difficultates poterant, ab illis melius eum credens excutiendum & examinandum, quàm ab illis qui ad ipſi credendum facillimè inducebantur. Illum ergo adiit, & poſtquam generalem apud eum confeſſionem inſtituiſſet, ſuæ orationis, & viæ quam inſiſtebat, ei rationem reddidit, ſimul & quidquid de vita ſua ipſa conſcripſerat, legendum & examinandum tradidit. Vnde ipſe non minus confuſus manſit, quam certus iam & ſecurus, ſpiritum Dei eſſe, qui in ſancta illa anima viuebat, præſidebat, eamq; tam inſolitis & extraordinarijs fauoribus viſitabat. Et ipſe de numero fuit illorũ, qui Beatam Matrem maximè ſecuram eſſe iuſſerunt; atq; ex eo tempore inſignis illius amicus, commendator & fautor factus eſt, adhæc dicere non eſt veritus, quòd nullus ea in terra ac mundo ſanctior eſſet.

R. P. F. IOANNES DELAS CVEVAS, qui in illustri Dominicanorum Ordine Prouincialem egit, ac deinde ad Abulensem est Episcopatum euectus, familiarissimè ac particulari quodam modo S. Matrem cognouit; ipsa quoque vicissim, eidem quo solebat tenore, sinceritate & candore cum ipso de spiritu & modo suo orandi egit, simul quoque vniuersæ vitæ rationem ei reddidit. qui mox facilè percepit, quàm insignes Deus opt. max. in anima illa thesauros recondidisset, vnde etiam exinde mirificè eam coluit, & amicitiam cum ipsa seruauit. Atque in informatione, quæ de illius relatione in Diuos facta est, ait, illam se vt insigniter sanctam, & summarum virtutum cultricem habere.

Idemquoque testatur ac de ea pronuntiat R. P. F. MAGISTER *Didacus de Chaues*, PHILIPPI SECVNDI *Hispaniarum Regis Confessarius*, qui, cum Priorem in Monasterio S. Thomæ Abulæ ageret, cum eadem egit & communicauit.

R. P. F. IOANNES GVTIERRIVS Regi eidem à Concionibus, & F. FERDINANDVS CASTILLIVS (cuius, quam de suo ordine composuit, historia eruditionem, doctrinam, & spiritum satis prodit) ipsam quoque examinarunt & ipsius spiritu in approbarunt.

Magis verò in particulari P. F. Magister Garcias de Toleto, Generalis Indiarum commissarius. hic enim magna cum particularitate cum illa egit, & satis longo tempore cum eadem contulit; hic quoque ipsam vitam suam scripto iussit committere, & ipse fuit is, ad quem epistola illa, quæ in eiusdem fine legitur, scripta est.

R. P. F. MAGISTER PETRVS FERNANDIVS (quem Philippus secundus Hispaniarum Rex nouæ Discalceatorum reformationis Visitatorem & protectorem esse voluit, vt eam suo is in exordio tueretur & propugnaret) summæ vir doctrinæ, magni spiritus & austeritatis, aliquot annis sanctam Matrem cognouit, & cum ipsa tractauit; illius quippe Prælati & Confessarij vicem functus est. cumque eam initio magno cum timore & cautela tractare cæpisset, postea tamen, quemadmodum & cæteri omnes, manus dedit & cessit; ipsiq; exin suis in fundationibus magno fuit adiumento, quin & dicere non est veritus, Teresam de Iesu eiusque Moniales mundo reipsa declarasse, fieri posse ac possibile esse, vt & mulieres perfectionem sequantur Euangelicam: quasi diceret, illam magno suo spiritu ac talento facile practicabile & visitatum reddidisse, quod hominibus tam videbatur arduum ac difficile.

Non minus de Sanctæ Matris sanctitate ac spiritu alius eiusdem Ordi-

Ordinis Prouincialis dubitauit, F Ioannes Salinas dictus; qui & P.M. Dominicum Bannesium (vti suo is testimonio affirmat) commonuit, ne plus æquo mulierum virtuti confideret aut crederet : quin imò malè eum habebat, quòd ille de S. Matris Teresæ de Iesu rebus tam eximiè & præclarè sentiret. cui Dominicus respondit, illam prius alloqueretur & tractaret, quàm aliquod de ea iudicium ferret. Contigit porro, illum Toletum, vbi tum S. Mater agebat, concionum habendarum gratia mitti, vnde eam toto quadragesimali tempore examinauit, diuersaque eiusdem pericula fecit, quem illius mox sanctitas & virtus ita rapuit & affecit, vt, quamuis ob multa negotia perexiguum ei esset tempus, quotidie tamen ad eius confessionem excipiendam abiret. Interroganti eum deinde Magistro Bannesio, quid ei de Teresa de Iesu visum esset; respondit, *Decepisti me dicens mulierem esse; reuera non est mulier, sed vir virilis, & quidem de maxime barbatis.* quo loquendi modo heroicam ac magnam ipsius virtutem, sanctitatem & valorem declarauit.

R.P.F. Magister Didacvs De Yangves per octo annos S Matris Teresæ confessiones excepit, vir eiusdem ordinis cumprimis grauis, & eruditus vt pauci. hic illam confessus est magni spiritus mulierem fuisse, maximisque dotatam virtutibus; quin & particulares aliquot reuelationes, quas à Domino S. Mater accepit refert, & suo in testimonio multas alias sanctitate S. Matris dignas, laudes & excellentias congerit.

Idem quod isti Patres tam graues & docti, sensere de eadem alij plurimi ex eodem Ordine Magistri, Præsentati, Regentes, & Lectores. Atque inprimis R.P.F. Petrvs Yvannesivs (qui postea Collegij S. Gregorij Vallisoletani Regens & Rector fuit) ei suis in principiis sexennio à confessionibus fuit; & particularem quemdam, in vndecim capita distinctum, tractatum composuit, in quo per multas regulas, & documenta, è sacra scriptura ac sanctis Patribus, ad spiritus dignoscendos colligit & profert; quas omnes cum in spiritu S. Matris locum habere videat, dubitare se non posse ait, quin à Deo is sit. Non abs re verò futurum mihi videtur, quidquid vir ille tam doctus hac de re illo in Tractatu prodidit, hoc loco referre, quantum videlicet prologi huius breuitas permittit: *Omnia, inquit, illius colloquia: epistolas, & quidquid demũ agebat, plena vidi humilitatis, vtpote quæ summopere desiderabat, vt omnia sua errata, defectus, & miserias nemo nõ videret, nosset, ac de ijsdem loqueretur; nec nõ agerrimè ferret, quòd quis eã vt bonã ac sanctam haberet. Cùm verò Dei gratiæ iam crescere & crebriores in ea fieri inciperent, mors quædã illi videbatur, quòd quis aliquid ex ijs intelligeret, ne propterea ipsam vt bonam haberet.* Et postquam

iam ad particularia quædam descendisset, addit: *Denique humilitas eius incredibilis est, vti testantur, qui frequentiùs cum ea conuersantur.* Et inferius paulò adiungit: *Ad oculum patere & manifestum esse dico, Deum mulieri huic fauere & adesse, & quidquid ad illius sanctitatem testandam persuadendamque dicere possumus, verissimum esse. Conuentum S. Iosephi per expressam Dei reuelationem fundauit, & quæ in eodem viget sanctitas, euidens rei huius dat testimonium. Monialis huius conscientiæ puritas tam est singularis, vt tum nos qui eius confessionem excipimus, cum eaque tractamus, tum omnes eius sodales in admirationem ac stuporem capiat. Dicere namque possumus, quidquid illa cogitat & tractat, Deum esse; omniaque ad Dei honorem & obsequium & spiritualem animarũ profectum dirigi. Atque hac ratione, fundauit domunculam illam S. Iosephi, in omni quæcumque hic in terra in mulieribus ac viris haberi potest, perfectione eam instruens. Si vero de magno spiritu fructu, quem quotquot cum hac Dei ancilla agunt, è conuersatione eiusdem colligunt, loqui velimus, finem non habebit narratio: magna quippe Dei sunt mirabilia quæ hoc in genere fiunt. De meipso nihil dicere volo, quòd cum ipse ob peccata & demerita mea promeritus non sim; tametsi meipsius experientia norim, Dominum, ex quo tempore cum illa conuersari cœpi, in multis mihi rebus singulari quodam modo adfuisse, quas ipse ad oculum perspiciebam, non sine particulari Dei auxilio & concursu fieri. Quare non magis possum eam vt sanctam non habere, quàm dicere possum me illam non nosse. Multa mihi aperuit, quæ solus Deus nosse poterat, quòd essent res futuræ, & quæ ad interiora & profectum spiritus spectabant, quæque mihi videbantur impossibiles. Quas tamen quàm verissima fuisse deprehendi.* Et paulo inferiùs prosequitur: *Quidquid sanctæ huic reuelatum est, nonnisi in magnos & illustres spirituales effectus, summam afflictorum consolationem, & singularẽ in diuino amore profectum tendit. Plus æquo prolixum foret, quicquid ei reuelatũ est, narrare velle. Omnes, quicumq; haberi Abulæ poterãt, aut illic pertransibant, viros doctos consuluit, & cum iis suis de rebus contulit. Atque inter ceteros, sanctum quendam hominem ex Ordine D. Francisci, quem ipse noui,* F. PETRVM DE ALCANTARA *dictum, singularis virum orationis & pœnitentiæ, & in professione sua zeli. Sanctus hic, esto non adeò magnis, quæ eũ excurrere Abulã cogerent, negotijs vrgeretur, nihilominus à diuina Maiestate eò vt cõcederet impulsus est, ad hãc ancillã suã consolandã, tũ, cùm plurimos hisce in rebus haberet aduersarios & cõtradictores; ille verò certã eã reddidit, ac credere iussit, Deũ esse, nullãq; hic illusionẽ subesse: ipsamq; quo ad modũ quo Deũ videbat, ac reuelationes, & diuinas quas habebat allocutiones, planè illustrauit, & securã fecit. Quòd autẽ sanctus hic vir tantũ illi tribueret ac deferret, particularemq; affectum & amicitiæ signa ei exhiberet, factũ est vt omnes ei contradicere desinerent: atq; exinde valde fuit quieta. Adeò vt quotquot ei ante contradicebant & aduersabantur (erant autẽ plurimi) & quotquot hac de re consulti fuere, apertissimè testentur & fateantur, spiritum hunc sine dubio à* DEO *prouenire, nulla vt in hoc subesset illusio. Et tametsi initio plurimi ei quàm maximè contradicerent & eam intimidarent, iam tamen omnes eam vt insignem*

Dei an-

Dei ancillam habent, & quo possunt honore colunt & venerantur. Hæc & alia permulta doctus ille vir in dicto illo tractatu scribit, & apertè testatur, si omnia quæ de ipsa dicenda habet, dicere vellet, necesse sibi fore ingens volumen conscribere. Hæc ab eo relatio facta est sexennio postquam Sancta Mater magis intimè se Deo dare cæpit: & hodierna etiam die ipsiusmet Patris manu exarata, in Discalceatarum Monasterio S. Iosephi Abulensi asseruatur. Porro mirificè Sancta Mater illi viro profuit: nam tametsi antea insignis Dei esset seruus, postquam tamen cum ipsa egit, aliam vitæ rationem inijt & assumpsit, & in virum sanctum euasit. Huius Patris opera & medio, sancta Mater, de orationis & vitæ suæ modo cum P. F. Magistro Mancio, Primario Salmanticæ Cathedrario communicauit: & idem eius de illa fuit iudicium, quod aliorum omnium, qui ipsam cognouere & tractarunt.

Illius quoque confessionem exegit, & spiritum probauit R. V. F. Vincentivs Baronivs, officij S. Inquisitionis consultor, & vir egregiè doctus, qui illi Toleti agenti, ad sesquiannũ, in confessione & vitæ directione operam dedit. quod illæ obsequium sibi impensum egregiè ei rependit: illius namque orationibus factum est, vt ad magnã is vitæ perfectionem peruenerit.

R. P. F. Præsẽtatus Philippvs Menesivs, in collegio S. Gregorij Vallisoletano Theologiæ Lector, cum tam multa de Sancta Matre dici inaudisset, Vallisoleto Abulã venit, visurus annõ cacodæmon ei illuderet, vt illã aut ab illusione liberaret, & meliora edoceret, aut, si recta via incederet, illam, si quando alios de ea alloquentes audiret, tueretur. Hanc ergo cum audisset, non potuit non quàm honorifice de ea loqui.

Confessa quoque est & contulit cum alio Præsentato, cui nomen Lvnar, & in Monasterio S. Thomæ Abulensi Priorem agebat. Qui omnes eius spiritũ & virtutes explorarunt, approbarunt, & laudibus extulerunt: tantus namq; ab ea splendor ac flamma emicabat, vt, tametsi tam singularia & extraordinaria ipsa haberet, vt nemini non timorem incuterent, nemo tamen, qui eam alloqueretur, & cum ipsa conuersaretur, de summa illius sanctitate, & quin omnes illi fauores & gratię eximiæ à Deo prouenirent, posset dubitare.

Non minus verò cum Patribus Societatis Iesu S. Mater, quàm cum Dominicanis contulit. Quòd enim in duabus illis Religionibus tantam doctrinam, nec non tantum orationis ac virtutum vsum vigere cerneret, nullatenus sibi errare posse videbatur aut illudi, si illorum virorum doctrina, consilijs, & monitis niteretur.

Inprimis verò Sanctæ Matris Teresæ de Iesu sanctimoniam diuulgat & celebrat, doctissimus Pater & Doctor, Franciscvs De Ribera qui

RA, qui cum magno omnium plausu in duodecim Prophetas Minores S. Pauli ad Hebræos epistolam, & Apocalypsim S. Ioannis, commentarium edidit; cumque alijs magni momenti rebus occuparetur, tanto tamen deuotionis affectu & æstimatione erga admirabilem S. Matris Teresæ de Iesu sanctimoniam & virtutes motus est, vt, nullo alio certè sibi scopo præfixo, quam vnica diuina gloria, vtque tanta sanctitas illius in Ecclesia innotesceret, & vt ob particulares quasdam gratias quas eius intercessione & medio à Domino ipse receperat, gratum illi se exhiberet, (vti ipsemet fatetur) iam senior & annis grauis, de illius vita & miraculis integrum librum conscripserit. In quo licet tam alta & heroica de sancta hac virgine referat, semper tamen paucior quàm rei dignitas exigat dicere, eoque infra eius dignitatem se loqui existimat. Vt verò maior scripto illius accedat auctoritas, tametsi ipsa scribentis auctoritas per se sufficeret, quòd magnæ vir sit religionis, & virtutum plurimarum; ipse in testimonio, & in informatione quæ de eius canonizatione facta est, dat, sub iurisiurandi sacramento cõfirmat, quidquid à se libro illo descriptum est, verissimum esse. Quin imò quæcumque scripsit, seriò & accuratè inquisiuit, omniaque quam potuit fidelissimè scripto commisit: vt vnicum hoc eius testimonium, ad tam singulari & admirabili virtuti fidem ad iungendam sufficiat.

Sanctam quoque Matrem satis diu cognouit, explorauit, & examinauit illustris ex eadem Societate Doctor P. HENRICVS HENRIQEZ, eruditione & doctrina præstans, qui præclaros quosdam in Theologia Morali posteritati libros reliquit, multiplici scientia refertissimos. Huic alias magnum insedit desiderium vitam & reuelationes huius sanctæ examinandi, vti ipsemet in testimonio, quod in informatione Salmanticę circa eius canonizationem instituta dedit, ingenuè confitetur. Cum enim Hispali S. Matris, cum eò fundationis instituendæ causa ipsa profecta esset, & ibidem anno integro moraretur, ac magnis multorum exagitaretur afflictionibus, confessiones toto illo tempore exciperet, eam satis per otium (vti ipsemet refert) præsente RODERICO ALVARIO, eiusdem Societatis Sacerdote, viro sexagenario, magnique spiritus, & rerum experientiæ, quique tunc quidem sibi persuadere non poterat, tantas Dominum in sanctã Matrem virtutes & gratias contulisse, examinauit. Rodericium, vt dubitaret, mouebat partim ipsa gratiarum magnitudo & singularitas, partim magna quam habebat ipse, multarum deceptionum & illusionum diabolicarum, quas in multis, ijsque notabilibus & quæ vt valde spirituales habitę erant, personis sæpius iam reipsa compererat, experientia. vnde etiam tractatum quemdam conscripserat, in quem multos casus particulares, & varias spirituum discretionem edocentes

cètes regulas retulerat,& in quo primarium eius intètum erat oſtèdere, vt plurimum magnas hac in parte diaboli fraudes & illuſiones, ac præſertim in mulieribus, ſubeſſe. Quocirca duo illi Patres pariter S. Matrem induxere (quòd ita Superior eius tum mandaſſet) vt quidquid ſibi hac in parte contigiſſet, ſcripto committeret, ei, vt ſe in illo ratificaret ac iuſtificaret, iubentes, eam examinantes, & alias rogata denuo rogantes, eaque ſcripta velut commentantes & enucleantes, omneſq; illius libros, verba, & ſcripta accuratiſſimè perrimantes, quam poſtquam toties & tam ſtudioſe ſingillatimque examinaſſent, mirificè ac per omnia eis placuit, & ſingularem eius humilitatem, charitatem, & admirabilem orandi modum, magnamque diſcretionem; & rerum ſpiritualium experientiam ad oculum perſpexere. itaque tandem ſuperuacuum illum timorem & formidinem, quem hactenus habuerant, penitus depoſuere. Omnia hæc, expreſſa ſunt P. Henriquez verba, qui cæptum ſuum ſermonem ſic proſequitur. *Habuit Mater admirabile donum in omnibus orationis gradibus, quos Sancti doctores tradunt Vnde etiam Patres Franciſcus de Borgia, Societatis Ieſu Generalis, & Antonius Araozius eiuſdem Ordinis Commiſſarius, poſtquam cum ea egiſſent, eiuſque ſpiritum examinaſſent, eum ſingulari & admirabili quodam cum elogio approbarunt, ducentes, quod, tametſi in multis aliis perſonis multas dæmonis illuſiones experimento vidiſſent, quo ad res tamen S. Matris Tereſæ de Ieſu planè certi & ſecuri eſſent, eaque non aliter quam à liberali Domini manu data & profecta ampl. cterentur. Atque hoc eſſe, quod ipſe nouit, nec non alia multa ad eius perfectionem, vitam ſanctam, & eminens orationis genus ſpectantia. Quæ*, inquit, *intellexi, & ſapius referentes audiui P. Gaſparem de Salazar, & P. Balthaſarem Aluarium, Societatis Ieſu Sacerdotes, qui multis cum ipſa annis communicarunt. Et ſiquidem opus foret, multas referre poſſem reuelationes, & quidem approbatas, quas S. Mater Tereſa de Ieſu inſigniuum ſuiipſius, tum aliorum plurimorum cum profectu habuit, quæ non ſunt in librum, quem de vita illius quam accuratiſsimè & fideliſsimè Pater & Doctor Franciſcus de Ribera ſcripſit, relatæ.* Et hanc materiam proſequens, paulò inferius hæc addit: *Reperi in ipſa magnam & admirabilem quandam prudentiam, ſimul tamen &, Chriſtianam quandam ſimplicitatem; animum generoſum eumque excellenti humilitate ſuccinctum, ad hæc ſimplicem in rebus difficillimis erga ſuperiores obedientiam. In actibus charitatis aliarumque virtutum mirèſplendebat & ipſa, & eos quibuſcum agebat ad ſimiles virtutum actus inflammabat & emouebat. Præterea Mortificationem, & vitæ auſteritatem cumprimis ſectabatur, adhoc pergratum illi erat, quod ſuperiores & Confeſſarij grauia, laborioſa, ſenſualitatique diſplicentia ei iniungerent. Qnin imo in multis perſecutionibus quas paſſa eſt (vti fuit illa quam paſſa eſt Hiſpali) animum præferebat inuincibilem virilem & conſtantem, magnam quoque atque admirabilem patientiam, & in Deo fiduciam. Conſcientiam*

ſcientiam ab omni vitio & imperfectione puriſſimam conſeruabat, magna quadam cum animi pace & quiete coniunctam, quam ei Dominus concedebat. Quin imò, cum ex ipſa, tum è Patre Martino Gutierrio Rectore Societatis Ieſu Salmanticæ didici, dono prophetiæ illam à Deo donatam fuiſſe.

Pater ÆGIDIVS GONSALVIVS, Caſtellanæ Prouinciæ Prouincialis & viſitator, Societatis Ieſu, magnique in ea nominis, multiſque virtutum ornamentis conſpicuus, duodecim & amplius annis S. Matris Tereſæ de Ieſu confeſſionem excepit, familiariterq; cum eadem tractauit; cui ipſa viciſſim res ad ſpiritū ſpectantes, reuelationes & viſiones, quas ſuum in librum retulit, aperuit, & tandem de eius ſanctitate teſtimonium ferens ſic loquitur. *Fuit Mater Tereſa de Ieſu magni ſpiritus mulier, & cum Domino Ieſu Chriſto familiariter admodum eſt conuerſata: in qua ſublimiſſimam & altiſſimam quamdam orationem, continuam cum Domino præſentiam, ſimul & magnam quamdam erga ea quæ humilitatis ſunt propenſionem aduerti: itaque permultæ fuere viſiones & reuelationes quas à Domino accepit.* Et pòſt paulò: *Perſpexi, maximis illam virtutibus dotatam fuiſſe, atque imprimis ſpe quadam ſingulari: numquam enim eam de re vlla quam aggrediebatur & executioni mandare volebat, anxiam aut dubitantem vidi. Semper enim in Deo confidebat, idque per media quibus numquam ea ad exitum deducenda putabatur; maximaſque difficultates perfringendo, quidquid perficere decreuerat, exitum ſortiebatur.*

Addam his alia id genus teſtimonia. Vnum eſt alterius cuiuſdam P. Prouincialis, eiuſdem ordinis, non minus prudentis & docti, quam fuit ſuperior ille, Patris inquam BARTHOLOMÆI PERESII qui pluſquam decennio cum S. Matre commmunicauit, itaque de eadem teſtatur. *Mater Tereſa de Ieſu magni ſpiritus & orationis mulier fuit: quotieſcumque enim cum illa egi, ſemper eam de rebus ſpiritualibus magno cum ſpiritu, Zeloque religionis, & animarum bono loquentem audiui, è quo colligere eſt, illam Dominum ſuæ in memoria quam præſentiſſimum habuiſſe. De eo autem tanto loquebatur cum feruore & ſenſu, vt vere ſe ſummo Dei ac proximi amore æſtuare oſtenderet; vt, quoties cū ipſa agebam, ipſamque loquentem audiebam, ita ædificatus manerem, & ad Deo ſeruiendum animatus, vt non ſine ratione & tum mihi viſum ſit, & modo etiam videatur, illam vt ſanctam habendā ac ſuſpiciendam eſſe. Atque idem fuiſſe audio iudicium omnium eorum qui cum ipſa agebant nemini enim non mirum ſanctitatis odorem afflabat. Multi viri doctrinæ, ſpiritu & vitæ ſanctitate conſpicui illius ſpiritum approbarūt. Et quæcumque ſanctam Matrem ipſe tractantem negotia vidi, tanta eadem luce & cognitione ab illa notaui tractari, vt magnam illam rerum notitiam & facilitatem effectum quemdam eſſe cenſerem continuæ illius communicationis & orationis, quam cum Domino habebat. Quod & ab alijs qui eamdem explorarunt, ponderari & notari obſeruaui.* Et infra: *E conuerſatione & communicatione, quam cum Sancta Matre habui, cognoui eo quidem modo quo cognoſci poteſt, eam in gradu heroico fide, ſpe,*

fide, ſpe, caritate dotatam fuiſſe; & in particulari ingenti quodam Dei & illius gloriæ & ſalutis animarum amore, nec non virili quadam conſtantia ac generoſitate, in ijs quæ ad Domini noſtri Ieſu Chriſti obſequia ſpectabant, iam captis, proſequendis, nullas vt perſecutiones aut hominū obloquia curaret. Speciatim verò audiui quædā illius apud aliquot Religioſos, qui ipſam viſitationis cauſa adierant, colloquia de ingenti fidei Zelo, cuius potiſſimum intuitu ſuæ monaſteria fundare cœpit, Perſpexi quoque, dictam Matrem omnigenis virtutibus, & quidem in ſummo perfectionis gradu, dotatam fuiſſe. Hactenus illius verba.

Pater & Magiſter HIERONYMVS de RIPALDA, Societatis Ieſu, cum Salmanticenſis Collegij Rectorem ageret, ac prius cum Abulæ moraretur, quadriennij ſpatio Beatam Matrem Tereſam de Ieſu tractauit, eiuſque confeſſiones excepit. qui quid de illius ſanctitate ſentiret, ſic reſpondit: *Mater Tereſa de Ieſu magni ſpiritus mulier fuit, ſublimeque orationis genus habuit; cuius adminiculo, Dominus multa quæ ad ſuum obſequium ſpectabant, ipſi communicauit, quæ ipſa dein mecum diuerſis temporibus contulit; atque inde magnā de alta eius oratione, & ea quam ei Deus communicabat, luce' opinionem cōcepi. Egit illa cum doctiſſimis & grauiſſimis, quos tunc temporis hæc prouincia habuit, Societatis noſtræ viris, vti fuere Doctor Araozius Commiſſarius Patris Generalis, P. Licentiatus Martinus Gutierrius, Collegii Salmantini Rector, P. Balthaſar Aluarius, qui in Toletanæ huius prouinciæ prouincialatu deceſſit, & quo, omnium dictæ Societatis Religioſorū iudicio, nullus erat in rebus ſpiritus tractandis, eiſque cognoſcendis verſatior ac peritior; atque ideo rerum ſpiritualium præfectum propè ſemper agebat, ac prædictæ Matris Tereſæ de Ieſu ſexennio toto confeſſarius fuit; qui etiam de illius ſpiritu & rebus cum P. Franciſco de Borgia contulit. Omnes porro illi, quos dixi, Patres ipſum M. Tereſæ de Ieſu ſpiritum approbarunt & commendarunt.* Et inferius paulo: *Mater Tereſa de Ieſu inſigni fide, ſpe & charitate dotata fuit: nominatim verò in ipſa exactā & extraordinariam erga Confeſſarios ſuos obedientiam, in omnibus quæ ei mandabant; nec non ſingularem quamdam in Domino, aduerſus omnigenas quæ occurrebant difficultates, fiduciam, quin & inſignem Dei & ſui ipſius timorem, quod ſemper rebus ſuis diffideret ac timeret: quin etiam excellentem quamdam humilitatem, qua ſua & ſpiritum ſuum cum viris apprime doctis, & ſpiritualibus conferebat; deniq; exemplarem patientiam, qua omnes, quæ ſibi irrogabantur, iniurias, æquiſſimo animo perferebat, obſeruaui.*

Alius eiuſdem Societatis Pater, cui nomen IOANNES AGVILA, qui ſanctæ Matris confeſſarius fuit, eamque tractauit, idem penè dicit, & addit; ſe, præter eā quæ in ſancta Matre perſpexit, tres virtutes Theologicas in ſummo quodam gradu & maximo incremento notaſſe, &, per lucem, illam, quam ei Dominus in oratione communicabat, ſummam quamdam fidei noſtrę myſteriorum notitiā, & ſacræ ſcripturæ intelligentiam in eadem obſeruaſſe; eſto enim indocta eſſet mulier, ta-

men multa eiuſdem loca inſenſu Catholico & certo, iuxta ſanctorum doctorum ſpiritum & mentem intelligebat; deque Deo tam ſublimiter & altè ſentiebat, vt ad oculum pateret, quàm ipſa illi familiaris eſſet: atque inde meo iudicio, magna illa in rebus agendis & cunctis operationibus ſuis circumſpectio & prudentia proueniebat.

Finem non inuenirem, ſi omnes Societatis Ieſu, qui ipſam nouere, confeſſi ſunt, & magna cum prudentia & cautela ſpiritum illius approbarunt, Patres recenſere vellem. Inter quos non poſtremus fuit P. MARTINVS GVTIERRIVS, Salmantini Collegij Rector, vir doctus & concionator egregius, magniq; ſpiritus & orationis. Dein P. SALAZAR Rector collegii Conchenſis, qui, vti P. Henriquez ſuo in elogio prodidit, multa & præclara de S. Matris ſanctitate retulit, cumque Abulæ Rectorem ageret, mirificè eam adiuuit, & fauorem præſtitit. Tum verò P. SANTANDER Segobienſis Collegij Rector; necnon Doctor PAVLVS FERNANDIVS Inquiſitionis Toletanæ aſſeſſor & Conſultor, qui de ea dicere ſolebat. *Magna eſt Mater Tereſa de IESV quoad* * *tegulas infernas; multò verò maior quoad ſupernas.* Cũ omnibus hiſce patribus, doctis æquè ac grauibus, occaſione fundationum ſuarum, ſancta Mater communicauit; qui omnes idem prorſus de eiuſdem ſanctitate, virtute & ſpiritu tulere iudicium.

* *Eſt phraſis hiſpana, qua omnimodam perfectionem notant.*

Quin & alijs non paucis S. Mater confeſſa eſt, quorum nonnullorum, quid de ipſius perfectione & ſanctitate ſenſerint, teſtimonia hic depromam.

Licentiatus GASPAR de VILLANOVA, multæ vir eruditionis & Malagonenſis opidi Vicarius, Sanctæ Matri, ibidem dum ageret, aliquot menſibus à Confeſſionibus fuit, hocque de illa teſtimonium dat: *Mater Tereſa de IESV maximi ſpiritus fuit mulier, nec non excellentis cuiusdam cum Deo conuerſationis, & quæ ſuiipſius ac commodorum ſuorum oblita, in omnibus honorem Dei & gloriam quæſiuit; adhæc fide, ſpe & charitate in heroico & ſublimi quodam gradu dotata fuit. Humillima adhæc, & cumprimis obediens, ſummaque caſtitatis, & in aliis virtutibus mirum in modum prouecta: omni enim tempore quo cum ipſa egi, illique à confeſsionibus fui, tantam vitæ puritatem prætulit, numquam vt aliquid tum opere, tum verbo in ipſa vidiſſe me meminerim, quod reprehenſionem mereretur; ſed nonniſi omnia maximæ ædificationis & exempli: adeò quidem, vt inter eas raritates & ſingularia quæ Deus in terra habebat, ob quæ in ipſa ab hominibus glorificaretur, vnum mihi fuiſſe ipſa videatur.*

Magiſter CHRISTOPHORVS COLONIVS, Archiepiſcopatus Valentini Viſitator generalis, ſæpè Sanctæ Matris Tereſæ de Ieſu confeſſiones

feſsiones excepit, cum ipſa communicauit, & familiariter egit : atque in informatione quæ Valentiæ facta eſt, ait hæc verba : *Ego cenſeo Matrem Tereſam de Ieſu fuiſſe vnam è maximè ſingularis ſpiritus mulieribus, quas vmquam in terra vidi, eſto cum alijs plurimis, varijs in vrbibus & prouinciis, tractauerim. Etenim orationis adminiculo præclariſsima quædam à Domino obtinuit. habuit autem inprimis viuam ſpirituum notitiam & diſcretionem, quæ fiebat, vt, tametſi cum varij ſtatus & conditionis hominibus ageret, quòd tamen vniuscuiuis ſpiritui quadrabat, eique conueniebat, & in ſtatus ſui ordine ac diſcurſu poſtea ei euenturum erat, apertiſsimè detegeret & attingeret.* Et infrà : *Excellentem habuit fidem, ſpem, caritatem ; adeò quidem, nihil vt timeret, aut animum contraheret, quantumlibet ei omne humanum remedium & auxilium deeſſet ; vnde etiam dicere ſolebat : Habeamus legem ei qui ſuæ deeſſe non poteſt legi. Si quis vel ſolùm deforis eam intuitus eſſet, reſpondere videatur ipſa interiùs ad ea quæ mens ſcire deſiderabat ; adeò vt, ſi quod quis dubium habebat, eam neceſſe non eſſet interrogare, ipſum vt reſolueret.* Et addit deinde : *Illius humilitas erat ſincera & candida ; cui ſimilem in nulla pura creatura, quantaslibet ipſe toto vitæ meæ curſu tractaui, perſpexi. vnde etiam omnem fauorem & laudem humanam, & quidquid huc ſpectare videbatur, fugiebat. Illius circumſpectio caſta & honeſtas tam erat magna, vt hoc ipſa à Domino conſecuta donum videretur, vt, quotquot eam intuebantur, neſcio quam iis ipſa honeſtatem affricaret, adeo vt impoſsibile videretur, aliquem in ordinato quodam in ipſam amore ferri.* Omnes quos hactenus retuli, ſanctæ Matris Confeſſarij fuere.

§. 3.

TESTIMONIVM VIRORVM SANCTORVM, QVI SANctæ Matris vitam & libros iudicio ſuo approbarunt.

LIcet omnes, quos diximus hactenus, multarum virtutum & ſanctitatis eximiæ viri ſint ; iam tamen referre & depromere volo eos, qui admirabili & nota ſanctitate floruere, &, quod horum de ſancta matre fuit iudicium, paucis perſtringere : qui enim ea quæ Dei ſunt, verè & de facto guſtarunt & experti ſunt, mediante dono ſapientiæ, magna cum certitudine de ſenſibus & effectibus, qui è ſpiritu diuino nati ſunt, iudicant. Sicut is qui bonum habet guſtum, & palatum vino delicatiſsimo iam aſſuetum, ſi, quis ei acetum, aut aliud crudum, vel factitium vinum porrigat, ſtatim per guſtus experientiam multo clarius percipit vini differentiam, quàm is qui ſolo viſu, odore, vel guſtum deprauatum habens, ipſum vellet diſcernere. Multi ergo

viri ſpirituales, qui multa haud dubiè à Domino acceperant ſimilia ijs, quæ & in Sancta Matre ipſe operabatur, ſpiritum eius approbarunt.

Inter hos fuit Primo, Sanctus Pater ac frater LVDOVICVS BERTRANDVS, cuius ſanctitas tam in Hiſpania, quàm extra illam notiſſima eſt, quamque ſatis colligere ex eo eſt, vt nihil de miraculis eius dicam, quòd à Romana ſede in ſanctorum Confeſſorum numerum relatus ſit. Sanctus ergo hic vir, non ſine diuina reuelatione, ſanctæ huius mulieris vitam ac virtutes, nec non propoſitum eius, quo nouam Ordinis ſui reformationem facere decreuerat, permagni fecit, eamque ad hoc ipſum perficiendum, quòd ad diuinam gloriam vſque adeò id faceret, ſcripta epiſtola Domini ex parte animauit, cuius hęc sũt verba. *Tuas, ô Mater Tereſa, litteras recepi; & quoniã res, ſuper qua meum petis iudicium, adeò ad Domini obſequium facit, ideo tenuibus orationibus ac ſacrificiis meis Domino ipſam volui commendare; atque hæc eſt cauſa quòd tibi reſpondere hactenus diſtulerim* (diſtulerat autem ad tres quatuorue menſes.) *Iam ergo Dei eiuſdem nomine tibi dico, vt ad tam egregium & grande opus peragendũ animum induas: ipſe namque te adiuuabit, ac fauore ſuo proſequetur; eiuſque nomine te certiorem facio & dico, quinquaginta non elapſuros annos, quin religio tua vna ex illuſtriſſimis, quas Dei Eccleſia habet, religionibus ſit futura, qui te cuſtodiat, &c. Valentiæ.*

P. Magiſter IOANNES AVILA, habitus noſtris temporibus vir vero Euangelicus, & quo fideliorem ac zeloſiorem iam abhinc multis ſæculis Eccleſia Dei miniſtrum non habuit, cuiuſque virtutes & vita tam fuere ſingulares, vt P. Ludouicus Granatenſis ſingulari eam libro deſcribere graue ſibi non duxerit. Vt ergo Sanctus hic vir ſpiritum ac reuelationes S. Matris examinare poſſet, ipſam Confeſſariorum ſuorum iuſſu ſuam ſcripto vitam committere oportuit. Quod ipſe enucleatè & admodum per otium fecit; addita epiſtola, in qua aliquot rationibus ſanctæ matris reuelationes & ſpiritũ probauit. Imò vero Religioſiſſimus P. F. Ludouicus Granatenſis, ſancti illius viri vitam dum ſcribit, inter alia euidentia, quibus illum ſpirituum diſcernendorum ſpiritum habuiſſe probat, teſtimonia hoc vt ſingulare producit, quod nimirum in S. Matris Tereſæ ſpiritu examinando & approbando ſcopum optimè tetigerit, nec aberrarit. Hæc autem eius ſunt verba: *Contigit quoque, vt inſignis quædam Religioſa, cui nomen Tereſa de Ieſu, noſtra hac ætate notiſſima (etſi initio à multis qui eius ſpiritum ignorabant, perſecutionem pateretur) cùm ſe ab aliquibus adeò premi & exagitari cerneret, quorumdam S. Inquiſitionis officialium conſilio ſuaſuque, ad Patrem Auilam, ob magnam illius in rebus ſpiritualibus peritiam & experientiam recurſum haberet, eiq; totius vitæ ſuæ rationem redderet: qui cùm*

ſpondit,

quid rei esset satis intellexisset, eiusque spiritum perdidicisset, in epistola quadam ei respondit, non esse quod se amplius inquietaret, at certa & secura esset nullam in rebus suis illusionem subesse, quòd omnia à Deo proficiscerentur & eo auctore fierent. Quo testimonio, & ipse Ludouicus Granatensis S. Matris Teresæ de Iesu sanctitatem confirmat, eiusque spiritum approbat.

P. F. PETRVS de ALCANTARA, magni vir spiritus, multæque orationis, quique sua industria & labore Patrum Franciscanorũ Discalceatorum Ordinem reformauit, & pristinum in statum reduxit; fuit inter eos qui singulari quadam ratione cum Sancta Matre tractarunt, & in quo vicissim ipsa insignem spiritum & vitæ sanctitatem perspexit, non postremus. Ipse quoque fuit, qui præ cæteris Sanctam Matrem (vti ipsa sua in vita scripsit) securam reddidit, eã Aluari Mendosij Episcopi Abulensis ad notitiam perduxit, quiq; auctoritate & bono quod apud eum habebat, nomine, tantũ apud Episcopũ potuit, vt ipse eum ad facultatem primi monasterij fundandi concedendam permouerit. Quod verò maius; tanta apud Abulenses omnes P. F. Petri de Alcantara erat auctoritas, tamque bene de eo opinabantur vniuersi, vt, cum in principio, dum primum tantas S. Matri Dominus gratias conferre incipiebat, multi de illius Confessarijs, litterati alioqui & graues viri, spiritum Dei eum esse negarent; vt contrarium postea de ea crederent sola Patris huius auctoritas suffecerit, eosque ipse mentem & opinionem priorem mutare coegerit. Imo vero, sanctus hic vir dicere solebat, inter eas animas quæ tunc temporis maiore in mundo sanctitate florebant, sanctam Matrem Teresam de Iesu referendam videri, & primam penè existere; atque adeò, vna excepta fide, nihil sibi esse certius ac manifestius, quam spiritum illius à Deo esse & proficisci. Vnde etiam illi suis in laboribus, difficultatibus, & fundationibus insigni adiumento fuit. Hi duo, quos dixi, viri tam sublimis sunt spiritus, tamque admirabilis sanctitatis, & eas habuere virtutes, vitaque tam fuere conspicui, vt in sanctorum vt referantur numerum, digni sint. Primi vitam scripsit P. F. Ludouicus Granatensis; alterius verò, Petri inquam de Alcantara, ipsa sancta Mater, vitæ suæ cap. 27. vbi paucis verbis plurimas heroicas eius virtutes perstringit.

In hunc virorum spiritua um, & insignium Dei seruorum numerum referre possumus P. FRANCISCVM de BORGIA Societatis Iesu Generalem, & sanctimonia vitæ inprimis conspicuum, nec non P. Balthasarem Aluarium (quorum iam supra obiter mentionem fecimus.) Hi, quæ nam sanctitatis pignora Dominus in B. M. Teresa de Iesu posuisset, satis superque & viderunt, & testati sunt. Atque in primis P. Franciscus de Borgia ita erga eam affectus mansit,

itaque eius ſpiritus illi ſatisfecit & placuit, vt de illa numquam niſi quã honorificentiſſimè & magna cum laude loqueretur; &, poſtquam ſemel cum illa egit, ſemper exinde illi litteras miſerit, ne tam ſanctæ feminæ communicationem amitteret. Porro P. Balthaſar Aluarius vir ſingulari dotatus ſpiritu, multæque orationis quique Toletanæ prouinciæ Prouincialis fuit; ad multos annos ei confitenti aures dedit, multiſque eam mortificationibus exercuit, & alia, ad eius ſpiritus periculum faciendum nonnulla tentamina præmiſit: è quibus ſpiritus ipſius puritatem ſinceritatemque indies magis & magis perſpiciebat; idque cum inſigni ipſiuſmet profectu & admiratione, ſingularia quædam dona in ipſa agnoſcendo.

Inter huiuſmodi viros numerabo quoque P. RODERICVM ALVARIVM, heroicarum & illuſtrium virtutum elogijs præſtantem virum, qui S. Matris ſpiritum (vti iam ſupra P. & Doctor Henricus Henriquez teſtatus eſt) & examinauit & probauit. De qua re particulare quoddam teſtimonium dat Licentiatus Ferdinandus de Mata, Hiſpalenſium prædicator, & vir cumprimis Spiritualis, qui ſuo in elogio, poſtquam idem quod alij de illius ſpiritu teſtatus eſſet, addit: *Audiui P. Rodericum Aluarium Societatis Ieſu, qui S. Matris Tereſæ de Ieſu confeſſarium egit dum ipſa Hiſpali habitaret, ſpiritum illius laudantem & approbantem quaſi admodum certum quod ille pater iudicium de illa tulit, poſtquam eam accurate exploraſſet, & Dominum in oratione rogaſſet lucem ſibi & notitiam daret, ad rei veritatem intelligendam. Porro P. Rodericus Aluarius habitus eſt pro viro, cui Dominus ſpirituum diſcernendorum donum dederat; vnde & huiuſmodi in rebus S. Inquiſitionis aſſeſſores eum nonnumquam conſulebant; ſemper quoque eum vt virtutis ac religionis exemplar, ac magni ſpiritus virum tum domeſtici, tum externi ſuſpexere. quem nonnumquam audiui dicentem, Dominum S. Matri multa ad ſuum obſequium ſpectantia, per orationem communicaſſe, quæ in libris qui de illius vita perſcripti ſunt, nec non in alijs chartis manu ſcriptis ipſe legi. Quin & hunc ipſum P. Rodericum Aluarium qui generalem illius confeßionem exceperat, audiui dicentem, ipſam particulare quoddam caſtitatis donum habüiſſe, tamque ipſam in virginitate integram & corpore intactam fuiſſe, ac S. Catharina Senenſis & quamdam perſpicilliorũ thecam producens, dixit: Quemadmodum impoßibile eſt, vt aliquas theca hac cogitationes habeat, aut ſenſum carnis; ita & illi impoßibile id erat, idque ob particulare caſtitatis & puritatis, quod à Deo acceperat, donum.* Hanc Pater iſte, rerum ſpiritus adeo peritus, & zeloſus Dei famulus, approbationem & cenſuram tum demum de ea tulit, poſtquam multa ieiunia, orationes & alia plurima examina hancob cauſam præmiſiſſet. Cumque quadam die in collegij ſui choro in oratione ageret, Dominus ei è varijs ſacræ ſcripturæ locis declarauit,

cum

eum quem B. Mater habebat, esse spiritum bonum, & à sua manu profectum: vnde ex illo tempore passim omnibus euulgare ipse cæpit, spiritum illum à Deo & cælo venisse, quin etiam Prouincialem suum, qui tum erat P. Didacus de Acosta, & de hac re quoq; dubitabat, reuelationis, quæ sibi in oratione declarata erat, certiorem reddidit. Prouincialis porro Sancti huius Patris adeo rerum spiritualium periti & spiritualis, testimonio & informatione motus, illico dubitationem suam deposuit, & tam rectè de sancta Matre sensit, idem de illa testimonium tulit, atque ita quoad eius spiritum securus fuit, ac reliqui omnes quos diximus hactenus.

Hunc quoque in numerum hic referam P. Ivlianvm de Avila, maiorem Discalceatarum Abulensium Sacellanum, virum vitæ exemplaris & plurimorum virtutum, quem etiam vt talem omnes ciues Abulenses habuere. quod satis illius in morte patuit, quando eius iam defuncti corpus & reliquias quilibet, vt sancti alicuius, coluere & venerati sunt; vti & vere erat. Fuit sanctus hic vir, perpetuus sanctæ Matris comes & socius, ac viginti annorum spatio cum ipsa egit, & per omnes eius fundationes vna cum ea profectus est: cumque admirabiles eius virtutes assidua frequentatione & vsu perspexisset, quemdam de ijs quæ vidit, & reipsa expertus est, &, quoad sanctitatem eius annotauit atque intellexit, sua ipse manu librum conscripsit. Ex illius porro testimonio quod de S. Matris Canonizatione ipse tulit (amplum sanè id est ac diffusum) breues hasce quæ sequuntur sententias deprompsi: *Ego* inquit, *circiter viginti annos, plus aut minus Sanctam Matrem frequentaui, cum ea sum conuersatus ei confitenti aures dedi, & sæpius cum ea communicaui, quin & omnibus fundationibus quæ ei occurrerunt, vsque dum Dominus eam ex hac vita sustulit, præsens interfui, eam sum comitatus, eique seruiui. Habuit ipsa fidem admodum viuam, & spem ita claram & raram, atque alios sanctos habuisse constat, & charitatem ad eò feruentem, vt eam nec labores, nec contradictiones, nec obloquia, nec exiguus hominum erga ipsam affectus & auxilium, neque aliæ res vllæ quas nimis quam longum foret referre, in charitate & amore erga Deum, quem in omnibus declarabat, frigescere faceret. adeo vt non sine ratione dicere posset illud Apostoli: Quis nos separabit à charitate & amore* Iesv Christi? *Ego velut testis oculatus, dico, nihil aut aduersi, aut prosperi, nihil quod ad facultates, honorem, aut vitam pertineret, neque demum aliud quid, satis fuisse, vt ab iis quas cæperat fundationibus perficiendis desisteret, velut secura esset & certa, Deum sibi minimè defuturum.* Et paulo inferius:

In rebus

In rebus ſupernaturalibus quas in ea Deus faciebat, & in ope quam illi in fundationibus præſtabat, longè ſuperabat gratias illas, quas multis ſanctis antiquis Deus præſtitit; cum tam mirabilia & obſtupenda illius opera Deus faceret. Et alio in loco: *Nemo negare poterit aut dicere audebit, quin Dominus in Matris Tereſæ de Ieſu rebus ita ſe eminentẽ præſtiterit, atque ſe in maximè inſignibus & præſtantiſſimis quos Eccleſia Dei habet, ſanctis alias præſtitit, & ſingularem oſtendit. Ego velut teſtis oculatus dicere audeo, eam res adeo ſupernaturales habuiſſe atque maxime à Deo amati ſancti habuere. Vt plurimum namque quotidie ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ei dabam, & plerumque poſt ipſum ſumptum, raptum patiebatur. quo etiam tempore tot & tam ſingulares & eminentes, ei gratias faciebat, vt quamuis ipſamet multa quoad hoc ſcripſerit, tamen nonniſi minimam eorum partem ſcripſerit, reſpectu eorum quæ circa res ſupernaturales Dominus ei dabat intelligere. Vnde inter hæc tam ſublimia, quæ eam Deus ſentire faciebat, dabat & alia quædã, quæ dici & aperiri poterant: quæ ſunt illa, quæ ipſamet ſcripto commiſit, & quidem tam verè vt illo viginti annorum quo cum ipſa egi ſpatio, numquam eam aduerterim aut intellexerim, vllum peccatum veniale ſcienter & volenter feciſſe. Et hoc mihi de ipſa conſtat, numquam ipſam vllum factum fuiſſe, eſto quidquid in mũdo eſt, per hoc lucrari potuiſſet. Scio præterea, tantam & tam continuam illius orationem fuiſſe, Deique præſentiam, vt, quò illam ferre poſſet, per aliquot externa negotia, quæ ad monaſteriorum ſuorum regimen & augmentum ſpectabant, diuerti & occupari eam oporteret. Ordinarium quoque illi fuiſſe, cum Deo de ſuis rebus communicare & colloqui, & Deum viciſſim illi loqui, & multa quæ ad fundationes monaſteriorum ſpectarent, maiori ei cum familiaritate aperire, quam de multis ſanctis legimus. Et hoc plerumque fiebat, poſt ſumptam ſacram communionem.*

Volo quoque hic commemorare Epiſcopos, & alios Prælatos graues Hiſpaniæ, æquè ac doctos, qui poſtquam cum Matre Tereſa de Ieſu egiſſent, idem de illa viuente dedere iudicium, quod vniuerſa Eccleſia de illa iam mortua. Primus ſit Theutonius de Berganza Archiepiſcopus Eborenſis, qui magnam cum S. Matre familiaritatem & notitiam habuit; ac identidem ſe ideo feliciſſimum reputabat, quod eam in hac vita nouiſſet; &, ipſa etiamnum viuente, nec procurante, in Luſitania edi in lucem curauit librum *Viam perfectionis* appellatum, quem in Monialium ſuarum vſum ſancta Mater dumtaxat conſcripſerat.

Secundus ſit Doctor Velaſcius, ex Canonico Toletano Epiſcopus Oſmenſis, ac deinde Compoſtellanus Archiepiſcopus. Canonicum is cum ageret, expreſſo Domini iuſſu eum Sancta Mater in ſuum Confeſſarium delegit; & ipſe poſtquam eam frequentaſſet, eiuſque confeſſiones excepiſſet, tantam erga ipſam deuotionem & affectum concepit, tamque præclarè de heroicis ipſius virtutibus ſenſit, vt cum Oſmenſis Epiſcopus eſſet, ipſam euocarit, vt Soriæ Epiſcopatus fui in opido monaſte-

naſterium conſtitueret. primò eã illuc profectam in domum ſuam recepit; dum verò exciperet, genu flexo eam excepit. Tanta ſcilicet is in ſanctam veneratione ferebatur. Quo illa honore ita erubuit, atque vmquam aliàs in vita erubuerat.

Aluarus Mendoſius, Epiſcopus Palentinus, Beatam Matrem vt ſanctam ſuſpiciebat, & vt talia omnia quæ ad ipſam ſpectabant, reputabat: &, licet in principio illius fundationibus aliquod obiicere vellet impedimentum, ita tamen poſtea quoad ſpiritum Dei qui in ſancta Matre commorabatur, ſecurus & confirmatus manſit, vt exinde, numquam ſe de re vlla, quantumuis impoſſibilis ea videretur, dubitaſſe dixerit, dummodò B. Mater eam poſſibilem ac futuram diceret. Cumq; in principio omnes occlamarent ac dicerent, ſtultitiam eſſe, mulierem rem tam arduam, vti erat noua ordinis cuiuſdam reformatio, ordiri & ſuſcipere velle; ipſe verò è rerum ſucceſſu videret ad oculum, quàm ipſi malè ſentirent, dicere ſolebat: *Sanè nos ſtulti & fatui ſumus, ipſa verò & ſapit, & ſancta eſt.* Vnde etiam ſummus B. Matris amicus exſtitit, ipſamq;, vti & religionem eius, quibuſcumque potuit modis, tam in exordio quàm omni eo quo vixit tempore, egregiè iuuit ac protexit.

Archiepiſcopus Hiſpalenſis Chriſtophorus Roxas illius intimus ac familiariſſimus exſtitit; atq; ideo & indefeſſus Religionis illius patronus & protector.

Archiepiſcopus verò Burgenſis Chriſtophorus Bela (qui Diſcalceatarum conuentus Burgis erigendi, quem S. Mater ibidem fundauit, fundationi antè totis viribus obſtiterat) tam præclaram de ipſa poſtea opinionem concepit, vt in quadam quam in hoc ipſo conuentu deinde habuit concione, magna cum animi teneritudine, & penè cum lacrymis, multis S. Matrem laudibus cumularit, ſeipſum accuſans & caſtigans, quòd in illi ad hoc licentia danda tam difficilem & tardum ſe præbuiſſet.

Didacus Couarruuias Epiſcopus Segobienſis, & Caſtellæ ſupremus Præſes, & inter viros doctiſſimos, quos ea prouincia habuit, facilè princeps, maximo S. Matrem honore affecit, & optimè præclareque de illius ſanctitate ſenſit: quam etiam cognato ſuo Ioanni Oroſcio de Couarruuias Epiſcopo Guadixenſi afflauit, quemadmodum videre eſt è libro, quem is de vera & falſa prophetia conſcripſit. Quin etiam non ita pridem ſunt, quatuor Epiſcopi, qui Sanctæ Matris Tereſæ confeſſarij fuere; Doctor Manſius, Epiſcopus Calagurritanus; Doctor Sierra, Palentinus; & Doctor Caſtrius, Segobienſis; qui omnes, prout par eſt, virtutum, quas in Sancta Matre vſù didicerunt,

& manibus propè palparunt, excellentiam & ſanctitatem mirè deprædicant. Quartus denique Didacus de Yepez, Epiſcopus Turiaſonenſis, Catholicæ Maieſtati Philippi II. Hiſpaniarum Regis à Confeſſionibus, qui etiam ingens de illius vita, geſtis, ſanctimonia, virtutibus, & miraculis volumen conſcripſit, & quibuſcumque modis potuit, Religioſos & Religioſas illius ad, iuuit ac protexit.

Inter viros Eccleſiaſticos & Religioſos referre quoque poſſumus Ferdinandum de Toleto, Ducis Albani filium, Magnum Ordinis S. Ioannis Priorem: qui quod S. Matrem in viuis agentem vidit, & cum ea verſatus eſt, profundam eius humilitatem, admirabilem ſanctitatem & virtutes ſtatim perſpexit. Etiam inde ab eo tempore quo eam frequentare cœpit, eam vt ſanctam in cœlo agentem, & dignam quæ etiam in terra, publicę Romanæ Sedis approbatione, vt talis coleretur, ſuſpicere incepit. Vnde etiam, quo inſigne aliquod Deo obſequium præſtaret, & oſtendere volens quo in ſanctã Matrem aſpectu ferretur, cum ex hac vita deceſſit (triennio videlicet aut quadriennio poſt S. Matris mortem) quatuordecim aureorum millia teſtamento legauit, qui in annuos reditus aſſignarẽtur, vſque dum de ipſa canonizanda ageretur, actum illi in ſumptus Canonizationis impenderentur. Quin & aliam facultatum ſuarum partem conuentui, in opido Conſegrano, Monialibus Diſcalceatis fundando dedicauit: atque hæc omnia in Dei honorem & Sanctæ Matris venerationem is præſtitit.

Quamuis verò eam in vita non nouerint, mortuã tamen eam vt ſanctam & Canonizatione dignam, idq; actis & teſtimonijs publicis, multi graues in Hiſpania viri cẽſuerunt. Inter alios, Dominus Patriarcha & Archiepiſcopus Valentinus, Ioannes de Ribera cum in fundatione, cuiuſdam Collegij quod inſtituit, notabiles duplices portiones & collationes legaſſet, quibuſdam per annum feſtiuitatibus, & diebus quibus nonnullorum expreſſim Sanctorum memoria agitur, percipiẽdas; inter ſanctos hos etiã refert B. Matrẽ Tereſam de Ieſu, vt etiam Canonizatæ illo modo quo ceteris celebritas inſtitueretur, quaſi iã tũ illius Canonizationem, quia tum quidem nemo de ea dubitabat, vt certã haberet.

Laurentius Otaduuius Abulenſis Epiſcopus, vir doctiſſimus, & egregiè pius, decem aureorũ millia dedit, è quibus Abulæ Diſcalceatis Fratribus monaſterium conſtrueretur, & in pactis cõuentis, quæ cum Ordine inſtituit, inter cetera, hãc fundationem tum ad Dei opt. max. tum ad Beatæ Matris Tereſæ de Ieſu honorem & gloriam fieri ait. Neq; verò mirum eſt, ipſam ab illo Beatam appellari, cum ſæpius repetat & inculcet, Sanctam Matrem de Ieſu non minus apud ſe & in mente ſua Canonizatam eſſe, quam ipſam S. Catharinam Senenſem. Nam quòd

eſſet

eſſet eius loci, in quo S. Mater & nata & educata eſſet, Epiſcopum ageret, illius excellentes virtutes & ſanctitatem optime perſpectas habebat.

Omnes ergo quos hactenus commemorauimus viri, nec non alij plures quos ſtudio omittimus, tam graues, tam ſancti, & docti, tantęque dignitatis & auctoritatis, cum S. Matrem Tereſam de Ieſu cognouiſſent, eamque frequentaſſent, ſanctitatem illius ad vnum omnes approbarunt. Neſcio verò, quod maius aut amplius excogitari (hac quidem in parte) de quopiam ſancto teſtimonium queat, aut quod exactius Eccleſia examen aut explorationem inſtituere, excepta illa approbatione quæ vel à Generali Concilio aut Sede Apoſtolica proficiſcitur, quod adeo ſit ſufficiens & efficax, atque hoc quod de ſancta Matre factum eſt: cum tot Archiepiſcopi, Epiſcopi, Prouinciales, Religionum Superiores, Magiſtri & Doctores S. Theologiæ, viri ſpirituales æquè ac ſancti, quibuſcumque viis & modis, multo mulieris huius Sanctæ ſpiritum tempore examinarint.

Illorum viro numerus, qualitates, elogia, officia, dignitates nimis quam ſufficientia ſunt, non ad vnum dumtaxat, ſed ad multa prouincialia Concilia dignè inſtituenda; eis vt nec caput, nec membra, nec doctrina, nec virtus, nec numerus, nec aliæ partes, ad ipſum neceſſariæ, deeſſent.

Perſonarum ſæcularium, quæ ſanctam Matrem cognouerunt, & magni fecerunt, mentionem hic facere nolo; quod æquo longiorem ac prolixorem prologum hunc facerem: vnum dumtaxat hic referam, qui inſtar ſit omnium quos afferre poſſem, Philippum inquam ſecundum Hiſpaniarum Regem, cui ſancta Mater dum viueret, litteras ſcripſit, & aliquarum rerum certiorem fecit, nec non alia quadam ab eo in gratiam Ordinis ſui poſtulauit, quæ ipſe ei magna cum liberalitate conceſſit. Atque adeo, litteris & opinione, quam de ipſa conceperat, motus, particularis Religionis illius pater fuit & protector. Vti & Imperatrix Maria, nec non ipſa Princeps Ioanna: cuius petitione & inſtantia, Madrito S. Mater pertranſijt, apud Diſcalceatas hoſpitatura. Non minor fuit erga eam affectus & deuotio Chriſtianiſſimi Regis Franciæ, qui ad poſtulationem & preces cognatæ ſuæ Duciſſæ de Longa villa, & præſertim ob deuotionem & affectum erga ſanctam Matrem, à ſummo Pontifice Clemente octauo aliquot ordinis quem ipſa fundauit, moniales poſtulauit, cui etiam ſuæ ſanctitatis iuſſu, P. Generalis Moniales miſit, & certe anni ſpatio, ſub protectione & tutela Regis Chriſtianiſſimi, quatuor primaria in Francia fundata ſunt monaſteria, & quotidie ſemper noua ab alijs ciuitatibus expetuntur.

TESTIMONIA QVÆ DE IPSA S. MATRE IAM MORTVA data ſunt.

§. 4.

SAncta verò Matre iam demortua, omnes qui ea tempeſtate in Hiſpania floruere viri graues iuxtà ac docti, ſancto & pio quodam zelo moti, calamum in manus ſumpſere, ad vitam illius conſcribendam. Primus, qui laborem hunc ſuſcepit, fuit Doctor & Pater Franciſcus de Ribera Societatis Ieſu (vti iã ſuprà ſignificauimus) qui non multis poſt eius mortem annis, multa in vnum volumen coniunxit, quæ tum ipſe, tum alij de Sancta Matre nouerant. Et illo ipſo tempore P. F. Magiſter Dominicus Banneſius Dominicano ex Ordine & Primarius Theologicæ facultatis Salmanticæ Profeſſor cuius etiam iam ſuperius mentionem fecimus, idem omnino facere decreuit, velut teſtis oculatus & tot per annos S. Matris Confeſſarius; ſed graues & plurimæ quas habuit occupationes pia hæc deſideria ne exequeretur, impedimento fuere.

Quod verò quotidie hõminum de S. Matris ſanctitate opinio & æſtimatio creſceret, ſimul etiam illorum erga ipſam creuit affectio & deuotio. Maximè verò erga illam affecta & deuota fuit ipſa Imperatrix, Regis Hiſpaniarum Philippi II. ſoror; cupiuitque quàm maximè, vt P. M. F. Ludouicus Legionenſis Ordinis S. Auguſtini, & SS. Litterarum in Salmanticenſi vniuerſitate Profeſſor, vir per Europam tum ob ingenij præſtantiam, tum ob ſingularem doctrinam notiſſimus, vitam & mīracula illius ſcripto committeret; quòd neminem illo melius tunc quidem in Hiſpania, id pro argumenti dignitate præſtiturum, ſuoque in hoc deſiderio ſatisfacturum (nec immeritò) putaret; vnde ei hanc prouinciam & laborem iniunxit, qui illi ſanè fuit perquam iucundus. Operi ergo ſe accinit, & multa quæ (poſtquam P. FRANCISCVS RIBERA illius geſta ſcripſiſſet) tempus & diligens inquiſitio detexerat, in vnum collegit, cui proinde & Didacus de Yepes, qui deinde vitam ſanctæ matris etiam euulgauit, multa communicauit, quæ ipſe poſtea, Ludouico morte præuento, ſuum in librum retulit. at viſum Deo, illum iam tum in laboris principio, cum vix dum quinque aut ſex paginas ſcripſiſſet, ex hac vita euocare; itaque omnes ſpe ſua fruſtrati ſunt. Verumtamen, eſto optatum adeò partum hunc in lucem edere non potuerit, prologum quem. dã edidit (qui cum libro quem ipſa S. Mater de vita ſua cõſcripſit; ſimul legi & edi ſolet) in quo is, licet quã breuiſſimè, tum erudite, tũ verè, ſublimi quodã ſtylo, maxima quædã mirabilia, quæ Deus opt. max. in hac

Sancta,

Sancta, & per illam operatus est, recensét & tradit. Yepes verò, veritus ne aut tempus, aut obliuio mirabilia Dei opera sepeliret penitus, aut saltem immutaret, laborem hunc reassumere non dubitauit, omnia quæ hactenus de eius vita & sanctitate edita erant, simul in vnum corpus compingens.

Obiter verò hic notandum (quod & notarunt plurimi) singularem quamdam Dei gratiam & priuilegium fuisse quod huic sponsæ suæ contulit, quòd, cum particularis & priuati cuiusdam Ordinis Religiosa fuerit, ab omnibus tamen Religiosis ita vniuersaliter amata & honorata fuerit, ac si singulorum ipsa Religionem professa esset. Quodq; vero magis mirandum, est, quod, cum viri egregiè docti & summi Theologi vt plurimum parum afficiantur erga illos (præsertim si mulieres sunt) qui extra ordinarias visionum, reuelationum ac raptuum vias confectantur; in Sancta Matre tamen regula hæc locum non habeat: imò verò per experientiam videre est, quo viri doctiores & maioris eruditionis sunt, eo hos pluris opera illius facere, magisque erga eas affici: quòd sacræ scripturæ luce spiritus illius subtilitatem & acumina penetrent. Et sanè, non sine singulari quadam Dei fit prouidentia, vt, quoniam ipsamet Sancta Mater ita doctrinam dilexit, & magnorum doctorum tanta fuit cultrix & frequentatrix, numquam vt sibi à viro bene docto malè consultum fuisse dicere soleret, ita ipsi viciſſim eam iam mortuam honorent, colant, & omnimodis venerentur, illius sanctitatem & vitæ perfectionem non solum verbis, sed etiam libris celebrare & extollere conantes.

Omnium verò de sanctitate beneditæ huius Matris testimoniorum generaliſſimum, est communis & vniuersalis totius Hispaniæ, & aliorum regnorum, præsertim Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & Indiarum Orientalis & Occidentis, acclamatio. Reges quippe Hispaniæ, Philippi tam secundus quam tertius, varias ad Summum Pontificem scripsere litteras, quibus illam in Diuorum referri cathalogum petiere, nec non Regina Margareta nuper defuncta Philippi III. vxor quæ mirificè erga illam afficiebatur. Idem quoque ab eo petiere Regni Castellani proceres in comitijs anno 1596 indictis, nec non Aragonij: adhæc omnes Ecclesiæ Hispanicæ in cõgregatione & synodo, quã anno 1595. indixere; item in alia quæ non multo post priorem illam congregata est; quæ omnes quam enixiſſime summo Pontifici supplicarunt, vt ipsa sanctorum catalogo posset ascribi. Idem quoque petijt prouinciale Concilium Tarracone celebratum. Imò verò vix vllus fuit in Hispania Archiepiscopus, Episcopus, aut celebris Vniuersitas, vti sunt Salmantina, & Complutensis, qui non huius rei impetrandę ad Sedem Apostolicam lit-

cam litteras miserint. Omnes enim ad vnum, etiam antequam canonizaretur, benedictam hanc Matrem non modò sanctam, sed & sanctissimam, perfectissimam, & absolutissimam vocarunt, & quantum quidem ad sanctitatis & virtutis perfectionem spectat, ab omnibus ipsa vulgò culta est, & Sanctæ nomine appellata.

Vnde etiam grauissimi quique in Hispania de illius reliquiis aut habent aliquid, aut habere procurant; plurimi quoque illarum virtutem & potentiam sensere, vti è vitæ illius historia, quam D. Yepes concinnauit, videre est.

Illius quoq; corpus, tamquam mulieris sanctæ, à multis grauibus doctisq; viris visitatur & colitur, & ad illius inuocationem plurima, scriptione dignissima, contigere miracula: nec solum in Hispania sed etiam extra illam: nam adeò longè se deuotio & affectio erga ipsam diuam diffudit, vt P. F. Dicacus de Soria Philippinarum Insularum Episcopus, in extremis Indiarum finibus, quadã in epistola, quam ad Clementem VII. Pontificem exaranit, tantopere erga S. Matrem Indos & neophytos affici scribat, vt filiolas suas cum sacris baptismi aquis abluuntur, illius in honorem, Teresæ velint nomine insigniri.

Interea autem testimonia, quæ extra Hispaniam de B. Matri Teresę de Iesu sanctitate lata sunt, non postremum sibi locum vendicat ipsũ doctissimi æquè ac grauissimi viri Thomæ Bosij, qui in suo de signis Ecclesiæ libro sic de illa loquitur: *Teresa Hispana virgo admirandæ sanctitatis, incredibili patientia, humilitate ac prudentia floruit. In precibus sæpe extra sensus omnes rapiebatur, in altumque aëra toto corpore sustollebatur. Edidit libros doctrina cælestis plenos, quibus edoceamur vias Christianæ diuinaque vitæ degendæ. Sexaginta ac plura monasteria tum virorum, tum fœminarum fundauit auctoritate ac fide cælestium rerum, quas illa patiebatur. Eius cadauer incorruptum persistit & innumera miracula edidit. Ratio vitæ quam suorum monasteriis præscripsit, est supra humanam conditionem, magnæ perfectionis ac puritatis, quam factis exhibuerunt & exhibent eius sectatores.* tom. 1. lib. 12. c. 28 signo 570.

Eadem quoque veneratione & respectu de rebus sanctæ nostræ loquitur P. Antonius Posseuinus Societatis Iesu, vir hac ætate doctrina sua celeberrimus, qui in libri, quem ipsamet Sancta Mater de vita sua scripsit, prolegomenis, quę latinæ exstant, illius in honorem & elogium epistolam scribit.

Et sanè nimis quàm prolixum foret, si omnes qui tam Latinè quàm Hispanicè scripsere, graues æquè ac doctos & celebres viros referrem, qui eam sanctam vocitant, ac sexcentis sanctitatem ac vitæ sublimitatem eius encomijs extollunt.

Ad grauia hæc quæ deprõpsimus testimonia, addere possemus hoc, quod

quòd ſancta Mater, Religionis tam virorum quam mulierum, quæ inter omnes quas hodie habet Eccleſia vitam auſteriſsimam ducentes facilè princeps eſt, fuerit reformatrix, dum eam iam prolapſam ad primæuum ſuum ſpiritum & feruorem reduxit: nec non admirabilem librorum ipſius doctrinam, quin & ſingularem quem ſpirituales in Eccleſia ex illis ipſis fructum percepere, admirabilem corporis illius integritatem & incorruptionem, &, quod amplius eſt, ſanctum quod ex eo promanat oleum: innumera quæ ad illius interceſsionem, tum in vita, tum poſt mortem edita ſunt miracula: labores & perſecutiones quos animo pluſquam muliebri paſſa eſt: virtutes heroicas quas habuit: deniq; particulares, quas Dominus ei præſtitit fauores & gratias. Quibus è rebus omnibus tam magna & admirabilis componitur ſancta, vti S. Mater Tereſa de Ieſu fuit. Vnde fit, vt eã Deus ipſe iã antè in terra canonizaſſe, & iam inde è cælo vt ſanctam declaraſſe videatur. quam ſummi Numinis approbationem, Romana dein Eccleſia, poſt tam præclara ſanctitatis teſtimonia, non potuit, non inuitari, dum eam illius præſes Gregorius XV. ſummo omnium bonorum applauſu, anno M.DC.XXII. die Martij 12. vnà cum SS.PP. Ignatio de Loyola, & Franciſco Xauerio, Societatis Ieſu, & S. Philippo Nerio Congregationis Oratorij fundatore, & S. Iſidoro eximiæ ſanctitatis agricola, ſolenni ritu, ſanctorum catalogo aſſcripſit, & ab omnibus Catholicis coli & inuocari mandauit: vti è ſequenti Canonizationis bulla apparet.

BVLLA CANONIZATIONIS SANCTÆ TERESÆ VIRGINIS

TAM FRATRVM, QVAM MONIALIVM CARMELITARUM Diſcalceatorum fundatricis.

QVAM GREGORIVS XV. SIMVL CVM B. ISYDORO AGRICOLA, Patrono Madriti,

IGNATIO LOYOLA fundatore Societ. Ieſu,

FRANCISCO XAVERIO ex eadem Societate,

AC PHILIPPO NERIO *fundatore Congregationis Oratorij, in Sanctorum numerum retulit, Anno Domini 1622. die 12. Martij.*

GREGO-

GREGORIVS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

OMnipotens sermo Dei, cum de sinu Patris ad hæc inferiora descendisset, vt erueret nos de potestate tenebrarum, completo dispensationis suæ tempore, transiturus de hoc mundo ad Patrem, ad propagandam per totum terrarum Orbem electorum suorum Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiuerat, eamque Verbo Vitæ erudiendam, ad confundendam sapientiam sapientium, & destruendam omnem altitudinem, quæ aduersus Deum extollebatur, non multos nobiles elegit, nec multos sapientes, sed contemptibiles mundi; qui non in sublimitate sermonis, nec in humanæ Sapientiæ Verbo; sed in simplicitate, & veritate ministerium suum, ad quod à diebus Æternitatis prædestinati erant, adimplerent: in sequentibus verò generationibus, cum iuxta præordinata tempora plebem suam per seruos suos fideles visitare dignatus est, plerumque paruulos, & humiles assumpsit; per quos Catholicæ Ecclesiæ ingentia præstaret beneficia: quibus ipse iuxta Verbum suum abscondita à sapientibus, & prudentibus Regni cælestis misteria reuelaret; eosque supernorum charismatum donis adeo illustraret, vt omnium virtutum, ac bonorum operum exemplis Ecclesiam fouerent, ac signorum gloria clarificarent. In diebus verò nostris fecit salutem magnam in manu fœminæ: suscitauit enim in Ecclesia sua, veluti nouam Debboram, Teresiam Virginem; quæ postquam mirabili victoria carnem suam perpetua virginitate, mundum admirabili humilitate, & cunctas adinuentiones Diaboli multis, maximisque virtutibus superasset, excelsiora moliens, & virtutem sexus animi magnitudine supergressa accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum, & instruxit exercitus fortium; qui pro domo Dei Sabahot, & pro lege eius, & pro mandatis eius armis spiritualibus decertarent, quam Dominus ad tantum opus peragendum abundanter impleuit Spiritu sapientiæ, & intellectus; & thesauris gratiæ suæ adeo illustrauit, vt splendor eius, tanquam stella in Firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas æternitates. Dignum igitur, & congruum existimauimus, vt quam Deus, & vnigenitus Filius eius Dominus noster Iesus Christus, quasi sponsam ornatam corona, & decoratã monilibus suis in gloria miraculorum plebi suæ manifestare dignatus est. Nos quoque pro

Pastora-

Pastorali solicitudine nostra in vniuersali Ecclesia; cui, licet meritis minimè suffragantibus, præsidemus; tam quam sanctam, & electam Dei colendam, & venerandam Apostolica authoritate decreuerimus, vt omnes populi confiteantur Domino in omnibus mirabilibus eius, & cognoscat omnis caro, quoniam non defecerunt in diebus nostris miserationes eius. Qui, quamuis peccatis nostris exigentibus visitet nos in virga indignationis suæ non tamen continet in ira sua misericordias suas, dum in afflictionibus nostris nouis nos præsidijs munit, & amicos suos multiplicat, qui Ecclesiam suam meritorum, & intercessionum suffragijs protegant, ac defendant, atque vt vniuersi Christi fideles intelligant quam abundè in ancillam suam effuderit Deus de Spiritu suo, ac propterea erga ipsam deuotio in dies augeatur, insigniores quasdam eius virtutes, & aliqua ex magnalibus, quæ in manu eius operatus est Dominus, his literis duximus inferenda. Nata est Teresia Abulæ in Regno Castellæ anno salutis humanæ millesimo quingentesimo quinto decimo parentibus, vt genere præclaris, ita etiam vitæ integritate conspicuis, à quibus in timore Domini educata admirandum futuræ sanctitatis in tenerrima adhuc ætate specimen dedit: nam cum sanctorum Martyrum acta perlegeret, adeò Sancti Spiritus igne cor eius intra eam concaluit, vt cum fratre germano etiam puero domo aufugerit, vt in Africam traijceret, vbi sanguinem, ac vitam pro testimonio Iesu Christi profunderet. Sed occursu patrui reuocata cum optimam sortem sibi ereptam esse iugibus lacrymis deploraret, ardens martyrij desiderium eleemosynis, aliisq; operibus compensauit. Sed cum ad vigesimum ætatis annum peruenisset, Christo se totam despondit: & vocationem, qua ab eo vocata erat aggressa, ad moniales Sanctæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinis Mitigati se contulit, vt plantata in domo Domini in atrijs domus Dei nostri floreret. Professione itaque in eo monasterio emissa, cum per duo de viginti annos grauissimis morbis, ac varijs præterea, tentationibus vexata esset, nullisque supernis consolationibus reficeretur, adeò inuictè adiuuante Domino omnia pertulit, vt probatio fidei illius omni pretiosior auro, quod per ignem probatur inuenta fuerit, in laudem, & gloriam, & honorem, in reuelationem Iesu Christi. Et quoniã ad erigendum sublime Christianarũ virtutum ædificium fidei fundamentum ponendũ fuit, illud adeò stabile, ac inconcussum Teresia collocauit, vt iuxta verbum Domini cõparanda sit viro sapienti, qui ædificauit domum suam suprapetram. Ea etenim firmitate Sacrosanctæ Ecclesiæ Sacramenta cæteraque Catholicæ religionis dogmata credebat, & venerabatur, vt maiorem, vt ipsa sæpius testificabatur, de qualibet re certitudinem habere non posset hac fidei lucerna illuminata Domini nostri Iesu Christi corpus in Sacratissima Eucharistia mentis oculis adeò clarè intuebatur, vt assereret nihil esse quod inuideret eorum beatitudini, qui corporeis oculis Dominum conspexissent, tantum autem, viuæ spei in Domino collocauerat, vt iugiter deploraret, quod tandiù in præsenti mortali vita detineretur, quæ sibi impedimentum afferret, quo minus semper cum Domino esset, nec raro dum in corde suo cælestis patriæ gaudia recogitabat, mente excedebat, & ad eorum fruitionem in carne rapiebatur. Sed inter cæteras Teresiæ virtutes præcipuæ emicuit dilectio Dei, quæ adeò in corde eius exarsit, vt Confessarij

ipſius Tereſiæ charitatem, tanquam non hominis, ſed Cherubin propriam admirarentur; & celebrarent. Quam etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus multis viſionibus, ac reuelationibus mirabiliter auxit: quandoque enim data dextera, clauoque oſtenſo illam in ſponſam ſuam adoptauit, atque his verbis alloqui dignatus eſt: deinceps vt vera ſponſa meum zelabis honorem, iam ipſe ſum totus tuus, & tu tota mea. Aliquando etiam Angelum vidit ignito iaculo ſibi præcordia tranſuerberantem, ex quibus cæleſtibus donis diuini amoris flamma in eius corde adeo exæſtuabat, vt maximè arduum votum à Deo edocta emiſerit efficiendi ſemper quidquid perfectius eſſe, & ad maiorem Dei gloriam pertinere intelligeret. Quin etiam poſt mortem cuidam moniali per viſum manifeſtauit, ſe non vi morbi, ſed ex intollerabili diuini amoris incendio vita exceſſiſſe. Sed quam perpetua charitate proximum dilexerit multis argumentis manifeſtum fuit, ſed præſertim ex ardenti deſiderio quo animarum ſalutem deſiderabat. Infidelium enim & Hæreticorum tenebras perpetuis lachrymis deſlebat, ac pro eorum illuminatione non ſolum iuges ad Deum preces fundebat; ſed & ieiunia, flagellationes, ac alias carnis macerationes offerebat. Propoſuit etiam Sancta virgo in corde ſuo nullum diem ſine charitatis officio tranſigere, in quo etiam Deus ipſi auxilium præſtitit: nunquam enim ei defuit ipſo largiente exercendæ charitatis occaſio. Mirabiliter autem imitata eſt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in dilectione inimicorum: nam cum ingentes pateretur perſecutiones, & aduerſitates, diligebat tamen perſequentes, & orabat pro his, qui oderant ſe: quinimo detrimenta & offenſiones, quas perpetiebatur, amoris, & charitatis ipſi eſcam miniſtrabant, adeo vt viri graues dicere ſolerent: qui amari à Tereſia vellet, damno, aut iniuria, vt eam afficeret, oportere. Vota verò quæ in profeſſione Religionis Deo vouerat, maxima cura, ac diligentia reddidit: nec enim tantummodo omnes exteriores actus ſuperiorum arbitrio maxima cum humilitate ſpiritus perficiebat: ſed firmiter etiã in corde ſuo conſtituit eorũ voluntati omnes etiam cogitationes ſuas ſubijcere, cuius etiam rei egregia exempla reliquit: nam Dominum Ieſum Chriſtum ſibi ſæpius apparentem aliquando à Confeſſarijs iuſſa, qui deluſam ab Angelo tenebrarum ſuſpicabantur, humiliter irriſit ſpreuitque ſed non ſine magno tam profundæ obedientiæ præmio, quin etiam volumen, quod in Cantica Canticorum inſigni pietate refertum ſcripſerat, vt confeſſario obtemperaret, flammis imecit, dicere autem ſolebat ſe indiſcernendis viſionibus, ac reuelationibus decipi poſſe; in obedientia vero ſuperioribus præſtanda falli non poſſe. paupertatem adeo dilexit, vt non ſolum labore manuum ſuarum victum ſibi compararet; ſed ſi quam monialem vilioribus indutam veſtimentis conſpexiſſet, illico ſua cum illius commutaret, ac ſi quando ſibi neceſſaria deficerent, mirifice lætaretur, & exultaret, gratiaſque Deo ageret, tanquam inſigne aliquod cõſequuta beneficium: ſed inter cæteras eius virtutes, quibus quaſi ſponſa à Deo ornata mirifice excelluit, integerrima effulſit caſtitas: quã adeo eximiè coluit, vt non ſolum propoſitum virginitatis ſeruandæ à pueritia conceptũ vſque ad mortẽ perduxerit, ſed omnis expertem maculæ angelicam in corpore, & corde ſeruarit puritatem quas adeo inſignes virtutes mirifica humilitate cordis ornabat: cum etenim in dies diuinis

uinis charismatibus anima eius impinguaretur, sæpius exclamabat ad Dominum. vt beneficijs in eam suis terminum statueret, nec tam cito ingentium scelerum oblivisceretur, contumelias verò, & irrisiones ardentissimæ sitiebat, ac non solum humanos honores, sed nosci quoque ab hominibus abhorrebat, invictam autem huius Sanctæ Virginis patientiam illa vox attestatur, qua sæpius ad Dominum exclamabat: Domine aut pati, aut mori, prater hæc omnia diuinæ beneficentiæ munera, quibus hãc dilectam suam, quasi preciosis monilibus decoratam esse voluit omnipotens, alijs etiam gratijs, & donis abundè ipsam locupletauit: adimpleuit enim eam Spiritu intelligentiæ, vt nõ solum bonorum operum in Ecclesia Dei exempla relinqueret, sed & illam cælestis sapientiæ imbribus irrigaret, editis de mystica Theologia, aliisque etiam multa pietate refertis libellis: ex quibus fidelium mentes vberrimos fructus percipiunt, & ad supernæ patriæ desiderium maximè excitantur, quibus cælestibus instructa, ac illustrata muneribus opus agressa est maximum quidem, & cuicunque difficillimum, sed Ecclesiæ Christi perquam vtile, ac preficuum: reformationem enim exorsa est Ordinis Carmelitani: illudque non solum in mulieribus, sed & in viris egregiè præstitit, ædificatis, non modo per vniuersas Hispanias, sed, & per alias etiam Christiani orbis partes tam virorum, quam mulierum monasteriis, sine pecunia, sine prouentibus de sola Dei misericordia præsumẽs: nec modo omnibus humanis destituta, auxilijs, sed aduersantibus plerumq;, ac contradicentibus Principibus, & potestatibus sæculi: quæ tamen Domino opus suum confirmante radices miserunt, incrementum susceperunt, & demum in Domo Dei vberes prouentus fructificarunt. tantas virtutes Teresiæ plurimis, dum adhuc in humanis ageret, miraculis Deus illustrauit. quorum nõnulla præsentibus literis duximus inserenda. Cum in Conchensi Diœcesi maxima esset frumenti penuria, atque in monasterio de villa noua de Xara vix tantum farinæ reperiretur, vt per integrum mensem ad victum decem, & octo monialium satis esset, huius Sanctæ Virginis meritis, & intercessione Deus omnipotens, qui sperantes in se enutrit, eã adeò abundare fecit, vt quamuis per sex menses ex ea affatim panes ad profectionem ancillarum Dei fierent, nunquã tñ vsque ad nouas fruges diminueretur. Graui erysipilate in vultu, ac febri afflictabatur Anna à Trinitate monialis Conuentus Medinæ de Cãpo, cui Teresa primũ blãdita, deinde læsa membra leuiter attrectans, bono animo, inquit, sis filiâ, Deus, vt spero te hoc morbo liberabit, statimq; febris, omnisque morbus ab ea abscessit. Alberta eiusdẽ monasterii Priorissa pleuritide, ac febre non absq; vitæ periculo laborabat; at Sanctã Virgo Teresia tacto latere, quod morbo vrgebatur, eã sanam esse pronunciauit, ac surgere iussit, illa perfectè sanata, statim è lecto exiliit laudans Deũ. Adueniente demũ tẽpore, quo pro tot laboribus pro diuino honore exhaustis, ac tot bonis operibus in Ecclesia vtilitatem perpetratis coronã decoris de manu Dei esset receptura, graui morbo Alba decumbens, cum tot infirmitatis tẽpore frequentes, ac plene admirabiles de diuina charitate cum sororibus sermones habuisset; sæpius gratias Deo agens, quod se Catholicæ Ecclesiæ aggregasset; commendans, tanquam præcipua bona, paupertatem, ac debitam præpositis obedientiã; accepto humillimè, ac cum cælesti prorsus charitate sacro peregrinationis suæ viatico, ac extremæ vnctionis Sacramento, Christi Crucifixi effi-

giem manutenens ad cælestem patriam euolauit. Pluribus verò signis manifestauit Deus quàm sublimem gloriæ gradum Teresiæ clargitus in cælis esset: multæ etenim monia-les, religiosæ, ac timentes Deum, viderunt decorem gloriæ eius. Alia etenim conspexit su-pra tectum Ecclesiæ, & in Choro, & super decumbentis cubiculum multitudinem cæ-lestium luminarium alia Christum Dominum magno corruscantem splendore, & in-genti Angelorum frequentia circundatum, eius lecto assistentem. Alia plurimos albis amictos vestibus ipsius cellam ingredientes, ac cubili circumfusos. Quædam etiam in ipso transitus momento candidam columbam ex ipsius ore in cœlum euolantem, a-lia splendorem, crystalli instar, fenestra egredientē vidit. Quin etiam quædā arbor calce, ac macerie obstructa, ac iam dudum arida, quæ cubiculo proxima erat, præter omnem temporis, & naturæ rationem, repente floribus onusta, in ipsa transitus hora apparauit. Corpus exanime speciosissimum, ac nulla ruga contractum, ac miro decoratum can-dore apparuit, ac vnà cum vestibus, ac linteolis, quibus ægra vsa erat omnibus admiran-tibus mirificè spirans odorem. Multa etiam magnalia quæ meritis Ancillæ suæ opera-tus est Deus, ipsius in Paradisum transitum exultabilem reddiderunt. Quædam etenim monialis dudum capitis, & oculorum infirmitate laborans, apprehensa mortuæ Vir-ginis manu, ac capiti, oculisque admota statim conualuit. Altera item eius exosculatis pedibus sensum odoratus amissum recuperauit, & corporaliter odorem vnguentorum, quo sacrosanctum eius corpus à Domino perfusum erat, percepit. Corpus eius absque vl-lo prorsus medicamine ligneo loculo inclusum, altè effossa ad sepulturam humo, ac in-gentibus lapidibus, & calce oppleta, scrobe sepultum est. Sed è sepulchro eius odor adeò ingens ac mirificus emanabat; vt decretum fuerit sacrum corpus exhumare, atque illud sanè integrum, ac incorruptum, ac flexibile, ac si nuper tumulatum fuisset, reper-tum fuit, odorato liquore circumfusum quo perenniter vsque in præsentem diem, Deo ancillæ suæ sanctitatem iugi miraculo attestante, desudat. Quare alijs vestibus indu-tum, nouaq; arca inclusum, cum priora computruissent, eodem loco conditum fuit. La-psoque triennio, cum rursus ipsius monumentum aperiretur, vt sacrum pignus Abulam asportaretur, ac deinceps frequenter iussu Delegatorum Apostolicorum inuisceretur, semper incorruptum, ac tractabile eodem odore, ac liquore perfusum apparuit. Sed & procedentibus temporibus manifestauit Deus hominibus gloriam suam præstitis per in-tercessionem ancillæ suæ frequentibus beneficijs his, qui se fideliter eius precibus com-mendassent: puer etenim quidam quadriennis adeò contractus, ac detortus erat, vt nec pedibus insistere, nec cum iaceret, corpus mouere posset, eaque infirmitas, cum illi à nati-uitate fuisset, nullumque afferret doloris sensum, incurabilis prorsus videbatur, cum-que per nouem dies ad cubiculum, quod viuens Sancta Virgo inhabitauerat, allatus fuisset, sensit in se virtutem venientem, ac repente sanus, ac validus, ac suis pedibus am-bulans, stupentibus cunctis, cœpit diffamare se à matre Teresia de Iesu perfectam sanita-tem fuisse consecutum. Sæuissimis doloribus per biennium cruciabatur Anna à San-cto Michaele monialis, tribus cancris pectus eius adeo affligentibus, vt non solùm somni expers esset, sed nec collum flectere, nec brachia posset attollere, cumque par-

ticulam

ticulam reliquiarum Sanctæ Teresæ super pectus appositiſſet, & toto cordis affectu ſe eius patrocinio commendaſſet, non ſolum omnis euanuit plaga à corpore eius; ſed, & alia etiam, quam in corde diu habuerat, infirmitate libera momento temporis effecta eſt. Adeò vexabatur Franciſcus Perez Parochialis Eccleſiæ Rector apoſtemate, quod in os pectoris inſederat, vt brachio etiam contracto à celebratione ſacroſancti miſſæ ſacrificij per quinque menſes impediretur, humaniſque remedijs deficientibus ad diuina confugit, & ad montes Dei eleuans oculos ſalutem conſequutus eſt; Epiſtolam enim Virginis Teresæ manu exaratam pectori admouens, conſequutus eſt eius partis ſanitatem cumque deinde ſepulchrum Virginis viſitaſſet, eiuſque brachium, quod Albæ aſſeruatur, proprio brachio, quod adhuc contractum erat admouiſſet, in eo etiam diuinam virtutem expertus eſt, reſtituta ſibi perfecta valetudine. Ioanes de Leyua magno gutturis morbo adeò affligebatur, vt omnis reſpirationis via fere intercluſu eſſet, iamque morti proximus animam agebat; cum ſudarium, quod Sanctæ Teresæ fuerat, ad morbi locum magna cum fiducia appoſuit, ſomnoque captus, ac paulo poſt experrectus ſe meritis Beatæ Teresæ curatum eſſe repente ſanus exclamauit. Cum igitur per vniuerſas iam gentes, & nationes ſanctitas Teresæ celebraretur, & nomen ipſius apud Chriſti fideles magno in honore eſſet, operante Domino per interceſſionem eius tot mirabilia, quæ etiam in dies vna cum ipſius veneratione augebantur, fuerunt auctoritate ordinaria in multis Hiſpaniæ partibus formati proceſſus, ac ad Sanctam hanc ſedem tranſmiſſi, & inſtanter agente claræ memoriæ Philippo III. Hiſpaniæ Rege Catholico negocio tam in Sacra Rituum Congregatione, quàm in Rota diligenter diſcuſſo, fel. recor. Paulus V. prædeceſſor noſter indulſit, vt in eius honorem tamquam de B. Virgine diuinum Officium in toto Fratrum Carmelitanorum Ordine poſſet celebrari. Cumque idem Philippus Rex iterum apud prædictum Paulum ſimiliter prædeceſſorem noſtrum pro Canonizatione B. Virginis Teresæ ſupplicaſſet, idem Paulus iterum negotium commiſit Cardinalibus Sac. Rituum Congregationis, qui nouos proceſſus auctoritate Apoſtolica conficiendos decreuerunt, atque ad id munus peragendum bo. mem. Bernardum Cardinalem de Roias Archiepiſcopum Tolotanum, & venerabiles Fratres Epiſcopos Abulen. & Salmatin. eadem auctoritate deputarunt: qui cum diligenter de mandato negocio perfuncti eſſent, omnia acta eidem Paulo V. prædeceſſori noſtro tranſmiſerunt. Qui tribus Apoſtolici Palatij cauſarum Auditoribus Franciſco Archiepiſcopo Damaſceno Locumtenenti, nunc S. R. E. Cardinali, Ioanni Baptiſtæ Coccino Decano, & Alphonſo Manzanedo dedit in mandatis, vt ſumma cum diligentia dicta acta examinarent; & quæ eorum ſententia eſſet ad ipſum referrent, qui omnibus accuratè, prout rei magnitudo poſtulabat, perpenſis, eidem Paulo V. prædeceſſori retulerunt plenè iuſtificari vitæ ſanctitatem, ac miracula Beatæ Virginis Teresæ, omniaque abundè conſtare, quæ pro Canonizationes eiuſdem à Sacr. Canonibus requiruntur, poſſeque ad vlteriora procedi. Vtque ea maturitate, quæ rem tantam decebat, negotium tranſigeretur, idem Paulus dilectis filijs noſtris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Præfectis ordinauit, vt prædictos proceſſus quam diligentiſſimè rurſus inſpicerent, ac de tota

cauſa accuratè cognoſcere. Cum vero idem Paulus humanæ peregrinationis viam compleuiſſet, Noſque (nullis licet noſtris meritis) ſola diuina gratia dignatione ad Eccleſiæ gubernacula vocati eſſemus, ad augmentum diuini honoris, & S. E. vtilitatem pertinere arbitrati ſumus, vt huiuſmodi negotiũ promoueretur. plurimumetiã ad præcitiũ cẽperũ calamitatẽ leuandã intereſſe exiſtimauimus ſi Chriſti fideliũ deuotio erga Sanctos, & electos Dei, qui pro nobis in tantis neceſsitatibus intercederent, augeretur. mãdauimus itaque prædictis Cardinalibus, vt quod illis à prædeceſſore noſtro prædicto fuerat iniunctum quamprimum exequerentur. Quod cum illi ea diligentia, qua decebat, perfeciſſent, ac pro S. Virginis Canonizatione omnes vnanimiter cenſuiſſent, Venerabilis Frater noſter Franciſcus Maria Epiſcopus Portuen. Cardinalis à Monte totius proceſſus ſummam ac ſuam, collegarumque ſententiam coram Nobis Conſiſtorio noſtro expoſuit. quibus auditis reliqui Cardinales, qui aderant ad vlteriora fore procedendum communi ſuffragio pronuntiarunt. Igitur cum publico Conſiſtorio dilectus filius Iulius Zambeccarius Conſiſtorialis aulæ noſtræ Aduocatus pro eius Canonizatione peroraſſet, ac nomine clariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, vt ad eam procedere dignaremur humiliter ſupplicaſſet, Nos de re tanta venerabiles fratres noſtros S. R. E. Cardinales, & Epiſcopos in Curia præſentes conſulturos eſſe reſpondimus, atque interim Cardinales, atque Epiſcopos præſentes vehementer in viſceribus Chriſti hortati ſumus, vt orationibus inſtantes in ieiunijs, & eleemoſynis animas ſuas coram Deo nobiſcum humiliantes preces à Deo Patre luminum expoſcerent, vt ex alto ſuper nos lucem ſuam, & veritatem ſuam emitteret, quæ nos ad voluntatem, & beneplacitum eius cognoſcendum, & perficiendum deduceret, itaque cum ſemi publico Conſiſtorio, quod conſequenter celebratum eſt, vocatis non modo Cardinalibus, ſed Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Curia noſtra exiſtentibus, præſentibus etiam noſtris, ac Sedis Apoſtolicæ Notariis, ac Sacri Palatii Apoſt. cauſarum Auditoribus, cum plura à Nobis de eximia ſanctitate ancillæ Dei, ac miraculorum frequentia, & celebritate, populorumque erga eam per vniuerſas Chriſtianas nationes deuotione, commemorata fuiſſent. expoſitis etiam inſtantiis, quæ coram nobis non modò nomine maximorum Regum, ſed etiam chariſſimi in Chriſto filij noſtri Ferdinandi Romanorum Regis in Imperatorem electi, aliorumque complurium Chriſtianorum Principum fiebant, omnes concorditer, ac vno ore benedicentes Deum amicos ſuos honorificantem Beatam Tereſiam canonizandam eſſe, atque inter Sanctas Virgines adſcribendam cenſuerunt, quorum omnium audito conſenſu intimo cordis affectu exultauimus in Domino, & iubilauimus in ſalutari eius, gratias agentes Deo, & Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto, quod Eccleſiam ſuam miſericorditer reſpexiſſet, ac tanta gloria illuſtrare decreuiſſet. Canonizationis itaque publicauimus diem, eoſdemque fratres, ac filios noſtros monuimus, vt in orationibus, & eleemoſynis perſeuerarent, vt in tanto opere exequendo ſplendor Domini Dei noſtri eſſet ſuper nos, qui opus manuum noſtrarum ad perficiendam eius voluntatem dirigeret. Demum peractis omnibus, quæ ex Sacr. Conſtitutionibus, ac Romanæ Eccleſiæ conſuetudine peragenda

genda erant, hodie in Sacro sancta Principis Apostolorum Basilica cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, Romanaque, Curiæ Prælatis, Officialibus, & Familiaribus nostris, Clero seculari, & regulari, ac maxima populi frequentia conuenimus, vbi repetitis pro Canonizationis Decreto petitionibus nomine eiusdem charissimi in Christo Filij nostri Philippi Regis Catholici à dilecto Filio nostro Ludouico tit. Sanctæ Mariæ Transpontinæ Cardinali Ludouisio nuncupato, nostro secundum carnem nepote, per Iulium Aduocatum prædictum decantatis Sacris Precibus, & Litaniis, ac Spiritus sancti humiliter implorata. Ad honorem Sanctæ, & individuæ Trinitatis, & Fidei Catholicæ exaltationem auctoritate omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti Beatorum Apostolorum, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in Romana Curia præsentium consilio, ac vnanimi consensu. bo. mem. Teresiam Virginem de Abula de cuius vitæ sanctitate, fidei sinceritate, & miraculorum excellentia plenè constabat, & constat, ac Sanctam esse diffiniuimus, ac Sanctarum Virginum Catalogo adscribendam decreuimus, prout præsentium tenore diffinimus, decernimus, & adscribimus, illamque vniuersos Christi fideles tanquam verè Sanctam honorare, & venerari mandauimus, statuentes, vt ab vniuersali Ecclesia in eius honorem Ecclesiæ, & altaria, in quibus Sacrificia Deo offerantur ædificari, & consecrari, & singulis annis die quinta Octobris, quo ad cœlestem gloriam translata est, eius Officium, vt de Sancta Virgine ad præscriptum Romani Breuiarij celebrari possit, eademque auctoritate omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, qui annis singularis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus eius requieuit, visitandum accesserint, vnum annum, & vnam quadragenam, iis verò, qui in eiusdem festi octaua quadraginta dies de iniunctis eis, seu quomodolibet debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxauimus, & relaxamus. Postremo gratijs Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, nouoque luminari illustrare dignatus esset, decantata in Sanctæ Teresiæ honorem solemni sanctarum Virginum oratione, ad Altare Principis Apostolorum Missam celebrauimus, cum eiusdem Sanctæ Virginis commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc præsentibus plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concessimus. Decet igitur vt pro tam insigni beneficio omnes cum omni humilitate benedicamus, & glorificemus eum, quem decet omnis benedictio, & honor, & gloria, & potestas in seculorum assiduis precibus ab eo postulantes, vt per interceßionem electæ suæ à peccatis nostris faciem suam auertens misereatur nostri, & respiciat nos, & ostendat nobis lucem misericordiarum suarum, & immittat timorem suum super gentes, quæ non cognouerunt eum, vt cognoscant quia non est alius Deus, nisi Deus noster. Cæterum quia difficile foret præsentes nostras literas ad singula loca vbi opus esset deferri, volumus, vt earum exemplis etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicuius personæ indignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem vbique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum

ſtrorum definitionis decreti, adſcriptionis mandati, ſtatuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo primo, quarto Id. Martij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

TESTIMONIA VIRORVM GRAVIVM AC DOCTORVM DE auctoritate doctrinæ, librorum & ſcriptorum S. M. Tereſæ de Ieſu, à P. Thoma de Ieſu Religioſo Diſcalceato collecta.

§. 5.

NVllum his quos S. Mater compoſuit, libris accedere maius approbationis teſtimonium poteſt, quam quod de ea tulit is, cuius antè paulò meminimus P.F.M. Ludouicus Legionenſis Ordinis S. Auguſtini, S. Scripturæ Salmanticæ Primarius Profeſſor, ſuo æuo Hiſpaniæ lux & columen: qui, quod illos Regij Concilij iuſſu examinauit, relegit & maturè per omnia explorauit, eorum doctrina & ſpiritu ita eſt delectatus, vt in horum laudem, & ſcriptricis commendationem, longum & elegantem ſatis, ijs præmiſerit prologum, qui vulgò illis accudi & coniungi ſolet, quemque etiam ipſi minime putauimus omittendū, vti poſtea ſuo loco videre erit.

Didacus vero de Yepes Ordinis S. Hieronymi, Epiſcopus exinde Turiaſonēſis, cuius item ſupra meminimus, in eo quē de eius vita cōpoſuit libro, agens de infuſa quam Dominus S. Matri communicauit ſcientia, nec non de libris quinque quos compoſuit; ſic libro III. cap. 18. de illis loquitur: *Omnes hoſce libros B. Mater è Domini reuelatione ſcripſit: ſed illa ei ſatis nō eſſet, (etenim nullis in rebus ſola reuelatione regebatur) niſi ſimul & Confeſſariorum acceſſiſſet auctoritas. Nam de libro, quem de vita ſua conſcripſit, in eius prologo ſic loquitur. Hanc ego relationem facio, quod eam Confeſſarij mihi faciendam iniunxerint; & licet ſciam Dominum id velle, & quidem iam à multo tempore, numquam tamen aggredi id auſa ſum. Librum verò fundationum expreſſe Dominus ei iniunxit vt conſcriberet, vti ipſa in illa quam vitæ ſuæ addidit appendice teſtatur. Manſionum quoque librum ſcripſit, Domino ei materiam, diſpoſitionem & libri titulum ſuggerente. Et ſicut Dominus horum ei ſcriptionem mandauit, ita etiam oſtendere voluiſſe videtur, ſe illorum auctorem eſſe: etenim modus & methodus quo B. Mater eos ſcripſit, oſtendit ad oculum, illam nonniſi Dei inſtrumentum fuiſſe, ac de ſuo nonniſi operam & calamū mutuaſſe. Sæpè contigit, vt, dum hiſce ſcribendis occuparetur, ipſa raptum pateretur;*

& ex

& ex hoc ad se rediens, nonnulla scripta repererit littera quidem sua, at non manu, sed aliena. Calamum quidem ipsa manu gestabat, & facies mirabilem quemdam fulgorem emittebat, vt interior animæ lux etiam in corpus sese diffundere & transfigurari videretur. animam quoque ita in Deum habebat absorptam, vt licet maximus illius in cella excitaretur strepitus, ipsa eum nec sentiret, nec perturbaretur. Scripsit quoque variis & grauissimis occupationibus, & omnium monasteriorum quæ regebat solicitudine distracta, & chorum suum tam exactè seruans ac Moniales reliquæ. Scripsit quoque magna cum velocitate & festinatione. at hoc mirum non est, cum (vt Propheta loquitur) calamus eius moueretur à scriba illo velociter scribente. ita quidem vt molæ suo in ingenio habere videretur, è qua verba rebus quas dicere parabat, ita conueniētia & quadrantia assiduè profluebant, vt, licet multas paginas conscriberet, numquā tamen interquieuerit cogitatura quidnam scriptura esset: spiritus quippe tanta ei dictabat abundātia, vt, si plures habuisset manus, omnes ipsa occupatas teneret, & defatigaret, vt tamen ei non deficeret materia. Vtrumq; hoc, suo ipsa testimonio satis confirmat, quod enim non cogitarit, nec prius reflexerit ad ea quæ scriptura erat, circa finem libri de vita sua sic ait: Ausa fui vitam meam impertinentem & dissolutam scribere, esto in hoc ipso opere non plus laboris, curæ, aut temporis impenderim, quam quantum ad ipsam scriptionem necesse fuit, sed quidquid mihi contigit, omni qua potui simplicitate & veritate exarando. Et alio in loco ait: Verum quam multa dicenda occurrunt, cum de hac via loqui incipio, ei præsertim qui per eam tam malè inceperit atque ego? vtinam pluribus scribere possem manibus, ne vnam videlicet rem per aliam obliuiscar. Hæc quidem omnia B. Mater. Adhæc in vita sua, tanta se ait facilitate scripsisse, ac si exemplar ante se habuisset, & ipsum inspiciendo transscripsisset. quando enim Dominus loquitur, dat spiritum, addit simul facilitatem; longe etiam apparet melius, ac si quis exemplar ante se haberet & ex eo scribenda depromeret. at si spiritus desit, non magis quis linguam illam intelligit, quam si Arabicam audiret. Quod certè idem omnino est cum eo quod Baruch Propheta de Ieremia dixit, eum, cū scriberet, non aliter dictasse, quam si è libro quopiam legisset aut transtulisset. Hic porro liber aliud non est, quam exemplar quoddam & speculum, ei ob oculos à Deo positum, eius rei quam Prophetam volebat intelligere. Simile exemplar B. Mater animæ suæ oculos obiectū, dum scriberet habebat, vti liquidissime ex ipsa scriptura videre est: etenim in ipso autographo, quod sua ipsa manu exarauit, ne vel verbum reperitur deletum, nec correctum, nec vllum erratum, qua litterarum perfectione quidem in foliis à Typographo excusis posset haberi. cum vero hæc in scriptura manu exarata, & quidem in materia tam sublimi, & stylo adeo elimato scripta, habeatur, inter maximæ quæ de B. Matre recēsentur miracula ipsum puto referendum, nec non vt maximum lucis & sapientiæ, quam spiritus Sanctus ei infudit, testimoniū. Nam quod B. Mater antea in rebus spiritualibus ac mysticis intelligendis & declarandis valde rudis, & imperita, & vix curiosa esset; hinc diuina sapientia, quæ in ipsa viguit, eo magis resplendet, quo ab illius principiis habendis aberat longius. Capite vero XIX. sic de eadem re loquitur: Antequam

verò hi Beatæ Matris libri imprimerentur, à Sanctæ Inquisitionis Indicibus fuere examinati, nec non aliis doctissimis iuxtà ac grauissimis, quos tunc habebat Hispania, viris ad examinandum dati. nihil verò in illis repertum, quod non è cælo profectum esse, necnon scintilla videretur lucis, quò animæ quæ per hanc viam incedunt, illuminentur, conducantur, & in diuino amore magis accẽdantur. Ipsum Supremum sanctæ Inquisitionis tribunal & Conciliũ, honorifico quodã decreto hos libros approbauit, sed voluit (nõ sine summa prudẽtia) ipsum secretũ manere. Deinde verò prælo subiecti sunt; mox vero vt publici iuris facti, in magno ab omnibus sunt habiti pretio. Vnde etiam Hispaniarum Rex Philippus II. ipsa illorum autographa sibi petijt transmitti, illaq; mox in suam bibliothecam Laurentianam referri mandauit. Et quamuis p'ura alia, in eadem Sanctorum Ecclesiæ scriptorum autographa habeat, in tria tamen duntaxat particularem ostendit honorem & reuerentiã (hac ratione demonstrans, quanti eadem faceret & æstimaret) nimirum in autographa S. Augustini, S. Ioannis Chrysostomi, & Beatæ Matris Teresæ: vtpote quæ in eadem bibliotheca ferreis cancellis includi, & in pretiosissimo quodam scrimiolo cuius ipse clauem continuè penes se habet) asseruari iussit. Libri porro B. Matris non nisi è particulari fauore & gratia, velut sanctæ quædam reliquiæ ostenduntur, & tangi sinuntur. Quin etiam summo communiter in pretio à doctis & grauibus viris, tam Hispanis, quàm exteris, habiti sunt. & quo qui eos legunt, sunt doctiores, eò maioris eosdem faciunt, vt qui melius alijs purissimi illius auri, quod in illis inclusum est, valorem norunt & explorant. & si quid fortè ex illis non intelligunt, quòd experientiæ id reseruetur, eo maioris id faciunt. quòd ad oculum videant, aliam quamdam esse Theologiam, multò supra illam quam ipsi tradunt & docent, eminentem, quæque longè sua est nobilior, eò quòd mystica & secreta Dei sit cognitio, quæ cum experientia & suauitatis gustu coniuncta est. Pauci viri summè docti hos libros legunt, quin nouam inter legendum admirationem, & de B. Matre opinionem concipiãt: etenim rerum quas tractat sublimitas, styli excellẽtia, qui eo magis proprius, quo minus affectatus, ignis & ardor deniq; quem in legentium animis accẽdunt, testes sunt eorum quæ continent. Hactenus Reuerendiss. D. Didacus de Yepes, ac deinde affert fructus quos in variorum animis horum scriptorum lectio vniuersaliter est causata.

Porro Pater & Doctor Franciscus de Ribera vir sui temporis doctissimus æquè ac grauissimus libro quem de vita B. Virginis huius edidit, quarto, cap. 6. sic loquitur: Præter schedas quasdam sparsas hinc inde superstites, quibus eximia multa & non vulgaria documenta traduntur, quinque ipsa tractatus & commentarios, non sua quidem sponte, sed superiorum Confessariorumque (quibus illa non minorem quàm Redemptori ipsi Christo Iesu obedientiam præstabat, vt tum dicta hactenus, tum plura post dicenda fidem facient) iussu conscripsit. Primùm quemdam de vita sua tractatum, qui ad vsque primi Abulæ cœnobij fundationem sese extendit. hunc vt scriberet, præcepit Garcias de Toleto è Dominicano Ordine, qui tum suas ei per confessionem noxas aperienti operam dabat; quem anno Domini M.D LXII.

M.D.LXII. eo inquam quo conuentus illius iacta sunt initia, inchoatum, mense Iulio eiusdem anni absoluit, eumque continuato filo in nulla distinctum capita; quamquam exinde ei in capita digesto Abulensis domus erectionem adiunxit. In quo id sanè mirandum est, eosdem illi scribenti à Domino continenter orandi modos, quos scribendo exprimere satagebat, non aliter fuisse communicatos, quam eos antè in se experta erat. Proinde suas omnes orandi rationes eo in scripto ad illam vsq; persequitur, quam scriptionis inchoatæ tempore vsurpabat. Alter fuit is, cui Via perfectionis nomen est: tunc porro hunc exarauit, cum monasterij Abulensis præfecturam gereret; idque imperante P. Dominico Bannesio, quo tum quidem Confessario vtebatur; & eo hunc anno, quo priorem absoluit, auspicata est. Tertius aliarū sedium fundationes cōplectitur, iā inde à Metinensi ducto exordio ad Burgensem vsque, quæ postremæ sint, descendens. Hoc illa scriptum Salmanticæ anno sæculi eiusdem tertio post septuagesimum exorsa est, instigatore & suasore P. Hieronymo de Ripalda Societatis Iesu, qui Salmanticæ illi à Confessionibus erat, iam septem antè varia per loca constitutis Domibus; cui deinde eas quæ quotidie hinc inde condebantur, continua serie adnectebat. Quarto Castellum animæ seu mansiones nomen est. Huius scribendi auctor illi exiſtitit Doctor Velascius illius confessarius qui ad Osmensem Cathedram, deinde Compostellanam sua ob merita euectus est. Illis quidem diebus tam sublimem orationis passa excessum est, adeoque in diuinam contemplationem fuit euecta, vt decem vel duodecim post diebus ne Epistolæ quidem scriptitandæ præ mentis absorptione apta & par fuerit. Exinde verò intolerabilis ipsam capitis vexauit dolor, vti hoc ipsa libro de se affirmauit. Hunc tractatum in Augustissimæ Trinitatis festo Toleti inceptum anno currentis sæculi M. D. LXXVII. eodem Abulæ pridie D. Andreæ feriarum perfecit, quinque propè antè, quam demoreretur annis. Quintus denique commentarius fuit in Cantica Salomonis, quem ijs suscepit scribere imperantibus, quibus (vt ipsa quidem disertè fatetur) parere ex officio tenebatur. Huius scripti nonnisi pauca folia reliqua sunt: nam vt illud nonnisi ex obedientia inchoauit, ita ipsum imperiti cuiusdam Confessarij iussis paritura, aut flammis iniecit, aut confregit. is enim scriptum etiam nondum visum, damnare non est veritus. cui tamen satius fuisset antè non paruisset, quàm alios ipsa peritiores super eadem re consuluisset. Illico tamen & exactè morem gessit, simul etiam summo studio illius nomen suppressit, qui tam temere imprudenterque id mandare est ausus quod non intelligebat. Hosce porro libros maximorum negotiorum frequentia ad obruta, temporis quoque laborans angustiis, sæpè etiam in malè affecto corpore conscripsit, vt talia conscribi à tali minimè posse viderentur: visum tamen est idcirco illi id facile fuisse, quòd, cum ad scribendum sese applicaret, tanta illi scribendarum rerū affluebat copia, vt, quid scriberet, minimè diu illi præmeditandum esset, sed dumtaxat maxima in scribendo acceleratione opus, vti in plurimis librorum locis manifestè id ipsa declarat. atq; imprimis sub libri, cui Via ad perfectionem nomen est, finē hæc habet: Mihi verò pro quantulacumque

quam ſcribendo cepi moleſtia, abunde ſatisfactum eſt: nam quod ſcriberem, cogitatione antè voluere opus mihi minimè fuit. Eiuſdem quoque libri cap. xx. in manuſcripto autographo hæc leguntur: Sed eheu! quam multa mihi de hac via agere incipienti occurrunt, imò etiam illi qui viam hanc adeò perperam iniuit, qualis ipſa ſum! Vtinam verò pluribus in ſcribendo vti manibus poſſem, ne ob ingruentem copiam ſuperueniens inſtillatio prioris inſpirati obliuionem induceret, &c *Hinc ſcriptorum eius nec laborioſus, nec elegans eſt ſtylus, ſed talis quali in vulgari colloquio vtimur: apertus tamen, purus, grauis, genuinus, legenti gratus, & rebus quas tractaret, accommodus. De oratione, contemplatione, & familiari Dei cum animabus, & animarum viciſſim cum Deo commercio ſcribens, tam alta, ſubtilia, ſublimiaque profert, eaque modo ita ſpirituali, vt etiam doctiſſimi quique, niſi ſimul etiam rerum ſpiritualium callentiſſimi ſint, admiraturi ea ſint potiùs, quàm intellecturi. non quòd ea liquidè ſatis ab ipſa non aperiantur (talium namque ipſa rerum exponendarum perita eſt in primis, eaſque diuerſimodè proponit, & quidem ſcitis ad hoc adhibitis comparationibus;) ſed quia adeò ſublimia ſunt & ſpiritualia, vt ſe nonniſi ab ijs, qui aliquam harum nacti ſunt experientiam, facilè intelligi patiantur.*

Reu. Pat. Magiſter F. Dominicus Banneſius, ex Ordine S. Dominici, primæ Cathedræ Theologicæ in Salmanticenſi Vniuerſitate Profeſſor, cum à S. Inquiſitione Hiſpanica iniunctũ ei eſſet, hoſce vt libros inſpiceret & examinaret, hanc de ijſdem cenſuram ac iudicium tulit: *Maxima cum accuratione & attentione hunc librum, in quo B. Mater Tereſa de Ieſu apertè & liquidè refert quidquid in anima ſua contingit, quò à Confeſſarijs ipſa ſuis edoceatur & dirigatur, perlegi: ac nihil in eo reperi, quod, meo iudicio, malam doctrinam contineat; imò verò plurima quæ orationem ſectantibus bonæ futura ſunt ædificationi, & ſalutaria documenta ſuggerunt. Etenim maxima Religioſæ huius experientia, diſcretio, & humilitas, quòd ſemper in Confeſſarijs ſuis lucem & doctrinam quæſierit, in cauſa ſunt, vt in iis quæ de oratione ſcribit, talia tamque eleuata ſcribat, vt interdum etiam doctiſſimi quique, quòd experientiam & vſum non habeant, eò non pertingant,* &c *Hoc quidem in præſens, quoad libri huius cenſuram, mihi videtur.* Datum Valliſoleti *in S. Gregorii Collegio, Septimo Iunii, anno 1575.*

F. Dominicus Bannez.

Hanc ipſe cenſuram, nomine ſuo ſubſcriptam & ſignatã poſuit in principio ipſius autographi vitæ, quam B. Mater de ſe ipſa ſcripſit; quod hodierna in Regia S. Laurentij Bibliotheca in Eſcuriali aſſeruatur. Aliam quoq; cenſuram huic perſimilem idem Auctor dedit in teſtimonio, quod in Actis Canonizationis illius legere eſt, vbi ſic loquitur. *Non deſunt qui librum hunc carpunt, qui nimirum bonorum bono Zelo acti, ſed exiguam vitæ ſpiritualis habentes experientiam quædam quæ non intelligunt, calumniantur: verùm multis viris doctis, etiam ſæcularibus, maximopere is probatur, atque inſignem iis adfert fructum.*

P. An-

P. Antonius Posseuinus Societ. Iesu, vir pijssimus ac doctissimus cum Magister Sacri Palatii Romæ librum, quem de vita sua B. Mater composuit, legendum & examinandum ei dedisset, in illius approbationem & laudem epistolam quamdam destinauit ei, qui huius libri examen sibi commisisset. Verba Posseuini inuenies suprà post dedicatoriam. Idem P. POSSEVINVS, in tractatu, quem Cultura ingeniorum nominat, Beatam hanc Virginem infusam à Deo scientiam habuisse asserere non dubitauit.

Quod verò Thomas Bosius de S. Matris Teresæ libris tomo primo de signis Ecclesiæ libr. 12. cap. 23. signo 57. testimonium dedit, iam antè, cum virorum doctorum de spiritu eius censuras attulimus, allatum est.

At P. F. Ioannes à Iesu Maria, Congregationis Italiæ PP. Carmelitarum Discalceatorum Procurator Generalis in Compendio vitæ & Miraculorum B. Matris Teresæ de Iesu, quod edidit, cum de libris quos ipsa composuit, mentionem facit, paucis verbis multas eorumdem laudes complexus est, dum ait: *Laudatur sermo castus, non comptus, grauis, lepidus, efficax. Admirationem excitat rerum sublimitas, quam ne Theologi multi, nisi affectionum diuinarum consulti, assequi possunt. Doctores hac ætate celeberrimi mysticarum passionum facilem, ac leniter decurrentem explanationem adeò obstupescunt, vt rarum sapientiæ genus eis videatur, quæ de mystica Theologia Patres obscurè ac sparsim tradiderunt, à Virgine vna in methodum tam perspicuè atque concinnè fuisse redacta. Quod verò ad doctrinæ soliditatem pertinet, nihil non Theologicum, tametsi scholastico more promatur, exprompsit, vt è libri primi capite primo perspici potest. Vita B. Virginis Teresæ, & Mansiones, doctrinæ cælesti multis experimentis comparatæ, ad res internas dignoscendas affluunt*: & infra: *Mira sunt sanè, quæ suauissimo magisterio B. Virgo Teresa digessit: quæ animo demisso, vt prosint, legenda sunt. Sed, quantopere tam pia lectio iam orbe toto Christiano, in varia idiomata versa profuerit, muta in singulis vrbibus argumenta conuincunt.* Item quoq; Auctor lib. 1. c. 1. in horum librorum commendationem sic loquitur: *Septimum agmen libris cælesti sapientia plenis armatur: Patet quippe mentem, quæ toti Ecclesiæ cælo luce adeò mira præluxit, purissima diuinæ mentis luce minimè caruisse. Accedit huic præstantissimorum Theologorum, qui B. Teresæ libros discusserunt, admiratio & præconia verbis ac scriptis celebrata; quæ latere non possunt. Etenim vt paucos è plurimis commemorem, summis Theologis P. F. Dominico Bannesio, P. F. Bartholomæo de Medina Dominicanis; P. F. Ludouico Legionensi Augustiniano diligentissimis librorum Teresæ exploratoribus & præconibus, neque ignoratio, neque incogitantia, neque ratio aliqua politica obsici potest. Ignoratio quidem, quia scholæ vniuersæ illorum trium scripta venerantur. Incogitantia verò, quia vt acres critici ex professo libros perlustrarunt. Ratio* Lib. 4. c. 4.

demum politica, quia neque eiusdem professionis erant, neque sibi aliquam laudem aut lucrum ex scriptorum approbatione conflabant. Bene autem est, quod nescio quis Theologus nonnulla Teresæ dicta carpserit, vt SS. Dominus noster Paulus Quintus, hac occasione permotus, ea quæ obiiciebantur, peritissimis Theologis seriò perpendenda commiserit, quemadmodum grauissimis in rebus fieri solet, facto quippe Romæ rerum accuratissimo scrutinio, doctissimi P.F. DIDACVS ALVAREZ *Ordinis Prædicatorum, nunc Archiepiscopus Trannensis, & F. Ioannes de Rada, Ordinis S Francisci, Episcopus Pactensis, quibus summus Pontifex curam demandauerat, sic tandem scripserunt. Trannensis nempe postquam argumenta obiecta diluisset, in hunc modum concluserit. Ex his colligo doctrinam M. Teresæ in propositionibus prædictis, nihil continere doctrinæ Catholicæ, aut bonis moribus aduersum, sed valdè vtilem esse ijs qui perfectam vitam spiritualem profitentur, vel ad eam tendunt. ita censeo, submittens meum iudicium correctioni Sanctæ sedis Apostolicæ. Frater Did. electus Archiepiscopus Trannens. Pactensis verò postquam obiectiones reiecerat, sic suam sententiam absoluit: Censeo ergo, nihil esse censura dignum in iis, quæ censor obiicit contra Matrem Teresam, sed omnia saltem probabiliter defendi posse. Fr. Ioannes de Rada Episc. Pactens. Sic res ad Summum Pontificem relata est, & libris Teresæ maior hinc fides accessit. Ecce diuinæ prouidentiæ flexuram: permisit videlicet* DEVS *Theologum illum caligare, vt nebulas illius, Romani Pontificis auctoritas noua Teresæ illustratione dispelleret.*

Romani Pontificis auctoritatem sequatur ipsa S. R. E. Cardinalium, quæ certè non multò inferioris notæ futura est. Agmen ducat Illustrissimus ac Reuerendissimus Dominus Gaspar Quiroga S.R.E. Cardinalis, & Toletanus Archiepiscopus, & Generalis Inquisitionis Præses. Cum enim S. Mater Teresa vnà cum P. Hieronymo Gratiano, qui Prouincialis munere tũ fungebatur, Toleti ab eo alicuius in quodam diœceseos eiusdem opido, monasterij in Monialium suarum vsum fundandi facultatem peterent; ipse his P. Prouincialem verbis compellauit: *Maximopere gaudeo quòd Matrem Teresam mihi videre ac nosse datum sit; etenim summo eius cognoscendæ tenebar desiderio. quæ & in me Sacellanum inueniet, qui illi, vbicumque sese offerret occasio, & quibuscumq; poterit modis, auxiliabitur. Dicas enim ei in meo nomine, iam abhinc annis aliquot* (& certè decem iam anni effluxerant, ex quo illustris quædam in Hispania mulier, cùm librum de vita Teresæ, quem suis ipsa manibus conscripserat, sua in potestate haberet, nescio qua de causa eum ad S. Inquisitionis Iudices misisset, aliquas in eo visiones, reuelationes, doctrinas periculosas contineri asserens, easque ab illis examinari & discuti petens; quas, inter alios plurimos, illorum Iudicum iussu & commissione, tunc examinauit P.F. Magister Ferdinandus Castellius Historiæ Dominicanæ Auctor, & libri illius nemo tunc temporis amplius recorda-

recordabatur, amissum eum aut suppressum ratus) *S. Inquisitionis Tribunali quemdam de illius libris oblatum, illiusque doctrinam valde exactè accurateque examinatam & excussam fuisse, meque eumdem legisse, & totum perlegisse. censere me autem illius doctrinam valde certam, veram, & inprimis vtilem esse. quare repetat illum à nobis quandocumque ei allubuerit: facultatemque ei do cum repetendi & illinc auferendi, ipsamque ex animo rogo, identidem mei vt apud Dominum suis in precibus memoriam faciat.*

Cum vero horum librorum iam typis in Hispania mandatorum quoddam in Italiam exemplar Doctor Barnabas de Marmol, vna cum Constitutionibus Monialium Discalceatarum, vt has SS. Dom. Noster Sixtus Papa V. Apostolica auctoritate confirmaret, attulisset; sua Sanctitas tam harum quam illius examē, Cardinali S. Seuerinæ commisit; qui mirifice illo viso est gauisus; nam mirè illi placuit, vti & alijs multis per aliam viris grauissimis ac Prælatis, & præsertim spiritualibus ac Religiosis, atque inprimis Episcopo Castillionensi, qui & eum ex Hispanico Italicè loquentem fecit. Summus verò Pontifex, prædicti Cardinalis de illo testimonio audito, Breui quodam Apostolico & Bulla Constitutiones confirmauit. In quo inter cetera, quæ in S. Matrem & eius doctrinam & documenta effundit elogia, sic loquitur: *Duodetriginta prope sunt anni, ex quo mulier quæda, Teresa de Iesu nominata, Abulæ nobili genere orta, & virtutibus ac sanctitate illustris, mundi delicijs & voluptatibus pessumdatis, totam se sponso suo cælesti Deo dedicauit, bonoque vitæ suæ exemplo & doctrina, plurimas ad eamdem Religionem sectandam virgines attraxit*, &c.

Non minus illustre est, quod Illustriss. Cardin. Cæsar Baronius de illa eiusque libris, pauculis verbis, testimonium tulit. quod supra videre licet.

Omnes hæ censuræ & aliæ, quos breuitatis studio hic omittimus, quoad horum librorum doctrinam, mirificè inter se conueniunt. Primo declarant, eam sanam, puram & Catholicam esse. Secundò, animabus ad Deum perducendis, & certa securaque via (ne errent & pereant) dirigendis perutilem eam & proficuam esse. Tertiò ipsam B. Matrem, horum librorum auctorem, infusam à Deo scientiam ad hosce scribendos habuisse, & spiritum sanctum, qui animam illius rerum adeò sublimium cognitione, intelligentia & luce illustrabat, simul & calamum illius ad easdem conscribendas mouisse & direxisse.

Hi porro libri quinque diuersis linguis editi exstant: primò Hispanica, qua ab auctore conscripti sunt; deinde à varijs in alias peregrinas versi sunt; in Italicam, Gallicam, Polonicam, Belgicam, & iam recenter opera nostra, simul omnes, in Latinum, quoad

plures

plures deriuetur vtilitas, ſermonem conuerſi lucem adſpiciunt. Vnde colligere eſt, quam illi, omnium approbatione, digni cenſeantur, qui à Catholicis paſsim in Eccleſia, etiam lingua vernacula conſcripti, ſine vllo ſcandalo legantur, non ſolis doctioribus illorum vſu & lectione reſeruata: &, quis ex iis vulgò prouenturus fructus ſperetur.

§. 6.

OMNIA QVAE HIS LIBRIS SCRIPTA SVNT, SPIRITV ſancto dictante & dirigente ſcripta videri.

TAmetſi ea quæ allata ſunt hactenus, teſtimonia magnam ſatis hiſce libris auctoritatem concilient, quòd à viris grauiſsimis iuxtà ac ſanctiſsimis & doctiſsimis ea ſint profecta; nullum tamen eis maiorem videtur poſſe conciliare, quàm quod ab illiuſmet calamo & manu profectum eſt. Etenim ipſa non vno in loco apertiſsimè profitetur, non tam ſua ſe ſponte, quàm Spiritu ſancto impellente, in manus calamum ſumpſiſſe; quin & quæcumque ſcripſit, nonniſi illo dictante & inſtillante à ſe eſſe ſcripta. quo quod amplius, certius, & omni exceptione maius haberi teſtimonium poteſt? quænam ſupra ſupremam veritatem dari veritas maior & irrefragabilior? Vt non immeritò cum Apoſtolo Gentium Paulo gloriari S. Mater poſsit, non tam ab hominibus ſe, quàm à Ieſu Chriſto, & ſpiritu diuino, edoctam & directam eſſe. Audi eam libri, quem de Vita ſua exarauit, capite 12. loquentem & naturalem ſuum ſtuporem confitentem: *Ad multos annos multa legi, ſed lectorum nihil intelligebam, & etiam ſatis fui diu, quòd, eſto Deus id mihi daret, verbum vnum, ad ipſum declarandum, proferre non poſſem. quod certè non modico mihi labore conſtitit. Cum verò Maieſtati illius lubet, vno nos in momento omnia edocet; quod certè magnam in me admirationem cauſatur. Vnũ hoc, in veritate dicere poſſum, quòd tametſi cum plurimis viris ſpiritualibus agerem, qui mihi exponere & declarare ſtudebant, id quod Dominus mihi impertiebatur, quò ipſum dein alijs declarare poſſem; tanta tamen mea erat hebetudo & ſtupor, vt parum inde iuuarer; vel quod Dominus nollet (eius namque Maieſtas ſemper meus præceptor & Magiſter exſtitit, ſit ipſe pro omnibus benedictus; etenim magnæ mihi confuſionis materia eſt, quòd hoc in veritate dicere poſſum) vt cupiam alteri hoc attribuerem aut acceptum referrem. Adhæc quòd id mihi, nec volenti, nec petenti (quia in hoc neutiquam curioſa fui, & ſi fuiſſem, virtus fuiſſet & bonum; ſed in aliis vanitatibus conſectandis) momento Dominus omni qua poſſet claritate, & ita vt alijs id declarare valerem, patefaceret. adeò vt omnes obſtupeſcerent, & ego magis quàm confeſſarij mei, quòd ſtupiditatis meæ plus quàm ipſi, eſſem conſcia. quod verò Dominus me non edocuit, ipſa ſcire & noſſe non elaboraui, præterquam*

quam ea quæ ad conſcientiam meam pertinent. Capite verò XIV. plurimas occupationes ſuas refert, nec non particularem illam lucem, quam illi Dominus ad hæc ipſa ſcribenda communicabat, idque hiſce verbis: *Exiguum quod habeo tempus, parum me iuuat; vnde Maieſtatem ipſius omne id facere neceſſe eſt. Sequi namque me oportet communia reliquarum ſororum opera: & alijs occupationibus intendere, quod in domo agam, quæ nonniſi recenter fundata eſt. hinc ijs, quæ ſcribo, totam me impendere & tota vacare nequeo, ſed per interualla & abruptim. & hoc ſatius eſt: nam Domino ſpiritum ſuggerente, omnia tum faciliùs, tum meliùs fiunt: perinde ac dum quis exemplar quoddam ante oculos habet, ad quod ſuum quod efformat opus, componit & dirigit. at, ſi ſpiritus deſit, non magis quis hanc intelligere linguam valet, quàm ſi (vt ita dicam) Hebraicam, aut aliam exoticam, audiret; tametſi multis etiam annis orationi vacarit. Vnde magnopere mihi conducere & prodeſſe videtur, me, dum ſcribo, in oratione agere. ad oculum quippe video, non eſſe me quæ hoc dico, & quæ hoc intellectu ſuo diſpoſui, & poſtea neſcio, quomodo id ipſa ſcripſerim, aut ſcribere nouerim. atque hoc ſæpius mihi contingit.*

Idem quoque habet & repetit cap. XVIII. his verbis: *Nihil verò dicam, quod non multo & vario ipſa vſu ſim experta. & certè, cum de vltima hac aqua loqui cœpiſſem, tam impoſsibile mihi videbatur de ea quidquam ſcribere, quàm græcè loqui. adeò id ſcilicet difficile & arduum eſt. Quare ſcriptionem abrupi, & ad communionem ſacram percipiendam me diſpoſui. Benedictus autem ſit Dominus, qui ignorantibus ſic opitulatur. O obedientiæ virtutem, quæ ſic omnia potes! Deus namque intellectum meum illuminauit, aliàs quidem per verba, aliàs mihi velut obijciendo & proponendo, quo id ipſa modo exponerem: quia, ſicut in ſuperiore oratione factum eſt, Maieſtas illius id velle dicere videtur, quod ipſa nec poſſum, nec ſcio dicere. Quod autem dico, ipſiſſima eſt veritas; itaque quidquid hic bonum eſt, ipſius eſt doctrina; quod verò malum certum eſt à malorum pelago, quod ipſa ſum, deriuari.*

Et capite XXX. hunc in modum loquitur: *Tunc namque meipſam intelligere non poteram, vti quidem intelligo modo, quo ipſum alijs poſſem exponere: at poſtea Dominus id mihi dedit, vt poſsim intelligere, nec non gratias quas mihi præſtitit, referre.* Hiſce è teſtimonijs liquidò doctrinę illius patet excellentia, & quanta eidem ſit adhibenda fides & auctoritas: & ſane, ſi mulier hæc, ſancta ſit (vti illius opera, virtutes & miracula ſufficienter produnt) certum eſt, illam non mentituram. Simul quoq; apparet, Spiritum ſanctum velle ſe, homines horum librorum auctorem & inuentorem agnoſcant, cum muliere tam rudi & ignorante, vt inſtrumẽto, hic vſus ſit; quòd hac ratione viæ orationis & ſpiritus quam tradit, auctoritatem & fidem conciliare velit: vti olim fidei & doctrinæ Chriſtianæ cum ad eam prædicandam & docendam inſtrumentis tam ineptis & informibus, (qualia Apoſtoli erant) vſus eſt, veritatem & certitudinem voluit declarare. Hoc namq; Deo ordinarium & ſollenne eſt, vt ſuam hac ratione potentiam & ſapientiam hominibus patefaciat.

§. 7.

DE FRVCTV QVEM SANCTÆ MATRIS TERESAE LIBRI FECERE, peccatores inueteratos conuertendo, eos qui orationis studio non tenebantur, ad eam pelliciendo, tepidis feruorem instillando, feruidos denique lectione sua ad perfectionem incitando.

NOnnulli, qui vsq; adeò erga orationem non afficiuntur, censent, è librorũ doctrinas huiusmodi spirituales tradentium euulgatione, non tam fructum aliquem, quàm damnum vulgò in populum sequi solere, quòd hi de rebus adeò arcanis & absconditis agant, vt non omnes qui illos legent, easdem sint intellecturi, vel sensum illarum, (tametsi veræ & genuinę sint) percepturi: atq; inde consecuturum, vt è non intellectione in grauissimos labantur errores. Adhæc quia in hisce libris de raptibus, reuelationibus, alijsq; orationis supernaturalis generibus tractatur, nõ deerit fortasse nonnemo, qui hinc occasionẽ capiet, humana aliqua industria & artificio extraordinario hos spiritus effectus consectandi ac quærendi, studendo nimirum mentem & spiritum in raptum sustollere, & aliquas sibi reuelationes efformare: forsitan etiam eo fine, vt vulgò sancti habeantur & æstimentur: quod certissimum illusionum & deceptionum, è quibus tantum in Ecclesia Dei damnum secutum est, est principium, & fons.

Toto eo, quo S. Mater in terra vixit, tempore numquam intendit & spectauit, vt hi libri prælo commissi, publici iuris fierent, & omnium passim manibus tererentur; sed vt tantum manu scripti, per Ordinis sui Conuentus obambularent, quo in Fratribus ac Monialibus suis fructũ facerẽt; interdum verò singulari quodã priuilegio, nonnullis viris grauibus orationis experientiam habentibus communicarentur. Imitata videlicet placitum illud Pythagoræ Samij, arcana mystica & sacra celari & abscondi iubentis, ne in vulgi manum incidentia paulatim vilescerent: nec non priscos illos Ægyptios, qui sacra sua dogmata hieroglyphicis signis & notis tradebant, ne illa passim ab omnibus, sed nonnisi à doctissimis quibusque intelligerentur. Atque hoc sane est, quod S. Dionysius Areopagita Timotheo Episcopo, cui suum de mystica Theologia tractatum dedicat, iniungit, ne cui sacra hac Mysteria, nisi admodum paucis, ijsque doctissimis & maximam spiritus experientiam habentibus, qui nimirum eadem intelligant, & tanti, quanti par est, æstiment, passim patefaciat. Hoc quoque spectasse Redemptor noster Christus videtur, dicens discipulis suis: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis.* Nec ferre poterat, vt sub imia hæc spiritus mysteria, quæ hisce libris declarantur, in canum allatrantium & obmurmurantium ora inciderent: quibus,

Cap. 1.

Math. 7. 6.

quibus, quòd ea non intelligant, hæretica & erronea videantur: aut in eorum manus, qui quòd in vitiorum cœno sint inuoluti, nullas maiores esse voluptates putant, quàm quæ sensibus percipiuntur & sentiuntur. qui quamuis hosce legant libros, tamen adeò non magni illos faciunt, vt etiam pedibus eos velut proterant & contemnant.

At postquam reipsa & per experientiam tum S. Mater, tum ii quibus ex obedientia parebat, viderunt, quemnam in omni hominum genere doctrina hæc fructum pepererit, opinionem suam mutarunt. constat enim, multos peccatores, etiam in peccatis obduratissimos, hisce spiritualibus doctrinis & monitis lectis, & magnis visis deliciis, quas, etiam in hac vita, Dominus communicat eum ex toto corde diligentibus, (vt taceam illam, quæ in cælo illos manet, beatitudinem) ad meliorem frugem rediisse. Cognito namq;, Deum has inimicis suis delicias & gratias non conferre, & hocce donorum ac charismatum spiritualium condecoramentum non peccati cæno & luto, sed solùm auro gratiæ superaddi; quodam concepto desiderio, se, spe, & orexi, vbi ad illius statum iam peruenerint, orationem studiosè culturos, itaq; tantorum bonorum aliquod obtenturos, pristino peccati statu egressi sunt, &, si vel vnũ dumtaxat peccatorem hac via conuerti contigisset, certè nimis quàm bonũ fuisset & vtile, hosce libros publici iuris facere. Etenim non solo pœnarũ infernalium timore, sed & gloriæ amore, & spiritualium gustuum & deliciarum, quas hac in vita amicis suis Deus communicat, desiderio ac cupidine animas ad Deum conuerti constat.

Sunt nonnulli, quibus, cum bene recteq; viuerent, satis erat non peccare, ac proinde ipsam spiritus & orationis mentalis viam ingredi detrectabant; at doctrina horum librorum lecta, spiritum sectari & colere decreuere; hacq; via ad altiorẽ virtutẽ & meritorum gradum ascendere ũt. Alij verò sua in oratione tepidi erãt: at, postquã hosce libros lectitassent, feruore quodam mentis concepto, ad sublimissimã quamdã cõtemplationẽ spiritum suum sustulere, impedimentis omnibus, quæ animam, quo minus ad eam quam desiderat perfectionem ascendat, remorantur, superatis & trãsscensis. Alij verò, cũ multos iã annos orationi vacassent, eiusq; adminiculo magna consecuti essent bona, per illam lucẽ quæ hisce in libris traditur, & èqua colligunt ad quàm altum gradum spiritus possit peruenire, circa multa dubia, quæ non satis intelligebant, nec vmquam intelligerent, nisi per illos qui aliquam horum habent experientiam, circa eadem instruerentur, securi & certi facti sunt. Tanti verò Deus opt. max. facit, vt illarum animarum, quæ ad perfectionem aspirant, vna sese perficiat; & veros amicos suos, qui feruidè ipsum diligunt, tanto in pretio habet, vt vel propter vnius horum commo-

dum & bonum, nullam aliorum inconuenientium velit rationem haberi.

Et, si sublimia hæc documenta & mystica arcana publici iuris fieri vetentur, cur, quæso, permissæ sunt imprimi & euulgari Reuelationes S. Methodij, Birgittæ, Catharinæ Senensis, Mechtildis, Elisabethæ Sconaugiensis, Hermæ qui S. Pauli fuit discipulus, nec non aliorum plurimorum, qui reuelationes & visiones suas scripto edidere? nisi enim ex ipsorum illas ore haberemus, vndenam habere illas & scire possemus, cum sint secreta quæ Deum inter & cor ipsorum peragantur? qualia certè passim in vitis sanctorum apud Surium, Lipomanum, & alios legere est.

Nullam verò aliam libri hi, ad sublimem orationis gradum perueniendi, viam aut artem tradunt, quàm vitæ puritatem, humilitatem, amorem Dei, & in oratione perseuerantiam. multis quoq; in locis docent, & quidem maximo impendio & conatu, nullo esse in numero habendas impressiones illas extraordinarias, vel res supernaturales: & tunc maximè illas ab anima Christiana fugere & sese subducere, aut si veniant, veras eas & certas non esse, cum illas ipsa habere procurat, desiderat, aut spectat. vnde efficere & concludere possumus, hos nimis quam procul abesse, vt alicui illusionum & deceptionum sint occasio: imò verò constat, nullum dari posse scriptum, quod magis lectorem, vt sibi ab hisce illusionibus caueat, omni in loco commonefaciat & instruat.

Si quis vero, aut defectu ingenij, aut voluntatis malignitate, in doctrina hac spirituali erret, aut scandalizetur, propriæ malitiæ & ignorantiæ, non vero libris hisce, culpam ascribat: hi namque bonum oculum habentibus dant lucem & illuminant. namqui, cum oculos suos lippitudine & sordibus amoris proprij plenos habeant, eos legere volunt, non tam ipsa spiritualium librorum doctrina, quam suiipsorum defectu cæcutiunt: quemadmodum sol in culpa non est, quod vespertilio in die cæcutiat, sed oculorum ipsius defectus & infirmitas; cum aquila, sine vllo oculorum dispendio, irretorto ipsum lumine & fixo intueatur. Sic multi hæretici, è prauo sacrarum litterarum intellectu, hæresum suarum procudendarum & tuendarum occasionem sumunt; non propterea tamen dicendum, sacram scripturam damnosam esse, nec legendam videri.

FINIS.

REV.

REV. MATRIBVS, PRIORI ANNAE DE IESV, ET ALIIS MONIALIBVS CARMELITANIS DISCALCEATIS, CONVENTVS MADRITENSIS, M. F. LVISIVS Legionenſis, ſalutem in Domino noſtro IESV CHRISTO.

SANCTAM *Matrem Tereſam de* IESV, *dum in terra inter homines ageret, nec noui, nec vmquam vidi; ſed iam in cœlis viuentem & noui, & in duabus viuis, quas nobis reliquit ſui imaginibus, filiabus inquam, & libris ſuis penè ſemper præſentem intueor; quæ, vti quidem cenſeo excellentium virtutum eius, etiam certiſſimi ſunt teſtes, & omni exceptione maiores. Si enim vultus illius lineamenta coram vidiſſem, ex ijs de faciei, & corporis forma formare iudicium poſſem; ſi verò eam loquentem audiſſem, ipſa mihi verba animæ illius virtutem aliquo modo declaraſſent. Sed primum illud indicium commune quid eſſet; ſecundum verò illuſionibus, & errori patere poſſet. At in duabus illis, in quibus eam modò video imaginibus nihil tale metuendum eſt: nam, vt benè docet Sapiens, ex filijs dignoſcitur homo. quos enim quiſque ex hac vita decedens, ex ſe relinquit fructus, & ſoboles, vitæ ipſius certiſſimi ſunt teſtes. Huius item opinionis fuit Saluator noſter Ieſus, quando in Euangelio, quoddam daturus ſignum, è quo malus, à bono dignoſci queat, non niſi ad fructus nos remittit, dicens:* ex fructibus eorum cognoſcetis eos. *Adeo vt S. Matris Tereſæ virtus & ſanctimonia, quæ, ipſam coram videndo, incerta & dubia mihi videri potuiſſet; iam, cum eam prorſus non video, ſed illius libros, & opera manuum eius, ipſius inquam filias, aſſiduè intueor, certiſſima æquè ac apertiſſima eſſe videatur. Nam è virtute, quæ in omnibus eius filiabus relucet, eximia illa cognoſcitur gratia, quâ Deus Opt. Max. affecit eam, quam in noui huius miraculi (vt tale enim exiſtimari & haberi debet, id quod Deus in illis & per illas modo operatur) matrem delegit. Si enim illud miraculi nomine appellamus, quod præter com-*

munem

munem naturæ ordinem fit, hoc ſanè in facto tam multa extraordinaria, & noua videre eſt, vt qui hoc miraculi nomine vocat, valdè parum dicat, quod plurimorum miraculorum ſit velut connexio & cõcurſus. Miraculum quippè eſt, mulierem, & quidẽ ſolam, ordinem integrum, tam mulieribus, quã viris conſtantem, ad primæuam integritatem, & vigorem reduxiſſe. Miraculum quoq; eſt, magna illa perfectio, ad quã deinde eos reuocauit. Tertiũ deniq; ac maximum miraculum eſt, quod Ordo ille, tam paucis annis, & quidem tam tenuibus ortus principijs, ita ſe per orbem vniuerſum diffuderit, ac propagarit: adeò vt horum ſingula, ſingulari per ſe digna ſint conſideratione, & admirationem mereantur. Cũ enim fœminarũ non ſit docere, vt Apoſt. Paulus monet, ſed doceri; nemo non videt, nouũ quoddã miraculum eſſe, mulierem imbellem & imbecillẽ talem animũ habuiſſe, vt tam magnum opus auſa ſit aggredi; tã prudentem quoq; & potentem fuiſſe, vt ipſum perfecerit, & ad exitũ perduxerit, atq; hominum quibuſcum agebat animos, quo illos ad Deum traheret, velut rapuerit, per eam ipſos viam, quæ ſenſualitati directè contraria erat, ad ſe imitandam ac ſequendam inuitãs. E quo efficio Deum Opt. Max. prout mihi quidem videtur, hiſce tẽporibus, quibus Dæmon ob maximam infidelium, qui ei adhærẽt multitudinem, & ob intollerabilem tot hæreticarum gentium partes eius ſequentiũ peruicaciam, deniq; ob immunera fideliũ, cum ipſo conſpirantium flagitia velut triumphare videtur, ad eum deprimendum, ac ludibrio exponendum, ei non generoſum aliquem bellatorem, doctrinæ armis vndequaq; communitum, ſed miſeram mulierculam, quæ ſola eum in arenam prouocaret, vexillum contra ipſum extolleret, & palam nouas militum copias aduerſus illum colligeret, quæ eum debellarent, ac protererent, vires, potentiamq; eius omnẽ eliderent, opponere voluiſſe. Voluiſſe, inquam, ad ſummã ſuam potentiam adhuc apertius oſtendendam, vt hiſce temporibus, quibus tam multa hominum millia, hi quidẽ peruerſis ac deprauatis ſuis ingenijs, illi verò corruptis ſuis moribus ac vita flagitioſa, regnum illius vaſtant, ac deſtruunt, mulier quædã ingenia hominum illuminaret, & multorum, qui quotidiè ad ingentia hæc damna reſarcienda exoriuntur & increſcunt, mores componeret. Præterea ad oculum hoc ſeneſcẽtis Eccleſiæ anno oſtendere voluit gratiam ſuam neutiquam ſeneſcere, nec iam minorem eſſe ſpiritus ſui potentiam, quã in primis, ac floreſcentibus Eccleſiæ temporibus fuit; cum idem, aut prope idẽ, & quidem per infirmiora, ſi naturã & ſexum ſpectemus, inſtrumenta iã faciat, quod tunc eum feciſſe legimus. Quid enim vita (& eſt hoc ſecundum miraculum) quã ducitis, & perfectio in qua veſtra vos Mater fundauit, & viuere dedit, eſt aliud, quam veriſſimũ & expreßißimum ſanctitatis primitiuæ Eccleſiæ exemplar? Quod enim in temporum illorum legimus hiſtorijs, reipſa idem eſt cum eo, quod iam ad oculum in moribus veſtris videmus; & vitæ veſtræ ratio illud nobis opere ipſo ſpectandum exhibet, quod antè, eo quod illius exercitium iam propè in deſuetudinem venerat, ſolum in charta & nudis verbis conſiſtere videbatur; & quod caro inter legendum miratur, vixq; credere poteſt, hoc iam in Maternitate veſtra, ſodalibuſq; veſtris adimpletũ cernit. Cũ enim ab omni eo, quod Deus non eſt, ſequeſtratæ ſint, ſe totas in diuini ſponſi ſui brachia ſola tradiderint, arcteq; ſe illi deuinxerint, heroicos & viriles animos in tenellis & imbellibus virginũ corporibus præferendo Philoſophiam longè altißimam & nobiliſſimam, quam hactenus vix vllus mente concepit,

concepit, exſequũtur, & operibus ipſis (perfecta inquam vita, & virtutum heroicarum exercitio) eo pertingunt, quo humana ingenia, ne imaginatione quidem vix potuerunt pertingere. Diuitias quippe, velut ſe indignas, pedibus proterunt, libertatem oderunt, honores deteſtantur, & fugiunt; humilitatẽ econtrà & laborem omnem amplectuntur, & ſanctâ quadã æmulatione, & cõtentione inuicẽ in Virtutũ ſtudio quotidie præcurrere allaborant. Quæ etiam in re ipſarum ſponſus Chriſtus eas minimè deſerit, ſed identidem vires & robur ſuppeditat, dum tale animis ipſorum gaudium & mentis recreationem inſpirat, vt in ipſa omnium, quæ hac in vita ſuauia & blanda eſſe videntur, derelictione, & denudatione quemdam ſinceræ recreationis, & gaudij theſaurum poſſideant, ac naturam ipſam generosè pedibus proterant, quaſi ab illius legibus prorſus exemptæ, aut potius longè ſupra illas eminentes. Neque enim vllus ipſas defatigat labor, aut affligit clauſura, non deijcit morbus, ipſa etiam mors adeò eas non terret, aut conſternat, vt potius recreet, ac delectet. Summam porro admirationem meretur incredibilis ille guſtus, aut (ſi ita dicenda ſit) facilitas, quæ impigrè peragunt, & exequuntur, quidquid ex ſe factu eſt difficillimum. Mortificatio quippe ipſis eſt recreatio, animi totalis reſignatio velut ludus, rigor, ac pœnitentia, merâ ſuauitas, & quod humanæ naturæ horrendum, ac terribile apparet, id ita gratãter amplectuntur, ac ſi meræ forent deliciæ, & ſanctum Virtutum hæroicarum exercitiũ vſq; adeò ipſas reficit, tamquam ſi regiæ menſæ aſſiderent. Quæ in re opere ipſo euidenter oſtendunt, quam veriſſimè Chriſtum Dominũ in Euangelio ſuis dixiſſe. Iugum meum ſuaue eſt, & onus meũ leue: *nulla namque ſæcularis mulier tam ſuis gaudet ornamentis & cimelijs, quam veſtras Maternitates delectat vitam Angelicæ ſimilem ducere. Angelis namque haud dubiè ſimiles eſtis, non ſolũ quo ad vitæ perfectionem, verum etiã morum paritatem, & inſignẽ animorum concordiam, quæ in omnibus vobis eluceſcit. Duæ enim res tam inuicẽ ſimiles nõ ſunt, quã vos omnes vna alteri ſimiles eſtis; & per omnia vobis mutuò reſpõdẽtes in loquendo, in modeſtia, in humilitate, in Diſcretione, in ſpiritus ſuauitate, in omnibus deniq; moribus, & vniuerſa vitæ ratione. Nã vti vna & eadẽ vos animat, & viuificat virtus, ita etiã eãdẽ in omnib. vobis ſimilitudinẽ exprimit; vt in vnaquaq; veſtrũ, velut in nitidiſſimis quibuſdã ſpeculis, vna eadẽ videatur & appareat facies, sãcta inquã Matris veſtræ, quæ in filiabus ſuis ſe trãsformat, & exprimitur. Vndè fit, vt (quẽadmodũ initio dixi) eſto eã in vita agentẽ nõ viderim, multo eã iam clarius ac manifeſtius videã. Illius enim Filia, non ſolum lineamentorum & figuræ eius quædam ſunt imagines, ſed etiã veræ teſtimonia perfectionum eius, quæ ſingulis illarum communicantur, & ab vna ad aliam quã citiſſimè promanant. Atque hoc eſt tertium miraculũ. Nam cum iã inde à primi Monaſterij fundatione ad hoc vſq; tẽpus, quo hæc ſcribo, nõ niſi viginti effluxerint anni, per vniuerſam tamen Hiſpaniam, Ordinis à S. Matre Tereſa fundati, ſparſa ſunt Monaſteria, in quibus pluſquam mille Religioſi & Religioſæ Deo famulantur, inter quas veſtræ Maternitates, veluti planetæ minora inter ſidera & igniculos rutilant. Quod enim hæc reformatio à S. Virgine ortum habuerit, hinc etiam fœminæ in omnibus hic primas ferre, & prærogatiuam habere videntur, vt non ſolum ceu præuiæ quædam faces omnibus ordinis ſui ſectatoribus ſint, ſed etiam nationis noſtræ decus, ætatis huius ornamentum, ac*

velut pulcherrimi quidam flores, temporis huius ſterilitatem & infœcunditatem nimium quantum exornantes; vel certè inter meliora Eccleſiæ membra numerandæ ſint, ac viuæ potentiæ CHRISTI IESV teſtes manifeſtaque ſuprema eius virtutis argumenta, & expreßißimæ imagines dici queant. Hæc autem de prima Sanctæ Matris imagine, de Filiabus & ſectatricibus, inquam, illius dicta ſufficiant. Altera autem, ſcripta videlicet & libri eius, vti dixi, non minus euidens, & miraculosa eſt: vtpote in quibus ipſe Spiritus Sanctus Sanctam Matrem haud dubiè incomparabile, & rariſsimum quoddam eſſe voluit exemplum. Nam in rerum quas tractat ſublimitate, & qua eas declarat ſubtilitate & perſpicuitate multorum ingenia longè antecellit. Quoad puritatem verò ſermonis, & facilitatem ſtyli, verborumque gratiam, ſcitam ſtructuram & maſſectatã elegantiam, quæ legentibus, quam gratißima eſt, nihil eſſe puto in vernaculo noſtro idiomate conſcriptum, quod hiſce Sanctæ Matris ſcriptis queat conferri. Vt quoties illa lego, non poſsim, non ſemper, tamquam ſi iam de nouo ea legerem, ſummopere eadem mirari, & in plurimis, diuerſisque illorum locis, non hominis ſpiritum loquẽtem audire videar; ſed Spiritum Sanctum multis in locis per eam, & in ea locutum, manumque ac calamum eius direxiſſe, certißimè mihi perſuadeam: quod tum è lumine & claritate, qua res obſcuriſsimas elucidat, tum ex igne, qui per verba ipſius in legentium cordibus accẽditur, apertißimè patet. Inter plurimos autem, quos lectores hinc haurient fructus, duo potißimum elucent, permagnæ (vt mihi videtur) efficaciæ. Primus eſt, quod lectorem hæc ſcripta ad virtutum iter capeſſendum inuitent, ipſumq; iam ingreſſo id quam facillimum videri faciant, & reddant. Alter, quod virtutis ac ſimul Dei amorem illi inſtillent. Quoad primum enim, Deum mirabili quodam modo animæ oculis ſpectandum velut obijciũt, & quam is inuentu facilis, inuenẽtibus autem ſuauis, & amabilis ſit, manifeſtißimè exhibent. Quoad ſecundum autem, cœleſtem quendam ignem in anima accendunt, qui eam inflammat, conſumit, & annihilat, non ſolum per omnia, quæ in illis cõtinentur verba, ſed etiam illorum ſingula. Et dum omnes, quæ in eo ſunt difficultates ab oculis & ſenſibus eius ſubmouent (non quidem vt penitus non appareant, ſed vt eas flocci faciat) eam non ſolũ ab abuſu & illuſione, quam vmbratica, & falſa ei imaginatio ſuggerebat, liberam & immunem præſtant, verum etiam omni, quam in ſe ſentit grauedine, & tepore ablatis maximè illam animant & corroborant, & (ſi dicere fas ſit) adeo illam boni, quod ſpectat, amore & deſiderio accendunt, vt ad ipſum habendum præ ſummo quo æſtuat ardore, quantocyus euolet. Ingens enim, qui in S. Matris pectore viuebat, & ardebat, æſtus etiam foras prorupit verbis velut adhæreſcens, vt quocumque ferantur, ingens ſecum incendium, & flammam trahant. Cuius rei V.V.M.M. certas eſſe teſtes noui, quòd viua & expreßißima illius ſitis exemplaria. Quotieſcunque enim libros S. Matris Veſtræ legi, vos ipſas loquentes audire mihi viſus ſum & econtrà quoties vos filias audiui loquentes, toties me Sanctæ Matris veſtræ ſcripta legere exiſtimaui. Cuius rei, qui experiẽtiam & periculum facere voluerint, verum me dicere comperient: Idẽ quippe videbunt lumen, & eandem ingenij in rerum ad ſpiritum ſpectantium, eſto ſubtiliũ & difficilium tractatione ſublimitatem, eandem quoq; in illis explicandis ac declarandis facilitatem, ac ſuauitatem, dexteritatem eandem & diſcretionem; eundem quoq; ignem

diuinum

diuinum ſentient, ijſdem accendentur deſiderijs, eandem denique videbunt ſanctitatem, non fictam eam & apparentem, aut miracula patrantem, ſed quoad ſubſtantiam, ita in omni conuerſatione infuſam, vt interdum, etiam de Deo ſermonem non miſcendo, animas illius amore inflammatas, & æſtuantes relinquant: adeo vt (quo ad id, quod initio dicebam redeã) eſto eam cum inter homines ageret, non viderim, iã ſuis in ſcriptis, & ſectatricibus omnibus, aut potius, in ſolis vobis, quæ eius eſtis filiæ, vitamq; illius & mores plus aliis imitando exprimitis, & viuum librorum, ac ſcriptorum eius exemplar atque Ectypon eſtis, ſolum ipſam videam. Quæ illius ſcripta, quoniam mihi à regio concilio eadem recenſere, ac relegere iniunctum eſt, quo in lucem prodire poſſint, iure meritoque ſancto veſtro Conuentui dedicare poſſe mihi videor, vti & reipſa dedico, ob magnum quem in iis recenſendis capi laborem: non ſolum enim in illis delegendis, & examinandis, prout mihi Concilium imperarat, verum etiam cum ſuo autographo (quod multos dies penes me fuit) conferendis, & primæuo ſuo nitori & puritati, prout ſancta Mater, ſuâ manu illa ſcripſit, reſtituendis, nihil vt in ijs, nec quoad verba, nec quoad materiam immutarem, ſudandum fuit: quæ enim ex Autographo deſcripta erant exemplaria, vel negligentia, vel audacia, vel ignorantia deſcribentium, nimium quantum interpolata erant. Nam nimis quam magna fuit audacia, illa mutare, quæ ſcripſit illa, in cuius pectore Deus habitabat, & quam ipſamet Diuina Maieſtas (vt quidem verisimile ſit) hæc vt ſcriberet mouebat; quin & ſtupor ſanè intolerabilis, verba illius velle corrigere: ſi enim Caſtellanæ linguæ probè callentes fuiſſent, vidiſſent indubiè S. Tereſam ipſammet illius eſſe elegantiam. Nam eſto quibuſdam in locis ſcripti ſui, antequam ſententiam & periodum cœptã abſoluat, alias interſerat, & inchoatæ narrationis filum non rarò per rem aliquam extra propoſitum incidentem abrumpat; tamen vſque adeò dextrè & ſcitè fruſtillum hoc aſſutum interſerit, vt hoc ipſum vitium, orationi venuſtatem etiam quandam conciliet, vti ſubnigra faciei pulcherrima macula, adeo vt hoc ad primogeniam integritatem, & puritatem reduxerim. Sed quia nihil vſq; adeo bonum eſt, in quo maleuoli, ac maligni non aliquid quod carpant inueniant, non abs re futurum eſt (interim vos ſimul alloquendo) quam breuiſſimè cogitationibus nõnullorum reſpondere. Hiſce in libris narrantur Reuelationes, & de rebus agitur interioribus, quarum in oratione vſus eſt, quæ à communi hominum ſenſu & moribus nimium quantũ diſſitæ ſunt; hinc non neuo fortaſſe dicturus eſt, non oportere reuelationes (quod res dubia & incerta ſit) euulgari, & in lucem prodire; interiorem verò animæ cum Deo tractationem, ac conuerſationem (quod res maximè ſpiritualis, ac non niſi, quam pauciſſimorũ ſit) non expedire ita paſſim omnibus patefieri; fieri enim poſſe, vt plurimi hac occaſione in errorem inducendi ſint. Sed profectò hac in re errant quam grauiſſimè. Nam primò quantum ad reuelationes, quemadmodum certum eſt, Diabolum ſubindè ſe in Angelum lucis transformare, & vanis mendacibuſq; imaginibus, & viſionibus animabus illudere, ita etiam indubitata & exploratiſſima res eſt, atque adeo de fide, Spiritum Sanctum, cum dilectis ſuis loqui, ac diuerſimodè ſe illis manifeſtare, tum ad proprium ipſorum, tum ad aliorum commodum, & vtilitatem. Et ſicut reuelationes Diabolicæ ſcripto committendæ non ſunt, nec approbandæ, cùm meræ ſint illuſiones, ita vice versâ, eæ quæ à Sancto Spiritu veniunt,

& cognoſci & ſcribi merentur. Nam ſicuti Tobiæ Raphaël Angelus ait: Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt ; opera autem DEI reuelare & confiteri ſanctum & neceſſarium eſt. *Quis enim ſanctus fuit vnquam, qui non aliquam, dum vixit, reuelationem habuerit? aut quæ Sancti alicuius vita deſcribitur, in qua reuelationum ei factarum non fiat mentio? In omnium manibus & oculis Ordinum Dominicani & Franciſcani verſantur Hiſtoriæ, in quibus ad ſingulas propè paginas aliquæ, aut ipſis Fundatoribus Ordinum, aut Diſcipulis ipſorum factæ Reuelationes leguntur. Certum eſt Deum Opt. Max. amicis ſuis loqui; non loquitur autem, vt quæ ipſis clam ait, occulta maneant, ſed vt in lucem euulgentur. Vt enim ipſe lumen eſt, ita & in omnibus rebus ſuis lumen diligit ; & ſicut hominum ipſe ſalutem ſitit, ita numquam aliter ſpecialem aliquam gratiam ac fauorem vlli præſtat, quam vt eius adminiculo & opera alijs plurimis proſit. Quamdiu Sanctæ Matris* TERESÆ *virtus adhuc incerta ac dubia fuit, & plurimi ſecus atque oportebat de ea opinabantur (nondum quippè vllum Deus dederat ſignum, quo illius opera comprobaret) conſultò, & benè factum fuit illius ſcripta in lucem non edere, aut prælo commiſſa publici iuris facere, ad temerarias maleuolorum quorumdam iudicia euitanda. Sed iam poſtquam ipſa ad ſuperos tranſiit, cum & res ipſæ, ac ſecundus earum ſucceſſus apertiſſimè teſtantur,* DEVM *hic interueniſſe, cumque & corporis eius miraculum (vtpote, quod corruptionis & putredinis omnis à morte expers manſit) aliaque innumera nos indies de ſanctitate eius ſecuros reddant, omnemque quam de ea habere poſſemus dubitationem eximant; ne ille in* SPIRITVM SANCTVM *quodammodo iniurius foret, mirabilia eius obſcuraret & gratiam eius ſupprimeret, quiſquis gratias, quas illi* DEVS *in vita contulit, celare, & modos quibus ipſam ad euectum perfectionis apicem ad tot hominum bonum extulit, in publicum non prodere volet. Quamobrem quicunque ſanè, & prout oportet, iudicabit, minimè expedire cenſebit haſce reuelationes celari & ſilentio ſupprimi. Obijcienti porrò nonnemini, indecens & incongruum videri, ipſarum & Sanctam Matrem ſuas ipſius Reuelationes, ſcripto committere; reſpondeo, quantum hoc ad ipſam, ipſiuſque humilitatem ac modeſtiam ſpectat, nequaquam id incongruum eſſe, eò quod ad hanc ſcriptionem nonniſi iuſſu alieno impulſa deſcenderit; quod autem ad nos, & noſtram fidem ſpectat, id potius decens, & valde congruum videtur : nam ſi quis alius ea ſcripſiſſet, dubitare tunc fortaſsè potuiſſemus, an non, qui ea ſcribit, errarit, aut nobis imponere voluerit. Quod in Sancta Matre minimè præſumi poteſt, vtpotè, quæ quidquid ſibi contingebat, & in ſe fiebat, ſcripto tradebat, & ſimul ea vita erat ſanctimonia, & integritate, vt in tanti momenti rebus à veritate deflectere, & mentiri neutiquam voluiſſet. Quod autem in nonnullis vereor, hoc eſt, quod nimirum eiuſmodi ipſis ſcripta diſpliceant, non tam ob impoſturam, quæ in ipſis ſubeſſe poſſit, quam quod ipſi aliquid in ſe habeant, à quo credere impediantur,* DEVM *vſque eo ſe erga homines demittere & velut abijcere, quod certe non cogitarent, ſi hoc ipſum, quod*

credunt,

credunt in rebus fidei, serio perpenderent. Si enim DEVM OMNIPOTENTEM hominem factum esse confiteantur, cur in dubium vocant, eum cum homine aliquo loqui: si eum pro hominibus flagellis concisum, & cruci affixum credant, quid eum cum ipsis iucundè deliciari adeò mirantur? Annè plus est eum alicui famulo suo apparere, ac loqui, quam eum velut seruum nostrum fieri, & mortem pro nobis oppetere? Satagant igitur homines per eam DEVM viam quærere, quam ipse nos edocet, per viam, inquam, Fidei ac Charitatis, per veram quoque legis, & consiliorum ipsius obseruantiam, minimum, quod ipsis dabit erit similes gratias communicare. Si ergò, qui non rectè, & prout oportet de hisce reuelationibus sentiunt, ideò non rectè sentiant, quod tales dari, aut esse negent, grauissimo sanè in errore versantur, si autem, quod inter eas nonnullæ falsæ, ac fraudem & illusionem diabolicam redolentes reperiantur, de iis saltem rectè & sincerè iudicare tenentur, quas nota eorum quibus eæ factæ sunt sanctimoniæ veras esse conuincit & probat. Quales haud dubiè sunt illæ, quæ hocce libro continentur. Quarum historia in hac reuelationum materia non modò periculosa non est, verum etiam perutilis, & imprimis ad bonas, à falsis, in ijs quibus eæ obtingent, discernendas & dignoscendas, necessaria. Neque enim solum nudè refert eas, quas DOMINVS Sanctæ Matri TERESÆ communicauit, verum etiam dicit, quam ipsa ad eas examinandas adhibuerit diligentiam, simul etiam signa ponit, & effectus, quos bonæ & veræ post se relinquunt, & quomodo ex ipsis nos iudicare oporteat; deniq; num eæ nobis appetendæ, aut repellendæ sint.

Primo namque scriptum hoc nos docet, reuelationes, quæ à Deo veniunt semper, & ordinariè multas in anima virtutes producere, quæ tam ad bonum ipsas accipientium, quam ad aliorum multorum salutem diriguntur.

Secundò monet non debere nos secundum illas vitæ rationem componere, aut dirigi: Vitæ namque ineundæ regula, ac norma est tum doctrina Ecclesiæ, tum quod suis in libris Deus Optimus Maximus reuelauit, tum denique, quod recta veraque ratio faciendum dictat.

Tertio suadet, ne vllatenus eas appetamus, aut quæramus, vel spiritus perfectionem in ijs sitam, aut certa ipsas signa, è quibus animam in statu gratiæ esse colligatur, esse existimemus. Propriè namque animæ bonum in eo consistit, vt DEVM magis amemus, plura pro eius nomine patiamur, affectus inordinatos magis mortificemus, denique nos ipsos, & quidquid demum in mundo est, magis ex animo abnegemus & renuntiemus. Quod autem hic tractatus nos docet verbis, id ipsum mox exemplo ipsius Sanctæ Matris confirmat & declarat, vtpotè, quam in omnibus quas habuit Reuelationibus, semper quàm maximè circumspectam, & timidam fuisse, easque seriò exactèque solitam examinare, & non tam iuxta has, quàm iuxta Superiorum, & Confessariorum præscripta semper vitam instituisse tradit; quamuis alioquin hæ tam apertè essent bonæ, quam id è reformationis, ac melioris, quam

quam tum in ipſa, tum in Vniuerſo eius Ordine produxerunt, effectibus liquet. Quæ igitur hic deſcribuntur Reuelationes, nec dubiæ fidei ſunt, nec iis, quæ dubiè ſunt viam præſtruunt; immò verò ad dubias, & falſas dignoſcendas nobis velut facem præferunt; adeò vt hi libri hacce in materia & ſpiritum in dignotione, velut lapis quidam Lydius ſint. Iam reliquum eſt reſpondere nonnihil ijs, qui adeò hoſce libros periculoſos cenſent, quod res, nimis quam ſubtiles & ſublimes tractent, quas ad vniuſcuiuſque genium non facere, nec ad omnes paſſim ſpectare aiunt. Cum ergo tria ſint hominum genera, quorum alii de facto orationi intendunt, & vacant, alii, ſi vellent, ei poſſent intendere; alii denique ob ſtatus ſui conditionem prorſus, etſi vellent, non poſſunt; peto iam ipſe, quibuſnam horum libri huius lectio periculum ſit creatura? an ſpiritualibus? nequaquam: niſi fortaſsis alicui noxium, & periculoſum ſit, noſſe quid faciat, & cuius rei profeſſionem faciat. An verò iis, qui Orationi vacandi occaſionem quidem habent, ſed negligunt? multo minus: inueniunt namque in his libris, non ſolum, qui ipſos, cum eam exercere volent, conducat, & viam commonſtret; verum etiam, qui eos excitet atque animet, vt huc animum applicent. Quod profectò permagnum bonum eſt. Tertii ergò generis hominibus, quid eſt, quod hic noceat, & periculum creet? an noſſe, quod Deus hominibus amabilis, affabilis & blandus eſt? quod eum inueniat, qui ſe ab omni prorſus re ſequeſtrat, & denudat? quas animæ delicias afferat? quale ſit inter eas quas illi confert conſolationes diſcrimen? quo eam modo deuret, expurget, & velut ſublimet? Quid hic, quæſo, eſt, quod cognitum legentem non ſanctum reddat? quod non quandam in ipſo Dei admirationem excitet, ipſumque ad eum diligendum inflammet? ſi ergo operum horum exteriorum, quæ Deus in rerum creatione, & gubernatione peragit, cõſideratio quædam communis boni, in omnium hominum vſum, ſchola ſit, quomodo arcanorum eius mirabilium cognitio, cuiquam eſſe poſſit periculoſa? Et licet fortaſsè quis ob malam ſuam diſpoſitionem, aliquod hinc ſibi damnum & noxam eliceret, annè idcircò tanto bono & vtilitati, & quod in tam multos dimanare poſſet æquum foret ianuã occludere, & illud impedire? eadem ratione poſſet & ab Euangelii prædicatione ceſſari: nam ipſum, non recipientibus (vt Apoſtolus ait) maioris eſt damnationis occaſio. Quæ demùm ſcripta ſunt, etiam ipſam Sacram Scripturam ſub iis comprehendendo, è quibus malè affectus animus non aliquem errorem poſſet arripere & haurire? In ipſo rerum examine & diiudicatione videndum eſt, num ipſæ in ſe bonæ ſint, & ad fines ſuos conſequendos congruæ, non autem quomodo ſiniſter nonnullorum vſus eas ſit vſurpaturus: ſi enim ad hunc reſpicere velimus, nihil vſq; eo ſanctum eſt, quod non poſſit meritò vetari ac prohiberi. Quid Sacramentis Eccleſiæ ſanctius eſt? quàm multos tamen inuenire eſt, qui ex ſiniſtro eorum vſu & frequentatione deteriores fiunt? Diabolus, vtpotè ſubdolus, & vafer, & ſemper ad nobis nocendum excubans, in varios ſeſe induit colores, ſeque in mentibus quorundam tamquam de proximi ſalute & bono ſolicitum & proſpicientem oſtendit, quò, per ſpeciem particularis alicuius damni auertendi, ſimul ab omnium oculis ſubmoueat id, quod publicè & in communi bonum & proficuum eſt. Nouit quippè damni plus ſe facturum in omnibus ijs, qui horum librorum lectione, aut vitam emendabunt, aut ad ſpiritualem perfectionem peruenient, quam compendij ex inſcitia, aut prauitate huius, vel

illius

illius priuati, qui ob malam ſuam diſpoſitionem hinc offendiculum capiet, & periculum. Quare ne priores illos amittat, paucorum horum, quos alijs ſexcentis modis corrupit, & depranauit, damnum magni facit, & nobis ob oculos ponit. Quamquam, ſicuti paulò antè dixi, neminem ita malè diſpoſitum eſſe putem, vt indè damnum referat, quod norit Deum amicis ſuis amabilem eſſe, & quam is ipſe in ſe ſuauis ſit, & quibus animæ modis ad ipſum perueniant: quæ, vti & alia huiuſmodi omnis hic tractatus, quã cumulatiſſimè docet & tradit. Solos illos hic timeo, qui omnes iuxta ſuam normam & præſcriptum conducere volunt, ita vt vix quidquam probent, quod ipſi non dirigunt & adinueniunt, & totis ad hoc viribus connitantur, ne, quòd ex ſola ipſorum mente & propoſito non ſit, vllam apud alios auctoritatem inueniat. Quibus ſatisfacere & reſpondere omnino nolo, quod ex propria voluntate error ipſorum ortum habeat, vnde nec reſponſionem aliquam volent admittere; ſed cæteros omnes rogatos velim, ne quo illis modo auſcultent aut credant, quod hoc nõ mereantur. Vnius dũtaxat rei, qua etiam neceſſario notanda eſt, hic lectorem commonere volo: Scilicet B. M. Tereſam, cum de oratione, quam vocat quietis, aliiſque eius gradibus altioribus, deque quibuſdam particularibus gratiis, quas animabus Deus communicat, agit, ſic in multis libri huiuſce locis loqui ſolere, vt dicat animam apud Deum eſſe, ipſos inuicem intelligere, animas certò ſcire, Deum ipſas alloqui, & alia id genus. Quod nemo ita intelligere debet, quaſi aliquam in illorum, qui hiſce exercitiis intendunt, aut aliorum quorumlibet, quantumuis ſancti illi ſint, gratia ac iuſtitia certitudinem conſtituat, adeo vt ipſi de ſe certi ſint, ſe illam habere, niſi fortaſſis illi, quibus Dominus id reuelare dignatur. Nam ipſamet Sancta Mater, quæ, quidquid in hiſce libris ſcripſit, reipſa experta eſt, quin etiam plura multò, quã ſcribat via perfect. c. 4. in vno illorũ ſic de ſe loquitur: Hoc autem prorſus ferre nequeo, Domine, quod certò ſcire non poſſim, an ipſa te diligam, & num deſideria mea placita ſint coram te. *Exclam. 1. Et alio in loco:* Sed ah quomodo, ô Deus meus, certo ſcire potero, me non eſſe à te ſeparatã, aut diſiunctam? O vita mea, quod in tam parua certitudine rei, quæ tanti tamen eſt momenti, viuere debeas? quis te deſideret aut ambiat, cum omne quod à te haberi exſpectariuè bonum & commodum poteſt (quod eſt Deo in omni re complacere) tam incertum, plenumq; periculorum ſit? *Manſ. 7. c. vlt. In libro Mãſionum de animabus, quæ iã ad ſeptimam manſionem peruenerũt, de ijs, inquam, quæ maioris & perfectioris ſunt gradus, agens, loquitur in hæc Verba:* A peccatis mortalibus, quæ quidem talia eſſe ipſæ ſciunt, prorſus immunes ſunt, eſto non planè certæ ſint ac ſecuræ, ſe immunes eſſe abiis, quæ an talia ſint ignorant, quod illas non mediocriter vexabit & affliget. *Hoc ergo ſolum dicere vult, (quod etiam certiſſimum eſt) animas hiſce in exercitijs Deum ex effectis, quos tunc temporis in ipſis operatur, (qualia ſunt eas recreare, & illuminare, ſimul docendo eas ſubindè & cõſolando) velut præſentem ſentire. Quæ etſi inſignes Dei gratiæ ſint, & gratiam iuſtificantem ſæpè comitentur, aut ad eam ſaltem ducant, & diſponant; ipſa tamen gratia propterea non ſunt, nec ex illa ſemper aut oriuntur, aut cum ea coniuncta ſunt. Quemadmodum, exempli gratia, in Prophetiæ dono*

liquido perſpicitur; quod id reperiri poſſit in eo, qui in peccati letali ſtatu eſt, qui tunc quidem certus eſt, Deum ſibi loqui, incertus tamen, & neſcius an ſe iuſtum efficiat; & de facto tunc quidem Deus eum non iuſtificat, quamuis eum alloquatur & doceat. Et notandum hoc quidem eſt, quantum ad doctrinam hanc vniuerſam in genere, nam, quantum ſigillatim ad S. Matrem pertinet, fieri poteſt, quod, poſtquam verba illa iam antè paulò allata ſcripſiſſet, priuatam aliquam de gratia ſuæ certitudine reuelationē à Deo acceperit. Quod ſicuti conſultum non eſt certò affirmare, ita nec æquum eſt præuaricanter negare. Quæ enim poſterioribus vitæ annis Deus ei contulit dona, & gratiæ: quibus ipſam præuenit, eminenter magna ſunt, quod ex quibuſdam, quæ in hoc libro conſcripſit, colligere licet, vt quæ id aliquo modo videntur indicare. Sed ex eo, quod illi fortaſſe ſpeciali quodam Dei fauore conceſſum eſt, generalem & communem facere regulam non oportet. Itaque hac aduertentia, velut clypeo obiecto, vniuerſus hic tractatus à calumniantium iniuria & offendiculo vindicatus manet: qui, quantum equidem auguror, & ſpero, legentium animabus non minus vtilis erit, quam eum Maternitatum veſtrarum animabus, quæ per eumdem primo educatæ ſunt, & etiammum ſuſtentantur, cernimus profuiſſe. Quas enixiſſimè rogo, vt in ſanctis orationibus ſuis perpetuam mei memoriam habeant. E Domo P. Philippi, Madriti 15. Septemb. Anno Domini 1587.

VITA

VITA
S. MATRIS TERESÆ DE IESV,
QVAM SVA IPSA MANV, CONFESSARII IVSSV, cui hanc ipſam mittit, & Dedicat, conſcripſit.

PROOEMIVM.

VEllem equidem, vt, quemadmodum ſuperiores mihi præceperunt, & plenam poteſtatē fecerunt, vt & orationis modū & quas à Domino recepi gratias, ſcripto committerem; ſic eandē feciſſent, ad enormia mea peccata, & vitam ſceleratam ſigillatim, & clariſſimè aperiendam permagnæ hoc mihi, fateor, fuiſſet cōſolationi; ſed hanc ipſi mihi dare facultatem noluerunt, quinimo valde me hac in re reſtrictam eſſe iuſſerunt. Hanc ob cauſſam, per Dei amorem rogo, vt, quicunque hunc vitæ meæ diſcurſum leget, ſibi ob oculos ponat, hanc ita improbam fuiſſe, vt ex omnibus, qui ad Deum ſe conuerterunt, ſanctis, nullum omnino inuenerim, qui ſuo mihi exemplo eſſe ſolatio poſſit. Video enim eos, ex quo à Domino vocati ſunt, exinde ad eū peccatis offendēdū non redijſſe: ego verò, non ſolum facta ſum peior, verum etiā gratijs, quas à diuina eius Maieſtate accipiebam, ſtudio & data opera viſa ſum reſiſtere; quod me ad magis ei ſeruiendum cernerē obligari, & meipſa intelligerem non poſſe & debere me minus quam debebam, perſoluere. Sit in æternum ipſe benedictus, quod tanto me tempore expectarit: quem ex toto corde meo obſecro, mihi vt gratiam concedat, ad hanc vitæ meæ narrationem (quam & mei mihi Confeſſarij iniunxerunt, & ipſemet Dominus iam pridem, vt quidem ſcio, conſcribi voluit, ſed quam ego hactenus aggredi auſa non ſum) eâ quâ par eſt claritate & Fide faciendam; deinde vt hæc in gloriam & laudem eius cedat, tum vt confeſſarij poſthac melius me perſpectam habentes, imbecillitatem ac debilitatem meam adiuuent, quo eorum, quæ Domino debeo plurima, aliquid præſtare poſſim, quem omnia creata iugiter laudent ac benedicant. Amen.

CAPVT I.

OSTENDIT QVOMODO DOMINVS ANIMAM IPSIVS, IAM inde à pueritia ad virtutum exercitium excitarit, & quantum huc conferat parentes ipsos pietati studere.

Parentes S. Matris Pij fuêre.

NIsi ego tam mala & improba fuissem, accedente etiam diuino erga me fauore, satis mihi ad virtutis iter capessendum fuisset, pios & timoratos, à Deo parêtes accepisse. Pater bonorum librorum lectioni mirè deditus erat, hinc & tales linguâ vernaculâ conscriptos domi non paucos habebat, quò illorum lectioni & filij assuescerent. Hoc, accedente etiam curâ Matris, qua curabat, vt omnes Deum quotidiè oraremus, & pio erga Deiparam Matrem & sanctorum nonnullos affectu raperemur, me iam sexennem vel septennem (vt mihi quidem videtur) cœpit excitare. Non parum mihi hic adiumenti erat, quod viderem parentes nullum cuiquam fauorem impertiri, nisi quem sibi virtute promeruisset, cum illius & ipsi eximij cultores essent. Pater namque erga pauperes quoslibet mirificè afficiebatur, in ægrotos, quin etiam famulos suos tanta erat pietate, numquam vt emptitios seruos habere voluerit, quod illis valdè compateretur. Vndè cùm quodam tempore quoddam muliebre, patrui mei mancipium domi nostræ versaretur, non minus id pater benignè lauteque habuit, quam proprios filios, & pro ea, quâ erat pietate, aiebat se pati non posse, quod libertati non restitueretur. Veritatis adhæc in verbis erat imprimis amans, hinc numquam eum audiui iurantem, aut alicui detrahentem; quin & honestus suprà modum. Mater quoque permultis prædita fuit virtutibus, & grauibus quoad vixit est cum morbis conflictata. Adhæc summa fuit honestate, & quamuis formâ esset vtcumque venusta, numquam tamen ob eam, se visa vel audita est efferre, ac magni facere, nam licet, dum moreretur, non nisi triginta trium esset annorum, vestitus tamen eius ita modestus erat, vt vetulam deceret. Placida ac lenis apprimè fuit, & ingenio satis sagaci. Magnos, dum vixit, labores & ærumnas pertulit, & hanc ipsam vitam tandem Christiana morte concluſit. Tres numero eramus sorores, & fratres nouem; & omnes (quæ Dei bonitas) virtutum studio & exercitio parentes referebant, vnâ me exceptâ, tametsi alioquin præ alijs prolibus, patri essem chara: & sanè antequam Deum inciperem offendere, aliquam ad me amandam habere videbatur rationem. Nam non parùm iam doleo, dum illas ad bonum propensiones, quas à Domino tum acceperam, ad mentem reuoco, quamquam malè ijs vti potuerim. Adhæc nullum

Septennis Deum colere cœpit.

Parentum eius virtutes.

nullum omninò mihi fratres, quò minus Deo seruirem, impedimentum adferebant. Vnus eorum, eiusdem propè mecum ætatis erat, qui etiam mihi præ alijs charus (quamquam & cæteros summoperè diligebam, & ipsi me) Ipse & ego sæpè simul sanctorum vitas percurrebamus: cumque martyria & cruciatus, quos ex Dei amore sancti homines passi erant, legerem, vilissimo etiam pretio cœlum eos, ac Dei fruitionem mercatos esse censebam, indèque & mihi ardens quoddam similiter moriendi desiderium innascebatur; non quidem ex ingenti amore, quo me in Deum ferri putarem, sed vt tam breuium cruciatuum pretio summorum illorum bonorum, quæ in Cœlo reseruari legebam, particeps redderer. Cum hocce meo fraterculo sæpè conueniebam, vt simul conferremus, quânam potissimum viâ & ratione hoc assequi possemus. Conuenit inter nos, vt simul ad Maurorum regna concederemus, stipem per viam petentes, vt, cum illuc peruenissemus, ipsi nobis caput præciderent. Et (vt quidem mihi iam apparet) satis nobis animorum in tam tenera ætate ad hoc ipsum perficiendum Dominus suggerebat, si modo aliquam illùc proficiscendi commoditatem vidissemus: at maximum nobis impedimentum esse videbatur, quod domi parentes haberemus. Nihil verò in iis, quæ legebamus, magis mirabamur, quam quod pœna infernalis, & gloria cœlestis, sempiterna esse diceretur. Hinc sæpè hac ipsa de re satis diu simùl agebamus, & volupè nobis erat identidem repetere, In æternum, æternum, æternum; quod autem hoc sæpius mecum repeterem, placuit Domino, vt mihi iam tum in puerili illâ ætate, veritatis via impressa maneret. Vt ergo vidi impossibile mihi esse ad ea me loca conferre, in quibus pro Dei nomine mortem mihi inferrent, statuimus Eremiticam vitam ducere, & in horto quodam domestico cellulas quasdam Eremiticas, omni quo per pueriles annos potuimus modo construere cœpimus, paruos quosdam lapides inuicem superstruendo, qui illicò concidebant, adeo vt nulla nobis desiderio nostro adimplendo ratio suppeteret. Vndè etiamnum ad deuotionem excitor, cùm mecum reputo, quam tempestiuè & citò Deus tum mihi daret id, quod posteà culpâ & demerito meo deperdidi. Eleemosynas ægenis erogabam, prout poteram, poteram autem minimum. Solitudinem captabam, vt solitas meas precatiunculas, quas habebam plurimas, decurrerem, atque imprimis Rosarium Deiparæ Virginis, cuius recitationi mater mea maximoperè addicta erat, & vt nos addicti essemus procurabat. Si quando cum æqualibus puellis colludebam, voluptati mihi erat monasteriola construere, perinde ac si moniales essemus; quin & ego mihi videbar monialis esse velle, quamquam hoc non tam ardenter volebam, atque alia illa, quæ iam commemoraui. Dum mater mea ex hac vitâ decederet, duodecimum aut circiter, ætatis annum (quantum recordor) agebam:

Vitam sanctorum legens martyrii desiderio incenditur.

Cum fratre statuit ad Mauros proficisci vt martyrium subiret.

Eremitoria in tenera ætate construere sagit.

A teneris in pauperes effusa fuit.

Erga B. Virginem bene affecta.

bam:vtque cæpi intelligere, quantam illius obitu iacturam feciſſem,af-
B. Virginem matris ſuæ loco in matrem eo optat. flicta & mœrens coram quadam Beatiſſimæ Matris MARIAE imagine me abieci,multiſque eam cum lacrymis rogaui, mea vt Mater & curatrix deinceps eſſe dignaretur. Quod quamuis tum ex ſimplicitate quadam puerili feci, mihi tamen poſtea non parum videtur profuiſſe, manifeſtam enim & aperta.n Virginis huius clementiſſimę opem experta ſum, quoties & in quantum eius me tutelæ concredidi. Vndè & tandem me ad ſe pertraxit. Quamobrem mirè me cruciat, dum conſidero & cogito, ecquid in cauſa fuerit, quod in bonis deſiderijs & propoſitis, quæ tunc concepi,& incœpi,non perſeuerarim. Cùm, ô Domine Deus,ſtatuiſſe videaris,vt ad ſalutem peruenirem,placeat,obſecro,maieſtati tuæ,vt id fiat, & tot mihi gratias concedere, quot mihi olim conceſſiſti. Vellem equidem, vt non permiſiſſes, non quidem in rem & vtilitatem meam, ſed ob tui reuerentiam & reſpectum,vt habitaculum,in quo ita continenter habitaturus eras,ita fœdè inquinaretur. Crux mihi eſt, DOMINE, ipſum etiam dicendo referre: ſcio quippe meæ vnius id culpæ adſcribendum eſſe:etenim à tua parte nihil,quod præterea faceres,ſuperfuiſſe videtur, quò minùs iam tum ab illa ætate, tota tua eſſe potuerim. De parentibus meis ſi velim conqueri,etiam non poſſum:non enim in illis videbam, niſi omne bonum,& inſignem de meo in bono profectu curam. Itaque cùm hanc ætatem exceſſiſſem, & naturæ, quæ à Domino acceperam,quæque (vt aiebant)erant plurima, dona agnoſcere inciperem;adeò non pro ijſdem (vt quidem tenebar) gratias datori agebam, vt etiam ſingulis, ad eum offendendum, vt iam commemorabo, vti incœperim.

CAPVT II.

NARRAT QVO MODO PRAEDICTAS VIRTVTES PERDERE incœperit, quantique referat in adoleſcentia cum pijs & virtutibus deditis perſonis habere commercium.

QVod modo referam non mediocre, meo iudicio mihi damnum adferre cœpit,vndè ſubindè mecum ipſa conſidero, quam malè parentes agant, qui non procurant, vt liberi ſui ſemper & vbique videant ea, quæ virtutem omnimodis redoleant:nam eſto mater mea, vti retuli, virtutum ſtudio adeò addicta foret,ego tamen, vbi ad rationis vſum perueni,non tantum illius è bonitate hauſi, quantum quidem oporteret, imò vix aliquid è contrà,quod illa habebat,malum ipſum ſummoperè mihi nocuit.Generoſa quippe priſcorũ equitum facinora ipſa auidè, & cũ voluptate identidem legebat; ſed iſthoc recreationis genus non tantum ei

Libri vani, quam ſint vtii.

nocuit,

nocuit, quantum mihi, quod ipſa, quæ ei neceſſario agenda erãt, propterea non negligeret, ſed nobis hæcce legendi & tempus, & facultatem daret. Ideò forſitan huic ipſæ lectioni incumbebat, vt magnas quas habebat moleſtias, & afflictiones hoc pacto obliuiſceretur, & liberos ſuos occuparet, ne, ſi alijs rebus ſe dederent, deprauarentur. Ita quidem graue hoc patri meo accidit, vt furtim, & clam illo nos hæc legere oportuerit. Vnde ipſa quamdam librorum illorum legendorum conſuetudinem indui, & tenuis ille, quem in matre vidi, defectus, bonis, pijſque meis deſiderijs velut frigidam cœpit inijcere, atque in cauſa fuit, vt etiam in rebus cæteris cęperim deficere; neque etiam malè me putarem agere, tametſi multas tam diei quam noctis horas tam vano exercitio, quamuis inſcio patre, impenderem. Adeo verò hæc me lectio delectabat ac detinebat, vt niſi nouum aliquem haberem librum, nullatenus mihi ſatisfactum videretur. Exinde elegantias & ornatum ſectari cæpi, & pulchritudine meâ aliis placere, & talis videri velle ſolicitè curans, & manus habere nitidas, & capillitium ſcitè ſtructum, & odoramenta oblectantia, & reliquas, quas hoc in genere habere poteram vanitates: quæ ſanè non erant paucæ, quod huiuſmodi nugarum eſſem curioſiſſima: nulla tamen ſiniſtra ad hæc me impellebat intentio: neque enim voluiſſem, vt aliquis mei cauſa, & occaſione DEVM offendiſſet. Vndè nimia quædam nitoris & elegantiæ, & rerum, quæ nullum mihi peccatum inuoluere videbantur, ſolicitudo multos mihi annos adhæſit: ſed modò video, quanto ea cum peccato coniuncta eſſent. Conſobrini quidam patrueles ſæpè domum paternam frequentabant: quia alijs perſonis ad illam aditus non patebat, vtpotè qui in admiſſione illa circumſpectus erat: vtinam verò etiam in his excludendis circumſpectus fuiſſet? nunc enim video, quanto coniũctum ſit cum periculo, eâ ætate, quâ virtutum ſemina iacienda ſunt, cum ijs hominibus habere commercium, qui nondum perſpectũ habent, quã in ſe mundus ſit vanus, ſed aliis econtrà incitamento ſunt, vt eandẽ ſectẽtur. Eiuſdem hi propè mecum ætatis erant, aut ſaltem non multò me prouectiores: hinc ſemper ſimul agebamus & cõuerſabamur. Mirificè hi erga me afficiebantur, & viciſſim quęcunque ego ipſis grata eſſe nouerã, de illis apud eos agebam, ſimulq; affectionum ipſorum & puerilĩ ineptiarũ parùm bonarũ ſucceſſus ex ipſis audiebã; & quod deterius fuit, anima vltrò ſe applicabat iis, quæ omnis ei mali fuerunt occaſio. Si meũ eſſet cõſulere, equidẽ parentibus conſulerem, vt in hac ætate ſeriò reflecterẽt ſuper eos, qui cum filiis ſuis agunt, quod multum in eo mali ſitum ſit, eò quod natura noſtra in malum potiùs, quam in bonum propendeat ac feratur. Ita planè mihi contigit: cum enim ſororem haberem ætate me maiorem, illius honeſtatem & probitatem, quæ in ea ſingularis erat, nihil dum ſum

Vanitates eius in ornatu.

Etiam conſanguineorũ frequentatio noxia eſt ſi mali ſint.

ſum imitata, cognatæ verò cuiuſdam meæ, quę in domo paterna frequens erat, leuitatem & malum omne mox imbibi. Tám hæc erat in cõuerſatione & moribus leuis, vt mater eam domo noſtrâ excludere maximè allaborarit; vt iam, tum præſagire videretur malum, quod eius mihi conuerſatio eſſet allatura, ſed tantam illa domus noſtræ frequentandæ cauſam habebat, & occaſionem, vt commodè ipſam ab ea excludere non potuerit. Cum hac ipsâ ergo omnis mihi voluptas erat agere; omne meum cum ipſa erat colloquium, & vnicum cõmercium, eò quod omnibus in rebus vanis & recreatiuis mihi & auxilio eſſet, & incitamento, ac velut pro magiſtra, ſuorumque me colloquiorum ac vanitatum etiam participem faceret. Vſque dum cum ipſa habere commercium cępi, quartumdecimum ſcilicet ætatis annum agens (idque magis, vt quidem credo, vt amicitiam mecum haberet, rerum, inquam, ſuarum me faceret participem, quàm alia aliqua ex cauſa) Deum (vt mihi quidem videtur) per culpam mortalem non deſerueram, nec eiuſdem timorem vllatenus amiſeram, quamquam magis timerem, ne aliquam honoris mei iacturam facerem. Timor hic honoris perdendi in cauſa fuit, vt eum penitus non perdiderim; & ita tùm quidem comparata fuiſſe mihi videor, vt nulla prorſus mundi res me quoad hoc inflectere potuiſſet, nec ità vllum in mundo hominem amabam, vt ab hoc propoſito propter illum me paſſa eſſem diuelli. Vtinam verò tale mihi robur & conſtantia fuiſſet, ad Dei honorem non violandum, qualem mihi natura mea & indoles dabant, ad nihil amittendum eorum, in quibus mihi honor mundanus videbatur conſiſtere: interim tamen non videbam, plurimis aliis modis eius me iacturam facere. De iſthoc non amittendo apprimè ſollicita eram, & (quæ mea vanitas) nimiũ quantum effuſa & extrema; quæ tamen ad eum ſeruandum requirebantur, media nulla adhibebam, in hoc vnum dumtaxat maximè intenta, nè me planè perditum irem. Pater meus & ſoror hoc meum cum cognata commercium ægrè ferebant, atque identidem eius me reprehendebant: at, quoniam illam domo arcere, & eius adeundæ occaſionem illi præcidere commodè nõ valebant, ideo omnis, quam adhibebãt, diligentia incaſſum recidebat. Eram quippè ad quidquid malum eſt, ſagaciſſima. Subinde mecum ipſa non ſine ſtupore perpendo, quantum deprauati alicuius commercium damni parere queat, &, niſi id ipſa eſſem experta, vix dũ crederem, ac præſertim in adoleſcentia, tunc quippè, quod indè prouenit damnum, maius ſit oportet. Vtinam infortunio & exemplo meo parentes omnes edocti, rei huic, maximè aduigilare diſcerent! & ſanè, ità me iſthoc cognatæ commercium & neceſſitudo immutauit, vt vix vllum mihi bonæ naturæ & animæ ſanctioris veſtigium, ſignũue relinqueret; & tũ cognatæ ſuas conditiones & mores, tum alia quædam eaſdem vanitates & recrea-

Parentes videant, cũ quibus liberi conuerſentur.

& recreationes conſectans, ſuas mihi penitus impreſſiſſe viderentur. Atq; hinc facile intelligo, quãtum boni afferat cum pio aliquo familiaritas, & ſi illa in ætate cum hominibus ſanctis & pijs commercium habuiſſem, in virtute haud dubiè ſolidata & integra manſiſſem. Si enim id ætatis habuiſſem, qui me Dei timorem docuiſſet, tale anima mea paulatim robur collegiſſet, vt à lapſu ipſam præſeruaſſet. Sed cum poſtea hic Dei timor penitus è me euanuiſſet, ſolus mihi honoris amittendi timor manſit, qui me in omnibus, quæ agebam, mirè cruciabat & lancinabat. Hinc quod cogitarem ea ad hominum notitiam non peruentura, multa, quæ & cum hoc honore & cum Deo pugnabant, committere non verebar. Principio quidem earum, quas iam dixi, quantum mihi videtur, perſonarum commercia nocuerunt; eſto hoc non tam ipſis fortaſſe quam mihi adſcribendum eſſet; ad malum quippe malitia mea poſtea ſatis magna & ſufficiens fuit, vt taceam habuiſſe me præterea ancillas, quas ad omne malum perpetrandum paratiſſimas comperi; ſi illarum aliqua benè mihi conſuluiſſet, forſitan id mihi profuiſſet, ſed tam ipſas quæſtus & commodum proprium, quam meus me affectus excæcabat. Et eſto naturâ ad grauiora mala numquam propenderim (eò quod quidquid inhoneſtatem redoleret, naturaliter abhorrerem, ac dumtaxat confabulationes, & amica cum aliquibus ad tempus fallendum colloquia captarem) tamen quod hanc occaſionem non euitarem, ſed in eam vltrò me ingererem, in præſentiſſimo lapſus verſabar periculo, eique & patrem ſimul & fratres exponebam: ſed ab eo me Deus Opt. Max. immunem præſtitit, adeo vt ad oculum pateat, eum, etiam me inuita, & contrà voluntatem meam, procuraſſe, ne prorſus me perderem. Omnia tamen ità ſecretò fieri non potuerunt, vt non honor meus magnam indè in famiæ notam contraxerit, & non pater meus ſiniſtri aliquid de me ſuſpicaretur: nam, quantum equidèm recordor, vix trimeſtri integro his me vanitatibus & nugis dederam, cùm me in quodam vrbis huius Monaſterio, in quo meæ conditionis & ætatis puellæ, etſi non eiuſdem in moribus deprauationis educabantur, conſtituerunt: ita porrò id tectè ac diſſimulanter factum eſt, vt nemo eius rei, præter me, & quemdam de conſanguineis meis fuerit conſcius, nam ne quem rei huius nouitas offenderet, commodam eius faciendi opportunitatem exſpectarunt. Hanc dedêre ſororis meæ nuptiæ: hac quippè iam nupta, indecens fuiſſet ſolam me, ſine matre, domi manere. Tam me extremo amore pater proſequebatur, & tanta mea erat diſſimulatio, vt tantum ipſe de me malum ſuſpicari non poſſet; itaque factum, vt eius gratia numquam exciderim. Quod verò paruo tempore huiuſmodi vanitatibus vacaui, hinc etſi aliquid de me ſpargeretur, incerto tamen omnia rumore ferebantur;

In Monaſterio educatur.

quod enim de honore nimiopere solicita essem, quo poteram modò procurabam, vt omnia secretissimè peragerentur, non cogitans interim, nihil illo fieri posse, qui intuetur omnia. Quantum ô Deus meus in mundo hinc damnum sequitur, quod isthoc parui fiat, sibique persuadeant homines aliquid absconditum manere posse, quod in te committitur! sanè ità mihi persuadeo fore, vt multa mala non committeremus, si intelligeremus ipsum rei cardinem non tam in eo versari, nè ab hominibus videamur, quam in non agendo, quod maiestatem tuam offendat. Primò Octiduo mihi monasterium graue fuit ac molestum, sed magis quòd dubitarem, quòd mea iam vanitas alijs innotuisset, quam quòd eo loci recluſa essem: iam enim me tædere vanitatis incœperat, ac, licet Deum peccando offenderem, nihilominus magno eius timore concutiebar, & quam citissimè ad confessionem accedebam. Initio inquieta fui, sed antè octo dies, atque etiam citius (vt quidem credo) maiorem quietem quam in ædibus paternis experta sum. Omnes quoque moniales consortio meo valdè reficiebantur: nam singularem illam à Domino acceperam gratiam, vt placerem, & grata essem omnibus, apud quos commorabar: vnde fiebat vt omnibus monialibus accepta essem. Et quamuis tum quidem à statu monastico valde abhorrerem, volupè tamen mihi erat, inter tam bonas, honestas, religiosas, & regulæ seruantes moniales, quales hæ ipsæ erant, commorari. Diabolus nihilominus à me tentando non cessabat, & simul externos excitabat, qui continuis suis cópellationibus ac nuntijs quietē meam interpellarent: sed quod nulla ad hæc esset commoditas, remora hæc diuturna non fuit; vnde mox anima bona primæ ætatis meæ exercitia, hactenus intermissa postliminio repetere cœpit; actum demum vidi, quantum Deus boni præstet ei, quem inter bonos commorari, & cum bonis conuersari facit. Omnem iam tum viam & modum eius maiestas excogitare & exquirere videbatur, qua me ad se pertraheret. Benedictus sis, Domine, qui ità me patienter sustinuisti, Amen. Vnum erat quod me aliquo modo excusare posse videbatur, nisi tot alios defectus & culpas habuissem, scilicet conuersationem hanc & commercium fuisse cum eo, cum quo per viam matrimonij honestari & bonum habere exitum posset: cumque & Confessarios & alios super hoc consuluissem, in multis id genus rebus me Deum dicebant non offendere. Quædam verò de monialibus inter nos puellas sæculares dormiebat, cuius operâ & adminiculo aliquod mihi Deus lumen (vt videtur) dare, vti mox dicam, incipere voluit.

Boni commercij bona

CAPVT

Caput III.

Declarat quomodo bonorum conversationem pia in se desideria denuò redierint, & qua illam Dominus via ad cognitionem erroris, in quo hactenus egisset, perduxerit.

VT ergo bonam & sanctam monialis huius conuersationem & familiaritatem gustare cœpi, voluptati mihi fuit illam benè & ardenter de rebus diuinis loquentem audire, erat enim apprimè discreta & sancta. Vnde nunquam (vt quidem mihi videtur) graue fuit, sed semper suaue illam loquentem audire. Initio narrare mihi cœpit, quomodo solâ lectione illorum verborum Euangelij: *multi sunt vocati, pauci verò electi*, conuersa, monasticam vitam assumpsisset, addebat & de præmio, quod præparauit Deus ijs, qui propter ipsum omnia relinquunt. Bona hæc familiaritas, quos mala mihi instillarat mores, paulatim cœpit eliminare, & rerum æternarum desideria denuò menti imprimere, magnamque illam meam à vita monastica alienationem, quæ sanè in me summa fuit, nonnihil imminuere. Si quam verò Religiosam inter orandum videbam lacrymantem, aut alias quaspiam virtutes habere, non parùm has ei inuidebam: hac enim in re tanta cordis mei erat duities, vt, etsi vniuersum Passionis Dominicæ textum perlegissem, ne vel lacrymulam emisissem. Quod profectò mirè me cruciabat. Sesquianni spatio isthoc in Monasterio vixi, non sine magna prauarum consuetudinum mearum emendatione. Incœpi deinde multas orationes vocales decurrere, & nullam non domesticam rogare, vt Deo per preces me commendarent, vt ad eum me statum vocare dignaretur, in quo illi inseruire possem, attamen monasticum nolebam, adeò vt vellem Deo placeret, eum mihi non inspirare; esto alia ex parte etiam metuerem matrimonio me applicare. Ad finem autem temporis, quo ibidem versata sum, magis iam ad monasticum statum assumendum propendebam, tametsi non in hoc monasterio; quod sancta quædam exercitia, quæ postea intellexi illic à monialibus vsurpari, mihi nimis grauia videbantur: & erant nonnullæ de iunioribus, quæ in hac me opinione etiam confirmabant: nam si eiusdem omnes sententiæ fuissent, non sanè mediocriter id mihi profuisset. Huc accedebat, quod alio quodam in monasterio sodalem chariſſimam habebam, & hoc in causa erat, quod si demùm Religiosa fieri vellem, non alio fierem in loco, quam in quo isthæc sodalis mea commorabatur. Magis scilicet sensualitatis meæ consolationem & vanitatis, quam animæ bonum spectabam. Bonæ illæ co-

gitationes monaſterium ingrediendi ſubinde quidem mihi occurrebant, ſed ſtatim abibant; nec à me ipſa impetrare poteram, planè vt animum ad hoc inducerem. Hoc ipſo tempore etſi ego à parte mea non negligerem illa, quæ mihi bona & ſalutaria erant, magis tamen Dominus ipſe contendit ad eum me ſtatum diſponere, qui mihi eſſet maximè ſalutaris.

In grauem tunc temporis incidi infirmitatem, vt me ad paternas ædes reduci oportuerit: confirmata verò valetudine, ad ſororem quæ in pago quodam habitabat, conducta ſum, quò eam inuiſerem, quod mirè me ipſa diligeret: etſi quidem ei auſcultaſſem moremque geſſiſſem, numquam inde rediiſſem. Coniugi quoque eius acceptiſſima eram; externis ſaltem magna mihi beneuolentiæ ſigna exhibebat. Quo etiam nomine peramplas DEO meo gratias debeo, quod quocumque loco fui, ſemper beneuolos ſum homines experta; ipſa tamen, pro ea ac ſum malè id ei rependi. In via, qua nos tranſire oportebat, commorabatur patruus noſter, vir prudens, & virtutum perſtudioſus, ac viduus, quem etiam Dominus ſibi paulatim diſponebat: nam iam ætate grandis, & maturus, relictis omnibus, quę poſſidebat, religioſum ſtatum ſuſcepit; in quo ita laudabiliter vitam terminauit, vt diuinâ eum viſione iam perfrui credam. Hic me ad dies aliquot apud ſe commorari voluit: tempus, quo à negotiis vacabat, librorum piorum patriâ linguâ conſcriptorum lectioni dabat: omnis autem eius ſermo vt plurimum de Deo, mundique huius vanitate erat, vt verò & mihi rerum diuinarum amorem inſtillaret, eos me libros, ſe præſente, legere iuſſit, & licet non multum erga eos afficerer, ſimulabam tamen, quo ei ſatisfacerem, nam alijs complacere, & alienæ voluntati morē gerere ſtudui ſemper quam maximè, etiamſi propterea mihi ipſi moleſtiam creaſſem ac tædium, adeò quidem, vt, quod in alijs virtutis nomen meruiſſet, in me reprehenſionem meruerit, & ingens vitium fuerit, quod in hoc ſæpè diſcretionis limites excederem. Quot, ô Deus bone, modis & vijs tua me maieſtas ad eum paulatim diſponebat ſtatum, in quo mea vti opera voluit, vt etiamſi nollem, me mihimetipſi vim facere cogeret, ſit ipſe in æternum benedictus, Amen.

Eſto verò ibidem nonniſi paucis egerim diebus, per eam tamen, quam verba Dei tam lecta, quam audita in corde meo exſeruêre vim, ſimul & per bonum commercium, eam intelligere cæpi veritatem, quam olim in prima pueritia intellexeram; nimirum quidquid in mundo eſt, nihil eſſe, & non niſi meram vanitatem, atq; ipſum in momento præterire; ſimulq; timere, ne, ſi vitâ exire me contingeret, ad infernū detruderer. Ac licet ne tum quidem à me impetrare ipſa poſſem, vt ſtatui monaſtico me applicarem: videns tamen ſtatum illum & meliorem eſſe, & ſecuriorem,

Statuit monaſterium ingredi.

rem, paulatim apud memetipſam conſtitui quamdam mihi vim ad eum capeſſendum inferre. Trimeſtri, & amplius hoc in conflictu hæſi, hac me ratione incitans & cohortans, nimirum vitæ monaſticæ labores & mala pœnis purgatorij maiora eſſe non poſſe, ac, cum delictis ipſa meis infernales pœnas promerita eſſem, non multum eſſe, ſi quod reſtabat vitæ, velut in purgatorio tranſigerem; poſtea me rectà cælos petiturâ, nam hoc vnum ſpectabam, ac deſiderabam: atque in hac ſtatus deligendi anxietate, timore ſeruili magis quam amore moueri videbar. Hoc voluenti mihi dæmon proponebat fore, vt, quod delicijs & vitæ molli aſſueuiſſem, Religionis onera & labores ferre non poſſem: cui è contra opponebam labores & dolores, quos Redemptor noſter Iesvs viuens paſſus eſt, & proinde non multum eſſe, me aliquos ipſius nomine & amore ſubire; atque ipſum mihi in ijs ferendis auxilio futurum: Cogitare quidem hoc debebam, ſed an hoc poſtremum cogitarim, non recte recordor: His ipſis diebus plurimas paſſa ſum tentationes, & grauiſſimis vexata febribus, ad quas longa animi accedebant deliquia: nam nunquam firmâ valetudine ſum vſa. Maximè verò me tum iuuit, quod erga librorum ſanctorum lectionem mirè affecta manſerim. Vnde lectis S. Hieronymi Epiſtolis ita commota ſum, vt tandem patri meo id ſignificare decreuerim; quod propè idem erat, quod ſacrum habitum ſuſcipere: nam ita generoſa eram, vt cum ſemel meam quo ad hoc voluntatem aperuiſſem, ob nullam prorſus rem, eam immutatura fuiſſe videar. Tanto porrò me pater amore proſequebatur, vt nullo id ab eo pacto impetrare potuerim: vti nec aliorum, quos pro me interceſſores ad illũ miſi, preces & compellatio: ſummum quod tum quidem ab eo obtineri potuit, fuit vt, cum ipſe iam vita functus eſſet, facerem quidquid cuperem. Verum hic mihimetipſi, meæque imbecillitati timere cœpi, ne ſcilicet retro reſpicerem; vnde mihi videbatur hoc mihi parum expedire, ideoque id alia ab eo via obtinere ſum conata, vt iam referam.

Quibus ſe argumentis contra dæmonem tutaretur.

Librorum ſanctorum lectione delectatur.

Caput IV.

Narrat quomodo domini ope sibiipsi in habitv sumendo vim fecerit; quamque multos eius maiestas ei morbos dare caperit.

Iis ipſis diebus, quibus ipſa mecum de iſthoc propoſito deliberabam, vni de fratribus meis, vt vitæ ſe religioſæ daret, mundi huius vanitate ei ob oculos poſitâ, perſuaſeram. Vnde ſimul ſtatuimus quadam die ſummo mane ad illud Monaſterium accedere, in quo illa amica, illa inquam, quam ego ſingulari quodam proſequebar affectu,

commorabatur. Nam ex hac vltima determinatione mea ita affecta erã, vt vbicumque magis me Deo putassem posse seruire, & quodcumque pater me voluisset ingredi, illud ingressa monasterium fuissem, quod iam magis ad animæ meæ bonum, & salutem, quam ad quietem internam attenderem, vnde hanc iam nehilum faciebam. Quantum quidem mihi videtur (& vere ita est) memini sanè me tùm, cum domo paternâ iam exirem, ita affectam fuisse, vt non putem maiorem me doloris sensum experturam, cum iam moriar quam tunc in me sensi: singula quippe corporis ossa à sua mihi diuelli sede, ac compagine videbantur. Nam quia nullus Dei amor in me erat, qui me amorem erga patrem & consanguineos faceret obliuisci, hinc talem in me aduersus memetipsam repugnantiam sensi, vt nisi me Dominus adiuuisset, omnes meæ considerationes, & rationes satis potentes non fuissent, ad hoc à me impetrandum. Sed ipse mihi talem animum contra memetipsam dedit, vt quod proposueram, opere tandem exequerer. Vt autem habitum sacrum assumpsi, statim, Deo me illuminante, intellexi, quomodo ipse adsit, & opem ferat ijs, qui, quo ipsi seruiant, sibimet vim inferunt. Sed hanc vim nemo in me notauit, sed omnes propensissimam quamdam ad hoc voluntatem. In ipso habitus assumpti momento, summum mihi ex assumpto hoc statu gaudium exortum est, quod exinde vsque in præsens numquam à me recessit, & qua anima mea laborabat ariditatem, in summam affectus teneritudinem commutauit, adeo, vt quidquid ad Religionem spectaret, iucundum mihi esset ac delectabile. Interdum, fateor, ijs ipsis horis, quas olim corporis recreationi & ornatui solebam impendere, domum euerrebam; quibus dum animum reuocarem; esse me iam ab illis liberam, nouum quoddam in mente mihi gaudium suboriebatur, vt & ipsa mirarer, & vndenam id oriretur prorsus haud intelligerem. Quod dum menti meæ recurrit, nihil est, tametsi grauissimum & durissimum, quod si mihi proponatur, non dubitem aggredi. Multorum namque vsu, & experientiâ iam noui, si initio meipsa in firmiter statuendo aliquid exequi iuuem (nam vbi aliquid ex puro Dei intuitu fit, vult animam hoc metu initio perterreri, donec ipsum aggrediatur, vt sic maius nostrum sit meritum, & quo hic metus maior est, eo etiam, si nihilominus rem aggrediatur, maiori præmio donatur, & postea maiorem inde suauitatem ac voluptatem sentit) maiestatem eius etiam in hac vita id mihi certis quibusdam modis remunerari, quos ille solus intelligit, qui id reipsa iam experitur. Hoc vti dixi plurimis in rebus magni momenti experientiâ cognoui; vnde si essem, quæ aliis dare consilium deberem, numquam consulerem, vt cum bona aliqua inspiratio sæpius alicui occurrit, eam ob metum initio incidentem executioni mandare negligeret: nam si

Quam pœnam senserit, dum religiosum statum assumpsit.

Adest Dominus ijs qui sibi vim inferunt.

Animæ anxietas in bono aggrediendo.

Ob metum non sunt Dei inspirationes negligenda.

pure

purè simpliciterque solo Dei nomine suscipiatur, non est quod timeat, nè non fœliciter sibi succedat, quia Deus ad omnia potens est: sit ipse in æternum benedictus, Amen.

Quæ quidem hactenùs mihi, ô summum bonum, & vnica requies mea, bona & gratias contulisti, quod me scilicet singulari tua pietate & magnitudine, è tot deuiis anfractibus ad statum ità securum, & ad locum, in quo plurimæ Dei famulæ commorabantur, perduxeris, à quibus virtutum exempla mutuari possem, quibus excitata, indies in tuo famulatu magis, & magis proficerem: illa, inquam, sufficere debuissent. Verùm, quomodo hinc vlterius progrediar, nescio, dum nimirum professionis meæ formulam, & quantâ resolutione & consolatione eam fecerim, nec non sponsalia, quæ tecum tunc iniui, in mentem reuoco. Quæ omnia sine lachrymis exponere nequeo, quæ & sanguineæ esse deberent, & ipsum mihi cor præ dolore disrumpi, qui quidem doloris sensus etiam nimis, quam exiguus, esset, si intuear quoties, & quam grauiter exindè, Diuinam tuam Maiestatem peccando offenderim. Et sanè, (vt quidem nunc mihi videtur) non sine magna ratione, tantam mihi habere dignitatem nolebam, quòd illâ essem abusura; sed tu, Domine, viginti circiter annis, quibus hac tua gratia malè vsa sum, iniuriam pati voluisti, vt hoc ego pacto ad emendationem peruenirem. Ità planè, Domine, me hic gessi, (vt quidem apparet) ac si promisissem nihil eorum, quæ tibi vouendo promiseram, seruare; quamuis tunc quidem talis mea intentio non fuerit: sed video opera mea postea huiusmodi fuisse, prorsus vt nesciam, qualem tum intentionem habuerim; vt scilicet magis pateat, quis tu, sponse mi sis & qualis ego. Et sane magnorum vitiorum meorum sensum ea sæpenumerò consolatio in me minuit ac temperat, quæ mihi prouenit ex eo, quòd misericordiarum tuarum multitudo hoc pacto innotescat. In quo verò illa sic elucescat, vt in me, vtpotè, quæ singulares, quas mihi facere incœpisti gratias, operibus meis malis sic obscuraui? Væ ergo mihi, Domine Creator: nam etsi aliquid ad me excusandam excogitare vellem, planè non possum, nec vlli imputare culpam possum, præterquam mihi, si enim pro amore, quem mihi exhibere cœpisti, amorem aliquem tibi rependissem, nemini melius, quam tibi eum applicare potuissem, & hoc si fecissem, salua essent omnia. Sed, quia id non promerui, nec tanta mea fœlicitas fuit, hinc tua mihi misericordia iam auxilio sit oportet.

Mutatio vitæ, ac ciborum valetudini meæ directè contraria fuit: nam esto summâ consolatione perfunderer, & contenta essem, indè tamen melius non habui: Deliquia quippe & animi defectus quotidiè *Morbi S. Matris in religione.*

tidiè magis, & magis increſcebant, tantuſque accedebat cordis languor, vt quotquot me viderent, obſtupeſcerent: quem mox alij morbi ſequebantur; vt primum tyrocinij parum firmâ valetudine peregerim: quamquam toto illo tempore, Deum non multum, (vt mihi videtur) offenderim. Et quoniam malum adeò graue erat, vt me ſemper ferè ſenſu priuaret, immò ſubindè eùm etiam omnem mihi penitùs eriperet; hinc parens meus omnimodis allaborabat, vt valetudini poſſem reſtitui; & quia ab huius loci medicis nullam opem ſentiebam, ad alium me locum, in quo varijs morbis affectos perſanari multos conſtans fama erat, me conduci iuſſit, quod & me illic ſanitati reſtituendam omnes cenſerent. Amica illa mea, quam in hac domo me habuiſſe antè dixi, & quæ de veternarum erat numero, mecum profecta eſt: nam iſthoc in monaſterio clauſtri voto Moniales ſe non obligabant. Annum propè integrum illo in loco egi; porro tribus eius menſibus tantos paſſa ſum medicorum mederi volentium ex præſcripto cruciatus, vt quomodò eos ferre potuerim, ipſa neſciã. Denique tametſi eos animo paterer, corpus tamen meum iis ferendis impar erat. Æſtate ineunte primùm in medicorum manus tradenda eram; attamen incipiente hyeme eò me contuli; toto autem tempore intermedio in ſororis meæ, quam in pago commorari dixi, domo hæſi menſem Aprilem expectans, qui & inſtabat, & nè toties vltrò citròque commearem. Mihi iam è monaſterio digreſſæ patruus (quem antè dixi in via habitaſſe) librum dedit, cui Abecedarium Tertium nomen eſt, quique orationes recollectiuę, & mentalis methodum tradit. Et licet primo illo tirocinij mei anno varios pios ſanctoſque libros legiſſem (neque enim alios quam pios legere volebam, vtpotè damnorum, quæ ab aliis illis paſſa eram, probè gnara) neſciebam tamen, quomodo me in oratione gerere ac mentem recolligere deberem; hic proindè liber gratiſſimus tum mihi fuit, ipſiuſque viam ac methodum omni animi contentione ſequi ſtatui; &, quia lachrymarum donum iam tùm à Domino acceperam, atque ipſa lectione multùm recreabar; hinc ſolitudinem ſubindè ad tempus colere, frequentius confeſſionem inſtituere, hanc ipſam viam ingredi incipiebam, hocce libro loco magiſtri & directoris vtens; quod nullum magiſtrum, Confeſſarium, in quam, inuenirem, qui me intelligeret, tametſi viginti ipſis annis, poſtquam hoc, quod hic dico contigit, talem quæſierim. Quod haud dubiè mihi non parùm nocuit, & huius defectu, non ſolùm ſæpè retroceſſi, verum etiam in prę ſentiſſimo periculo fui, nè penitus peſſum irem. Si enim directorem habuiſſem, hic ſaltem me fugere docuiſſet occaſiones, quas ad Deum offendendum habebam. Diuina illius Maieſtas, tam magnas mihi ſub his initijs dare gratias cæpit, vt ad finem illius temporis, quo hic egi in ſolitudine, quod nouem penè menſium fuit (etſi

Libros Sanctos tantum legere vult.

non

non tam libera ab offendendo Deo, quam liberipſe docebat. Sed hoc parum morabar: videbatur enim mihi propè impoſſibile tam exactam in eo curam gerere, eam quidem adhibebam, ne quod lethale ſcelus committerem, atque ô vtinam ea mihi perpetua fuiſſet! venialia portò parui faciebam; atque hoc erat, quod me deſtruebat. Hoc, inquam, in itinere ita me Dominus præuenire & fauere cœpit, vt mihi donum orationis quietis dederit; ità quidem, vt etiam aliquando ad vnionis modum peruenirem, eſto non intelligerem, quid aut hoc, aut illa eſſet, quantique huiuſmodi donum faciendum eſſet. Et ſanè, ſi ipſum intellexiſſem, non dubito, quin magno id mihi emolumento fuiſſet. Hæc quidem vnio, vt verum fatear, tam breui temporis ſpatio durabat, vt neſciam, an ſalutatio Angelica eo recitari potuiſſet: verum tam eximij poſt eam remanebant effectus, vt, cum tunc vigeſimum ætatis annum nondum expleſſem, mundum mihi vniuerſum pedibus premere viderer. Adeò, vt (ſi rectè recordor) ſortem illorum miſererer, qui ipſum, etiam in rebus licitis ſequerentur. Procurabam, quantum quidem poteram, Iesvm Christvm Dominum, & omne bonum noſtrum, intus in animo meo præſentem quouis loco circumferre. Atque hæc orationis meæ erat ratio. Si quod vitæ eius myſterium meditatione recolerem, ipſum intus in animo velut præſens fingebam; quamquam piorum lectione librorum plus temporis impenderem: nam hæc omnis mea recreatio erat & delectatio, quod mihi per intellectum diſcurrendi, & imaginatione vtendi talentum Deus non dediſſet: nam ità eam craſſam & obſcuratam habeo, vt ne quidem ipſam Saluatoris Christi humanitatem perfectè recogitare, aut repræſentare mihi, licet maximè conarer, vmquam potuerim. Et licet per hoc, quod per intellectum diſcurrere nequit, quis citius (modo perſeueret) ad contemplationem peruentat, eſt id tamen valdè difficile ac laborioſum; nam ſi voluntas non habeat, quo ſe occupet, & amor nullum rei præſentis obiectum, in quo ſeſe detineat, tunc anima velut ſine materia circa quam & omni exercitio manet; & hæc ſolitudo & ariditas valdè eam lancinat, & cogitationes vanè incidentes mirè eam exagitant. Ijs ergo, qui huiuſmodi ſunt, magis conuenit pura mundaque conſcientia, quam ijs, qui per intellectum diſcurrere queunt: qui enim intellectu diſcurrit & recogitat, quid ſit mundus, quantum, & quid Deo debeat, quam multum Dominus pro ipſo, tulerit, quam verò parum ipſe ei ſeruiat, quantum denique diligentibus ſe retribuat, eam inde doctrinam elicit, quâ ſe contra cogitationes ingruentes, peccandiue occaſiones, & pericula tueatur. At, qui hoc adminiculo ſe iuuare non poteſt, in maiori verſatur periculo, lectioneque ſe multum occupet oportet, cum ſeipſo aliquam rationem doctrinamue non poſſit elicere.

Ab omnib. etiam venialibus peccatis abſtinere oportet.

Illius orandi modus.

elicere. Hæc procedendi ratio ita difficilis & laboriosa est, vt, si director eum quem instruit sine lecturæ (quæ nō parū iuuat, vt qui hoc modo procedit, se recolligat: eique necessaria est, quamtumuis vel parum legat, idque non nisi loco orationis mentalis, quam exercere non valet) subsidio diu cogat orationi incumbere, planè impossibile sit, vt diu sic in ea maneat, & sanitatem, si in ea mordicus pergere velit, non parum offendat: quod res sit apprimè laboriosa & perdifficilis.

Illius in oratione perseuerantia.

Iam demum agnosco, diuinâ ordinatione & dispositione factum esse, vt neminem qui me instrueret, inuenirem: nam (vt mihi quidem videtur) impossibile penitus fuisset octodecim ipsos annos, quibus hoc in angore & illis magnis ariditatibus vixi, perdurare, quod si cuti iam dixi, planè non possem intellectu discurrere. Porrò toto illo tempore (nisi fortè post communionem) orationi me dare non audebam, si librum ad manum non haberem; ita namque horrebat anima se sine aliquo libro ad orandum applicare, ac si contra magnam hominum turbam eam pugnare oportuisset. Hoc me ipsa remedio, quod mihi ad instar socij erat, & quo ceu clypeo omnes variarum cogitationum ictus excipere debebam, solabar: eo quod ariditas solennis & ordinaria mihi non esset, & non aliter accideret, nisi dum carebam libro: tunc namque anima distracta statim diuagabatur, & cogitationes, velut excusso fræno quocumque liberè se diffundebant, sed hocce libri subsidio eas paulatim recolligebā, & animā meam velut ei abblandiendo, ad stationem reducebam. Sæpe quidem satis mihi erat, vel librum aperuisse: & modo parum, modo multum, pro gratiæ quam à Domino accipiebam inopiâ vel copiâ, legebam. Atque hoc in principio, de quo loquor, nullo mihi videbar, dūmodo libros habere, & sola esse possem, periculo aut discrimine, à tanto posse bono auelli: & reuerâ diuina succurrente gratia, ita futurum fuisse credo, si modo directorem, aut alium quemlibet habuissem, qui me, vt peccati occasiones initio fugerem, monuisset, & si fortè me in eas induissem, quanto cyus eripuisset. Et sanè ita tum quidem mihi animata fuisse videor, vt, si me diabolus apertè tunc aggressus fuisset, nullo ad grauiter peccandum pacto induci potuissem. Sed adeò ipse versutus, & ego incauta fui, vt omnia proposita meavalde parum mihi profuerint, nisi forte à toto illo tempore, quo Deo seruiui, graues illos, quibuscum tunc conflictabar, morbos ferendos, & quidem magnâ illâ patientiâ, quam diuina eius maiestas mihi dabat. Sæpè mecum mirata sum summam DEI bonitatem recogitans; & anima mea exultauit, magnificentiam & misericordiam eius considerans. Sit ipse pro omnibus illis benedictus, quod ad oculum viderim, eum ne vel vnum bonum desiderium, quod habui, etiam in hac vita, irremuneratum abire permisisse: & quantumuis tenuia & imperfecta

Bonorum librorum vtilitas.

Occasiones peccandi fugere quantopere sit necessarium.

imperfecta opera mea essent, ea tamen Dominus meliorabat, perficiebat, ijsque pretium & valorem addebat: mala autem, & peccata statim celabat, quin & oculos eorum, qui ea viderunt, maiestas eius quodammodo excęcari permittit, ipsaque etiam de memoria ipsorum delet. Peccata velut inaurat, & è cõtrà efficit, vt virtus, quam etiam ipsemet mihi tribuit, &, vt eã admittam, me velut compellit, mox reluceat & omnium oculos incurrat. Vt porro redeam ad id, quod mihi à superioribus iniũctum est, sanè si singillatim referre deberem, quo se Dominus modo mecũ sub hæc principia gesserit, alio, eoq; sublimiori quã meo opus esset ingenio, quo quidnam illi hac in parte debeam, nec non insignem meam ingratitudinem, & nequitiam possem describere; omnium quippè iam sum oblita: sit ipse in æternum benedictus, qui tam diu patienter me sustinuit. Amen.

Caput V.

GRAVES, QVOS HABVIT PROSEQVITVR MORBOS, NEC non patientiam, quam in ijs sibi Dominus dedit: & quomodò è malis eliciat bonum, prout videre erit in re quadam, quæ illo loco ad quem sanitatis recuperandæ causa abierat, ei contigit.

Pene me effugerat dicere, quod in ipso Nouitiatus anno magnas passa sim inquietudines & molestias, & quidem in rebus, quæ ex se parui momenti erant, sed in quibus sæpè, tametsi innocens, reprehendebar: ferebam id quidem, etsi (quæ mea imperfectio erat) permolestè; tamen magna illa, quòd Religiosa iam essem, consolatio omnia me æquanimiter tolerare faciebat: quod enim sodales meæ solitudinem me sectari, & præteritas culpas subindè deplorare viderẽt, statu me meo non esse contentam existimabant, quod etiam palàm dicere non verebantur. Omnia quæ Religionis erant, mirificè mihi placebant, ea tamen, quæ contemptum mei videbantur includere, minimè ferre poteram. Gaudebam quippe ab omnibus magni fieri; & in omni eo quod faciebam curiosa & exacta eram. Hoc ipsum porrò mihi quædam esse videbatur virtus, quamquam hoc me à culpa non eximet, quòd, quæ ad recreationem & commoditatem meam spectabant, optimè sectari scirem. Ac proindè ipsa me ignorantia hic à culpa nõ excusat. Aliqualem quidem excusationem meretur, quod hoc monasteriũ, non esset super magnam perfectionem fundatum: at ipsa (quæ mea improbitas) sequebar quod videbam bonum non esse, & quod bonum erat, non sequebar. Quædam tunc temporis Monialis graui ex morbo decumbebat, eratque seruientibus permolesta: quædam namque in vẽtre habebat foramina, quæ nimia oppilatio alui causauerat,

per quæ quidquid manducabat, egerebat. Vnde etiam non multo poſt deceſſit. Videbam quidem omnes, quæ domi erant iſtuc morbi genus exhorreſcere: ego verò illius inuidens patientiæ, Dominum rogabam, vt cum eadem patientia, eos mihi daret morbos quos placeret. Nullum verò (vt mihi videtur) tunc morbi genus metuebam: eo namque bonorum æternorum acquirendorum tenebar deſiderio, vt quocumque demum pretio & medio ea comparare mecum ſtatuerem. Quod ipſum nunc ſummopere miror, quod nondum eo Dei amore tacta eſſem, quo poſtea, cum iam orationem frequentare cæpi, mihi videbar tacta fuiſſe: etenim aliud non habebam, quam lucem quãdam, & cognitionem, qua, quidquid trãſit, & finem habet, parui faciendum videbam; & contra bona, quæ per hoc comparari poſſunt, permagni ducenda, cum æterna ſint. Illius maieſtas hocce meum votum audiuit, nam antequam duo effluxiſſent anni, ita morbida effecta ſum, vt, licet malum, quod triennio ipſo pertuli, vti iam referam, tale non fuerit, quale illius monialis; non minus tamen moleſtũ mihi, ac graue fuiſſe credam. Cum iam tempus, quod apud ſororem meã in loco quo dixi hærens, exſpectarem, veniſſet, vt medico traderer; magna me & pater, & ſoror, & amica illa monialis, quæ mecum venerat, quæque magno me amore proſequebatur ſolicitudine, vti bene in via haberet & nihil mihi deeſſet, conduxerunt. Hic animæ meæ quietem interturbare diabolus cæpit, etſi multum inde boni Deus elicuerit. Erat in loco, quem curandi gratia adieram, ſacerdos quidam non contemnendis natalibus, & ingenio doctus quoque, ſed nonniſi mediocriter. Hunc ergo mihi in confeſſarium delegi, quod litteratorum ſemper amans fui, eſto multum animæ meæ damni attulerint confeſſores, qui non niſi mediocriter docti erant: non enim poteram tam doctos ſemper reperire, ac quidem voluiſſem. Iam vſu ipſo didici, ſatius eſſe, eos, modo boni, beneque morati ſint, nullas habere litteras, quam non niſi modicas: nam indocti, cum ſibi non fidant, neceſſe habent alios doctiores conſulere; neque etiam ego ijs fiderem. Vir benè doctus numquam me decepit, neque etiam indocti illi me volebant decipere, ſed quid plura non ſciebant. Ego verò putabam multum illos ſcire, meque non vlterius quam ad illis credendum obligari, cũ quod mihi dicebant, ad laxitatem & maiorem libertatem tenderet. Si etiam nimis reſtrictè & ſcrupuloſe mecum egiſſent, tanta quidem mea nequitia eſt, vt alios haud dubiè confeſſarios quæſiſſem. Quod veniale peccatum erat, nullum aiebant eſſe, quod grauiſſimum mortale, non niſi veniale eſſe. Hoc porrò ita mihi nocuit, vt merito id ad aliorum cautelam hic referre poſſim, quo tantum malum, & damnum non incurrant: Video enim me propterea apud Deum excuſandam non eſſe; quia ſatis erat res illas naturâ ſuâ nõ eſſe bonas, vt ab iis abſtinerẽ. Credo Deũ propter peccata mea

Quidquid pertranſit nihil eſt reſpectu æternorum.

Confeſſor ille melior eſt, qui prorſus indoctus eſt modo pius ſit quam qui medio criter doctus.

Periculum à confeſſarijs indoctis.

ta mea permisisse, vt & hi seipsos ac me deciperent, & ego alias deciperem, illis referendo ea quæ ab ijs acceperam, septemdecim & amplius annis (vt puto in illa cæcitate mansi, donec quidam vir apprimè doctus, ex ordine Sancti Dominici, me quoad aliqua melius edocuit, & Patres Societatis Iesv, quoad omnia, magnum mihi timorem incusserunt, tam mala principia (vti posteà dicam) in me exaggerantes. Vbi ergò huic, quem dico, confiteri cæpi, is mirificè erga me affici incœpit; eo quod tunc non tam multum habebam quod confiterer, atque habui posteà, vti nec habueram ab eo tempore, quo religiosa fueram. Huius affectus non erat malus, sed quia nimius erat, hinc in non bonum degenerauit. Is de me persuasum sibi habebat, me nullo omninò pretio quid agere velle, quo Deum grauiter offenderem; idem quoque de se ipse affirmabat: hinc magnum inter nos esse cœpit commercium: sed ego ità quidem tunc constituta eram in mea conuersatione, vt accedente illa Dei, quam habebam familiaritate, nihil mihi esset iucundius, quam de rebus diuinis loqui: qui quòd ità iuuenem me esse cerneret, hinc non mediocriter confundebatur; adeò vt è nimio illo suo erga me affectu, & propensione suam mihi indicare perditionem cœperit, quæ sanè parua non erat: nam septem penè annis in periculosissimo statu, ob infame & inhonestum cum quadam loci huius muliere commercium, hæserat, & in eo statu cum esset, interea tamen celebrare non verebatur. Res erat ita passim nota & celebris, vt & honorem, & famam omnem amisisset, nemo tamen eum huius rei commonere audebat. Me vero magna eius cepit miseratio, quia eum maximè diligebam. Hoc quippè ego, non paruam leuitatem & cæcitatem redolens habebam, quod virtutem quamdam esse censerem, gratum esse, & necessario amare me debere eum, qui me amore prosequebatur. At maledicta sit illa obligatio, quæ ad vsque repugnantiam eius, quod Deo debemus se extendit. Est hoc dementia quædam, cuius in mundo vsus est, quæ etiam me dementat. Deo quippè debemus omne bonum, quod nobis ab hominibus fit, virtutem tamen esse putamus, hanc humanæ amicitiæ legem non violare, tametsi directè Deo aduersetur. O intolerabilem mundi cæcitatem! Vtinam, Domine, toti mundo ingratissima essem, tibi verò ne vel minimum! sed propter peccata mea, plane contrarium factum est. Exactius ergo, è domesticis, illius de facti veritate cœpi inquirere, è quibus illius perditionem intellexi, & non tam ipsum in culpa esse ac putabatur: nam scelesta hæc muliercula imagunculæ cuidam æreæ, quam illum rogauerat, vt de collo in sui gratiam gestaret, veneficium incluserat: nemo autem hanc ei tollere hactenus potuerat. Equidem quod de eiusmodi incantatione dicitur, non planè mihi per omnia verum esse

Nimia familiaritatis damna.

Mala lex amoris, quo diligimus eos, qui nos diligunt cũ hic amor Dei amori repugnat.

Veneficium.

perſuadeo; dicam tamen, quæ vidi; vt ſibi viri ab illarum fœminarum, quæ id genus commercia habere volunt, vſu caueant, ſibi perſuadeant velim, quòd, cum fœminæ (quæ magis ſemper ad honeſtatem ſeruandam obligantur, quam viri) omnem DEI pudorem amiſerint, nequaquam, & nulla in re illis poſſint fidere: nam vt ſuam cupiditatem & libidinem, quam Cacodæmon illis ſuggerit, ad effectum cogant, & expleant, nihil penſi habent. Eſto verò ego ſceleſta fuerim, & improba, numquam tamen ſimili in genere deliqui, nec vmquam ad malè faciendum aliquem induxi; nec, ſiquidem potuiſſem, voluntatem alicuius violenter, vt me amore proſequeretur, cogere voluiſſem: nam ſuâ me gratiâ Deus ab hac re præſeruauit; ſed ſi me deſeruiſſet, non minus in hoc prolapſa fuiſſem, quam in reliquis deliqui: nam non eſt, quod de me quis fidat. Vt ergo hoc de ipſo intellexi, maiorem ei amorem cœpi oſtendere; intentio quidem mea bona erat, ſed non res ipſa: vt enim bonum aliquod, quantumuis maximũ facerem, ne vel minimũ facere malum me oportebat. Vt plurimum cum illo de DEO loquebar, & hoc quidem aliquo modo eum iuuare debebat, tametſi nihil eum magis iuuiſſe credam, quàm quòd erga me afficeretur: nam vt mihi gratificaretur, icunculam illam mihi tradidit, quam acceptam ſtatim in profluentem abiici iuſſi. Hâc ablatâ, quaſi, qui è profundo ſomno excitatur, cœpit exactè ſingulorũ, quæ annis illis continuè cõmiſerat, recordari; vndè ſe ipſe obſtupeſcens, ſuáque perniciem dolenter deplorans, mulierculam illam paulatim repudiare cœpit: Deiparam Virginem hac in re illi ſubſidio fuiſſe, ſatis liquet: nã immaculatæ illius conceptioni ſingulari quadam ratione afficiebatur, &, cùm feſtum illius quotannis recurreret, inſigni id ſolemnitate recolebat. Tandẽ mulierem illã ne videre quidẽ ſuſtinuit, & aſpectu eius penitùs abſtinuit, Deoque, quod mentẽ illuminare dignatus eſſet, gratiis agendis ſatiari non poterat. Qui deindè euoluto anno præcisè eo ipſo die, quo eum primũ vidi, ex hac vita deceſſit. Deo iã multũ & ſedulò ſeruierat: nã inſignis ille affectus, quo erga me ferebatur, numquam mihi viſus eſt fuiſſe malus, eſto is aliquantò eſſe purior potuerit. Huc accedit, quod etiã prægnantiſſimas peccandi occaſiones habuerimus, quæ, niſi Deũ maximè præ oculis habuiſſemus, ad grauiter contra eum peccandũ, nos perduxiſſent, ſed ità quidẽ tunc animata erã, vt numquam aliquid (vti iam dixi) feciſſem, quod peccatũ mortale eſſe ſciſſem. Et crediderim illũ, quod hanc in me cautelã obſeruaret, magis indè ad me amandã permotũ fuiſſe: credo nãque viros omnes magis affectu in eas fœminas ferri, quas in virtutẽ propendere vident; & etiã ad obtinendũ id, quod in hoc mundo prætendunt, plus illas apud hos, per hanc virtutũ viam, quã vitiorum proficere, vti poſtea oſtendã. Adeò vt certiſſimè credam, illũ in via ſalutis eſſe. Valdè

S. Matris humilitas.

Chriſtia-

Christianè mortuus est, & ab illa peccandi occasione penitus liberatus, & vt hac ratione ad salutem peruenirem, Dominus videtur voluisse.

Trimestri illo in loco fui, grauissimos sustinens cruciatus: nam acriora & duriora mihi medicamenta adhibebantur, quàm mea ferret cõplexio; adeò, vt secundo mense medicamentorũ acrimoniâ ac vi penè ad extremum vitæ redacta essem, & cordis deliquium, ad quod tollendũ illùc missa eram, esset factum intensius, adeò vt id mihi subindè dentibus acutissimis commorderi videretur, vt potissimùm vererẽtur omnes, ne morbus in furorem degeneraret. Ob ingentem virium defectum & debilitatẽ (nihil quippè in stomachũ, præter liquida & sorbilia dimittere poteram, quod omnia sumpta euomerẽ, tũ quòd febris cõtinua ac quotidianæ purgationes, quia mẽse propè integro singulis diebus posim me sumere medici iusserant, corpus planè exhauserant) ita introrsùm & arefacta erã, vt iã mihi nerui cõtrahi inciperent, tanto quidẽ cũ dolore & cruciatu, vt nullã tã de die, quã de nocte, quietẽ inuenire possem: ad quod etiã profundissima quędã animi accedebat tristitia. Pater ità me constitutã reduxit in locũ vndè venerã; vbi, cum medici me denuò inuiserent, de mea valetudine desperabant; quinimò me præter eos, quos habebã, morbos, etiã hectico malo laborare asserebãt. Parũ, aut nihil istuc illorũ iudiciũ curabã: sed ipsi me dolores vexabt: nã à capite ad pedes vsq; , vbiq; æquè graues & intẽsi erant. Et sanè, vt ipsimet medici affirmabant, dolores neruorũ sunt intollerabiles, idq; eò magis, quod omnes omnino contraherẽtur: quod certè, nisi culpis id ipsa meis promerita essem, grauissimũ tormentũ erat. Non in i trimestri meo iudicio in extremo hoc cruciatu fui: nã impossibile videbatur, tot mala & tormenta iunctim me posse ferre. Nũc miror, & velut singulare Dei beneficiũ agnosco, patientiã illã, quam illius maiestas mihi elargita est: nã liquidè patebat, illã non nisi ab illo dari. Ad eã habendam non parũ me iuuit, vitã, & historiã Iob in S. Gregorij moralibus descriptã legisse, vt tũ per hanc lectionẽ, tũ per orationis studiũ, cui iã dare me cęperã, præueniisse me Dominus videatur, ad tanta cũ voluntatis conformitate cruciatus hosce ferẽdos. Omnia colloquia mea erant cũ illo, & penè semper hæc verba Iob: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* aut mente reuoluebã, aut in ore habebã: hoc enim mihi & animos videbatur addere, & robur. Inter hæc occurrit Festũ Assumptionis B. Virginis (nã eatenùs iã indè à mense Aprili, cruciatus ille durarat, quãquam tribus vltimis mensibus intensior fuit) quo festinaui peccatorum meorum confessionem instituere; siquidem semper frequentioris Confessionis amantissima fui. Putabant id me præ mortis metu facere, atq; ideò parens, nè quam mihi hæc cogitatio aut apprehensio molestiam crearet, confessionem me instituere non permisit. O superfluum ac nimium carnis & sangui-

Eius patientia.

Iob 2.

Noxium est infirmi, edire, ne ægri confessiuntur.

& ſanguinis amorem! nam tametſi is patris tam Catholici, viriq́ue adeò prudentis, vti ipſe erat, eſſet, ita vt ex ignorantia id feciſſe dici nequeat, permultum tamen ipſe mihi nocere potuiſſet. Hac ipſa nocte, talis me paroxyſmus occupauit, vt penè quatriduo me ſenſus omnis expertē reddiderit: quo durante: Sacramento extremæ Vnctionis ſum cōmunita, & ad ſingulas horas, aut momenta me ſpiritum credebant emiſſurā, hinc fidei Chriſtianæ articuli identidem mihi prælegebantur, perindè, ac ſi quid intellexiſſem, quin etiā interdùm ità me emortuam eſſe credebant, vt deinde etiam reſiduæ ceræ guttas in oculis repererim. Torquebat patrem non parum, quod me tunc non permiſiſſet confiteri: hinc plurimas ad Deum pro me preces, & pios clamores effundebat; ille proindè ſit benedictus, qui eos exaudire eſt dignatus. Nam cum iam die & medio ſepulchrum in Monaſterio meo apertum fuiſſet, meum in horas cadauer monialibus expectantibus; quin imò in alio Ordinis noſtri Monaſterio, quod extrà hūc locum eſt, exequiæ à fratribus pro me tamquam demortuā, celebratæ eſſent, placuit Domino mihimet ipſi ac ſenſibus reſtituere. Vndè quamprimùm confiteri volui. Multis tunc cum lachrymis Sacram Cōmunionem adij, ſed, quantum mihi videbatur, non naſcebantur hæ ex eo ſenſu & dolore, quod Deum meum offendiſſem, qui ad ſalutē ſatis eſſet; niſi me excuſaſſet, quod bonā fide crediderim illis, qui me decipiebāt, dicētes, quædam non eſſe peccatum mortale, quæ tamen poſteà certiſſimè comperi mortalia eſſe: nam etſi dolores, qui mihi remanſerant, eſſent intollerabiles, & ſenſus nimis, quam exiguus, tamen confeſſio, meo quidem iudicio, perfecta erat & integra, de omnibus in quibus me Deum putabam offendiſſe: nam hanc mihi, inter alias plurimas, gratiam maieſtas eius contulit, quod, ex quo ſacratiſſimum Euchariſtiæ conuiuium frequentare cæpi, nihil vmquam, quod peccatum mihi eſſe videbatur, confiteri neglexerim, eſto id nonniſi veniale foret. Nihilominus ſi tunc me mori contigiſſet, nō vſque adeò (vt quidem ipſa arbitror) de ſalute mea ſecura, certaque fuiſſem, tùm quod confeſſarij mei parum litterati eſſent, tum quod ipſa adeò improba forem. Et ſanè cum hoc ipſa mecum perpendo, & quomodo me Dominus (vt quidem mihi videtur) velut à morte excitarit, tantus me ſtupor occupat, vt toto corpore contremiſcam. Par, & æquum, meo iudicio, fuiſſet, te, ô anima mea, cogitare, quanto è periculo te Dominus eripuiſſet, & eſto, ex amore eum non deſiuiſſes offendere, ex timore ſaltem id omiſiſſes, eò quòd aliis mille vicibus, cum peiore in ſtatu eras, occidere te potuiſſet, neque multum me credo de meo adiungere, ſi bis mille vices dixero, etſi, qui me in peccatis meis referendis moderationem adhibere iuſſit, me obiurgaret: & ſanè ſatis illa inſignita & illuſtrata ſunt. Quem ex Dei amore rogo, nihil vt de peccatis meis demat; quòd hac ratione ipſa Dei magnifi-

Paroxyſmū patitur.

Imperitia Confeſſariorum quantoperè noceat.

magnificentia magis eluceſcat, & quantum ipſe animam aliquam ſuppoſtet: ſit ipſe in æternum benedictus; eiuſque maieſtati, vt placeat enixè rogo, ante vt annihilar, quàm vmquam eum plus amare deſinam.

Caput VI.

NARRAT, QVANTVM DEO DEBVERIT, QVOD ILLI IN TANtis cruciatibus bonam cum illius voluntate conformitatem dederit; & quòd glorioſum Ioſephum in patronum & aduocatum delegerit, quamque hoc ſibi profuerit.

EX illo quatriduano paroxyſmo ita malè affecta manſi, vt incomparabiles dolores, quos in me tunc ſenſi, ſolus Deus noſſe poſſit. Lingua præ continuo morſu, hinc inde fracta erat: fauces, tum quòd tanto tempore, nihil ciborum, tranſmiſiſſent, tum è continua debilitate perindè erant, ac ſi ſuffocaret, vt ne aquam quidem tranſmittere poſſem. Omnes quoque oſſium compages loco motæ videbantur, vt taceam caput ita turbatum fuiſſe, vt emotę mentis viderer. Adhæc toto corpore inſtar glomeris, aut pilæ contracta eram: Quia in hoc dierum illorum dolor deſiuit, vt non magis brachium, aut pedem, aut manum, aut caput per me mouere poſſem; quàm ſi reuera mortua eſſem, niſi alijs mouẽtibus, vnum dumtaxat dextræ manus digitum mihi videbar mouere poſſe; vt etiam quis me contingeret, vix vlla apparebat ratio; ita quippè toto corpore affecta eram, nullius vt cõtactum ferre poſſem. Hinc me in quodam linteo, vno vnum, altero aliud latus tenẽte de loco in locum moueri oportebat. Durauit hoc ad vſque Dominicam palmarum. Hoc porrò vnum ſolatij habebam, quod ſi me nemo tangeret, dolores ſæpè mitigarentur, vtque vel modicum quietis, mihi darent, ſubindè me benè habere fingebam, quòd vererer, nè me patiẽtia deficeret. Hinc ſummoperè gaudebam, cùm dolores meos, nec tam intenſos, nec tam continuos eſſe cernerem, quamquam vehemẽti duplicis quartanæ febris, quam maximam & diuturnam habui, frigore accedente, eos etiam paterer intolerabiles, vti & magnam ſtomachi nauſeam: ſtatim ergo ita feſtinaui ad monaſterium meum redire, vt me, ita licet affectam, eò etiam deferri fecerim. Quam igitur mortuam exſpectarant, anima tenus dumtaxat moniales receperunt: corpus quippè habebam mortuo deterius, vt horrorem, & dolorem videntibus moueret. Cuius ſumma & extrema debilitas nullis exprimi verbis poteſt, vt ſolis conſtare viderer oſſibus. Hoc in ſtatu, plus octo, (vti iam dixi) hæſi menſibus; triennio verò propè toto, omni membrorum vſu carui, etſi is quotidiè magis & magis mihi reſtitueretur. Vt primùm ligneis fulcris niti cœpi, Deo gratias egi. Omnes porrò has infirmitates magnâ

Paroxyſmi ſuperioris effectus.

Refertur ad monaſterium.

cum DEI voluntate conformitate ſuſtinui, quin &, exceptis illis primis, ſummâ animi lætitiâ. Omnia quippè nonniſi ludus mihi eſſe videbantur, cum illis collata doloribus, quos initio tulerã. In omnibus diuinæ me voluntati per omnia conformabam, tametſi me etiam perpetuò hoc in cruciatu agere paſſus eſſet. Nulla alia de cauſa, vt mihi videtur, deſiderabã ſanitati reſtitui, quam vt in ſolitudine orationi, ſicut inſtructa eram, me darem: nam in valetudinario nulla ad hoc commoditas erat. Frequenter confeſſionem inſtituebam; ſæpè item de Deo ſermonem miſcebam, ità vt omnes domeſticas ædificarem, quæ & viciſſim patientiam, quam mihi Dominus dabat, obſtupeſcebant: niſi enim eam ipſe dediſſet, impoſſibilè illis videbatur, tantos cruciatus, tantâ animi hilaritate pati poſſe. Gratia quoque benè orandi, quam mihi dederat, permagni ad hoc momenti fuit: Hæc namque intelligere me faciebat, quid eſſet eum diligere. Exiguo namque illo poſt tempore vidi virtutes illas in me velut innouatas, eſto nondum ſatis validas: quia me in iuſtitiæ ſtatu firmam tenere non potuerunt. De nullo malè, ne minimùm quidem, loquebar, ſed vt plurimum omne detractionum & murmurationum genus impediebam: nam valdè mihi impreſſeram, nõ debere me velle, aut dicere de alio quopiam, quod de me alios dicere nollem. Hocergò malum imprimis cauebam, quod ſæpiùs detrahendi aliis occaſiones occurrerent; tametſi non tam plenè ac perfectè, quin ſubindè, dum mihi ſe prægnans offerebat occaſio, aliqua in re impingerem: ſed ordinariè non impingebam; hinc & ijs, quæ mihi ſeruiebant, ac mecum tractabant, idipſum ità perſuaſi, vt quandam iam non detrahendi conſuetudinem induerint, & eam ſeruarint. Vndè factum eſt, vt vulgò ſcirent omnes, vbicunque præſens ego eſſem, tutos ſe à detractoria lingua eſſe: idem quoque ſentirent de ijs, quæ ad me ſpectabant, vel ratione amicitiæ, vel ſanguinis, vel à me docebantur. Quamquam alia multa habeam, ob quæ me DEO reddere rationem oportebit, quòd in his malo illis exemplo fuerim. Illius maieſtas, vt mihi ignoſcat ſupplex rogo: multorum namq; malorum ego cauſa fui, etſi non tam praua mea intentio fuerit, ac fuit opus, & effectus, qui exindè ſequebantur. Ingens ſolitudinis captandę deſiderium mihi manſit, itaque mihi gratum fuit de Deo loqui, & tractare, vt, ſi quem inuenirẽ, quocum id facere poſſem, longè id mihi maiorem voluptatem, & recreationẽ afferebat, quam omnis conuerſationis mundanæ ciuilitas, aut (vt melius dicam) ſtupiditas. Adhæc gaudebam ſæpiùs ſolito confiteri, & Sacram Cõmunionem recipere, quin etiam id ſummoperè deſiderabam: Lectura quoq; Sanctorũ librorum permultũ me delectabat, deniq; cùm peccãdo Deũ offendiſſem, mox tanta me eius capiebat pœnitẽtia ac dolor, vt meminerim ſæpè me nõ auſam orationem inſtituere, quòd maximam illam

S. Matris patientia.

pœnam

pœnam, quam ex eo offenſo ſenſuram me noram, perindè ac grauẽ delicti caſtigationem metuerẽ. Hicq; cruciatus deindè ità mihi increuit & enormis fuit, vt, cui eum comparem, prorſus neſciam. Ex puro porrò timore hoc non faciebam: at, quoniam conſolationes, quas mihi Dominus interdum dabat, ac quàm multum propterea illi deberem, ſed quã parum ei rependerem, recogitabã, hinc prorſus id facere non poteram, ſimulque mihi ipſi non parũ ſuccenſebam, quòd quidem pro culpis meis ſatis multum lachrymarũ funderem, parua autem vitæ ſequeretur emendatio; vt nec bona, quæ faciebã propoſita, nec violentia, quã mihi inferebam, impedirent me, quo minùs, datâ occaſione, in peccatũ mox prolaberer; adeò vt mihi non ſolũ lachrymæ meæ fictæ & mendaces, ſed & culpa ipſa exindè grauior eſſe videretur: videbã namq; magnã Domini in eis mihi dandis gratiã, & ſimul tantã pœnitentiam. Hinc operam dabam, vt celeriter ac citò confiterer: &, vt mihi videtur, omnimodis allaborabam, quo cùm Deo in gratiam redirem. Omnis verò mali mei cauſa erat, quod occaſiones ipſas à radice ac ſtirpitùs non auferrem, tum quòd parum in Confeſſariis meis opis ac ſubſidii ſentirem: Si enim hi periculũ, in quo verſabar, detexiſſent, & id genus conuerſationes penitus me vitare debere dixiſſent, haud dubiè aliquod in eo hac ratione malo remedium allatum fuiſſet: neque enim vllatenus ſuſtinuiſſem, vel vnica die in mortali peccato, ſi modo id ſciuiſſem, hærere. Omnia autem hæc timoris Dei argumenta, ac ſigna ipſum orationis exercitiũ mihi peperit; maximũ verò id erat, quod timor hic cum amore coniunctus eſſet, & eo miſtus: nulla enim caſtigatio mihi ob oculos verſabatur.

Toto eo tempore, quo ità ægrotaui, magnam conſcientiæ, ſaltẽ à peccatis mortalibus, mundã conſeruandæ curã habui, nec eã vmquã depoſui: nã non aliter ſanitatẽ optabã, quã quò melius Deo meo ſeruirẽ: hæc tamẽ omnis perditionis meæ cauſa fuit. Vbi ergo me, & quidẽ ita iuuenẽ planè mẽbrorum vſu deſtitutã vidi, ſimulq; recogitare cæpi, quã malè me medici terreſtres habuiſſent, ad cęleſtes ſtatui, quò ſanitatẽ mihi redhiberẽt, cõfugere: nã magno ſanitatis, quocunq; modo recuperandæ deſiderio tenebar, citò alioquin cruciatus hos magno animi gaudio tolerarẽ, & ſubindè apud me cogitarẽ, ſi ſanitati iã reſtituta, dãnationi æternę addici deberem, melius longè fore hoc in ſtatu permanere; nihilominus tamẽ putabã me, in ſanitate, Deo melius & feruentius ſeruire poſſe. Malè ergo facimus, & fallimur, cũ in omnibus, quæ de nobis Deus ſtatuere vult, nos nõ reſignemus, cũ ipſe quã nos melius nouit, quid vtilius nobis ſit, & cõuenientiùs. Incæpi ergo deuotiones aliquas exercere circa miſſarum ſacrificia, & alias quaſdam maximè approbatas circa orationes: numquam enim aliæ illæ mihi deuotiones placuêre, quas nonnulli, ac præſertim mulierculæ,

Cur ſanitatem ſibi reddi optaret.

certis quibuſdã adhibitis ceremonijs, vſurpãt, quas ferre planè nõ poterã: quibus tametſi ipſæ ad deuotionẽ excitabantur, tamen poſtea patuit, eas ineptas, & parũ proprias eſſe; quia ſuperſtitioſæ. In patronũ verò & Dominum ſelegi glorioſum virum S. Ioſephum, eiuſque me patrocinio vnicè commendabam. Liquido deinde perſpexi, ſanctum hunc Patrem & Dominum meum tam ab hac me neceſſitate, quam alijs maioribus, in quibus de animæ meæ & honore, & perditione agebatur, liberaſſe; idque maiori meo bono, quam eum rogare potuiſſem. Non memini me aliquid ab eo hactenus petijſſe, cuius me compotem non reddiderit. Et verò admirationem merentur magna illa beneficia & gratiæ, quæ glorioſi huius viri interceſſione mihi Dominus conceſſit, nec non pericula, tam corporis quam animæ, à quibus me liberauit: Nam alijs ſanctis gratiam Deus dediſſe videtur, vt in vna neceſſitate, inuocantibus ſe opitulentur; ſed hunc glorioſum virum ego experta ſum, in qualibet neceſſitate adiuuare & adeſſe. Adeo vt Dominus nobis indicare velle videatur, quod, quemadmodum illi in terra viuenti ſubditus fuit, (nam ſicut pater illius dictus fuit, cũ nutritius eius & ſuſtẽtator eſſet, ita & imperare pro iure ſuo illi potuit) ſic ei exiſtenti in cœlo nihil eorum quæ petierit, deneget. Quod etiam alij nõnulli, quibus, vt ei ſe commendarent, ſuaſeram, reipſa experti ſunt. Vnde iam plurimi ſunt, qui ſingulari quodam affectu erga eum feruntur. Hoc porrò verum eſſe ipſa rurſus in illis experta ſum. Omni qua mihi poſſibile erat, ſolemnitate, & pompa feſtum eius celebrare procurabam, eſto vanitate plenior eſſem, quam ſpiritu; quod cuperem omnia quam curioſiſſimè & elegantiſſimè fieri; tametſi bona ad hoc intentione mouerer: nam hoc ipſa mali habebam, quod, ſi cuius boni agendi mihi Dominus gratiam daret, id plenum imperfectionibus foret, & in multis deficeret, contrà in malo perpetrando, & curioſitate vanitateque adimplenda ſolertiſſima eſſem, ac diligentiſſima. Ignoſcat mihi Deus. Perſuadere omnibus omninò vellem, vt mirificè erga glorioſum hunc virum afficerentur; quod ſæpius experta ſim varia illum bona & gratias à Deo obtinere. Neminem, inquam, noui qui, cum verè & ex animo illi deuotus eſſet, & particularibus quibuſdam obſequijs eum coleret, non plus per eius opem viſus ſit in virtute profeciſſe: mirum enim in modum illos, vt in ea proficiant, iuuat, qui ei ſe commendant. Iam aliquot (ſi benè memini) elapſi ſunt anni, quibus ſemper die eius feſto, aliquod ab eo donum poſco, & ſemper id mihi datum fuiſſe comperio; &, ſi fortè petitio mea vſquequaque recta non ſit, ipſe eam ad maius meum bonum dirigit & rectificat. Si eſſem, quæ aliquam ad ſcribendum authoritatem haberem, quam libentiſſimè me in beneficijs, quæ glorioſus hic vir tam mihi quam alijs perſonis eſt elargitus, ſingillatim enarrandis effunderem: verum ne præſcriptos

S. Ioſephi patrocinium quam vtile illi fuerit.

Quantum proſit S. Ioſephum in patronum deligere.

ſcriptos mihi à ſuperioribus ſcribendi terminos tranſgrediar,& plura, quam iuſſa ſim, faciam, in multis futura ſum breuior quam quidem vellem, in alijs quam neceſſe ſit, diffuſior, vtpote quæ in omni eo, quod bonum eſt, parum diſcretionis habeo. Hoc ſolum ex amore Dei peto, vt, quiſquis mihi dicenti non credet, experire velit; & reipſa, & experientiâ ſentiet, quantum ſequatur boni ex eo, quod glorioſo huic Patriarchæ ſe quis commendet, & eum particulari aliquo obſequio colat, ſpeciatim illi qui orationis ſtudio tenentur, ſemper eum patronum deligere deberent,& ergà eum affici. Neſcio enim, quomodo de Regina Angelorum meditari quis poſſit, præſertim de tempore illo, quo tam multa cum puerulo Iesv pertulit, qui non ſimul S. Ioſepho ob opem & obſequium eis tunc impenſum, gratias agat. Qui magiſtrum, & inſtructorem non habet, à quo orandi rationem, & modum diſcat, glorioſum hunc virum in magiſtrum deligat,& eo præeunte, haud errabit, faxit Deus, vt non errarim in eo, quod de ipſo auſa ſum loqui: nam licet ei me deuotam eſſe fateor, ſemper tamen in eo colendo, imitandoque defeci, nec quod potui, præſtiti. Ipſe, pro eo atque eſt, effecit vt de lecto ſurgere, & incedere potuerim, nec amplius paralytica manſerim; ego verò pro ea, atque ſum, hoc ipſo beneficio malè ſum vſa. Quis enim dixiſſet fore, vt, poſt tot acceptas à Deo gratias, & poſtquam diuina eius maieſtas virtutes mihi dare cæpit (nam & hæ ipſæ me ad illi ſeruiendum excitabant) & poſtquam me propè mortuam, atque in tam præſenti damnationis periculo conſtitutam vidi, & poſtquam ipſe animam ſimul & corpus meum velut à mortuis ſuſcitauit (omnes enim, qui me videbant, mirabantur, quod me viuam viderent) tam citò ipſa, velut omnium horum oblita laberer, quid hoc eſt Domine? an nos in tam periculoſa vita viuere oportet, quam hæc eſt, in qua hæc ſcribo? nihilominus video r mihi, tuo fauore, & miſericordiâ, cum Apoſtolo tuo Paulo dicere poſſe (tametſi nõ eâ, quâ ille perfectione) viuere me iam non me, ſed te creatorem meum viuere in me. Iam enim ab hinc annis aliquot (quantum poſſum intelligere) tuâ me ipſe manu tenes, ac tueris, atque adeò talia per hoſce annos in me deſideria, & propoſita ſentio, quin & aliqua id ratione per experientiam multis in rebus iam probaui, vt nihil quantumlibet minimum agere vellem, quod voluntati tuæ quoquo modo aduerſaretur, eſto alioquin in multis maieſtatem tuã ignoranter me credam offendere. Imò verò, ita me comparatam ſentio, vt nihil mihi offerri poſſe putem, propter te exequendum, quod non quam citiſſimè, & ſummâ animi contentione aggrederer; & in horum nonnullis tu ipſe me adiuuiſti, vt ea fæliciter ad exitum perducerem. Vnde nec mundum, nec quicquam illius cupio, & quidquid à te nõ deſcendit, nullatenus me videtur delectare; reliqua verò omnia, nonniſi grauis quædam

S. Ioſephus optimus orationis tradendæ magiſter.

crux. Falli me posse fateor, itaque fieri posse, vt non habeam id quod dixi: sed ipse, Domine mi, fides me, quantum quidē colligere possum, non mētiri. Vereor nihilominus, nec sine ratione, ne me rursùs deseras: scio enim iam, quousq; se vires meæ extendant, quamq; sit in me virtutis exiguum, nisi tu eā continuò mihi des, meq; ne te deseram, semper adiuues, vtinam Domine, etiam modo à te derelicta non sim, dùm, quidquid habeō, à me ipsa me habere existimo. Nescio sanè quomodo nos hic viuere delectet, cùm omnia adeò incerta sint. Tum quidem, Domine, impossibile videbatur, me ità penitus te derelinquere, sed quoniā toties te dereliqui, hinc non possum nō timere: nam statim ac vel minimum à me ipse discedebas, mihi relicta, cū omnibus turpiter in terram cadebam. Esto proindè in æternùm benedictus: etsi enim ego te derelinquerē, tu tamen non adeò penitus me deserebas, vt non denuò resurgerem, eò quòd mihi semper manū porrigeres; & ego, ô Domine, sæpè eam nolebā accipere, vti & sæpè alias tibi de nouo me vocanti auscultare detrectaui, sicut iam iā cōmemorabo.

CAPVT VII.

QVIBVS MODIS GRATIAS, QVAS A DEO ACCEPERAT, AMISERIT; QUÀM MALAM VITAM AGERE CŒPERIT, QUANTUMQUE INDE PERICULI & NOXÆ SEQUATUR, QUOD FŒMINARUM MONASTERIA ARCTÈ CLAUSA NON SINT.

INCÆPI itaque ex vna recreatione in aliam, ex vna vanitate in aliam, ex vna occasione in aliam prolabens, ita me in præsentissimas peccandi occasiones, intricare, & anima mea multarum vanitatum illecebris ità se implicare, vt iam me puderet, per adeò singulare amicitiæ genus (vti est, per orationem cum eo loqui) ad Deum reuerti & reuolare. Nihil verò ad hoc magis me iuuit, quàm quòd, sicuti peccata mea increscebant, ità me gustus spiritualis, & ea, quam è rebus pijs, ac virtuosis capere solebam, voluptas deficere inciperet. Videbam clarissimè, Domine mi, ideò hanc mihi deficere, quòd ego meis erga te partibus deessem. Hæc omnium, quibus me Diabolus circumuenire poterat, fraudum fuit nocentissima, idque sub specie quadam humilitatis; quòd scilicet, cùm me ità desperatam, ac perditam viderem, inceperim timere orationi me dare; multòq; mihi videbatur satius, communem multorum in mundo viuendi rationem imitari, eiq; me cōformare (eò quòd inter malos, essem pessima) ac legere illa ad quæ ex Ordinis præscripto obligabar, & quidem vocaliter, quam mentalem orationem instituere, tantumque Dei commercium frequentare, eam, quæ cum dœmonijs conuersationem habere digna erat, & quòd hominibus, qui me nossent, imponerem, eò quòd exteriùs tantùm probitatis, & pietatis speciem præferrem. Ità tamen, vt locus,

Sub specie humilitatis orationem intermittit.

& domus

& domus in qua agebam, culpanda non sit: curabam namque (quæ mea & industria, & calliditas) vt omnes bonam de me opinionem haberent: quamquam id non expresè, & datâ operâ, pietatem scilicet ex professo mentiendo: nam, quantum ad Hypocrisim, & vanam gloriam, numquam me, quod quidem sciam, in Deum (illi laus sit) memini offendisse: nam ad primum vanæ gloriæ motum, & suggestionem tantam in me sentiebam molestiam, & auersionem, vt & dæmon non sine iactura discederet, ego verò indè lucrum aliquod facerem; proindè non nisi rarissimè hoc in genere me tentauit: si illi Deus permisisset, vt hoc in genere tam me grauiter tentaret, ac in alijs rebus tentauit, fors non minùs in eo cecidissem, sed ipsius me maiestas hactenus quoad hoc tutatus est, & indemnem præstitit: Vnde sit in æternum benedictus. Imò verò non parum me cruciabat, quòd vulgò bonam de me opinionem haberent, vt quæ cordis mei intima pernossem. Quòd autem non ità improba vulgò haberer, indè fiebat, quòd me ità iuuenem, & in tot peccandi occasionibus cõstitutam viderent, sæpè reliquarum commercia declinare, quò intrà solitudinem me abdens orarem, multa legere, ac de Deo frequenter agere; quòd item viderent me curare, vt multis in locis illius imago depingeretur, oratorium secretum habere, inque illo ea habere satagere, quæ deuotionem prouocarent; quòd denique famæ nullius detrahentem me audirent; & alia id genus, quæ virtutis quamdam haberent speciem; interim tamen (quæ mea vanitas) ijs in rebus meipsam noueram magni facere, quæ in mundo magni fieri solent. Hinc fiebat, vt tanta, quin & maior mihi concederetur libertas, quam alijs maximè veteranis, multumque mihi confiderent. Vt autem talem libertatem spontè & vltrò mihi assumerem, aut aliquid sine licentia facerẽ, nimirum per clancularia quædam foramina, vel parietes, vel etiam de nocte cum aliquo loquerer, numquam adduci potuissem, (vt mihi videtur) vt illud in monasterio facerem, neque etiam sic vmquam locuta sum: nam suâ manu me Dominus à lapsu hoc præseruauit. Quòd autẽ prudenter, ac maturè multa mecum expenderem, pessimè sanè mihi factum videbatur, meâ vnius improbitate tot sanctarum monialium honorem in aliquod discrimen vocari; quasi reliqua, quæ faciebam, bona fuissent: vt verum fatear, malum quod faciebam, esto magnum id esset, non tanta tamen fiebat cum aduertentia, nec tanta erat malitia quanta fuisset hoc. Hac de causa permultum mihi censeo nocuisse, quòd in clauso monasterio non essem: quia libertas, quâ, quæ bonæ erant, benè aciure vti poterant (quia ad amplius obligatæ non erant, eò quod claustrum Deo non promisissent) me, quæ improba sum, haud dubiè ad infernum pertraxisset, nisi tot remedijs, ac rationibus Dominus è singularissima gratia sua hoc me periculo eripuisset.

Hypocrisit & vanæ gloriæ inimica fuit.

S. Matris humilitas.

Matris

puiſſet. Inter quæ longè maximum mihi videtur eſſe, monaſterium mulierum gaudens libertate, adeò vt, quod huiuſmodi eſt, ijs quæ malæ eſſe volent, via potiùs eſſe videatur ad inferos rectâ deducens, quàm aliquod infirmitatibus, quas habent curandis remedium. Nolim autem hoc de meo monaſterio dictum intelligi: quia tot in eo ſunt ſorores, quæ ſinceriſſimè, ſummaque cum perfectione Domino deſeruiunt, vt non poſſit, maieſtas eius, pro ſua bonitate, & miſericordia, ſuâ ipſis gratiâ non adeſſe, vt ipſum non ſit inter cœnobia, quæ maximè libera ſunt, numerandum, vtpotè in quo omnis religioſa diſciplina exactiſſimè ſeruatur: ſed de alijs loquor cœnobijs, quæ & noui, & vidi. Vnde harum me miſeret monialium, quòd peculiari quadam ratione eas vocari à Domino oporteat (idque non ſemel, ſed ſæpiùs) quò ad ſalutem animæ perueniant, cùm honores & recreationes mundanæ ita in ijs locum habeant, tamque ibi moniales parùm, ad quæ obligatæ ſunt, intelligant, vt, faxit Deus, virtutis vt loco non habeant id quod reipſa peccatum eſt, vti me ipſam non rarò ſcio feciſſe. Tam porrò hoc ipſis perſuadere difficilè eſt, vt ſuam Dominum manum huic rei ſerio admouere neceſſe ſit. Si mihi vellent parentes omnes auſcultare, conſulerem ipſis, eſto nolint curare, vt filię ea ingrediantur monaſteria, in quibus adeò ſuam ſalutem non operentur, vt ſæpè ibi in maiore ſint peccandi periculo, quam in mundo; ſaltem honoris ipſarum rationem habeant, & potius tenuiſſimo, & maximè plebeio eas matrimonio illigare ſatagant, quam ſimilia eas cœnobia ingredi patiantur, niſi ipſæ per ſe quàm maximè ad virtutem propendeant (atque vtinam vel hæc propenſio ijs proſit) vel domi eas ſuæ detineant: ſi enim ibi improbæ eſſe velint, non niſi pauco tempore ſuam occultare malignitatem poterunt, at in monaſterijs valdè diù ipſa celabitur, eſto eam tandem Dominus retegat. Itaque non ſibi ſolùm nocent, ſed & omnibus alijs perniciem afferunt: eſto ſubindè nullam in hoc ipſæmet pauperculæ culpam habeant: ſequuntur enim id quod inueniunt, & vident. Et eſt profectò dolendum multas corpore, & animo à mundo ſequeſtrare ſe volentes, intereà dùm ad Domino ſeruiendum, mundique pericula declinanda abire ſe credunt, decem ſimùl iunctis mũdis immergi, vt quid agant, & quod remedium ſibi adhibeant, planè neſciant: quia & iuuentus, & ſenſualitas, & diabolus eas inuitat, & inclinat ad nonnulla ſectanda, quæ etiam mundum ipſum redolent. Vide ergò, vt & hæc ibi (vt ità dicam) ceu bona & laudabilia reputentur.

Parentes videãt quo filias ſuas loco collocent.

Miſera nõ nullorum ſors depraua ta monaſteriorum ingredientium.

Vndè has non inſcitè cum miſerandis hæreticis comparare poſſe videor, in quantum hi ſeipſos excæcare volunt, & alijs perſuadere, bonum id eſſe quod ipſi ſectantur, & ipſum etiam credunt, vt tamen non credant: quia intrà ſemetipſos habent aliquem, qui identidem ſuggerat, & aggerat,

hoc ipſum

hoc ipsum malum esse. O summum & maximum Religiosorum malum; non dico solum monialium, sed & virorum, apud quos scilicet religiosa disciplina non seruatur, & quorum in monasterio duæ sunt viæ, vna virtutis, & religionis, altera irreligiositatis; & ambæ propè æquali modo teruntur. Malè dixi, dum dixi æquali, eò quod peccatis nostris demerentibus fit, vt via vitiorum & imperfectionis magis teratur, & insistatur, & quia magis ad hominem est, hinc etiam præ alia placet & chara est. At vera religiositatis via tam parum frequentatur, vt monachus & minialis vocationem suam sincerè vereque sequi incipere volentes, magis confratres & consorores suas, quam omnes spiritus infernales timere debeant, maioremque adhibere cautelam & simulationem, vt de familiaritate, quæ cum Deo habenda est, quam vt de alijs familiaritatibus & affectibus priuatis, quos in monasterijs diabolus spargit & disseminat, loquantur. Vnde nescio cur miremur, tot, tantaque in Dei Ecclesia hodie mala inueniri: cum qui esse debebant seu norma & prototypa, è quibus cæteri virtutum exemplaria exprimerent, opus, & laborem, quem primorum sanctorum fundatorum spiritus in Religionibus reliquit, ita adulterarint, & corruperint. Vtinam diuina eius maiestas aliquod rei huic remedium, prout videt opus esse, adhibeat. Amen.

Via vitiorum magis teritur quam virtutum.

Religiosi imperfecti plus timendi quam omnes dæmones.

Vt ergo familiaritates has mundanas frequentare cæpi, non existimans tale indè animam meam (quod viderem eas vulgo ab alijs vsurpari) detrimentum, & distractionem passuram, quale postea ab ijsdem prouenire solere intellexi. Putabam rem adeò obuiam, & communem (qualis est frequens illa amicorum visitatio, quæ in multis monasteriis locum habet) mihi non plus allaturam damni, quam aliis, quas videbam esse bonas, & non aduertebam, eas multò me meliores esse, & quod mihi periculosum fuit, & damno, id aliis posse ita damnosum non esse: quia non dubito, quin saltem aliquod in eo malum situm sit, esto aliud id non foret, quam quod tempus hoc modo inutiliter ac malè impendatur.

Mundanæ conuersationum periculum.

Cum mihi cuiusdam personæ commercium placeret, voluit Dominus mihi iam indè à principio, quo eam nosse, & tractare cæpi, significare, ac velut præmonere, id genus amicitias mihi non expedire, tantaque in caligine aliquod mihi lumen dare. Vnde Christus Dominus se tunc mihi visendum melto cum rigore & seueritate obiecit significans mihi, quidnam hac in re sibi displiceret. Animæ oculis clariùs eum, & intimiùs vidi, quam corporeis videre potuissem; itaque mihi illius figura impressa mansit, vt esto iam viginti sex anni ab hac visione præterierint, eum tamen etiam nunc præsentem habere me credam. Valde autem ex hac visione perculsa & conturbata mansi, atque personam illam, cum quâ familiariùs egeram, exindè ampliùs videre nolui. Multum verò hic mihi nocuit, quod

Dominus Deus apparet S. Matri

neſcirem fieri poſſe, vt quid aliter quàm oculis corporeis videatur: quin & diabolus impellendo me ſcilicet, vt id ità ſe habere crederem, mihique perſuaderem prorſus id fieri non poſſe, meque in viſione illa deceptam fuiſſe, neue à Deo illam veniſſe, & fortaſsè cacodæmonem ipſum mihi apparuiſſe, & alia eiuſmodi. Eſto ſemper viſum mihi ſit, & impreſſum manſerit, id à Deo, non verò imaginarium aliquod ſpectrum fuiſſe, ſed quia illa reprehenſio mihi diſplicebat, hinc memetipſam mendacij arguebam; &, quoniam hanc viſionem nulli aperire audebam, ac denuò magna cum importunitate à nonnullis ad idem commercium inuitabar, aſſerentibus nullum in eo eſſe malum, quod cum tali perſona agerem, adeòque me nullam iſthoc commercio honoris iacturam facere, vt eum etiam illuſtriorem facerem; ad eandem cum ipſa familiaritatem, & poſtea in alias cum alijs deuoluta ſum, quia permultos annos peſtilentem hanc conuerſationum delectationem ſum ſecuta, quam, quia adeò profundè in ea hærebam, non tam mihi damnoſam eſſe credebam, ac reuera erat, tametſi interdùm manifeſtè viderem eam minimè bonam eſſe. At nullius mihi notitia tot diſtractionum cauſa fuit, ſicut illius perſonæ, quam dixi, quod eam peculiari affectu proſequerer. Cùm alio quodam tempore cum hac ipſa loquerer, vidimus (vti & aliæ perſonæ, quæ præſentes aderant, viderunt) aliquid ingentis bufonis formam habens, verſus nos contendere, idque maiore quadam celeritate, quàm bufones proſerpere ſolent. Non poſſum intelligere, quomodò talis beſtia in illo loco, è quo procurrebat, reperiri poſſet, idque in meridie, cùm numquam tale quid illic viſum fuerit, & pro ea, quam in me fecit operatione, myſterio id minimè videtur caruiſſe, vndè nec eius vmquam me cepit obliuio. Quantâ me, ô immenſa Dei magnitudo, ſollicitudine, & pietate diuerſi modè commonebas! quam verò parum ipſa inde profeci?

quantum ei nocuerit familiaritas cum quadã perſona.

Habebam illic inter moniales quandam conſanguineam meam, ſenio quidem grauem, ſed feruentẽ Dei ancillam, magnæque religionis. Hæc etiã non rarò me admonebat; ego verò non tantùm ei non credebã, ſed etiam ſuccenſebam indignans, putabamque illam ſine vlla cauſa ſcandalizari. Idcircò autem hæc de me referre volui, vt hinc mea malitia, indè vero mira Dei bonitas innoteſcat, & quot ipſa nominibus gehennam, propter tam intolerabilem ingratitudinem, promeruerim; tum etiam, vt, ſi fortè Dominus ita diſpoſuerit & velit, vt aliquæ moniales poſt futuris temporibus, ſcriptum hoc legant, periculo ipſæ meo cautiores fiant: quas ego ex amore Dei rogatas volo, vt id genus recreationes remis, veliſque fugiant. Diuina eius maieſtas faxit, vt de numero illarum, quas errare feci, aliqua in viam ſalutis opella meâ reuo-

cetur;

cetur; dicendo namque id malum non esse, & tanto ipsas in periculo per meam cæcitatem certas, & securas reddendo (nam ex professo, & datâ operâ eas decipere noluissem) simul & malo, quod ijs dedi exemplo (vti iam dixi) plurimorum malorum causa fui, esto tantum in hoc me malum facere non crederem.

Cum primis illis diebus ægrotarem, antè scilicet, quàm me ipsa iuuare possem, ardenti quodam aliorum ad salutem iuuandorum desiderio tenebar; quæ ordinaria primùm incipientium tentatio est, tametsi mihi eadem benè successerit? quòd enim patrem meum maximè diligerem, simile ei optabam bonum, quod mihi ipsa habere videbar, orationis scilicet donum: nam nullum eo, in hac quidem vita, videbatur mihi haberi posse melius; adeò vt per anfractus, & velut de longè, pro eo ac potui, eum inducere conata sim, vt ei se daret. Hinc dedi ei libros de orandi modò tractantes, & quòd esset vir probus (vti iam suprà dixi) ità hoc orationis exercitium illi placuit, vt quinque vel sex annorum circiter spatio, tantos in eo fecerit profectus, vt & Deum summoperè propterea laudauerim, & maximæ id mihi esset consolationi. Magnas is passus est aduersitates, & molestias & quidem omnigenas; in omnibus tamen magnâ se voluntatis suæ in diuinam resignatione gessit. Sæpius visitatum me venit, quod de rebus diuinis colloquia magnam ei voluptatem afferrent. Postea verò, cùm distractionibus ità locum dedissem, & orationem prorsus intermisissem, viderem porrò illum existimare, esse me eandem quæ solebam, continere me ipsa non potui, quin veritatem ei aperirem: anno namque toto & amplius orationem intermisi, maioris hoc humilitatis esse opinata. Et hæc (vti posteà commemorabo) omnium quas habui tentationum, maxima fuit: hac quippè actione in totalem ruinam, ac perditionem tendebam: nam per Orationis exercitium, si fortè hoc die Deum offendissem, sequentibus denuò me recolligebam, peccádique occasiones magis, ac magis euitare studebam. Cùm ergò vir bonus hac cum persuasione me visitaret, ferre non poteram, illum ità grauiter circà me decipi, & falli, putando me pro eo ac solebam adhuc orationi vacare; hinc illi aperui, me non amplius ei, prout consueueram incumbere: esto veram eius rei causam non declararem; continuis infirmitatibus meis fieri dicens, quò minùs ei me dare possem. Nam licet à magna illa, quam antè dixi, infirmitate sanata essem, semper tamen hactenùs cum magnis infirmitatibus sum conflictata, & etiamnum conflictor; tametsi ab hinc pauco tempore illarum se rigor nonnihil intermiserit, penitùs tamen omnimodis me non deserunt. Imprimis namque viginti ipsis annis, quotidiè manè obnoxia fui vomitui, adeò vt nihil ciborum vsque ad meridiem, subindè etiã seriùs,

Alios iuuãdi desiderio incipientium plerumq; tentatio est.

Patrem ad orandi studium adduxit.

Vomitus S. Matris.

ſerius, poſſem ſumere, verum ex quo iam frequentius ſacram adire communionem cæpi, iam non niſi circà veſperam, antequam cubitum concedam, vomitiones illæ redeunt, & quidem maiori cum dolore: nam pēnis; alijſque id genus rebus eas me prouocare oportet: ſi enim eas contineo, malum, quod ſentio, maximum eſt. Et ſanè, numquam ferè (vt mihi quidem videtur) ſine multis ſum doloribus, & cruciatibus, qui & aliquādo etiam grauiſſimi ſunt, ac præſertim circa cor: licet deliquium illud, quod mihi eſſe ſolebat continuum, & penè ordinarium, iam valdè ſe intermiſerit; magna quoq; illa paralyſis, febres, aliaque morborum genera, quibus eſſe ſolebam obnoxia, iam rarius me impetant, & ſæpe ab ijs exempta ſim. Iam octo continuò annis, hiſce morbis laboraui, quos iam tam parui facio, vt ſæpè etiam iis gaudeam, & videam, quod in hoc ſibi Deus aliquomodo complacere videatur. Pater ergo hanc intermiſſæ Orationis cauſam eſſe credidit, ratus me, ſicut ipſe ab omni erat mendacio alienus, ac ſincerus mentiri ſibi, pro eo quod illi debebam, & cum eo tractabam, non debere; Addebam, quo melius id crederet (videbam namque me quoad hanc negligentiam nullatenus poſſe excuſari) ſatis me facere, quod choro ſeruire poſſem. Quamquam nec hoc ipſum ſufficiens cauſa erat ad quidpiam omittendum, quòd ad orationem peragendam non robore corporali, ſed amore, & conſuetudine ſola opus eſt: ſemper namq; opportunitatem nobis ad eam Dominus offert, ſi modò velimus. Semper, inquam, nam licet incidentes occaſiones, & morbus ſubindè impediant, quò minùs in ſolitudine diù oratio exerceatur, non deſunt tamen per interualla alia commoda orandi tempora, in quibus ſatis ad hoc valetudinis habetur; quinimò in ipſa infirmitate & occaſionum impedimentis, ea demùm vera oratio eſt, quando ſcilicet amans anima ea omnia Deo offert, ac meminit cuius nomine, & ob quem ea tolleret, atque in ijs ſe in Dei voluntatem reſignat, aliaq; id genus ſexcenta, quæ hic occurrunt, amor exercet & excogitat: neque enim adeò neceſſarium eſt, orationē in ſolitudine, quando eius habendæ occaſio, & tempus ſuppetit, inſtitui; vt, quę extrà eam inſtituitur, oratio dicenda non ſit. Vel modicâ adhibitâ curâ magna acquirimus nobis bona tùm, cùm Dominus per labores & morbos tempus orationis nobis aufert. Et hæc ego bona reipsâ experta fui tùm, cùm bonā habebam conſcientiam. Porrò Pater ob bonā, quam de me habebat, opinionem, & ob amorem, quo me proſequebatur, in omnibus mihi credebat, quinimò mihi compatiebatur; ſed quòd iam tum ad tam eminentem perfectionis gradum peruenisſet, exindè tā diù apud me non hæſit, ſed ſimul ac me vidiſſet, inde abijt, tempus vanis hiſce colloquiis inutiliter perdi dicens; ſed quòd ego ipſum alijs vanitatibus impenderem, parum id curabam.

Viribus corporis non habemus opus ad orationem, ſed amore ſolo & conſuetudine.

Vera oratio, quæ ſit.

Necve-

Nec verò soli Patri, verùm & alijs suasi, vt orationis exercitium frequentarent, etiam eo tempore, quo vanitates prædictas sectabar: & quòd eos oratione vocali delectari viderem, docebam ipsos, quomodo meditationem instituere possent (& sanè non sine profectu) & hanc in rem illis libros necessarios suppeditabam: nam hoc desiderium, vt scilicet etiam alij Deo famularentur, semper mihi mansit iam indè ab eo tempore, quo exercere orationem cœpi, sicut antè dictum est. Videbar quippe, cum ipsa ira Deo non seruirem vti me debere seruire intelligebam, saltē procurare debere, ne pessum iret id, quod diuina ipsius maiestas me docuerat, atque alij meo loco illi seruirēt. Hoc eò dico, vt ingēs illa, in qua versabar, cæcitas appareat, dū me ipsā in interitū ruere sino, & alios lucrifacere studeo. *Alios ad orationē exercendam pellicit.*

Circà hæc tempora; parens meus illo correptus est morbo, è quo demortuus est; diebus aliquot hic durauit. Vnde ipsa ad ei seruiendum necessariaque præstanda abii, sed quæ magis animâ laborabam, quàm ipse corpore, vtpotè plurimis vanitatibus implicita; ità tamen, vt quantum intelligere poteram, toto illo tempore, quo maximè perdita eram, (de quo loquor) in peccati mortalis statu non fuerim; nam si qua in re id me admissuram fuisse sciuissem, quam primùm ab ea me subduxissem. Magnas in eius morbo passa sum molestias, aliquatenùs illi rependisse videor illas, quas ipse, me ægrotante, sustinerat; ac, licet alioquin ipsa satis debilis essem, sedulò tamen ei ministraui; & quamuis ipso ablato, exindè omne mihi bonum, & consolationem auferendum esset, (nam continuò & vbique mihi consolationi erat) tam parum tamen me morbo eius commoueri & dolere ostendi, nequam ei molestiam adderem, & donec moreretur ei adessem, ac si nihil penitus sensissem, cùm tamen, dū eum exspirantem viderem, animam mihi violenter è corpore auelli & extrahi putarem, quod eum multum diligerem. *Quo tempore vanissima fuit, non fuit in peccato mortali.*

Erat sanè mors, quam obiuit, ardensq; moriendi, quod habebat desiderium, insignis quędam Dei laudandi occasio, vti etiā fuit, salutaria illa, quæ nobis, postquam iam extremæ inunctionis Sacramento munitus esset, dabat audire consilia; inter alia nobis iniungens, vt eum iam vitâ functum Deo per preces commēdaremus, diuinam ipsi misericordiam deposceremus, semper Deo seruiremus, deniq; consideraremus cuncta, quæ in mundo sunt, momentanea esse, & pertrāsire: simulq; nobis multis cū lacrymis, ingentē, quē sentiebat, dolorē ex eo, quod ei non, prout oportebat, seruisset, testabatur: volebatque fuisse religiosus & quidem ex iis qui strictissimum vitæ genus profitentur. Velut certum; & indubitatum habeo, Dominū ei quindecim, antequam exspiraret, diebus præsignificasse, ipsum breui demoriturum esse: nam licèt antè satis malâ esset valetudine, & ægerrimè valeret, morbum tamen eum mortalem esse non credebat: *Pia mors patris eius.*

verùm à quintodecimo illo die, esto etiam paulò meliusculè se haberet, & idipsum quoque medici assererent, eorum iudicium nihil moratus, animæ suæ prospectum antè omnia cupiebat, deque eius bono statu omnis eius cura erat. Præcipuus eius morbus fuit grauissimus scapularum dolor, qui numquam eum deserebat, & per interualla ità eum torquebat, vt intensissimos cruciatus sentiret. Vndè ipsa ei suasi, vt, quoniam mysterium baiulationis Crucis Domini magno animi sensu semper recoluisset, cogitaret ipsius maiestatem iam velle, vt aliquid eius doloris sentiret, quem ipse in Cruce humeris baiulandâ olim sensisset. Quæ eum verba ità consolabantur, vt numquam exindè ampliùs eum de dolore conquerentem audisse videar. Tribus continuis diebus omnis expers sensus fuit: sed eo, quo defunctus est, die ita sensibus omnibus redditus est, vt omnes miraremur, quorum vsum habuit integrum, donec in media symboli Apostolici recitatione, quod ipsemet clarè decurrebat, spiritum reddidit. Iam defuncti facies angelicâ quadam specie resplenduit, & reuera Angelus quidam, vt ità dicam, mihi fuisse visus est, si animam, eiusque dispositionem intueamur. Nescio quem in finem hæc retulerim; nisi fortasse, vt meas ipsa nequitias hinc magis sugillem: nam visa tam sancta morte, & tam piâ intellectâ vitâ, meam me, quo talem parentem aliquatenus imitando referrem, in melius commutare oportuisset. Confessarius ipsius, vir sanè egregiè doctus, ex ordine Diui Dominici, non dubitare se aiebat, quin rectâ cælos anima eius peteret, quod iam ab hinc annis aliquot ei à confessionibus fuisset, & insignem conscientiæ eius puritatem commendabat. Idem Dominicanus, qui vir apprimè bonus erat, ac Deum timens, mihi non mediocriter profuit (quod ei confiterer) & animam meam seriò iuuare, & quo in periculo perditionis versarer, mihi aperire propositum habuit. Iussit hic, vt singulis quatuordecim diebus sacram Eucharistiæ mensam adirem, & paulatim magis & magis cum eo de rebus meis agere incipiens, tandem de meo orandi modo cum eo locuta sum. Suasit ergo, vt illam neutiquam intermitterem, quod per illam non possem non proficere. Illam itaque reassumere incæpi, non tamen vanitatum occasiones penitus præscindere; vndè exindè numquam eam amplius intermisi. Maximè laboriosam, & pænosam tunc vitam vixi: nam in oratione defectus meos & apertiùs, & liquidiùs perspiciebam. Ex vna quippè parte me vocitabat Deus, & ex altera mundū ego sequebar. Quidquid erat Dei, & Diuinū, magnæ quidē mihi voluptati erat; sed quę mundi erāt, arctè me colligatā tenebāt. Videbar sc. duo hæc adeò ab inuicē dissona, & inimica, vitā videl. spirituale, ac delectationes, cōsolationes, & recreationes sensuales, ad quādā velle concordiam redigere, & mutuo reconciliare. In oratione summas passa sum

Orationi iterum se dare incipit suasu confessarij sui.

Difficile est Deo simul & mundo seruire velle.

am moleſtias, & difficultates: ſpiritus quippe non Dominus erat, ſed mancipium; vndè fiebat, vt me intrà memetipſam recolligere, ac recludere non poſſem (qui tamen erat orandi modus, quem practicare ſolebam) quin ſimul mille intrà me vanitates concluderem. Per multos annos ſic in oratione feci, vt modo mirer, quomodo id anima alicuius ferre potuerit, ità vt alterutrum horum extremorum non deſeruerit. Scio, in manu & poteſtate meâ tùm nõ fuiſſe orationem penitus intermittere, quòd, qui me amabat, quò maiores mihi adhuc gratias conferret, ſuâ me manu teneret. Deus bone, quomodo referam occaſiones, quas à me toto illo tempore Deus amouebat, & quomodò me ipſa in eaſdem rurſus præcipitem darem, nec non à quibus famæ meæ penitùs amittendæ periculis me cuſtodierit? ego enim ea faciebã opera, è quibus, quænam eſſem, videri ac colligi poterat; Dominus autẽ mala mea tegebat, & virtutem aliquam tenuem (ſi quam etiam haberem) palam manifeſtam reddebat, & omnium oculis magnam eam videri faciebat, adeò vt ſemper magni ab omnibus fierem: nam tametſi vanitates meæ interdum tranſparerent, quòd tamen viderent alia, quæ ipſis bona eſſe videbantur, nihil huiuſmodi de me credebant. Hoc autem indè proueniebat, quod omnium cognitor rerum Deus iam tum prouidiſſet id ità expediens eſſe, quo ijs in rebus, quas poſteà de eius famulatu locuta ſum, aliquam apud eas auctoritatem haberem, & ſumma eius liberalitas non tam grauia mea intuebatur peccata, quàm, quæ ei ſeruiendi ſæpenumerò habebam, deſideria; nec non dolorem, quem ſentiebam ex eò, quòd vires mihi ad ea opere ipſo exequenda deeſſent. Quomodo, ô animæ meæ Deus, dignè illas expendam gratias, quas mihi toto illo tempore contuliſti, & quomodo illo ipſo tempore, quo te magis peccando offendebã, tu me quã citiſſimè, per maximã quandam pœnitudinẽ, diſponeres, quò tuas cõſolationes, & gratias percipere poſſem: Et, vt verũ fatear, Rex meus, vſus es ad hoc eâ caſtigatione, quâ mihi aut ſuauior, aut pœnoſior nulla eſſe poſſet, vt qui intelligeres, & ſcires, quid mihi futurũ eſſet acerbiſſimũ: adeò vt magnis fauoribus ac bonis mea caſtigares peccata. Nec credo me quid inſanũ, aut ſtultũ hic dicere, tametſi par foret, me iã inſanire, ac mentẽ amittere, dũ meã ingratitudinem, & malitiam iam de nouo in memoriã reuoco. Longè mihi, pro meæ naturæ conditione grauiùs erat, gratias à te recipere tum, cum in graues culpas incidiſſem, quàm flagellari, & affligi: nam reuerã magis mihi per vnicam, quam accipiebam, gratiam, confundi videbar, & annihilari, quam per multas infirmitates, & plurimas alias moleſtias, ſimul iunctas. Afflictionem namque me videbam mereri, credebamque aliquid patiẽdo moleſtiarum, aliquatenus me pro peccatis meis ſatisfacere: eſto id nimis quã parum eſſet reſpectu horum, quæ numero erãt plurima,

Gratiæ, quas à Deo recipiebat, acerbiores ipſi erant, quàm ipſa caſtigatio.

Sed

Sed dum nouis identidem me beneficiis affici viderem, esto tam malè pro prioribus, quæ receperam, satisfacerem, crux hoc mihi erat omnium grauissima, vti etiam futurum credo omnibus, qui vel aliquam Dei cognitionem, vel amorem habebunt. Et hoc satis perspici hic potest in eis, qui ad virtutem naturaliter propendent. Ideò scilicet lachrymabar, & indignabar, videns nimirum id quod sentiebam: nam me in proxima, vt ità dicam, relapsus potentia constitutam cernebam, esto proposita & desideria mea tunc, illo, inquam tempore, satis firma essent. Magnum malum est, dum anima sola inter tot tantaque pericula versatur. Sanè si quem habuissem, quocum de omnibus his rebus conferre potuissem, credo equidem eius auxilio me cohibendam fuisse, ne denuò, ac de nouo relaberer, saltem è quadam verecundia, cum interim nulla Dei verecundiâ mouerer. Hac de causa ijs, qui orationi student, consulerem (præsertim in principio) amicitiam quandam & familiaritatem inirent cum aliis, qui eidem student. Est hoc maximi in hac re momenti, esto aliud indè emolumentum non sequeretur, quàm quòd mutuis inuicem orationibus iuuent, vt taceam hinc multas alias vtilitates promanare. Si enim per conuersationes, affectus, & amicitias mundanas, esto etiam eæ adeò bonæ non sint, aliquos homo sibi amicos parare satagat, quibuscum se oblectet, & quò maiorem è vanarum illarum mundi recreationum commemoratione voluptatem hauriat; nescio cur non pariter permittendum sit, vt qui Deum sincerè amare, eique seruire incipit, cum aliquibus personis de ijs consolationibus, & molestiis communicet, quas, qui orationem exercent, alternatim experiuntur. Si enim, quam cum eius maiestate inire vult, amicitia vera est, non est, quod timeat, ne in vanam aliquam gloriam incidat; qui nimò cùm primùm ab ea oppugnari incipiet, primosque eius motus in se sentiet, nonnisi meritum aliquod indè referet. Et sanè, non dubito, quin, qui hanc intentionem in conferendo & loquendo habebit, tùm sibi, tùm alijs eum audientibus profuturus sit, & doctior euasurus, tùm ad intelligendum, tùm ad amicos suos instruendos, qui vero ad vanam gloriam tentari se sentiet, ex eò, quòd hac de re loquatur, non minùs ad eam tentabitur, cum aliis videntibus, sacrum cum deuotione audiet, & cùm alia faciet, quæ ei (si Christianus haberi velit) necessariò facienda sunt, atque ob inanis gloriolæ periculum minimè omittenda sunt. Iam porrò refert, animas, quæ in virtute nondùm radicatæ sunt hoc obseruare, cùm tam multos, cùm inimicos, tùm amicos habeant, à quibus ad malum incitentur, vt quibus id verbis exprimam, prorsus nesciam. Et videtur mihi hac diabolus arte plerumque vti (quod id maximi sua interfit) vt scilicet boni ita se occultent, nemo alius vt videat ipsos verè ac sincerè DEVM amare, eique placere conari velle; malos è contrà excitet;

Bonum est communicare cum aliis, qui orationem exercent, dum quis ei se applicare incipit.

Diabolus vult bonũ celari, & inhonesta desideria aperiri.

vt in

vt inhoneſtos ſuos affectus & voluntates inuicem audacter detegant. Quod quidèm hodierna die ità commune & vſitatum eſt, vt iam illos vulgare, quædam eſſe videatur vrbanitas & elegantia; & quæ hac in re contra Deum committuntur offenſæ, paſſim detegantur, & publicè innoteſcant. Neſcio ſanè an ſtultè hic loquar, & ea quæ nihil ad rem ſunt: talia ſi ſint R. P. V. illa elaceret; ſi non ſint, inſcitiam quæſo meam, ſimplicitatemque aduersa nonnihil, multa de tuo ad hanc materiam adiungendo: quia quæ ad Dei ſeruitium ſpectant, adeò iam infirma ac debilia ſunt, vt eos, qui ei ſeruiunt, maximè neceſſe ſit, quo profectum aliquem faciant, inuicem ſuſtentare & iuuare; ità ſcilicet iam vulgò bonum putatur, mundi vanitates, & delectationes ſectari, & admodum pauci ſunt, qui ad hos reflectunt; at ſi quis Deo ſeruire incipit, tot ilicò detractores & oblocutores inſurgunt, vt ſocios illum conquirere opus ſit, quorum ope ſe poſſit aduerſus eos tueri, donec ſat virium per ſe habeat, & ità roboratus ſit, vt aduerſarios pati illi graue non ſit, alioquin magnis ſe anguſtiis implicatum ſentiet. Hanc cauſam fuiſſe credo, cur olim nonnulli viri ſancti eremum ac deſertum, ſoliti ſint petere; eſt etiam quædam humilitatis ſpecies ſibi ipſi non fidere, ſed credere Deum illorum, quibuſcum homo conuerſatur, intuitu auxiliaturum; ad hæc charitas aſſidua cum proximo communicatione creſcit, & augetur: præterea alia plurima inde bona enaſcuntur, quæ referre non auderem, niſi, quanti hoc referat, ſæpiùs experientia nouiſſem. Sum, fateor, ego omnium creaturarum infirmiſſima & miſerrima; ſed nihil eum puto perditurum, qui ſeſe humiliando, tametſi per ſe fortis ſit, id tamen de ſe neutiquam credit, ſed ei credet, qui hac in re multum eſt verſatus. Equidem hoc de me ipſa fateri poſſum me, niſi hanc mihi Dominus veritatem aperuiſſet, mediaque dediſſet, ad ſæpè cum ijs, qui in orandi arte, & modo verſati erant, agendum, modò lapſantem, ac modò reſurgentem, haud dubiè in infernum præcipitem lapſuram feciſſe: ad cadendum quippè multos habebam amicos, à quibus iuuabar; vt verò reſurgerem, adeò ſola ipſa eram, vt etiamnùm mirer, quomodo non ſemper in lapſu ſolo affixa hæſerim: Deique miſericordiam decanto, quia ipſe ſolus mihi manum ad reſurgendum porrexit, ipſe ſit in æternum benedictus, Amen.

Humilitatis eſt ſibi ipſi non fidere.

* * *

CAPVT VIII.

NARRAT QVAM EI BONVM FVERIT, ORATIONEM PRORSVS NON INTERMISISSE, NE ANIMAM PERDERET; QUAMQ; EA PRÆSTANS REMEDIUM SIT AD, QUÆ AMISSA SUNT, RECUPERANDA: SUADET OMNIBUS, VT EI SE DENT TANTUMQUE IN EA AIT BONUM CONTINERI VT, ESTO IN EA NON PERSEVERENT, MAGNUM NIHILOMINUS BONUM SIT, ALIQUO SALTEM TEMPORE PRETIOSUM HOC MONILE HABERE.

Eius humilitas.

NON immeritò hocce vitæ meæ tempus ità ponderaui & excussi; quod videam, nullum futurum, qui aliquam è rei adeò malæ & improbæ vsu voluptatem capiet. Vellem sanè, vt, qui hæc legent, mei nauseam conciperent, videntes animam adeò pertinacem, & ingratam ergà eum, à quo tot gratias & fauores accepit, cuperemque facultatem mihi fieri declarandi, quoties illo durante tempore, contrà Deum meum offenderim, eò quod forti illi & solidæ orationis columnæ non inniterer. Procellosum & tempestuosum hoc mare viginti propè annis nauigaui, alternis modo labendo, modo resurgendo, sed imperfectè admodum, eo quòd post resurrectionem ad vomitum mox redirem & vitam ità imperfectam ducerem, vt peccata venialia propè nihili facerem, mortalia verò, esto ea metuerem, non tamen ità timebam, vti quidem oportebat, cum eorum occasiones non declinarem. Hoc dicere scio, ist hunc viuendi modum ità acerbum & difficilem esse, vt nullus eo fingi, dariuè videatur posse difficilior: neque enim fruebar Deo, neque vllam è mundo voluptatem capiebam. Cùm enim in mundanis recreationibus eram, mox vt mihi in mentem redibat, quid Deo deberem, quamdam in ijs amaritudinem sentiebam: cùm verò cum Deo conuersabar, affectus, & desideria mundana me interturbabant. Hæcque pugna ità quidem pænosa & permolesta est, vt nesciam quomodo eam, vel ad mensem ferre potuerim, nedum ad tot annos. In hoc tamen magnam Dei ergà me misericordiam liquidè perspicio quòd, tametsi cum mundanis agendum & in mundo viuendum mihi esset, animum nihilominus haberem ad orationem exercendam: animum inquam: nescio enim quamnam ad rem, ex omnibus quæ in mũdo sunt, magis opus sit animo, quam vt quis de rege suo prodendo tractet, & interim sciat, hoc illum minimè latere, & nũquã eius præsẽtiã ex oculis amittat. Nã licet semper corã Deo simus quotquot sumus, lõgè tamen alio modo ei præsentes esse videtur ij, qui orationem exercẽt: vident enim assiduè se ab eo videri, cum fortasse alij ad multos etiam dies ne vel cogitant quidem, Deo se præsentes esse; verum quidem est, quod toto hoc tempore per multos aliquando menses, & credo etiam,

Vita ea acerba est, qua nec Deo fruitur nec mundo.

Qui orationem exercẽt alio modo Deo præsentes sunt, quam alij.

etiam, per vnum annum integrum mihi cauerim, ne Deum peccando offenderem, & orationi multum inſtiterim, variaſque diuerſimodè diligẽtias adhibuerim, necubi eum offenderem (& quia, quidquid ſcribo, cũ veritate coincidit, & veriſſimum eſt, ideò de hac re iam ago) ſed bonorum illorum dierum perexigua mihi eſt memoria; vndè quam pauciſſimi fuerint oportet, mali verò numero plurimi. Vix abibat dies, quin multas eius horas orationi impenderem, niſi me aut infirma impedire valetudo, aut de foris ingruentia negotia. Cum corpus ægrum eſſet, animus ad Deum, diuinaq; valentior erat, dabamq; operam, vt qui mecum tunc tractabãt, etiam benè quoad Deum, valerent; quod ipſum etiam à Deo inter orandum efflagitabam, ac ſæpiùs cum ijs de ipſo loquebar. Ita vt (excepto fortaſſe illo anno quem dixi) è viginti octo annis (tot enim ſunt, ex quo in oratione me exercere cæpi) octodecim, & amplius hac in pugna & conflictu, quòd modo me Deo, modo mundo alternatim applicarem, tranſegerim: in ijs verò annis, qui mihi iam commemorandi reſtant, pugnæ, tametſi ea parua non fuerit, cauſa mutata eſt, ſed quia tunc (vt quidem exiſtimo) in Dei ſeruitio eram & mundanam vanitatem perſpectam habebam, mihi omnia, vt poſteà referam, ſuauia fuêret. Cauſa igitur, ob quam hæc omnia ità particulatim deduxi, hæc eſt, primò vt & Dei miſericordia, & mea erga illum ingratitudo (vti iam antè dixi) appareat: deindè vt omnes magnum illud bonum intelligant; quod præſtat animæ Deus, cum illam diſponit, vt ſe in oratione cordialiter, & bona cum voluntate exerceat, eſto non tam benè, ac quidem oportet ipſa per ſe diſpoſita ſit; & quomodo Dominus illam, ſi modo in ea perſeueret, non obſtãtibus peccatis, tentationibus, & diuerſis lapſibus, quos diabolus cauſabitur, tãdem (vt quidem mihi ipſa certò perſuadeo) ad ſalutis portum pertrahat: ſicut me (vt mihi quidem iam videtur) per ſuam gratiam eo pertraxit: diuina eius maieſtas faxit, ne poſthac denuò ad me perdendam reuertar. Quãtum porrò boni proueniat in oratione (mentali inquam) ſe exercenti, ſancti ac pij viri ſcripto prodidêre, de quo Deo laus ſit, & gloria. Et licet hoc ità non eſſet, ego, tametſi parum humilis ſim, non tamen vſque eo arrogans ſum, vt de hac re aliquid ſcribere audeam. De re autem, cuius aliquã experientiam habeo; hoc dicere poſſum, ſcilicet eum, qui ſemel orationẽ exercere cæpit, nullo eamdem pacto intermittere debere, quæcumq; demum peccata cõmittat, cũ hæc ipſa vnicum medium ſit ad reſurgendũ, & in rectã viã redeundũ, & ſine ea perdifficile futurũ ſit aliquod remediũ inuenire. Videat porrò ne diabolus ita ipſum tẽtet, ſicut alias me tẽtauit, vt ſcilicet ex humilitate quadam eam intermittat, quin imò indubitatè ſibi perſuadeat, verba Dei fallere non poſſe, vtpotè qui promiſit ſe quotieſcumque verè nos commiſſorum pœnitet, & non amplius eum offendere

Quantum ex oratione boni proueniat.

Qui statuit nō amplius Deum offendere ad primam eius amicitiā redit.

proponimus, ad primam nos amicitiam & gratiam admissurum, & eosdem fauores nobis daturum, quos prius, & aliquando etiam maiores, si quidem id pœnitentia promereatur. Eum verò, qui nondum orationi se dare incipit, ex amore Dei rogo, ne tanto se bono vllatenus frustratum velit. Nihil autem hic est quod metuat, sed quod desideret: nam esto non proficeret neque contenderet, vt ad illam perueniret perfectionem, vt nimirum eos gustus & delectationes mentis promereatur, quas perfectis Deus concedit; hoc saltem lucrabitur, quod ad viæ, quæ ad cælos ducit, notitiam deueniet; &, si modo perseueret, de diuina misericordia spero fore, vt frustra non sit: nemo enim vmquam eum in amicum delegit, quin hoc ei abundè sit compensatum. Quia iudicio meo, nihil oratio mentalis est aliud, quam quoddam inter amicos colloquium & tractatiò de amicitia, & sæpè cum eo in secreto agere, à quo nos amari scimus. Si autem eum nondum diligas (nam, vt amor sit verus, & amicitia durabilis, conditiones vtriusque amantis conformes esse oportet, & inter se conuenire) porrò iam tum certissimum est, nullum in Domini conditione defectum posse reperiri, cum interim nostræ sit proprium, vt vitiosa, sensualis & ingrata sit: vnde numquàm eo peruenire potes, aut induci, vt in tantum ipsum diligas: nam non est conditionis tuæ, cum tamen videas, quanti tua referat, illum amicum habere, quâque ipse te ardenter diligat, hanc diu cum eo, qui tui adeò dissimilis est, conuersandi pœnam haud inuitus subi. Quam, ô infinita Dei mei bonitas, nihil video r videre te, atque pariter meipsam! quam vellem, ô gaudium Angelorum, quoties hoc mecum considero, penitus me in te amando consumere, & annihilare? Quam item certum est, te tolerare eum, quite, vt secum sis, non patitur! Quam te bonum ei amicum exhibes, Domine mi? quam illum recreas ac supportas! quam patienter expectas, vt tuæ se conditioni conformet, & attemperet, cum tu interim illius conditionem benignè toleres! quin imo in satisfactionem ac bonum computum singula, quibus te amat spatia, ac momenta admittis, & propter pœnitentiæ punctulum omnia eius peccata & debita obliuiscēris. Verum hoc esse, liquidò in me perspexi: non video autem, mi Domine Creator, cur totus mundus ad te per particularem hanc amicitiam venire non procuret. Mali, qui tuæ conditionis non sunt, venire ad te debent, vt eos reddas bonos, dummodò te patiantur ad duas saltem horas singulis diebus apud se manere; esto interim ipsi apud te non sint nisi sexcentis curarum, & cogitationum mundanarum distractionibus intercurrentibus, sicuti ipsa faciebam. Per hanc porrò vim, quam sibimetipsis inferunt, vt apud tam bonum amicum sint (nam in principio quidem hac in re amplius quid facere non possunt, imò & interdùm nec diù posteà) dæmones violenter impedis, ac retines, ne illos oppugnent, vtque quotidiè

Quid sit oratio mentalis

Per orationem ad Deū accedere debemus.

minùs

minus virium contra ipsos habeant; illis autem è contra robur & vires animi suppeditas ad hosce deuincendos; ità quidem, vt neminem (ô omnium vitarum vita) eorum qui tibi fidunt, teque in amicum habere volunt, de vita tollas, sed vitam corporalem etiam sustentes maiorem eis valetudinem dando, & vitam animæ concedas. Non intelligo sanè quid tandem timeant, qui mentali orationi sese applicare timent; & verè cur metuant nescio; consultò autem dæmon hunc metum causatur, vt per eum verè nobis noceat, ac melefaciat, cum scilicet per hunc me impedit, quo minus recogitem, quoties, & quam grauiter Deum offenderim, quantum illi debeam esse infernum, ac cælestem quamdam gloriam, denique ne cogitem ingentes illos cruciatus, & labores, quos mei causa subiit. Circa hæc omnis mea oratio versabatur, & versata est, quamdiù inillis periculis constituta fui; & hæc, quando poterã, identidem ruminabam; imò per aliquot annos, sæpiùs magis laboraui, vt horam, quã ad orandum mihi præfixeram, citò transactam viderem, attendens anxiè quando tandè signum eius elapsæ daretur, quã vt aliis rebus bonis me daré, & non rarò quantũlibet graué pœnitentiam libentiùs subiissem, quã me ad orandum recollegissem. Vis porrò, quam mihi diabolus, aut peruersa mea consuetudo faciebat, vt orationem intermitterem, & tristritia, quæ me, dùm intrà Oratorium me abdentem, occupabat, tanta erat, vt, quò mihi vim facerem, omni me conatu, & animo conniti oporteret (quem tamen animum non exiguum habere dicor, & ad oculum videre fuit, eum mihi pluſquam muliebrem à Deo datum esse, nisi quod malè eum impendi) sed Deus tandem auxilio suo mihi aderat. Postquam verò hanc mihi vim fecissem, maiorem longè quietem sensi, & consolationem, quàm aliquoties, dùm in libro pio legere gestiebam. Si ergo Dominus me ita nefariã tanto tempore sustinuit; & euidenter quoque pateat, hac via omnibus malis meis remedium adhibitum esse, quis, quantumlibet malus, timeat? nemo sanè: nam esto sit pessimus, tot saltem annis malus non erit, post tot à Domino gratias acceptas: aut quis diffidere poterit, cum ipse me tanto tempore sustinuerit? idque dumtaxat, quod commodum aliquem locum, & tempus quærerem, & ambirem, quo ipse mecum ageret; & hoc sæpè me inuitâ; quod magnam mihi vel ego, vel Dominus ipse vim faceret: si ergo oratio, etiam ipsi minimè seruiẽtibus, imò etiã aduersus ipsum delinquentibus tantopere prodest, ac necessaria est, & nemo dicere in veritate possit, vllum ex ea damnũ prouenire; sed certũ sit, maius ex eo sequi, quòd oratio non colatur, cur, quæso, eã omittãt qui Deo vel seruiunt vel seruire volunt? Quod cur facerent, equidem prorsus nõ intelligo, nisi fortasse, vt vitæ huius molestias ac difficultates maiore cũ difficultate trãsigãt, Deoq; velut ianuam occludant, ne quam ipsis in illa consolationẽ & recreationẽ

Timere exercitium orationis mentalis malus est timor.

Quæ Sancta huiusfuerit oratio.

Quam sibi vim inferret ad orationem faciendam, & quem postea senserit requiem.

immittat. Duorũ profectò me miseret. Quã enim suo illi dispendio Deo seruiunt? cum è contrà ijs, qui orationi se dant, ipsemet Dñs sumptus omnes quã largissimè quodamodò suppeditet, cũ pro exiguo, quẽ suscipiũt, labore, consolationẽ submittat, cuius adminiculo difficultates occurrẽtes æquanimitèr perferant. Quoniã verò de his consolationibus, quas in oratione perseuerãtibus Dominus elargitur, posteà vberiùs loquẽdi locus erit: hinc nihil de ijsdẽ hic dico; hoc vno excepto, orationem veluti portam fuisse, per quam magnæ illæ gratiæ, quas mihi præstitit, venerũt; quæ si occludatur, nescio qua illas via submittere poterit: nam, esto quidem ipse ad animam aliquam ingredi ad cum ea deliciandum, & simul eam recreandam vellet, nullus patet aditus: cupit namque eam esse solam, cupit mundam, cupit earumdem recipiendarum desideratissimam, quocirca si multa ei obstacula & remoras obijciamus, nullam autem ad ea submouẽdã operam adhibeamus, quomodo ad nos veniet, aut quomodo singulares eum gratias nobis cõferre volumus? vt autẽ præstans eius misericordia eluceſcat, nec non quantũ indè mihi boni obuenerit, quod orationem, ac lectionem piã numquã intermiserim, referã hic (cùm tanti id referat benè scire, & intelligere) quibus diabolus machinis animã aggrediatur, quò eã expugnet; simul & artificiũ, & misericordiã, quâ eã Dominus ad se reducere satagit; vt legẽtes, sic pericula caueant, à quibus mihi ipsa satis nõ caui. Antè omnia igitur, ex amore Domini nostri Iesu Christi, & per ardẽtem illũ, quo omnimodis nos ad se reuocare allaborat, amorẽ quoslibet rogo, vt quascũq; peccãdi occasiones fugiãt: si enim illas nõ declinemus, sed captemus, quænã nobis esse potest securitas, cũ tot nos inimici oppugnẽt, & tãta ex aduerso in ñobis sit ad nos defẽdẽdos imbecillitas? vellẽ equidem captiuitatẽ, quâ tũ temporis anima mea captiua detinebatur, aliquo modo possem describere: quia sciebam, & videbam captiuam quidem illam esse: quo tamen constricta vinculo teneretur, intelligere planè non poteram, vti nec credere id quod Confessarij mihi non ità exaggerabant, tam esse malum, quàm id ego in anima mea esse sentiebam. Quidam ex illis, cùm scrupulis pressa consilij, & auxilij causâ ipsum adijssem, mihi dicere veritus non est mihi, esto ad summum contemplationis genus euecta essem, id genus occasiones, & conuersationes minimè posse nocere. Erat hoc iam circa finem, quandò scilicet, diuina iuuante gratia iam me à magnis peccandi periculis magis cauebam, tametsi ipsam occasionem peccandi nondum penitùs declinarem. Quod autem omnes me desideria bona habere, & orationi subindè insistere viderent, multum sanè ijs agere videbar; anima autem mea facilè intelligebat, non esse id facere illud, ad quod obligata erat ei cui tantum debebat. Miseret sanè me iam eius, quod tam multa tunc sustinuerit, quodque

ei tam

ei tam parùm ab omnibus, præterquam à Deo venerit subsidij, deindè quod tanta ei daretur libertas ad recreationes & consolationes suas sectandas, dicendo, eas licitas esse. Quam deindè in concionibus sensi, pœna non erat exigua, & ita eisdem audiendis afficiebar, vt, si quem cum spiritu & benè concionantem viderem, particulari quodam erga eum amore ferrer, ita tamen vt eum ipsa non procurarem, & vndè is mihi oboriretur, prorsùs ignorarem. Penè numquam aliqua mihi concio tam inepta & incongrua visa est, vt non eam libenter audirem; etsi aliorum, qui eam audissent iudicio concionator non benè esset concionatus: si autem bona esset concio, particularem quamdam indè voluptatem hauriebam. Numquam penè, ex quo orationi vacare cœpi, tædio mihi fuit de Deo & loqui, & alios loquentes audire. Conciones, porrò, quas audiebam, aliquando summæ mihi erant consolationi, aliquādo verò valdè me cruciabant, quòd in illis intelligerem, multum me distare ab eo, quod esse debebam. Rogabam itaque Dominum, vt me adiuuaret: sed (prout mihi nunc quidem videtur) in eo debui tunc errasse, quod fiduciā non penitus in diuina eius maiestate ponerem, nullam verò penitus in memetipsa. Quæritabam itaque remedium, & conatum adhibebam quē poteram: sed verisimile est, non intellexisse me, omnia parum, aut nihil iuuare, nisi de nobis ipsis penitus diffidentes, fiduciam omnem in Deo ponamus: Volebam scilicet viuere: intelligebam namque me neutiquam viuere, sed cum quadam vmbra mortis certare; & nemo erat, qui mihi vitam daret, hanc tamen à memetipsa capere non poteram: qui autem eam mihi dare poterat, non sine ratione mihi non succurrebat, cum iàm toties me ad se reduxisset, & eum ipsa turpiter deseruissem.

Nimia libertas noxia.

Concionibus audiendis delectatur Sancta M.

Tædio illi nō fuit de Deo loqui.

Sibi diffidat homo penitùs & Deo fidat.

Caput IX.

REFERT *QVIBVS ANIMAM EIVS MEDIIS DEVS EXCITARE, & aliquod ei, in tam spissis tenebris lumen dare, & virtutes eius, ad eum non offendendum corroborare cœperit.*

Erat igitur anima mea, iam lassa & exhausta, & licet quiescere ipsa paululùm vellet, mali tamen, quos habebat, habitus, & consuetudines nullam ei requiem, indulgebant. Factum est autem, vt, cùm quadam die oratorium intrassem, quamdam in eo viderim imaginē, quæ ibidem custodiæ causa reposita, & ob festum quoddam in monasterio nostro celebrandum mutuò accepta erat. Depictus in ea erat Redemptor noster Christus, vulneribus, & plagis vndequaque deformatus; ità aspicientes ad compassionem commouens, vt statim, atq; in eam oculos conieci, tota interiùs

internis turbata ſim, quòd tali enim in ſchemate, & forma viderem; quòd ad viuum repræſentaret, quod pro nobis is paſſus eſſet. Talem quidem in animo meo dolorem ſenſi, quòd illi ob acceptas haſce plagas, tam parùm grata exſtitiſſem, vt cor mihi in duas diffindi partes videretur; vndè ipſa me multis cum lachrymis coram eo abieci, ex animo eum rogans, talem mihi ſimul & ſemel conſtantiam, atque animi robur daret, vt poſthac ampliùs eum non offenderem. Singulari porrò affectu S. Mariam Magdalenam proſequebar, eiuſque conuerſionem ſæpè mecum recolebam, & maximè dum ad menſam Euchariſticam accedebam. Nam quòd certo certiùs ſcirem, Dominum Ieſum intrà me tunc realiter præſentem eſſe, ad pedes eius me collocabam, ſperans fore, vt lachrymæ meæ non repellerentur. Et neſciebam quid dicerem: nam pluſquam ſatis faciebat is, qui ſui causâ me eas effundere patiebatur, cùm ſenſus huius, & affectus tam citò me caperet obliuio; & Sanctæ huic ſeriò me commendabam, vt ſuffragio ipſa ſuo mihi commiſſorum veniam impetraret. Sed poſtremus ille, quem dico, imaginis huius conſpectus, magis mihi profuiſſe videtur; quod iam penitùs mihi ipſi diffiderem, & omnem fiduciam meam in ſolo Deo collocarem. Videor porrò mihi tunc ei certa cum fiducia dixiſſe, indè me non antè ſurrecturam, quàm me eius, quod ab eo petebam, compotem redderet: & certò mihi perſuadeo id mihi profuiſſe: nam ex eo tẽpore notabiliter vitam emendare cœpi. Hunc porrò orandi modum ſeruabam: nam quòd per intellectum diſcurrere non poſſem, Redemptorem noſtrum IESVM intrà me repræſentare conabar, & in illorum myſteriorum meditatione plus guſtus & affectus mihi inuenire videbar, in quibus eum magis ſolum, & ab alijs deſertum videbam: credebamque eum ità ſolum & afflictum, tamquam, qui in neceſſitate poſitus eſt, haud ægrè me admiſſurum. Non paucas id genus ſimplicitates habebam; præcipuè verò me mouebat ipſa Domini in horto Getſemani oratio, ibi ei ſolus me comitem adiungebam. Hic ſudorem eius, &, quam ibi ſenſit, animi anguſtiam mecum recolebam, &, ſi mihi licuiſſet, hunc tam pœnoſum, & amarum ſudorem ei detergere voluiſſem: ſed, quantum recordor: numquam id auſa fui proponere aggredi, quod peccata mea tam grauia identidem mihi ob oculos verſarentur: hîc tam diu cum eo per imaginationem manebam, quantum id mihi cogitationes permittebant: nam eę plurimæ numero mentem non mediocriter lancinabant. Permultos annos, pleriſque noctium, antequam dormirem, cum iam antè ſomnum Deo per preces commendarem, ſemper aliquanto temporis ſpatio de hac oratione in horto meditabar, etiam antequam religioſa forem; quod amplæ hocce myſterium recolentibus promiſſæ eſſe dicerentur Indulgentiæ. Credo autem firmiter animam meam hoc pacto non contemnẽdum

Erga S. M. Magdalenâ deuota eſt.

Quomodo vt cùm intellectu diſcurrere non poſſet.

quæſtum

quæstum feciſſe; quod hac occaſione orationi vacare cæpi; cum tamen, quid ipſa eſſet, neſcirem; quinimò ità mihi familiaris iam fiebat oratio, vt non magis eam omitterem, quàm me omittebam ſigno Crucis communire, dum ad dormiendum me componerem.

Vt ergo ad tormentum, quod à cogitationibus occurrentibus me paſſam dixi, reuertam, dico ordinarium, & proprium eſſe huic orãdi modo ſine intellectus diſcurſu, vt in eo anima multũ, vel lucretur, vel amittat: omiſſa, inquã, conſideratione, is, qui ſic proficit, multũ proficit, eò q̃ totus in amando verſetur. Nemo autem huc pertingit, niſi poſt magnum laborem, ac non ſine magno ſuo ſumptu; præterquam illi, quos Dominus, quàm breuiſſimo tempore ad orationem quietis perducere dignatur; tales enim nonnullos noui. Qui autem tales ſunt, iis expedit librum in manus accipere, cuius lectionis adminiculo ſtatim ſe recolligant. Plurimum quoque me iuuabat, videre campos, aquam, flores: his quippè in rebus Creatoris ipſius memoriam inueniebam: hæ, inquam, me excitabant, & recollectam faciebant, librique alicuius vicem præſtabant, etiam in ingratitudine, & peccatis meis. Cœleſtia autem, ac ſublimia numquam intellectus meus (qui eius erat ſtupor) potuit imagi-ari, donec aliâ mihi viâ, & modo Dñs illa repræſentauit: nam adeò parũ habilis erã, vt per intellectũ aliquid mihi repræſentarẽ, vt nihil ab imaginatione meâ ſubſidij haberem, niſi dũtaxat in recogitando eo, quod oculis ipſa meis intuebar, cum tamen alij quaſlibet repræſentationes facere poſſint, in quibus ſe recolligant: Ego ſolum de Chriſto, in quantum homo eſt, cogitare poteram, numquam tamen eum mihi repræſentare potui, quantumcumque demùm de eius pulchritudine legerem, aut quantaslibet illius imagines viderem; niſi tãtum inſtar cæci alicuius, aut eius, qui in tenebris ſine aliquo lumine agit, qui tametſi cum aliquo loquatur, ſciatque ſe apud illum eſſe (quòd certiſſimè norit ipſum præſentem adeſſe, ſciat, inquam, & credat illum coram eſſe) eum tamen non videt. Eodem prorſus modo mihi fiebat, dùm de Saluatore Iesv cogitabam. Hanc ob cauſam ità ergà imagines & picturas afficiebar. Væ autem illis infœlicibus, qui culpa ſua huiuſmodi bono excidunt; vndè clarè colligere eſt, illos Dominum neutiquã diligere: ſi enim eum diligerent, eius haud dubiè imagine delectarentur; quemadmodum etiam inter amicos mundanos iuuat, & volupè eſt, imaginem videre eius, quem vnicè diligimus.

Cui rei ſubiecti ſint, qui in oratione intellectu diſcurrere nequeunt.

Viſio agrorum & florum ſæpè in ſpiritu iuuat.

Imago rei amatæ delectat.

Hoc ipſo tempore dati ſunt mihi libri Confeſſionum Sancti Auguſtini, diſponente (vt quidem apparet) Domino; quòd eas ipſa nec procurarim, nec vmquam vidiſſem. Porrò ſingulari erga S. Auguſtinum affectu ſum, tum quòd Monaſterium, in quo, etiamnum ſæcularis, habitaram, Ordinis Auguſtiniani eſſet, tùm quod & ipſe, dum viueret, peccator fuiſ-

Peccatoribus consolationi est invocare Sanctos, qui etiam peccatores fuêre.

set. Nam Sancti, quos Dominus, postquam in peccatis vixissent, tandem ad se vocauit, permagnæ mihi semper consolationi fuerunt, quòd aliquam in ijs opem inuenire debere me crederem, & DOMINVM, quemadmodum illos in gratiam receperat, ità & me in gratiam recepturum. Sed, vt dixi, vnum hoc me deijciebat, & angebat, scilicet eos nonnisi semel à DOMINO vocatos esse, & exindè non ampliùs recidisse, me verò toties vocatam, semper ad vomitum rediisse. Quod sanè summoperè me angebat. Attamen cum amorem eius, quo me prosequebatur, considerabam, rursùs animum resumebam: numquam enim de eius misericordia diffidebam, de me ipsa verò sæpissimè.

Quàm, ô bone DEVS, animæ meæ duritiem & peruicaciam demiror, cùm tamen tot, tamque præclara ab ipso subsidia acceperit! Non possum non metuere, ac pauere, dum cogito, quàm parum in meipsa potuerim, ac quàm velut constricta fuerim, ne mecum ipsa statuerem totam me DEO dare. Vt ergo illas Sancti Augustini Confessiones legere cæpi, mei ipsius in ijs imaginem videre visa sum, serioque me, & ex animo glorioso huic Patri commendare cæpi. Dumque iam ad illius conuersionem peruenissem, & quomodò illa ad eum vox in horto facta esset, non aliter commota sum, ac si eâdem à Domino voce compellarer: vnde etiam magno temporis spatio tota me in lachrymas, introrsum, intrà me metipsam flens, effundebam, non sine magna animi amaritudine, & angore.

Quantum, DEVS bone, patitur anima, vt libertatem, quam vti Domina habere deberet, amittat, & quantum tormentorum tolerat! Iam mecum ipsa miror, quomodò tanto in cruciatu viuere potuerim, benedictus sit DEVS, qui vitam mihi dedit, vt è morte adeò mortifera emergerem. Magnas tum animam meam à diuina maiestate vires accepisse, & DEVM clamores meos exaudire, tantarumque lachrymarum misereri debuisse mihi verisimile sit. Vnde animus, & desiderium mihi crescere cæpit, diutiùs cum ipso in oratione agendi, & peccandi occasiones ab oculis meis amouendi; illis enim remotis, & ablatis, statim ad maiestatem ipsius amandam denuò conuertebar: nam etsi, quantum mihi quidem videbatur, me illum diligere intelligerem; non intelligebam tamen (vti id intelligere debebam) in quo situm esset, DEVM sincerè & cordialiter diligere. Nõ videbar à me ipsa impetrare posse, vt me ad ei seruire cupiendum tunc disponerem, cùm illius me maiestas nouis gustibus recreare rursùs incipiebat: quinimò, quod alij sumo cum labore sibi comparare student, id DOMINVS ità mihi vltrò dare voluisse videtur, vt quodammodò à me contenderet, vt ipsum accipere vellem, adeò scilicet

licet abundanter postremis hisce annis, gustus, & consolationes spiritus mihi suppeditauit. Eum verò rogare, vt eas mihi daret, aut aliquam deuotionis teneritudinem, numquam ausa fui; hoc tantum ab eo petij, gratiam vt mihi daret, eum posthac non offendendi, & enormia peccata mea mihi condonaret. Quæ, quia ità enormia esse videbam, ideò numquam ex professo, & aduertenter consolationes, gustusue rogare eum ausa sum: & videbatur mihi nimis quàm multum eis pietas agere (& reuera magnâ mecum est misericordiâ vsus) quòd me coram se esse permitteret, meque sibi præsentem habere sustineret: videbam quippè, nisi tantopere ipse institisset, numquam futurum fuisse vt venirem. Semel tantum in vita, quantum memini, gustus spirituales ab eo petij, quòd tunc magnam mentis ariditatem sentirem, cumque, quid agerem, aduerterem, ità indè apud me confusa mansi, vt hæc ipsa erubescentia ex eo orta, quòd me tam parum humilem viderem, mihi dederit id, quod petere ausa fueram. Sciebam quidem licitum, & fas esse gustus petere; sed illorum tantum hoc esse putabam, qui hùc ritè dispositi sunt, eorum nimirùm, qui, quæ veræ deuotionis sunt (qualia sunt, Deum peccando non offendere, & ad omne bonorum genus egregiè dispositum, ac resolutum esse) totis semper viribus procurare studuerunt. Videbantur autem mihi hæ lacrymæ meæ muliebres esse, & impotentes, cùm per eas non obtinerem id quod desiderabam; nihilominùs aliquatenùs eas credo mihi profuisse: quia speciatim post duas illas, quas dixi, vices, quibus in illis magnam animi compunctionem & afflictionem sensi, magis me orationi dare cœpi, & minus tractare ea, quæ mihi noxia & damnosa esse possent: ac tametsi nondum penitùs illa relinquerem; Deus tamen, vti dico, in ijs paulatim abdicandis me adiuuabat. Quod autem eius maiestas nihil aliud exspectabat, quam aliquem ad hoc in me apparatum ac dispositionem videre; hinc spirituales gratiæ, eo quo dicam modo, in me crescere cœperunt; quod tamen eiusmodi est, vt id non soleat Dominus dare, nisi ijs, qui mundiore conscientiâ sunt.

Consolationes à Deo petere ausa non fuit.

Quomodo erubescerat, quod consolationes à Domino petijsset.

* * *

CAPVT X.

INCIPIT REFERRE GRATIAS, QVAS A DOMINO IN ORATIONE accipiebat, & qua in re nos ipsos adiuuare posſimus, ac quanti referat intelligere gratias, quas Dominus nobis præſtat. Rogat eum, cui hac mittit, vt quæ post hac ſcriptura eſt, ſecreta maneant, cùm, quas Dominus ei præſtat gratias, ità particulatim enarrare iubeatur.

HABEBAM interdum, vti iam dixi, quædam (tametſi, quàm breuiſſimè id pertranſiret) principia eius, quod iam dicam. In illa repræſentatione, quâ apud CHRISTVM me præſentem eſſe fingebam (de qua ſuprà locuta ſum) quin etiam interdum dum in libro legerem; fiebat in me repentè, & improuisò quidam diuinæ præſentiæ ſenſus, vt dubitare nullatenùs poſsē, quin aut ipſe Deus intrà me eſſet, aut ego tota in ipſum abſorpta. Non erat tamen hoc per modum viſionis; crediderim myſticam id Theologiam vocari; hoc autem ita animam ſuſpendit, vt tota extra ſe eſſe videatur. Voluntas quippè amat, memoria propè amiſſa eſſe videtur, intellectus (quantum mihi videtur) non diſcurrit, non tamen amittitur: ſed, vt dico, * non operatur; at eſt velut conſternatus præ multitudine eorum, quæ intelligit: vult enim Deus eum noſſe, ſe nihil eorum, quæ maieſtas ipſius ei repræſentat, intelligere. † Senſeram iā antè, valdè continuò quandam animi teneritudinem (ſed ex parte à nobis ipſis tale quid procurare poſſe videmur) nec non delectationem, & conſolationē quandam, quæ, eſto nec planè ſenſualis, nec planè ſpiritualis ſit, tota tamen à DEO Optimo Maximo datur. Sed ad hanc habendam, non parum nos iuuare poſſe videtur, ſi noſtram vilitatem, & ſummam ergà Deum ingratitudinem, nec non, quàm multa noſtri cauſa ipſe fecerit, eius item paſſionem, tot, tamque amaris doloribus pleniſſimam, vitam deniquè ipſius pœnoſiſſimam conſideremus. Huc quoque mirè facit orta ex operum eius conſpectu exultatio, magnitudinis quoque eius, & immenſi, atq; inexhauſti erga nos amoris conſideratio, nec non alia id genus plurima, quę ſeriò profectum facere volentibus, ſæpè vltrò, & non ſatis aduertentibus occurrunt, ac ſe ingerunt: Iam ſi præter hæc aliquis etiam accedat amor, anima conſolationem ſentit, cor tenereſcit, lachrymarum copia promanat. Et has quidem interdum noſipſi violenter elicere videmur, interdum verò

Senſus diuinæ præſentiæ.

**Dicit intellectum non operari, quia, vt dixit, non diſcurrit ab vna re ad aliam, nec aliquas cõſiderationes elicit; quod boni ei obiecti magnitudo, tunc eum totum occupet: reipſa tamen & realiter operatur, quod oculos in id quod ei repræſentatur, coniiciat, & cognoſcat ſe id, quomodo ſit intelligere non poſſe. Cum ergo ait intellectum non operari, ſignificare vult, eum non diſcurrere ſed velut conſternatum manere præ multitudine eorum quæ intelligit, id eſt præ magnitudine obiecti, quod videt: non quod multa de eo intelligat, ſed tantùm, quia id tam magnum in ſe eſſe videt, vt penitus id intelligere non poſſit.*

† *Teneritudinem & conſolationem ipſi nobis procurare poſſumus.*

verò ipse Dominus eas videtur concedere, quos ipsi eas remorari, & impedire non valeamus. Adeò vt diuina eius maiestas nobis exiguam hanc, quam cepimus curam, amplissimo quodam dono (quale est interna illa consolatio, quàm anima indè sentit, quòd se ob tam immensum Dominũ plorare videat) compensare velle videatur. Et non miror: nam nimis quã magnam se consolandi rationem habet. Itaque iubilat hic, plaudit, deliciatur. Vndè eâ, quæ mihi modo se offert, comparatione rem hanc commodè videor posse exprimere: scilicet hæc orationis gaudia, & recreationes talia esse, qualia verisimile est esse eorum, qui in cœlis sunt: nam si amplius non vident, quam eos Deus promeritorum ratione videre vult; & quia merita sua exigua esse simul vident, hinc quisque eo contentus loco est, quem habet; Cùm tamen tanta vnius gaudij ab altero in cœlo sit differentia, & maior multò quàm sit vnius gustus & gaudij spiritualis ab alio, quæ tamen est maxima. Et sanè anima iam tum in principio, cum hanc ei Dominus Deus gratiam facit, putat iam nihil ferè amplius esse, quod desideret, sibique quam abundantissimè satis factum credit pro omni eo, quod hactenus ipsi seruiuit. Idque non sine ratione: nam vna lachrymarum earum, quas, vt dixi, ipsi quodammodò procuramus (quanquam sine Dei nutu nihil hic fiat) nequidem omnibus, qui in mundo sunt, laboribus, coemi mihi posse videtur. Multum quippè per illas anima lucratur: quod enim dari maius lucrum potest, quam aliquod testimonium habere, quòd Deo placeamus? Vndè, qui huc peruenit, multum Deum glorificet, ei gratias agat, multumque ei se debere fateatur, necesse est: quòd ipse iam tum eum in domesticum deligere, ac regni sui participem facere, nisi retrospiciat, velle videatur. Non curet etiam certas quasdam humilitates, de quibus iam agere constitui: quia multi humilitatem esse putant, non agnoscere, gratias se à Deo accipere. Quod quomodo fiat, benè intelligamus oportet: nimirum, Deum illas nobis sine vllo nostro merito dare; ac maiestati eius, propterea grati simus, ac gratias agamus: nam, nisi quæ ab ipso accipimus, agnoscamus, ad eum amandum non animabimur. Et est sanè certissimum, quòd, quò magis nos diuites esse videmus, (scientes interim, & agnoscentes, nos pauperes esse) eo maius nobis emolumentum, atque etiam plus veræ humilitatis accedat. Illud alterum nihil est aliud, quam animi ad segnescendum prouocatio, dùm nimirum se ad magna bona recipienda idoneum non esse credit; eò quòd statim atque hæc Dominus ei dare incipit, timorem homo concipiat, ne à vana gloria tentetur. Credamus porrò eum, qui nobis bona dat, etiam daturum gratiam, ac lumen, ad diabolum, si quando nos, quoad hanc rem tentare incipit, ilicò percipiendum, quin & robur ad ipsi resistendum: si, inquam, cum simplicitate coram Deo ambulemus, ei soli,

Lachrymarum Sanctarum pretium.

Falsa humilitas est, nolle in se agnoscere gratias à Deo acceptas.

Beneficiorum recordatio acuit amorem.

non autem hominibus, placere volentes. Certissimum est, tunc nos magis aliquem amare, cùm beneficiorum, quæ ab ipso accipimus, identidem recordamur. Si ergo licitum, adeòque meritorium sit, perpetuò meminisse, habere nos à DEO esse, & è nihilo ab eodem creatos esse, ac quotidiè sustentari; nec non reliqua beneficia, puta mortis eius & laborum, quæ etiam diù antequàm nos crearet, in gratiam singulorum modò viuentium præstitit; cur mihi licitum non erit sæpè agnoscere, videre, & considerare, me de nugis, ac vanitatibus loqui solitam esse, & Dominum iam voluntatem mihi dedisse, non alia de re, quàm de ipso loquendi? Ecce ergò monile quoddam pretiosum, quod cùm ipsum nobis datum esse, & de facto iam à nobis possideri recordamur, violenter quodammodò nos ad amandum inuitat, atque in hoc omne orationis super humilitatem fundatæ bonum situm est. Quid ergo erit, cùm iam se in potestate sua habere videbit etiam alia monilia pretiosiora, qualia nonnulli serui DEI iam acceperunt, videlicet contemptus tùm mundi, tùm etiam suiipsorum? certum est, eos agnoscere oportere plus se debere, ac magis ad Deo seruiendum, & intelligendum nihil horum omnium nos à nobis habere, & ad liberalitatem Domini datoris agnoscendam teneri; quòd scilicet animæ ità nefariæ, & pauperi, nullorumque meritorum, qualis mea est, (quia vel primum horum monilium mihi sufficiebat, & nimis quàm satis pro me erat) plures diuitias, ac gratias conferre voluerit, quàm etiam desiderare potuissem. Necesse proindè est, nouas nos ad ei seruiendum vires elicere, & opera danda, ne ingrati ei simus: nam hac conditione eas Dominus dat, vt, nisi thesauro, & eminenti statu, ad quem nos euehit, benè vtamur, eum ipse rursùs à nobis erepturus sit, & nos pauperiores, quam eramus priùs, futuri; & illi sit Maiestas eius hæc monialia datura, qui ea exeret, ac per ea tum sibi, tum etiam alijs proderit. At quomodo rem indè faciet, & liberaliter ea expendet is, qui se diuitem esse nescit? Ea quidem naturæ nostræ conditio est (prout mihi quidem videtur) vt hunc impossibile sit animum ad magna, & sublimia habere, qui non intelligit, liberaliter à Deo, & amicè se haberi: ità namq; miseri sumus, & ad terrena inclinati, vt is ægrè magna cum resignatione, ac generosè detestaturus sit, quidquid terrenũ est, qui aliquod se supernorũ pignus habere nõ intelligit (nam per hæc dona Dominus reddit nobis robur, quod nostris peccatis amisimus) & valde difficulter desiderabit, vt omnes se exosũ habeãt, quin & abhorreant; nec ad reliquas omnes eximias virtutes, quas perfecti viri habẽt, aspirabit, nisi aliquod amoris, quo ipsum Deus prosequitur, pignus, nec non viuã fidem habeat. Natura quippè nostra ità emortua est, vt libenter, & vt plurimum in id feramur, quod oculis cernimus, vnde hisce donis iuuari debet, quæ in nobis fidem tum excitant,

Thesauro à Deo dato bene vtendum.

Donis suis dat nobis Deus vires amissas.

citant, tum etiam corroborant. * Fieri potest, vt ego, vtpote quæ ità improba sum, sic de me iudicem: at non deerunt forsan alij, quibus sola fidei veritas sufficiet ad opera valdè perfecta peragenda: nam ego (vtpote miserabilis) omnibus omninò adminiculis opus habui. Sic fortassis illi de se loquentur; ego, quid mihi factum sit, enarro, sicut etiam mihi iniunctum est, in quo si errem, lacerabit hoc is, cui ipsum mitto, quia meliùs, quid sit malum sciet intelligere, quam ego. Quem ex amore Dei rogo, vt, quidquid hactenùs de mea improba vita, & peccatis commemoraui, omnibus enarret, ac diuulget: & iam indè ex hoc tempore plenam ad hoc ei facultatem facio, vti & omnibus Confessarijs meis, de quorum numero is est, cui scriptum hoc mittitur; & quidem, si velint, & ità expedire iudicent, iam indè ab hoc momento interim dum adhuc in vita sum, ne amplius hominibus, qui aliquod in me bonum esse cogitant, fucũ faciam, id faciant rogo: & certè, certè (cum veritate dico) proùt quidem de me nunc sentio, permagnæ id mihi consolationi erit. At quoad ea, quæ posthac commemorabo, facultatem hanc eis non facio; imò nolo, vt si cui ea ostendant, dicant, quis quæue sit, cui ea facta sint, vel quis, quæue hæc scripserit: nam propterea, nec meipsam nec aliũ quempiam hic nominaui; sed omnia scribam quam potero, optimè, vt non cognoscar à quopiam. quod, vt fiat Deum supplex rogo. Porrò viri adeò litterati & graues satis sunt, ad aliquid, quod bonum est authoritate suâ stabiliendũ, si quidem Dominus mihi gratiam dederit ad tale quid dicendum; si enim tale id fuerit, ipsius erit non meum: nam ego nec scientiam, nec virtutem habeo, nec virum aliquem doctum aut alium quempiam, à quo instruar (etenim soli ij, qui hæc me iubent scribere, sciunt quid scribam, & in præsentiarum hic non adsunt) præterea scribo hæc quasi tempus ad hoc suffurando, & magna cum molestia, cum hæc scriptio impediat, quo minus neam, cum tamen in paupere domo viuam; satis multis denique destineor occupationibus. Si quidem Dominus maiorem mihi ingenij habilitatem ac memoriam dedisset, possem earum adminiculo, ea quæ hactenus, vel audiui, vel legi, aliquo cum fructu huc adferre; at ea quam habeo, nimis quam parua & tenuis est: adeò vt, si quid boni attulero, id Dominus ad bonum aliquod indè eliciendum dici à me velit; quod verò malum erit, sit futurum meum, & id R. V. delebit. Porrò nec quoad hoc, nec quoad illud expediens est nomẽ meum prodi: certum quippè est, alicuius, dum adhuc viuit, bona diuulganda non esse; in morte verò non est cur dicantur, nisi fortè, vt suam, quod bonum est, authoritatem sic amittat, & apud neminem fidem inueniat, quod id à persona adeò vili, & improba, qualis ego sum, dictum sit. Et quia R. V. hoc facturam puto (quod etiam per Dei amorem, & omnes qui hæc visuri

* S. M. de seipsa fatetur (nõ sine ratione) quod sola fidei veritas sibi non sufficeret ad opera perfectà facienda, tametsi alij qui falsò existiment, eam sufficere.

Contenta est vt omnes peccatæ quæ admisit, norint.

virtutes alie cuius vi uentis publicandæ non sunt.

viſuri ſunt, rogo) hinc liberè ſcribo; alioquin non niſi magno cum conſcientiæ ſcrupulo hæc ſcriberem, exceptâ fortè ipſa peccatorum meorũ enarratione; nam quoad illã prorſus nullo ſcrupulo moueor: quoad reliqua verò ſatis eſt, vt me dimittam & alas contraham, me mulierem eſſe, quantò verò magis me mulierem eſſe, & ſimul improbam. Quocircà, quòd vltra ſimplicem vitæ meæ enarrationem hic ſcriptum R. V. inueniet, ſibi ſumat, & ſeruet, cùm hactenus tam importunè me vrſerit, vt aliquid de gratijs à Domino inter orandum acceptis, ſcripto, in poſteritatis gratiam committerem, ſi modò id cum fidei noſtræ Catholicæ veritate vſquequaque conueniat; ſin minùs, quamprimum id igni tradet: nam totam me quoad hoc ſubmitto, ſincerè porrò dicam, quidquid circà me ſit, vt cùm id veritati Catholicæ Eccleſiæ conforme inuentum fuerit, aliquam R. V. vtilitatem, & commodum inde eliciat; ſin minùs, animam meam ab illuſione omni liberet, ne, vbi me lucri quippiam relaturam ſpero, indè diabolus lucrum reportet. Nouit enim Dominus (vti poſteà vberiùs oſtendam) quantâ ſemper in hoc cura, & contentione incubuerim, vt aliquem inuenirem, qui me illuminaret & edoceret. Verum, eſto ea, quæ ad orationem ſpectant, quam maxima poſſum claritate, & perſpicuitate exponere conata fuero; ſcio nihilominùs ea nimis quã obſcura forè illi, qui nullam horum experientiã habebit. Referam itaq; impedimenta quædã, quæ (vt mihi quidem videtur) hominem impediunt, quò minùs in hac via progreſsũ faciat; nec non alia quædã, in quibus aliquod periculum ſitum eſt; prout quidẽ longâ multorũ annorũ experientiâ didici, quam, tũ è doctrina Domini, tũ è frequenti cum viris doctiſſimis, & ob longam ætatẽ in rebus ſpiritualibus verſatiſſimis collatione collegi, qui ad oculum vident, me ſolis viginti & ſeptem annis, quibus orationi vaco, tantam à Deo experientiã harum rerum accepiſſe (eſto per viam hanc tam imperfectè, tantaque cum reſpiratione, & toties impingendo ambularim) quantã alij, qui in aſſidua mortificatione, & continenti virtutũ ſtudio viam hanc ambularunt, vix 37. vel 47. annis colligere potuerũt. Sit ipſe pro omnibus benedictus, meoq; pro eo quod maieſtas eius eſt, obſequio vtatur. Scit enim Dominus meus, aliud nihil me in his omnibus ſpectare, quam vt ipſe vel modicum laudetur, & magnificetur, ex eo, quod (vti videre eſt) in adeò fœtido, & malcolenti ſimario tam vernantium & odoriferorum floſculorum hortum conſtituere voluerit. Faxit eius Maieſtas, ne mea illos culpa iterùm euellam, & fiam quæ anteà eram. Hoc ego R. V. ex amore Dei, etiam atque etiam, vt ab ipſo petat obſecro; cùm ecquænam ſim, multo ipſe noris clariùs, quam hic me paſſus ſis exprimere.

Scribit ex experientia.

CAPVT

Caput XI.

Aperit quid in causa sit, cur perfecte quis in breui tempore Deum non amet, quod comparatione quadam declarare incipit simul quatuor orationis gradus constituendo. Hoc autem loco de primo gradu loqui incipit, qui tractatus incipientibus, & gustum in oratione non habentibus perutilis erit.

VT ergo iam de ijs, qui amoris serui esse incipiunt, (serui quippè, meo iudicio sumus tunc, cùm per viam orationis sequi proponimus eum, qui in tantum nos dilexit) loquar; sciendum est, tantam in hoc dignitatem sitam esse, vt cor mihi, cùm de hoc ipso vel cogito, præ lætitia gestiat; seruilis quippè timor statim pellitur, si in primo hoc statu nos, prout oportet, geramus. Cur, ô Deus, & Domine animæ meæ, & omne bonum meum, noluisti, animam statim, atque se ad te amandum, faciendo quod potest, disponit, omnia, scilicet, quo se melius diuino huic amori impendat, deserendo, ad perfecti huius amoris possessionem peruenire? malè dixi: debuissem dicere, & expostulare, quid in causa sit, cur hoc ipsi nolimus; cùm nobis solùm imputandum sit, quo minùs verò hoc amore Dei, qui omne bonum secum adfert, non statim perfectè fruamur. Ità quippè ipsi pretiosos nos facimus: itaque sumus ad nos penitùs Dei obsequio addicendos segnes, vt, esto maiestas eius nolit nos re adeò pretiosa sine magno pretio, & impendio frui, ipsi tamen nos nũquam perfectè hùc disponamus. Video quidem nihil esse, cuius pretio tantum, tamq; immensum bonũ comparari in terra posset; si pro posse tamen animum à terrenis omnibus auelleremus; atq; omne nostrũ studium, & conuersatio in cœlis esset; certissimè mihi persuadeo, fore, vt bonum hoc, quàm breuissimo tẽpore nobis daretur, si modò (vti Sanctos nonnullos fecisse constat) nos quã citissimè totaliter hùc disponeremus. Sed putamus nos dare omnia, interim Deo non damus nisi nudum vsumfructum, & prouentum, fundum verò & hæreditatem nobis retinemus. Proponimus quidẽ esse pauperes (& est hoc maximè meritorium) posteà verò non rarò ad solicitudinẽ & diligentiã quãdam redimus, metuere incipimus, ne quid fortè nobis desit, non eorũ modo, quæ necessaria sunt, sed & superfluorum; & amicos cõparamus, qui ea nobis dẽt, & maiori nos solicitudini, & fortasse etiã periculo, præ metu, ne quid nobis fortè desit, nos ingerimus, quã ante, dũ bona nostra, & diuitias possidebamus. Videmur quoq; nobis, cùm vel Religionem profitemur, vel iam vitam spiritualẽ ducere, & perfectionem sectari incæpimus, honorem omnem prorsùs repudiare; & ecce vix dùm in aliquo honoris punctulo tangimur, cùm, obliti nos eum Deo iam obtulisse,

Magna dignitas est. Deum amare.

tuliſſe, ſtatim totale eius nobis dominium vindicamus, Deoque eum quodammodò è manibus extorquemus, poſtquam iam eum abſolutum (vti quidem exteriùs videtur) voluntatis noſtræ Dominum fecimus. Et ita quoque in alijs rebus fit. Egregius ſcilicet hic amoris diuini comparandi modus eſt (imò ſtatim eum plenis, vt dicitur, manibus capere cupimus) dum noſtras retinemus inclinationes; eſto appetitus ac deſideria re ipſa explere nolimus, & numquam firmiter proponimus ea penitùs à terra ſuſtollere, & interim multum guſtus ſpiritualis, & frequentes conſolationes habere cupimus. Non benè hæc quadrant, & ſe mutuò compati non poſſe videntur. Quia ergo nos totaliter & ſemel ſimul Deo non damus, ideò theſaurus hic totus ſimul nobis non datur. Det eũ Dominus nobis ſaltem per partes, ac velut guttatim; eſto omnis, qui in mundo eſt, labor ſubeundus nobis eſſet. Nimis quàm magnam miſericordiam præſtat illi, cui gratiam ſimul & animum dat bonũ, hoc omnibus viribus ſuis quærere proponat: nemini enim, ſi modò perſeueret, ſe Deus denegat, paulatim illius animum diſponendo, vt victoriam hanc referat. Animum, inquam, difficultates quippè, quas primùm incipientibus Diabolus proponit, ne viam hanc ita vt oportet, ingredi incipiant, maximæ ſunt, & plurimæ; vt qui optimè calleat, quantũ indè ſibi damnum obueniat, non ſolum quod hanc animam amittat, verùm etiam eius occaſione alias plurimas. (ſi incipiens, omnimodis cum Dei gratia ad perfectionis apicem aſcendere cõnitatur; credo equidem, numquam eum ſolum cœlos ingredi, ſed ſemper eò multos alios ſecum trahere, Deumq; ei, velut generoſo Duci, comitatum plurimorũ ſubminiſtrare) Tam multa igitur eis diabolus pericula, & difficultates obijcit, vt non patuo, ſed maximo, eis, ad non retrò flectendum, opus ſit animo, nec non maximâ Dei gratiâ. Vt ergo de principijs eorum, qui iam firmiter bonum hoc proſequi, & cœptum hoc ad exitum perducere propoſuerunt, loquar (nam de reliquis, quæ, quoad myſticam Theologiam, ità quippè eam vocari credo, dicere cœperam, loquar poſteà) ſciẽdum eſt, hiſce in principijs ſummum, ac maximum laborem conſiſtere: nam ipſi ſunt, qui laborẽ, & onus hic ſuſcipiunt, Dominus verò prouentum dat & incrementum: in reliquis enim orationis gradibus, plus fruitionis eſt, quam laboris; eſto omnes, tam primi, & medij, quàm poſtremi, ſuâ non careant amaritudine & cruce; licet aliqua cum differentia, per eam namque viam, quâ Chriſtus Dominus præiuit, ſequantur neceſſe eſt, quotquot Chriſtum ſequi volunt, niſi ſe perdere ipſi velint. Næ autem beati labores, qui etiam in hac vita tam ſuperabundanter compenſantur. Aliquâ hic me ſimilitudine vti oportebit, eſto eam omittere (quod mulier ſim) mallem, & ſimpliciter, quæ mihi iniuncta ſunt, ſcripto committere: ſed hæc ſpiritus locutio tam ægrè & difficul-

difficulter declarari poteſt ab ijs, qui indocti ſunt (qualis ipſa ſum) vt certum aliquem eius declarandæ modum me conquirere oporteat; & licet fortaſſis ſimilitudo hæc rariſſimè ad propoſitum futura ſit, ad hoc ſaltem vtilis erit, vt R. V. recreet, cùm meam in illa ſtupiditatem videbit. Porrò ſimilitudinem hanc alibi mihi legiſſe, vel audiuiſſe iam videor: at quia parum tenaci memoriâ ſum, neſcio quonam loco, vel qua occaſione, aut quorſum; verum ad meum propoſitum quàm optimè facere videtur. Ergo qui incipit, ſibi perſuadere debet, hortum ſe quendam in ſterili valdè ſolo, plurimumque herbarum malarum proferenti, incipere moliri, vt ſuam ex eo Dominus voluptatem capiat. Herbas malas maieſtas illius primò eradicat, bonas autem illarum loco plantet oportet. Hoc igitur iam antè factum eſſe cogitemus, cum anima firmiter apud ſe ſtatuit orationi ſe dare, in eâque iam ſe aliquantiſper exercere cœpit. Iam noſtrum eſt, cum Dei ope procurare (vti bonos hortulanos decet) vt hæ plantæ creſcant, & ad hoc illas identidem rigare, ne marceſcant & emoriantur, ſed vt flores gratiſſimum odorem ſpirantes emittant, qui hunc Dominum noſtrum oblectent, quò ſæpiùs in hortum hunc ſe oblectaturus, & inter virtutum harum floſculos deliciaturus deſcendat. Videamus igitur iam, quonam hortus hic modo rigari poſſit, vt quid faciendum nobis ſit, nouerimus, & vtrum, qui hic ſubeundus eſt labor, compendio & lucro maior ſit; & quamdiù ac quouſque is ſit frequentandus. Quatuor autem modis hic mihi videtur poſſe irrigari; noſtris aquam è puteo manibus hauriendo, quod magno noſtro cum labore fit; ſecundo per antliam, & tollenonem, quod orbitæ cuiuſdam adminiculo fit; & hoc ipſa modo nonnumquam eam hauſi, minoremque hæc hauriendi ratio laborem inuoluit, quam prior, pluſque aquæ educitur. Tertio, eam è fluuio, aut torrente educendo: hæc rigandi ratio prioribus melior eſt; tum quòd ſic terra plus aquæ imbibat, tùm quòd tunc non tam ſæpè irriganda ſit, tùm denique, quod minore cum hortulani labore iſthæc irrigatio fiat. Quartò denique per frequentiorē pluuiam; quando nimirùm ipſe Dominus de cœlo, nullo noſtro labore, irrigat; & hæc rigandi ratio prioribus alijs incomparabiliter melior eſt. Iam ergo quatuor hiſce aquæ generibus, quibus hortus hic ſuſtentandus; & rigandus idem eſt (nam ſine illis emarceſceret) ſemel propoſito meo, adaptatis & declaratis, habeo quod intendo; visūq; mihi eſt, per quadruplex hoc aquæ genus aliquid de quatuor illis orationis gradibus, in quibus Dominus (quæ eius eſt bonitas) animam meam aliquando collocauit, declarari, & intelligi poſſe: faxit eius bonitas, vt ità id dicere poſſim, aliquam vt inde vtilitatem capere poſſit aliquis illorum, quorum iuſſu hæc ſcribo, qui maiorē quadrimeſtri ſpatio

Similitudo inter animam & hortulanum.

Quatuor modis anima hortus irrigatur.

Domino iuuante, profectum fecit, quam ipſa ſeptemdecim ipſis annis fecerim. Melius ſcilicet ille ſe diſpoſuit: itaque nullo ſuo labore hortum hunc quadruplici hac aquâ irrigat, tametſi vltima adhuc ei non niſi guttatim detur: ſed ità inde proficit, vt propediem, cum Dei gratia, in illam penitùs abſorbendus ſit. Equidem gaudebo, cùm hanc meam ad hoc declarandum ſimilitudinem, vt impertinentem ſibi viſam, videbit.

Qui ergo orationem iam primùm exercere incipiunt, dicere poſſumus eſſe eos, qui brachiorum conniſu, aquam è puteo hauriunt; quod, vti dixi, nimis quam laborioſum eſt. Hos quippè neceſſe eſt, quòd ſenſus ſuos recolligant, ſummâ contentione ad defatigationem vſque laborare, quod enim ſeſe in obuia quæq; diffundere, & euagari aſſueuerunt, hinc hoc eis quàm difficillimum eſt. Paulatim ergo aſſueſcant oportet, nihil penitus videre, vel audire velle, & hoc ipſum, dum orandi tempus eſt, opere exequi; ſed ſolitudinem ſectari procurent, & ab hominibus ſequeſtrando ſe, vitam præteritam recolere. Et quamuis hoc omnes tam primos, quam poſtremos, ſæpè cogitare oporteat; id tamen plus, minuſuè fieri poteſt, vti poſtea dicã. In principio ſeſe diſcruciant, ex eo quòd certò ſcire nequeant, num verè commiſſorum ipſos peccatorum pæniteat, nec ne; & ſanè verè eos pænitet, cum ſecum ſtatuant Deo tam ex toto corde ſeruire, dare debent operam, vt vitam Redemptoris noſtri IESV Chriſti identidem meditando euoluant; & in hoc intellectum ſuum delaſſant.

Huc vſque noſtro ipſi marte & ſtudio pertingere poſſumus, ſed cum Dei gratia: ſine hac enim, ne vel vnam quidem bonam cogitationem nos habere poſſe certiſſimum eſt. Hoc eſt, aquam è puteo haurire incipere: faxit autem Deus, vt aquam puteus habeat; at ſaltem nos in culpa non ſumus, cum iam ad eam hauriendam abeamus, & faciamus quod poſſumus ad hoſce flores irrigandos. Tanta quoq; Dei eſt bonitas, vt, cùm ob rationes quaſdam, quas Maieſtas eius nouit (fortaſſe ad ingens noſtrum bonum, & commodum) puteum hunc exſiccari patitur; nos interim nihilominùs tamquam boni, & impigri hortulani facimus, quod in nobis eſt, ſine vlla prorsùs aqua flores ſuſtentet, & virtutes faciat excreſcere. Aquæ autem nomine hic voco lachrymas, & illis etiam deficientibus, interiorem deuotionis teneritudinem & ſenſum. Quid ergo hic agat is, qui ſe ad multos dies perpetua in ariditate, faſtidio, ac tædio agere, & ita ab aqua hauriendâ alienatum eſſe videt, vt, niſi ſe in eo horti DOMINO gratificari, & rem gratiſſimam præſtare meminiſſet, ſimulque vereretur, ne, quod hactenus ei præſtitit, obſequio excideret; niſi denique præmium, quod pro magno labore, quem ſubijt in ſitula toties in puteum demergenda, & ſemper ea irrito conatu vacua attrahenda,

Aqua nomine quid intelligat.

recipere

recipere exſpectat, intueretur, retroſpiciens omnia quamprimum omitteret? ſæpè quoque eò per ariditatem redigeretur, vt ne brachia quidem ad hauriendum attollere, id eſt, ne vnam quidem bonam cogitationem habere poſſit. Iam igitur liquidò patet, hunc per intellectum operandi modum, eſſe velut aquam è puteo ſitulâ educere. Quid igitur, vt dixi, hic aget hortulanus? gaudebit ſeſeque conſolabitur, & velut ſingulare quoddam beneficium accipiet, quòd in tam potentis Imperatoris horto ſibi operari concedatur, & cum norit ſe in hoc illi gratificari, ſuamque intentionem eſſe debere, vt ei, non autem ſibi ſatisfaciat; gratias ei agat ex eò quòd ſibi fidat, cum illum ſine vllo ſtipendio aut præmio, tam ſollicitè, impigreque curantem videat id, quod ipſi commendatum eſt: ad hæc in cruce tollenda ipſum adiuuet, & recogitet, illum toto vitæ tempore eam tuliſſe, præterea regnum ſuum non quærat hic in terra, nec orationem vmquam intermittat; firmum proinde propoſitum concipiat, non ſinendi, vt Chriſtus cum cruce ſua in terram concidat, eſto etiam toto vitæ tempore in ariditate hac ſe permanere oporteret: veniet enim tempus cùm ſimul omnia ei compenſabuntur. Ne metuat fore, vt ſuam hic operam perdat: bono enim Domino ſeruit, qui ſuos ad ipſum oculos continuò directos habet. Malas autem cogitationes, & ſuggeſtiones paruipendat, cogitans dæmonem has etiam S. Hieronymo in vaſta ſolitudine aggeſſiſſe. Scio ſuum labores hoſce præmium habere, vt quæ plurimis annis hac in palæſtra decertaui: ac dico, quoties mihi vel vnam aquæ guttulam è ſacro hoc puteo haurire dabatur, putaſſe me permagno tunc à Domino me beneficio affici: ſcio quoq; eos eſſe grauiſſimos; vnde maiore mihi ad hoc animo opus eſſe videtur, quàm ad multos alios, qui in mundo ſunt, labores ſubeundos; ſed reipſa vidi Deum illos, etiam in hac vita, ſingulari quodam præmio remunerari. Certiſſimum namq; eſt, vel vnâ earum conſolationum, quas Dominus iam abhinc pauco tẽpore de ſe mihi dedit, horulâ, ſuperabundanter mihi compenſatam videri omnem pœnam & amaritudinem, quam longo tempore, vt in oratione perſeuerarem, ſuſtinui. Credo equidem, Dominum, ſæpè in principio, & nonnunquam etiam in fine, haſce cruces, aliáſue plurimas, quæ ſeſe offerunt, tentationes immittere, vt ſuos amatores hac ratione exploret, & certo norit, vtrum calicem ſuum bibere; & ſe in cruce baiulanda adiuuare poſſint, antequam eis magnos theſauros communicet. Porrò ipſa mihi perſuadeo, Dominum, hac viâ nos nonniſi ad maius bonum noſtrũ, velle deducere, vt intelligamus nimirũ, quàm è nobis ipſis miſeri ſimus: quas enim poſteà elargitur gratias, tantæ ſunt dignitatis, vt antè per experientiam noſtram nos paupertatem, ac miſeriam agnoſcere velit, quàm illas nobis elargiatur, ne quòd Lucifero olim fa-

Per intellectum operari eſt, velut aquam è puteo haurire.

Quid agat hortulanus in perpetua ariditate agendi.

Cur Deus initio cruces immittat, & labores.

ctum eſt, fiat nobis. Ecquid autem facis, Domine mi, quod non in maius animæ illius bonum cedat, quam tuam iam de facto eſſe noſti, quæque ſe totaliter in manus tuas reſignat, ad te, quocunque ieris, ſequendum, etiam vſque ad mortem crucis; quæ denique te in ea baiulanda iuuare, & tibi ſoli eam non relinquere parata eſt? Quiſquis autem hanc in ſe reſolutionem videbit, nihil eſt, quod metuat. Neque eſt, ô animæ ſpirituales, quod vos affligatis, cùm iam ad tam ſublimem ſtatum (qualis eſt, in ſolitudine cum DEO loqui velle, & mundanas delectationes, & recreationes negligere) euectæ ſitis. Iam potiſſima rei pars confecta eſt; gratias proindè diuinæ Maieſtati agite & in bonitate eius fidite, qui amicos ſuos numquam deſeruit. Nolite dicere aut cogitare, cur huic tam paucis diebus deuotionem elargitur, mihi verò poſt tot annos elapſos adhuc eam negat? Credamus antè omnia nonniſi ad maius bonum noſtrum eſſe: ducat nos eius maieſtas quocumque voluerit; non ſumus iam noſtri, ſed quantiquanti ſumus, eius ſumus. Quin imò etiam nimis quam magnam nobis gratiam præſtat, cum vult, vt in horto ipſius fodere, & apud horti Dominum conſiſtere velimus (ipſe enim haud dubiè nobiſcum eſt) Et, ſi plantas, & flores hos nonnullis nõ aliter creſcere velit, quam dũ ipſi magno cum labore aquam quam dat, hauriunt; alijs autem nullo etiã labore adhibito, quid mea id refert? fac tu, Domine, quodcumque volueris, hoc ſolum præſta, ne te ego offendam, & virtutes (ſi quam modò è ſola ſingulari bonitate tua mihi dederis) amittam. Pati volo, Domine, quandoquidem tu paſſus es, & voluntas tua omnimodis & quocumque modo, in me fiat; nec permittat Maieſtas tua, vt te tam pretioſa, qualis tuus amor eſt, illis detur, qui ea tantummodo de cauſa tibi ſeruiunt, vt aliquam ſpiritus conſolationem accipiant. In primis notandum eſt, vnde etiam ipſa id dicere audeo (longa quippè experientia id didici) animam, quæ in hac orationis mentalis via firmo cum perſeuerandi propoſito ambulare incipit, & iam eo peruenit, vt parum curet, ac non multum propterea exultet, aut deijciatur, quod has ſpiritus conſolationes, & animi teneritudinem ei Dominus vel ſubtrahat vel concedat; hanc, inquam, animam non paruã viæ partem iam confeciſſe, & metuere non debere ne retrò reſpiciat, eſto ſubinde labatur, & ceſpitet; quòd ædificium ſuper firmo fundamento ſtrui incipiat. Et certum eſt, amorem Dei non in effuſione lacrymarum, non in his dulcedinibus & teneritudine (eſto hæc plerumque conſectemur, & in his conſolationem noſtram ponamus) ſitum eſſe; ſed in eo, vt illi cum iuſtitia, animi robore & humilitate ſeruiamus. In illis quippè, meo iudicio, potius quid accipimus, quam demus. Mulierculis quidem infirmis, & paruarum virium, qualis ego ſum, arbitror expedire, vt cum ſuauitate quadam, & blandè conducantur, ſicut me

Non eſt quod homo cõqueratur cur huic citius quam alteri Deus quid donet.

Sinendus eſt Deus facere quod voluerit.

Deus

Deus modo conducit, vt aliquibus laboribus, quos Maiestas eius mihi imponere voluit, ferendis par sim; sed dum illustres seruos Dei, viros magnæ & autoritatis, & doctrinæ, & ingenij magni facere video, quod nullam à Domino sensualem deuotionem accipiant, grauè mihi id est audire. Non dico autem, vt eam non accipiant, si quando illam Deus elargitur, aut non magni faciant (tunc quippè maiestas eius videbit illis eam expedire) sed ne, cum eâ carent, sese discrucient, aut ideò eam minimè sibi necessariam esse existiment, quòd eius maiestas illam non det, discant verò suiipsorum Domini & victores esse. Credant oportet insignem hoc errorem esse (experta hoc ego sum & vsu obseruaui) nec non quamdam imperfectionis speciem, denique non cum libertate spiritus, sed cum pusillanimitate in certando procedere. Hoc autem non tam pro primum incipientibus (etsi hoc permagni faciam; quòd magni referat hosce cum hac libertate & firmo proposito incipere) dico, quam pro alijs (qui sanè permulti sunt) qui iam quidem dudum incæperunt; sed numquam, quæ cæpta sunt, promouent; cuius rei magna ex parte causam esse credo, quòd iàm inde ab initio crucem non complectantur; vnde contristati incedunt, & afflicti, nihil penitus se præstare arbitrantes: nam statim atque intellectus operari desinit, id ferre nequeunt cùm tamen fieri possit, vt, ipsis etiam insciis, voluntas tunc crescens impinguescat, & corroboretur. Cogitare debemus Deum ad hæc non aduertere: nam esto nobis esse videantur defectus, verè tamen non sunt. Maiestas eius meliùs miseriam & abiectum animum nostrum perspectum habet, quam nosmetipsi; nouitque quod huiusmodi animæ perpetuo de eo cogitare, ipsumque diligere velint. Huiusmodi resolutionem & propositum ipse quærit; at aliæ illæ vexationes, quas ipsi nobis inferimus, ad nihil sunt vtiles, quam vt animam nostram magis inquietam reddant, &, si antè vnâ tantum horâ inepta erat ad profectum aliquem faciendum, iam ad quatuor horas sit inepta. Nam sæpissimè (quam maximam enim rei huius experientiam habeo, & scio verissimum esse: dilgenter namque ac seriò id obseruaui, & posteà etiam cum viris spiritualibus contuli) id per corporis indispositionem, & infirmitatem contingit (ità quippè miseri sumus, vt misella hæc anima nostra captiua miseriarum corporis particeps fiat) Auræ quoque mutationes, & humorum commotiones sæpenumero in causa sunt, vt nullâ suâ culpâ facere non queat id, quod vellet, sed omnimodis patiatur necesse est. Et quo, per id tempus, magis cogitur, eò peius habet, & eò malum durat diutius. Quædam hic proindè adhibenda discretio est, ad videndum num aliquid huiusmodi in causa sit, ne misella anima oppressa suffocetur; sciant se infirmos

Consolationes spiritus magis conueniunt fœminis, quam viris & quomodo in ijs se habere quis debeat.

Quantum sit malum crucem ab initio non amplecti.

mos esse, horam orationi præfixam mutent, quod etiam sæpè per aliquot dies durabit. Itaque triste hoc exilium ferant, quàm possunt optimè: animæ quippè Deum diligenti satis magna crux est videre, quòd in hac miseria viuat, & quod vellet, omninò efficere nequeat, eò, quòd tam malignum (corpus, inquam, hoc) nacta sit hospitem.

Afflictionis causa subindè dæmon est, & quid tunc faciè dum.

Dixi discretione hic opus esse, quia interdum ipse diabolus in causa erit; vnde consultum est, nec semper orationem intermittere tum, cùm magna in intellectu distractio est, & turbatio; nec etiam semper animam vexando cogere, vt faciat, quod facere nequit. Sunt quippe alia externa, puta Charitatis opera, & lectio piorum librorum, tametsi etiam aliquando fiat, vt ne quidem ad hæc apta sit. Tunc ergò corpori ex amore DEI inseruiat, vt ipsum sæpiùs deindè animæ inseruiat, & obsecundet: quin & honestas quasdam capiat recreationes, vti sunt, sancta quædam colloquia, vel ad agros excursio, prout expedire id Confessarius iudicauerit. Porrò multum hîc iuuat ipsa experientia, quæ, quid nobis expediat, satis docet. Adhæc quacumque in re seruire Domino possumus; iugum quoq; illius suaue est, & magni refert animam non cogi, & arreptis (vt dicitur) crinibus violenter raptari, sed suauiter & leniter ea, quò magis proficiat, ducenda est. Quocirca rursus moneo (& licet sæpiùs id dicam, parùm refert: nam permagni hoc momenti est) vt nec ob ariditates, nec ob inquietudinem, nec ob distractionem in cogitationibus, quisquam se contristet, vel affligat, si modò spiritus libertatem consequi, & non iugiter in afflictione, & angore viuere velit. Incipiat tandem semel crucem non exhorrescere; & videbit quomodo etiam Dominus ipsum in ea tollendâ adiuuet, & quâ exindè afficiendus sit voluptate, & qualia ex omnibus sit commoda relaturus. Iam quippè ad oculum apparet, si puteus aquam non habeat, nos illam ei dare non posse; esto nostrum esse debeat, cùm iam aquam puteus habebit, non negligere eam attrahere; nam hoc Deus medio virtutes in nobis multiplicare tunc vult.

Anima suauiter ducenda est.

Nemo se ob distractiones, & inquietudinem contristet.

CAPVT XII.

PRIMVM HVNC STATVM EXPLICARE PERGENS, OSTENDIT quousq; è nobis ipsis cum Dei gratia, & auxilio peruenire possimus; quantumq; noceat, antè spiritum ad res supernaturales, & extraordinarias attollere velle, quàm eum hùc Deus moueat, & euehat.

SVPERIORI capite potissimùm exponere volui (esto etiam aliàs materias incidenter diuagando tractarē, quod eæ mihi perneceſſariæ viderentur) quousque nostro ipsi adminiculo, & marte peruenire possimus, &

mus, & quomodò in prima hac deuotione non ipſi iuuare aliquatenus poſſimus. Eorum enim, quæ Dominus Ieſus pro nobis pertulit, recogitatio & perſcrutatio ad commiſerationem quandam nos excitat; & qui hinc ſequitur dolor & lachrymæ ſunt, quã ſuauiſſimæ; gloriæ autem, quã expectamus, & amoris, quem nobis Dñs exhibuit, & reſurrectionis eius meditatio, ad talem nos lętitiã excitat, quę nec planè ſpiritualis, nec planè ſenſualis eſt; ſed lætitia bona & honeſta, & pœna valdè meritoria eſt. Talia ſunt omnia, quæ deuotionem ex parte ope intellectus comparatam cauſantur; eſto eam nec promereri, nec acquirere poſſimus, ſi eam Devs non det. Anima ergo, quam Devs eatenus tantum euexit, conſulto aget, ſi vlteriùs & ſublimiùs aſcendere non connitatur. Quod imprimis notandum eſt: nam præterquam ſuiipſius damnum, & exitium, nihil inde referet. Hoc in ſtatu conſtituta permultos actus excitare poteſt, tum ad firmum aliquod, multa propter Devm præſtandi propoſitum concipiendum, tum ad amorem excitandum, tum & alios, qui, vt virtutes in ſe adaugeantur, adiuuent, iuxtà doctrinam libelli cuiuſdam, qui *Ars Deo ſeruiendi*, inſcribitur, qui & valdè bonus eſt, & conueniens ijs, qui hoc in ſtatu ſunt: quia intellectus operatur: fingere ſe Redemptori Christo præſentem poterit, ſeque aſſuefacere, vt inſigni quodam ſacram eius humanitatem affectu proſequatur, quocunque locorum ſecum eum ducat, cum ipſo loquatur, illius in neceſſitatibus opem inuocet, apud eum de afflictionibus ſuis expoſtulet, cum illo in omnibus gaudijs ſuis, gaudeat, & eius propter illa non obliuiſcatur; ita tamen, vt nullas affectatas, & compoſitas orationes hic vſurpet, ſed talia tantum verba, qualia ad deſideria, & neceſſitates ſuas explicandas conueniunt. Eſt hæc optima ad benè, & quàm celerrimè proficiendum ratio. Et ſanè quicunque ſolicitè conniterur, vt diuinum hunc comitatum ſemper ſecum habeat, ac multum fructum inde hauriet, & ſincero quodam Dominum hunc, cui tantum debemus, amore proſequetur, hunc permultum in ſpiritu dico profeciſſe. Quocircà non eſt, vti dixi, quod excruciemur, & angamur, ſi fortè deuotionem non ſentiamus; ſed Domino gratias agamus oportet, quod nos hic cum aliquo ei placendi deſiderio, & propoſito viuere ſinat, eſto opera ei non reſpondeant.

Quibus in oratione adminiculis vti poſſimus.

Hæc Redemptorem Ieſum vbique locorum ſecum ferendi ratio, in omni ſtatu & gradu conuenientiſſima eſt, nec non certiſſimus ad in primo ſtatu proficiendum, & ad ſecundum orationis gradum ſtatim pertingendum, &, vt in poſterioribus gradibus à periculis, quæ nobis diabolus obijciat, immunes tutiqúe eſſe valeamus modus. Hoc ergo eſt, quod ipſi è nobis poſſumus, at qui hinc vlteriùs progredi, & mentem ad dulcedines, quæ ei non dantur deguſtandas vellet attollere; tam hoc, quã illud

Dominum vbiq; præſentem habere perutile eſt.

meo iudicio, amitteret. Hoc quippè supernaturale est; &, cum iam operatio intellectus deperdita est, anima quodammodo sola derelicta, & in ariditate manet. Et quoniam omne hoc ædificium super humilitatem fundatum est, hinc, quò homo Deo fit vicinior, eò etiam magis in hac virtute proficere & crescere debet, sin minùs omnem operam & oleum perdet. Et, quædam superbiæ esse videtur species, vlteriùs ascendere velle, quàm Deus nos eleuet; cum etiam nimis quàm multum faciat, quòd nos qui tales sumus, apud se esse, & stare sinat. Nemo verò existimet hoc me dicere, quod velim hominem cogitatione se ad alta quædã, de cælo, vel Deo, vel ad magnalia, quæ illic sunt, eiusque eminentem scientiam recogitanda sustollere non debere: esto enim id ego numquam fecerim (quia, vti dixi, ad hoc penitùs inepta eram; imò ità me miseram esse deprehendebam, vt etiam in rebus terrenis recogitandis gratiam mihi Deus daret; ad isthanc veritatem intelligendam; quòd sanè non mediocris erat audacia, quantò verò magis ad cælestia cogitanda) alij tamen aptè id facere poterunt, præsertim si docti sint: nam doctrina hisce in exercitijs, meo iudicio, non paruus thesaurus est, si modò sit cum humilitate coniuncta. Hoc paucis ab hinc diebus in quibusdam viris doctis notaui, qui, esto non ità pridem hoc practicare cæperint, tamen breui hoc tempore valdè magnum profectum fecerunt; & hoc in causa est, cur multos viros doctos sese deuotioni dare desiderarim, vt posteà dicam. Quod ergo dico, ne per se altiùs ascendere præsumant, nisi à Deo sustollantur, est lingua, & modus quidam loquendi spiritualis, cuius, qui aliquam intelligentiam, & experientiam habebit, me facilè intelliget: nam si hoc modo id intelligi nequeat, alia phrasi id non possem exprimere. In Theologia mystica, de qua antè loqui cæperam, suam intellectus operationem amittit, quia Deus ipsum suspendit; * vti postea latiùs (si & ego possim, & ipse mihi opem suam ad hoc concedat) ostendam.

Humilitas quantopere necessaria.

* *Verum suspendere cogitationẽ*

vel intellectum, de quo loquitur S. M. quodq; mysticam Theologiam vocat; nihil est aliud, quam huic illũ repræsentare res supernaturales & diuinas, magnamq; luminis copiam ei infundere, vt simplici quodam viso, & sine vllo discursu, sine consideratione & labore videat. Idq; tam vehementer, vt alij rei cuipiam attẽdere, aut indè diuertere se nequeat. Nec in solo visu & admiratione res hæc terminatur, sed lumen etiã quoddã ad voluntatem deriuatur & ignis quidam in ea nascitur, qui eam amore succendit, adeò, vt qui hoc patitur, eo quo hoc patitur tempore intellectum habeat fixũ in eo, quod videt, & hoc ipso consternatur; voluntatem porrò amore eiusdem effluantem, memoriam deniq; penitùs otiosam: anima namq; præsenti fruitione occupata, aliam memoriam non admittit. Hanc ergo eleuationem, vel suspẽsionem ait esse supernaturalem, sc. animam nostram in ea magis propriè pati quam agere: docetq; neminem præsumere debere, vt animam eo modo sustollat antequam Deus eam sustollat: primo, quòd id nostram omnem industriam excedat, itaq; incassum erit. Secundo, quia id ex humilitatis defectu fiet. Merito ergo huius rei nos cõmonit S. M: sunt enim libri quidã de oratione conscripti, qui orantibus consulunt, vt cogitationem penitùs suspendant, & nullam per imaginationẽ figuram efforment, imò nec respirent, vnde fit, vt in orando frigidi semper & indeuoti maneant.

dam. Præsumere porrò, aut cogitare, posse nos per nos intellectum nostrum suspendere, planè nos, vt dico, non oportet; vti nec operationem eius omittere, hoc quippè si fecerimus, instar statuarum insensibiles, stupidi, & frigidi manebimus, & nec vnum, nec alterum faciemus. At cum Deus Opt. Max. intellectum suspendit & sistit, ei admirandi, & in qua se interim occupet, materiam dat; & efficit vt, etiam sine mentis discursu breuissimo tempore, plus intelligat, quam nos omni nostrâ terrenâ diligentiâ, & studio adhibito plurimis annis possemus comprehendere. Insaniæ quædam species est animæ potentias occupatas tenere velle, ac cogitare nos eas sistere & quietas detinere posse. Iterum dico, esto id non intelligatur, signum est non magnæ humilitatis: & esto id sine vlla fieri possit culpa, non tamen sine pœna & difficultate: quia & omnis labor, & opera frustranea erit, & nescio quod in anima manet fastidium; perindè atque si quis procul saltare connitens, retrorsum ab alio retineretur: quia is suas vires omnes iam impendisse, & exhausisse videtur, & quod per illas facere decreuerat ad effectum deducere nequit, porrò è paruo, quod hinc refert commodo, haud difficulter quisquis animum volet aduertere, hunc humilitatis, quem dixi (quantumuis is paruus sit) defectũ agnoscet; hoc quippè habet hæc virtus proprium & præclarum, quod nullum, cui illa intermista est, opus, animam tædiosam reddat.

Intellectum ipse suspendere non debemus.

Humilitatis proprietas.

Videor mihi id iam satis declarasse; & forsitàn mihi soli id vsui erit; aperiat, quæso, Dominus oculos illorum, qui hæc legent, per experientiam: nam quantumuis hæc exigua futura sit, quamprimum id intelligent. Ad multos annos ità constituta fui, multa quidem vt legerem, nec tamen eorum quæ legebam, quidquam intelligerem; per longum quoque tempus ità dispositа, vt, esto mihi Deus aliquid significaret, ne vel verbum tamen ego ad illud expendendũ efferre possem: quod non modico mihi labore constitit. Verum, vbi maiestati eius visum fuerit, vno momento docet vniuersa; vt non possim hoc non summopere mirari.

Vnum hoc verè dicere possum, scilicet, tametsi, cum varijs viris spiritualibus conferrem, qui, quæ Dominus mihi dabat, exponere mihi conabantur, quò ipsis ego ea deindè possem exprimere; tantã nihilominùs stupiditatem meam fuisse, vt nihil omninò hoc subsidium me iuuaret. Vel forsitan id fiebat, quod me Dominus (sicut Maiestas eius semper magistra mea fuit: sit ipse de omnibus benedictus; & sanè satis me hoc confundit, quòd istud cum veritate dicere possim) cuipiam hac in re quidquam debere nollet; interim mihi nec petenti, nec cupienti (nam hac in re neutiquam curiosa fui; cum tamen si fuissem virtus fuisset, & in alijs vanitatibus ità curiosa fuerim) Deus dabat, vt hæc in puncto, ac momento ità clarè intelligerem, vt etiam alijs ea expo-

Deus S. M. Magister fuit.

nere posſem: adeò vt omnes non parum obſtupeſcerent, & ego magis quam confeſſarij mei, quòd meliùs, quam ipſi meam ego ſtupiditatem intelligerem. Non ità dudum eſt, quando hoc, quod dico, contigit: vndè de ijs, quæ Dominus me non docuit intelligendis magnoperè non laboro, niſi ſint, quæ ad conſcientiæ meæ ſtatum ſpectãt. Iterum dico, permagni referre, vt ſuum homo ſpiritum ſuſtollere non procuret, ſi Dominus ipſe eum non ſuſtollat, quòd cum facit, quamprimum percipitur. In mulieribus porrò id magis periculoſum eſt; eò quòd illas cacodæmon aliquando poſſet decipere, & illudere: quamquàm certiſſimè mihi perſuadeam, Dominum non permiſſurũ, vt is alicui in humilitate ad ipſum venire cupienti noceat; imò verò plus hic lucri, & fructus referret, ex eo, in quo diabolus eum iacturam facturum putabat. Quòd autem via hæc incipientium magis trita ſit, & cõmunis, & ea, quæ dedi monita magni momenti ſint; idcircò in illis exponendis ità diffuſa fui; quę tamen apud alios fateor, meliùs expoſita inuenient. Equidèm non ſine magno rubore, & confuſione hæc ſcripſi; non tanto tamen, quantum me habere oportuiſſet. Sit Dominus de omnibus benedictus quòd talem, qualis ego ſum, de rebus ad ipſum ſpectantibus, quæ tantæ, & tam ſublimes ſunt, loqui velit ac permittat.

Spiritus non eſt ſuſtollendus, ſi Deus eum non ſuſtollat.

CAPVT XIII.

HVNC PRIMVM STATVM ADHVC PROSEQVITVR ET quamdam circà tentationes, quas Diabolus ſubindè immittere ſolet, inſtructionem ſuggerit; ac nonnulla addit monita hùc mirè facientia. Quæ omnis tractatio perutilis eſt.

NOn abs re fore putaui, quaſdam tentationes, quas in principio occurrere ſolere animaduerti, & quarum nonnullas etiam ipſa experta ſum, hic referre; nec non aliquam de ijs rebus, quæ hic neceſſariæ mihi eſſe videntur, inſtructionem tradere. In principio igitur, opera danda, vt inſigni cum lætitia, & quadam animi libertate procedatur: ſunt etenim nonnulli, qui, ſi ſui vel parum obliuiſcantur, deuotionem ſe quamprimum amiſſuros, exiſtimant. Non poteſt non eſſe bonum quòd ſibi homo metuat, nec quicquam omninò ſibi fidat, ne ſe in illas occaſiones peccandi conijciat, in quibus labi & Deum offendere ſolet, hoc namque imprimis neceſſarium eſt, quoadusque quis virtute iam corroboratus ſit. Et ſanè paucos admodum reperire eſt, qui in ea ſic corroborati ſint, vt non facilè, oblatis occaſionibus ijs, ad quas naturaliter propendent, labi poſſint: nam ſemper quamdiù hoc in mundo viuimus, expedit nos ſaltem ad nos humiliandos, miſeram, & fragilem naturam

noſtram,

noſtram noſſe. Sed multa ſunt, è quibus aliquam, vti dixi, homo licitè capere recreationem poteſt, etiam vt ad rationis exercitium maiori cum vigore & feruore redeat. In omnibus porrò diſcretio eſt adhibenda, magnaque opus eſt in Deum fide: expedit namque bona noſtra propoſita, ne vel minimum minui, ſed fiduciam nos quandam, de Deo concipere, vt ſi paulatim noſipſi ad progrediendum exſtimulemus, eò (etſi non quam primum) pertingamus, quò multi Sancti, diuinâ eius gratia adiuti, pertigerunt: nam niſi illi hoc ita velle, & etiam paulatim opere, & reipſa exequi firmiter apud ſe ſtatuiſſent, numquam ad tam ſublimem gradum, & ſtatum peruenisſent.

Animas generoſas amat Deus.

Amat & quærit Maieſtas eius animas generoſas, modò cum humilitate, ac ſine vlla de ſeipſis fiducia, & præſumptione procedant. Nec vidi vmquam aliquam harum in via deficere, ità vt progredi non poſſet; vti nec aliquam puſillanimem, & ſubtimidam, etiamſi humilitate donatam tantum in multis etiam annis, progreſſum facere, quantum illæ aliæ in paucis. Mirum profectò eſt quantoperè hac in via iuuet, ſeſe ad magna & ſublimia aggredienda exſtimulare: nam etſi ſat magnæ vires ſtatim non habeantur, anima nihilominus ſe ſuſtollens, ſublimè admodum euolat; tametſi ſubindè inſtar auiculæ non benè à pennis inſtructæ, defatigetur, & alicubi in terra hæreat. Alias illud Apoſtoli Pauli ſæpiùs antè oculos, & in mente habebam: omnia nimirum nos poſſe in Deo; ex meipſa autem ſatis me intelligebam nihil penitùs poſſe. Et hoc ipſum me imprimis iuuabat, vti & illud S. Auguſtini dictũ: *Domine iube quod vis, & da, quod iubes.* Cogitabam etiam ſæpè mecum, nullum inde S. Petro damnum eueniſſe; quod ſe in mare abijceret, eſto poſteà timuerit. Prima hæc propoſita magni facienda ſunt; quamquam in primo hoc gradu paulò reſtrictiores eſſe, noſq; directoris noſtri ſententiæ voluntati, ac diſcretioni magis ſubiicere debeamus: interim tamen videre ne magiſter hic ſit eiuſmodi, qui nos doceat bufones eſſe; aut cui ſatis ſit, quod anima ſolum lacertis captandis aſſueſcat. Humilitas porrò nobis ſemper præ oculis habenda, quâ moriente, diſcamus hanc nos virtutem & robur à nobis ipſis non habere. Sed antè omnia noueri-

Falſa humilitas eſt à diabolo ſuggeſta.

mus oportet, qualis hæc humilitas eſſe debeat: crediderim enim diabolum, ijs qui orationi ſeſe dant, omne, quoad poteſt damnum inferre, ne inſignem in illa progreſſum faciant, efficiendo nimirum, vt malè de humilitate ſentiant, dùm ſcilicet illis eſſe videtur ſuperbia, ſublimia & generoſa quædam deſideria habere, ac viros ſanctos æmulari, & ad martyrium aſpirare velle: quamprimum enim nobis ſuggerit, & perſuadet geſta, & facta ſanctorum magis admiranda eſſe, quam vt illa nos, qui peccatores ſumus, imitari conemur, huius opinio-

Quomodo Sanctorum opera admirari & imitari oporteat.

Quomodo sanctorum opera admirari, & imitari oportet.

nis & ego sum; sed & videndum est, quidnam ex illis admirari, quidnam autem imitari oporteat. Neque enim consultò quis infirmus, & debilis faceret, si continuò ieiunare, & grauissimas austeritates subire vellet, hacque de causa in Eremum concederet, vbi nec dormire posset, nec quod comederet, inueniret, aut quid simile: sed cogitare debemus, posse nos cùm Dei gratia, vim nobis inferre, quò & mundum egregiè contemnere, & honorem vilipendere, & affectum erga diuitias exuere paulatim possimus: nam tam pusillo, & abiecto animo sumus, vt terram nobis defuturam credamus, mox vt corporis curam, vel parum exuere, & spiritui nos dare volumus, statim quippè ad attentionem, & animi recollectionem habendam nobis conferre

Nimia de rebus necessarijs cura nocet.

videtur, vt, quæ corpori necessaria sunt, sufficienter suppetant; eò quod anxiæ nimis de rebus necessarijs, curæ distractionē in oratione causentur, orantemque inquietent. Piget me, quod tam paruam de Deo fiduciam, tantumque amoris proprij habeamus, vt hæc etiam cura nos angat & inquietet. Et sanè cùm spiritus tam parum, vti dico, proficit, nugæ quædam, & friuola non minùs nos inquietant ac vexant, quàm alios magna, & maximi momenti; atque interim, nostro nobis iudicio, spirituales esse videmur. Hæc procedendi ratio mihi perindè esse videtur, ac si animæ corpus, & animam corpori inter se concordare vellemus, vt nec hic in terra de quiete sua quidquam amitterent, in Cœlo verò nihilominus Deo frui possent. Ita quidem fiet, si in iustitia ambulemus, & virtutum falcimen habeamus; gressu hoc gallinaceo numquam ad spiritus libertatem perueniemus. Hic porrò procedendi modus hominibus matrimonio illigatis proprius maximè mihi esse videtur, vt, qui secundum statum & vocationem suam viuere debent; at alium statum amplexos, huiusmodi ad progrediendum viam ingredi penitùs nolo; neque etiam facilè mihi quis persuaserit, eum bonum esse; sum quippè eum experta: semper porrò ità mansissem, nisi sua Dominus bonitate aliam compendiosiorem mihi ostendisset. Tametsi, quantum ad desideria, semper generosa, & magna ea habuerim ac molimina: id tamen, quod dixi, facere nitebar, scilicet orationi me dare, & simul corporis commodis, & recreationibus gaudere. Credo equidèm me, si quis altiùs me docuisset euolare, daturam operam fuisse, vt hæc desideria mea executioni mandarentur; sed pec-

Nimia discretio sæpè in causa est, cur tàm citò ad perfectionem non perueniamus,

cata nostra in causa sunt, cur tam multos reperire sit, qui, quoad hoc, nimis sunt discreti; vt hoc potissimum in causa esse existimem, cur, qui primum incipiunt, citiùs ad magnam perfectionem non perueniant. Nam Dominus à parte sua, vt nos iuuet, numquam deest, nec ab ipso pendet; sed nos in culpa sumus, & miseri. Imitari quoque sanctos possumus

mus in ſolitudine ſectanda, in ſilentio, alijſque plurimis virtutibus colendis, quæ miſera & probroſa hæc corpora, quæ tam regulatè, moderatèque conduci volunt, quò animam extrà debiti regulam trahant, non enecabunt, ipſe quoq; diabolus, ſi vel in adito nos timore concuti videt, omnimodis ea inhabilia, & inepta reddere allaborat. Neq; enim is aliud, quam hoc timoris argumentum quærit, ad nobis perſuadendum, fore, vt omnia nos enecent, & ſaluti noceant; ità quidem, vt etiam lachrymas habentes timere faciat, ne, ſi nimij in ijs ſint, oculos amittant. Hanc ipſa viam iniui & calcaui, atque ideò eam planè perſpectam habeo; nec ſcio ſanè, ecquos meliores oculos, & meliorem ſanitatem optare poſſemus, quàm tali occaſione & causâ illos, & hanc amittere. Quia verò ità debilis & morbida ſum; hinc ſemper, quoaduſque ſemel apud me firmiter ſtatui, nullam corporis, ſanitatiſuè meæ rationem habere, velut vincta & colligata eram, nihil vt generoſi facere poſſem; vti nec etiam modò multum præſto, ſed ex quo me Dominvs hunc diaboli aſtum, & technam intelligere voluit, quoties hic deindè aliquem mihi ſanitatis amittendæ metum injiciebat, dicebam ipſa: *parum refert, me mori*; quoties quietis, & commodorum amiſſorum ſuggerebat, aggerebam: *non opus habeo quiete, vel commodis, ſed cruce.* atque ità de alijs rebus. Vidi quam clariſſimè, tametſi alioquin ego de facto ſatis debilis, & morbida ſim, id in multis, non niſi meram dœmonis tentationem fuiſſe, aut meam ipſius inertiam: nam ex quo ſanitati meæ ità non caui, nec tantam eius rationem habui, multò meliori ſum valetudine, quàm eram anteà. Quare permagni refert, vt, dum quis orationi vacare incipit, cogitationes non nimium deprimat aut dejiciat: & velim hac in re aliquam mihi fidem dari, vtpote in ea verſatiſſimæ: vt autem meo exemplo alij ſapiant, forſitan ad hoc iuuabit, haſce meas, quoad hoc, imperfectiones referre.

Cogitationes non ſunt nimium deprimenda.

Sequitur deindè & alia tentatio, ſatis obuia, & communis, quòd videlicet incipientes hi, eò quod ipſi iam guſtare incipiunt, quanta in vita ſpirituali ſita ſit quies, & quis fructus indè proueniat, deſiderant, vt, quotquot ſunt homines, ſpirituales eſſent. Hoc quidem deſiderare, nō eſt malum, ipſum verò procurare, poſſet non eſſe bonum, niſi magna id cum diſcretione, & tectè admodum fiat, ità ſcilicet, vt alios non videantur velle docere: nam qui hac in re aliquem facere fructum cupit, in virtute valdè fundatus, ac corroboratus ſit oportet, ne alijs tentationis ſit occaſio. Hoc mihi contigit (atque ideò id ſatis intelligo) quando (vt ſuprà commemoraui) ipſa totis viribus allaborabam, vt & aliæ ſodales meæ orationis ſe ſtudio darent. Nam quòd hinc me magna quædam de bonis,

Incipientibus malum eſt, velle vt omnes ſint ſpirituales.

bonis, & commodis, quæ in orationis exercitio ſita ſunt, loquentem audirent, illinc verò me virtutibus ſolidis deſtitutam viderent, & nihilominùs orationi inſiſtere, in cauſa eram, vt ipſæ tentarentur, & turbarentur. Nec immeritò: nam, vt mihi poſteà retulêre, non ſciebant, quomodò vnum cum altero poſſet conſiſtere, & compati. Et hæc ratio erat, cur, quod ex ſe malum erat, ipſæ id vt tale nõ reputarent; quod me id ſubindè tùm vſurpantem viderent, cùm aliquid in me boni viderent. Hoc facit diabolus, qui bonis, quas habemus, virtutibus ad hoc vti videtur; vt aliquam ſic malo, quod inducere ſatagit, authoritatem omnimodis conciliet: quantumuis enim id paruum ſit, non poteſt non in magna ſimul viuentium communitate plurimum ipſe lucrifacere; quantò verò magis, cùm quod ipſa faciebam malum, tam graue eſſet: vndè fiebat, vt per tot annos ſolùm tres profecerint ex eo, quòd ipſas docebam: ſed cùm me Dominus in virtute iam magis conſolidaſſet, biennij, triennijuè ſpatio quàmplurimæ (vt poſtea dicam) per me profecerunt. Sequitur prætereà hinc & aliud graue incommodum, nimirùm, quod ſic anima ſuiipſius profectum, & commodum negligat: in principio namque illud antè omnia ſpectare debemus, vt illius ſolius dumtaxat curam geramus; nobiſque perſuadeamus, nihil præter Deum & ipſam in terra eſſe. Atque hoc eſt, quod ei quàm maximè conuenit.

Tentatio doloris de alienis peccatis.

Eſt & tertia tentatio, quæ, vti & ceteræ omnes, quodam virtutis zelo tecta eſt (vndè & benè intelligi, & diligenter notari debet) nimirùm quòd de peccatis & de defectibus, quos in alijs vident, doleant. Perſuadet autem ijs diabolus dolorem hunc nonniſi è pio aliquo deſiderio, quo DEVM opt. Max. nolint offendi, oriri, & ex eõ, quòd malè eos habeat, honorem eius ità proculcari. Vndè hanc ipſi offenſam ſtatim vellent impedire, & aliquod ei remedium afferre: quod quidem ità illos ſollicitos, & inquietos reddit, vt orationem ipſorum impediat. Hoc verò nocentiſſimum, & omnium peſſimum eſt, quòd id virtutem, & perfectionem, magnumque de diuino honore zelum eſſe exiſtimant. Non loquor hic de dolore, quem aut publica peccata (ſi talia in congregatione aliqua inuenirentur) cauſantur, aut vniuerſalis Eccleſiæ damna, quæ ex hæreſibus modernis, à quibus tot animarum millia interitum pertrahi cernimus, oriuntur: hic enim dolor bonus; & quia bonus & ſanctus, hinc nullam diſtractionem inquietudinemuè affert. Animæ ergo orationem exercere cupienti tutiſſimum erit, omnium rerum & hominũ curam deponere & velut obliuiſci, ac ſui ipſius dumtaxat rationẽ habere, ac videre quomodo Deo ſuo placeat. Hoc porrò permagni refert, & maximè conueniens eſt. Vndè ſi peccata, & defectus, quæ admitti vidi,

ex eo, quod bonæ intentioni nimium fidebatur, enarrare vellem, finem nullum haberet narratio. Semper ergo ad virtutes, & bona, quæ in alijs aduertemus, oculos reflectere ſtudeamus, &, ſi quos in ijs notabimus defectus, grauibus peccatis noſtris tegamus. Hanc operandi rationem, tametſi ea non ſtatim ſummâ, & debitâ cum perfectione fiat, magnam nihilominus paulatim virtutem comparamus, hanc ſcilicet, quod omnes meliores nobis eſſe credamus: atque hac ratione per Dei gratiam (quæ in omni re perneceſſaria eſt, & ſine qua omnis noſtra diligentia, quantumlibet intenſa, fruſtranea eſt) aliquid lucrari incipimus, ſimul eum rogando, vt hanece nobis virtutem concedat: neminem enim noſtrum deſerit, cùm à parte noſtra diligentiam aliquam adhibemus. Hanc quoque doctrinam, & monitum notent illi, qui per intellectum multum diſcurrunt, multos & diuerſos ex re vna conceptus efformando (nam per intellectum operari neſcientes, qualis ego eram, alio non habent opus monito, quàm vt patienter exſpectent, quoadusque largiatur ipſis Dominus, in quo ſe occupent, & aliquam lucem det, cùm tam parum ipſi per ſe poſſint, & intellectus eos magis impediat, & intricet, quam expediat & extricet.) Taliter ergo diſcurrentes moneo, ne omne tempus ſuum diſcurſibus impendant: nam eſto id valdè meritorium ſit, nullum tamen (eo quod oratio adeò illis ſapiat) putant ſabbathum, & tempus quo intellectu non laboretur, eſſe debere. Vndè quamprimùm omne tempus, quo non diſcurrunt, inutiliter impenſum eſſe putant; ego verò hanc temporis iacturam velut ſingulare quoddam lucrum puto: ſed vti antè dixi, fingant ſe, in Chriſti Domini præſentia verſari, ac ſine vlla intellectus torſione ipſum alloquantur, cum eoq; delicientur, ità tamen, vt de verbis, quibus apud eum vtendum ſit, & argumentis non multum ſolliciti ſint, ſed ſuas ei neceſſitates nudè dumtaxat proponant, nec non cauſam, quam habet ad nos coram ſe non ſuſtinendos. Hoc quidem vno, illud alio tempore alternatim faciendum, ne anima vnum & eundem cibum ſemper commedens defatigetur. Hi cibi admodum ſapidi ſunt & vtiles, quorum comeſtioni, ſi guſtus aſſueſcat, multum nutrimenti ac ſubſtantiæ in ſe includunt ad vitam animæ dandam, nec non alia quamplurima commoda. Clariùs mentem meam exponere volo: nam omnis hæc de Oratione materia, & tractatio perdifficilis eſt, &, niſi magiſter aliquis, qui eam exponat, accedat, ægrè admodum intelligitur: & hæc eſt cauſa, cur (etſi alioqui breuior eſſe vellem, ac perſpicaci illius, qui hanc de oratione materiam me ſcribere iuſſit, ingenio ſatis foret, eam vel verbo indicare) mea me ſtupiditas rem, quam tanti intereſt benè, commodèque exponi, paucis dicere, & declarare non patiatur. Nam quod multa hac in parte pertulerim, hinc miſeret

me illorum, qui per ſolam librorum lectionem incipiunt: cùm nimis quàm magna ſit differentia inter ea, quæ primò electione cognoſcuntur, & ea, quæ deindè per experientiam videntur: vt ergo ad id, quod modo dicebam, redeam; incipimus aliquod paſſionis myſterium, verbi gratia, quomodò Dominus ad columnam vinctus ſtaret, meditari; intellectus ergo diſcurrendo cauſas indagat, è quibus colligi queat, quàm intenſos illic maieſtas eius paſſa ſit cruciatus, & ſimul quàm vehementem in illa derelictione, & ſolitudine ſenſerit dolorem: nec non alia multa, quæ intellectus, ſi benè operari norit, & actiuus ſit, aut doctrinâ excultus, hinc elicere poterit. Hoc porrò orationis genus eſt, à quo omnes incipere, per quod progredi, & in quo conſummare debent, nec non excellētiſſima, ac ſecuriſſima via, per quam incedant oportet, donec eos Dominus ad res alias ſupernaturales deducat. Dixi omnes: quia ſunt non paucæ animæ, quæ plus fructus ex alijs meditationibus, quàm ex ijs, quæ de ſacratiſſima Domini paſſione ſunt, colligunt: nam, ſicut variæ & diuerſæ in cœlo ſunt manſiones, ità & diuerſæ ſunt viæ eò conducentes. Alij proficiunt ex eo, quòd ſe in inferno conſtitutos imaginentur; alij, dum ſe in cœlo verſari cogitant, quos è contrà ipſa de inferno cogitatio contriſtat, & affligit; alij ipſa de morte meditatione iuuantur; alij præſertim compaſſiuo, & tenero ſunt corde, aſſidua de paſſione meditatione non parùm contriſtantur; & è contrà lætantur, & proficiunt, dùm Dei in creaturis ſuis potentiam, & magnitudinem, nec non amorem, quo nos proſecutus eſt, quique omni in re eluceſcit, conſiderant. Et eſt hæc mira procedendi ratio; ita tamen, vt Paſſionis & vitæ Ieſu Chriſti (ex ea namque omne bonum ad nos deriuatum eſt, & indies deriuatur) memoria, ac meditatio ſæpè vſurpetur. Incipiens ergo monendus eſt, vt, è qua materia magis proficit, eam notet; ad hoc autem opus imprimis eſt directorem & magiſtrum benè hac in re verſatum habere; niſi enim experientiâ habeat, graui ter errare poteſt, & animam reget, ac conducet eam non intelligendo, neue etiam permittendo vt ſeipſa intelligat. Quod enim anima norit, inſignem meriti ſibi materiam eſſe magiſtro alicui ſeſe ſubijcere, hinc ab illius monitis & conſilio ne vel latum vnguem audet deflectere. Incidi aliquando in animas, quæ, quòd, qui eas dirigebat, experientiâ careret, ità anguſtiatæ, & afflictæ erant, vt me ipſarum miſereret; & inter eas vna eo reducta erat, vt, quid ſibi faceret, iam neſciret: nam directores ſpiritus non intelligendo animam iuxtà affligunt & corpus, & profectum non parùm remorantur. Cum alia quadam egi, quam eius director, iam octo, & ampliùs annis velut vinctam detinuerat, quòd eam extrà ſuiipſius cognitionem egredi non permitteret; quam tamen Dominus iam tum ad orationem quietis deduxe-

rat:

rat : vndè ipſa multùm hac de cauſa patiebatur. Eſto alioquin hæc ſuiipſius cognitio numquam omitti debeat , nec anima vlla in hac via ità fortis , & gigantea ſit , vt non ſæpè opus habeat repueraſcere, & velut ad prima vbera redire. Numquam autem hoc eſt de memoria deponendum , vndè etiam idipſum ſæpiùs fortaſsè repetam, quòd permultum in eo ſitum ſit : nullus quippè orationis ſtatus tam ſublimis eſt ; vt non ſæpè ſit neceſsè hominem ad principia reuerti. Hoc autem de peccatis , & ſuiipſius cogitatione punctum , & meditatio velut panis eſt, qui ad omnes cibos , quantumlibet delicatos, in hac orationis via adhibendus eſt ; ſine hoc autem pane , nemo ſe ſuſtentare poſſet, is tamen nonniſi ad menſuram , ac moderatè ſumi debet. Poſtquam enim anima ſe iam penitùs reſignatam eſſe videt , & liquidò perſpicit nihil ſe à ſeipſa boni habere , ac proindè ſe coràm tanto Rege pudore ſuffundi , & quàm ei parum (cùm tamen tam multa ei debeat) rependat , aduertit , quid eam neceſſe eſt in his tempus impendere , vt non ſatiùs ſit nos ad alia , quæ nobis Dominus proponit , tranſire ? neque enim par eſt , ea nos relinquere , nouit quippè maieſtas eius meliùs quam nos , quid nobis conueniat comedere. Permagni ergò refert , inſtructorem virum prudentem & cordatum eſſe , boni , inquam , ingenij , & multæ experientiæ: ſi præterea doctus ſit & litteratus , hoc magnum quid eſt , & peroptandum. At ſi tria hæc ſimul in vno reperiri nequeant , duo priora potiora , & maioris momenti ſunt : doctos quippè viros facilè aliunde haberè , & comparare poſſunt , vt , ſi quando opus habebunt, cum illis de rebus ſuis conferant. Dico itaque, doctrinam in principio parum iuuare, niſi director ipſe orationi addictus ſit : non tamen dico vt cum viris doctis , & litteratis planè non conferant ; etenim ſpiritum , qui cum fundamento veritatis non incipit , malim ſine oratione , ceterum doctrina magni momenti res eſt : hæc quippè nos, qui parùm ſcimus, docet & illuminat: adeò vt cùm veritati ſacræ ſcripturæ innitimur, faciamus id, ad quod obligati ſumus. A deuotione autem fatua , & ſtupida liberet nos Deus. Amplius mentem meam declarare volo , quia , vt video , nimis multis me rebus immiſceo : nam ſemper hunc defectum habui , quòd me , vt dixi , benè declarare non poſſim, niſi multis adhibitis verbis. Cum ergo monialis aliqua orationi ſe dare incipit, ſi, qui eam regit, ſimplex ſit & imperitus , & ſibi ſtultè id ipſe perſuadeat , mentique imprimat , ſatiùs eſſe dicet , eam ſibi obedire , quam ſuperiori ſuo , idque ſine vlla prorſus malitia: immò verò rectè ſe in eo facere exiſtimando. Ità hic ergo faciendum iudicabit , ſiquidem cum religioſa ei negotium fuerit , ſi autem

Suiipſius cognitio nũquam deponenda.

Imperitia directoris quid mali cauſetur.

cum muliere coniugata, huic dicet, cùm ei res domestica curanda erit, melius esse orationi insistere, etsi maritum hac ratione offenderet; ideò vt nec tempus ritè ordinare, nec res faciendas ità partiri norit, vt ex veritatis præscripto peragantur. Quòd enim ei lumen desit, hinc ipsum alijs, tametsi fortè vellet, communicare nequit. Et licet nulla doctrina ad hoc necessaria videatur, in ea tamen semper opinione, & fui, & erò, Christianum quemlibet operam dare debere, vt semper, si fieri possit, conferat cum eo, qui illâ luculenter instructus est; & quo hic erit doctior, eo id ei futurum melius. Qui autem per orationis viam incedunt, magis à doctrina iuuari opus habent; & eò etiam magis, quò spiritualiores sunt: nemo autem seipsum decipiat, dicendo, viros doctos orationi non deditos, non esse illi vacantibus dirigendis aptos. Equidem cum multis doctis contuli, & communicaui: nam paucis ab hinc annis (quod magis hoc opus haberem) maiore in iis conquirendis curâ incubui; & semper magni eos feci, nam licet eorum aliqui nullam habeant experientiam, spiritum tamen orationis non oderunt, nec ignorãt: in sacris enim litteris, quas assiduò manibus versant, boni spiritus veritatem inueniunt. Equidem in ea sum sententia orationi incumbentem, & cum viris doctis conferentem, nisi ipsemet se decipere velit, non facilè à diabolo per illusiones deceptum iri: crediderim namque dæmones doctrinam humilem, & virtuti conuinctam non mediocriter timere: norunt enim per illam se detectum iri, & magno suo cum damno in fugam conijciendos. Hoc eò dixi, quòd nonnulli in ea sunt sententia, vt viros doctos proprios, & aptos esse negent orationi vacantibus, nisi ipsi spiritu dotati sint. Paulò antè etiam dixi; directorem, & magistrum esse debere spiritualem: at si hic non simul doctus ac litteratus sit, multa sequentur incommoda: sicut è contrà magnum subsidium, & auxilium confert, cum doctis, dummodo virtutibus præstent, agere: licet enim docti spiritum non habeant, multum tamen nos iuuabunt, ac Deus ipsis haud dubiè inspirabit, quæ discipulis suis proponere debeant, quin & spirituales eos efficiet, quo nobis vtiles esse queant. Nihil autem hac in re dico, quod non antè reipsa experta sum: hoc quippè mihi plus quam cum duobus contigit. Dico ergo animam penitùs sese resignantem; vt vni soli magistro se subijciat, grauiter errare, si non procuret; vt is talis sit, qualem iam antè descripsi, præsertim si persona religiosa sit, cum hæc suo superiori subiecta esse debeat: nam forsitan illi omnia illa tria supra proposita, deerunt (quod sanè non modica ei crux erit, & afflicto) Ita vt spõtè, & propriâ voluntate intellectum suum subijciat ei, qui illum bonum non habet. Id saltem numquam à me ipsa potui impetrare, imò ne quidem (vt mihi videtur) cõsenta neum est: si autem sęcularis sit, laudet, & gratias agat Deo, quod liberum sibi sit deligere,

Qui cum doctis viris confert, non facile à dæmone decipietur.

Quantum sequatur boni è collatione cum doctis.

cui

cui se velit subijcere; & sibi caueat, ne hanc tam bonam, & honestam libertatem amittat, & potiùs tam diù directorè careat, donec aliquem conuenientem sibi inueniat: etenim Dominus talem ei suppeditabit, modò omnia in humilitate fundata sint, & sincerũ, ac rectum ipse habeat benè deligendi desiderium. Equidè maximas ei hoc nomine gratias ago; & nos feminæ & quicumq; indocti sunt, perpetuò infinitas ei gratias agere debemus, quod non desint, qui tantis cum laboribus ad illius veritatis cognitionem peruenerunt, quam nos indocti, & idiotæ ignoramus. Sæpenumerò miror, cùm id, quod viri docti (& præsertim Religiosi) tanto cum labore sibi pararunt, sine vllo meo labore, & sudore meo (tantum quod id ego illos interrogem) in vtilitatem meam cedere possit, aliquos adhuc inueniri, qui ipsum negligant, & fructum indè colligere nolint. Auertat hoc Deus, video quippè illos oneribus religionis (quæ sanè grauia sunt) esse subiectos, in austeritatibus viuere, cibo tenui, & vili vti, ad hæc parere superioribus obligatos (vt id sæpè ruborem mihi incutiat, & magnam verecundiam) Item duro in strato dormire, perpetuoque in labore, & cruce vitam agere: vndè magnum mihi malum videtur, si sua quis culpâ tantum bonum perderet. Et fieri posset aliquos nostrũ, qui ab huiusmodi laboribus liberi sumus, & quibus cibus (vt dici solet) coctus & iam præparatus in os ingeritur, commodeque viuimus, cogitare, quod fortasse paulò plus; quam illi orationi vacemus, ideò nos in gloria superiores fore illis, qui tantos labores subeunt. Esto tu Domine, benedictus, quod me ita inhabilem, & prorsus inutilem fecisti; sed simul etiam immensas tibi gratias ago, quod tam multos excites, qui nos excitent. Quocirca valdè continuò orare deberemus proijs, qui nos illuminant. Quid, quæso, sine illis essemus, in tot, tamque grauibus tempestatibus, quibus hodie Ecclesia concutitur, constituti? &, si hinc indè è doctis aliqui mali & improbi fuerint, qui tamen boni sunt, magis propterea splendebunt. vtinam in sua eos Dominus protectione habeat, & adiuuet, quo ipsi nos iuuent. Amen.

Deus laudandus ex eo quod viros doctos esse sinat.

Sua quis culpa amittere non debet fructum qui ex hominum doctorũ laboribus venit.

Longè ab ea, de qua loqui in cæperam materia deflexi: sed omnia ad rẽ, & proposita sunt incipientibus, vt tam sublimem viam sic incipiãt, aut vt in bona & vera semita constituti sint. Vt ergo ad id, quod antea dicebã, reuertar, ad meditationem, inquam, Christi ad columnam alligati; vtile fuerit, aliquantulum super hoc per intellectum discurrere, & dolores, & cruciatus, quos ibidem pertulit, & quorum causa, & quis eos pertulerit, nec non amorem, quo eos pertulit, considerare: ità tamen, vt se quis non semper hæc omnia inquirendo defatiget, sed cum Christo ibi maneat, intellectum in silentio detinendo. Occupet igitur ipsum, si possit, considerando

De qua re in meditatione discurrendum sit.

rando, quod à Christo videatur, apud eum maneat, aliquid ab eo petat, humiliet se coram ipso, cũ ipso delicietur, memineritque se dignum non esse, qui apud ipsum maneat. Si quando hæc similiauè facere poterit, esto etiam in ipso orationis principio non parum indè fructus percipiet, & fructus, quem hæc orandi ratio secum trahit, plurimus est; talem saltem eum esse anima mea experta est. Nescio an benè, ac verè hoc dicam; R.V. examinabit. Faxit Deus, vt in voluntate eius semper facienda non aberrem. Amen.

CAPVT XIV.

SECVNDVM ORATIONIS GRADVM DECLARARE INCIPIT, quando scilicet Deus animam particularioribus quibusdam gustibus iam perfundit. Ideo eos declarat, vt significet, hos iam supernaturales esse. Et est hoc notatu dignissimum.

CVm ergo iam dixerimus, quo hortus hic labore rigetur, & quanto brachiorũ conniſu aqua è puteo extrahatur; nunc non abs re futurũ est de secundo eius hauriendæ modo, quem horti dominus instituit, loqui, quando scilicet hortulanus adminiculo rotæ aut tuborũ aquam haurit, in quo & plus haurit, & minore cum labore nonnihilque potest interquiescere, ita vt continuò eum laborare non oporteat. Hunc ergo hauriendi modum similem esse dico orationi, quam quietis vocant; & de illo in præsentiarum agere constitui. Hic ergo anima se recolligere incipit, & hic quiddam supernaturale iam quodammodo tangit: nam quantamcumque adhibeat diligentiam, nullo tamen modo id sibi ipsa poterit acquirere. Fateor tamen eam se in rota hac versanda, & per intellectum operando, vt tubos aqua repleret aliquantum defatigasse videri: at aqua hic altior est, vndè etiam minor in ea educenda labor insumitur, quàm dum ea è profundo puteo hauriẽda est: dico, aquam vicinioré esse; quod hic gratia se animæ clarius cognoscendam præbeat. Hoc nihil aliud est, quã quædam potentiarũ animæ intra se recollectio, vt maiore cum gustu hac voluptate, & gaudio fruantur, non tamen propterea hę aut perdũtur, aut dormitãt: sed sola voluntas occupatur, adeò vt nesciens quomodo captiuetur, consensum dumtaxat præstet, vt eam Deus captiuet, vt quæ se nouit captiuam esse eius, quem amat. Quam ô Iesu & Domine mi, tuus nos amor hic iuuat! nam ille nostrum ità vinctum tenet, vt ei quodammodo non det libertatem ad eo tempore quid aliud præter vnum te, amandum. Aliæ duæ potentiæ voluntatem iuuant, vt illa se habilem, & aptam, ad tanto bono fruendum, reddat; tametsi subindè fiat, vt hæ etiam voluntatem, etiam tum, cum vnita est non parum remorentur: at tunc eius est, illas non curare, sed in sua fruitione, & quiete permanere. Si

Oratio quietis merum otium est.

Sola voluntas hic Deo vnitur, & eo occupatur.

re. Si enim illas ipſa recolligere velit, tam ipſa, quam illæ ſimul perdentur. Tunc quippè ſunt veluti columbæ, quæ grano, quod columbarij Dominus ipſis, nullo earum cum labore ſpargit, non contentæ, aliò cibum quæſituræ auolant; ſed ita eum ægrè & tenuiter inueniunt, vt ad columbarium primum redeant: eodem modo & illæ abeunt, & redeunt, viſuræ num voluntas quid ipſis impertitura ſit eorum, quibus iam fruitur, ſi tunc aliquam ijs eſcam & frumentum Dominus proijcere velit, apud eum manent, ſin minus, rursùs auolant alibi quæſituræ. Et cogitare debent, voluntati ſe non parum hoc modo prodeſſe; eſto interdum contingat, vt, cum memoria vel imaginatio ea repræſentare voluntati vult, quibus fruitur, ei damnum creet. Videat ergo voluntas, vt ita ſe erga eas gerat, vti iam dicam. Quidquid igitur hic peragitur, non niſi ſumma cum dulcedine, ac conſolatione, & tam paruo cum labore fit, vt oratio, tametſi etiam diuturna ſit, nullatenus hominem delaſſet; intellectus quippè hic valdè ſenſim, & quietè operatur, & multò plus aquæ educit, quàm è puteo hauriebat: etenim lacrymæ, quas Dominus hic dat, non niſi cum gaudio fluunt, & eſto ſentiantur, non tamen affectatè procurantur. Hæc magnorum bonorum, & gratiarum aqua, quam animæ Deus hic elargitur, efficit; vt virtutes maius longè incrementum capiant, quàm in ſuperiore orandi modo: hæc namque anima, è miſerię ſuæ loco, iam aſcendere incipit, & iam tum aliqualis guſtuũ gloriæ cæleſtis notitia illi communicatur. Hoc (vt mihi quidem videtur) magis eam creſcere, nec non propiùs ad veram virtutem, è qua omnes aliæ virtutes deriuantur, Deum videlicet, facit accedere. Etenim maieſtas eius huic animæ ſe communicare incipit, vultque eam ſentire ac noſſe, quomodo ſe illi communicet. Mox ergo vt hûc peruenimus, omnem erga res terrenas affectum, & paruas quaſdam gratias perdere incipimus: ad oculum namque perſpicimus ne vel guttam, ac momentum quoddam guſtus huius haberi hic poſſe, ac nullas dari diuitias, dominatus, honores, vel delectationes poſſe, quæ ad vel vnicum huius gaudij momentum dandum ſatis ſint, quod id verum & ſincerum ſit gaudium, & tale, à quo nos penitùs ſatiari, & repleri videmus, nam in rebus hiſce terrenis, vix intelligo vbinam iſthæc ſatisfactio, & ſatietas ſita eſſe poſſit; ſemper quippè aliquod Ita, & Non, id eſt defectum continent: hic verò omnia ſunt Ita, pro illo quidem tempore, Non verò ſequitur poſtea; quòd conſolationem iam appareat præterijſſe, & animam eam recuperare non poſſe, & neſcire quomodo recuperet. nam eſto ſe auſteritatum, orationum, & aliarum rerum omnium intenſione in mille velut partes diſrumperet, ſi modo Deus eam dare nolit, vix ei quidquam omnia proſunt. Deus propter magnitudinem ſuam, vult iſthãc animam

Quomodo voluntas ſe erga alias potentias geret.

nam intelligere, maiestatem suam tam ipsi vicinam esse, vt iam eam necesse non sit nûtios ei mittere, sed ipsamet coram cum ea colloqui possit; idque non altâ voce clamando, quia ei iam ità vicinus, & propè est, vt eam vel primùm labia motitantem intelligat. Impertinens, & extra propositum cuiquam videatur hæc me dicere; quòd, cuiuis notissimum sit, Deum semper, & vbique nos intelligere, ac nobiscum agere. Nullum hac de re dubium est. Hîc Imperator, & Dominus noster cupit nos hic intelligere & scire nos ab ipso intelligi, & quidnam eius faciat præsentia, ipsumque particulari quodam modo velle in anima incipere operari; quod è magna illa tum interiori, tum exteriori satisfactione, quam ei communicat, & è magna illa, quam inter hanc voluptatem ac gaudium, & gaudia terrena, esse dixi; differentia liquidò perspicitur: quia hæc vacuum, quod nostris ipsi peccatis in anima feceramus, replere videtur. Satisfactio porrò hæc in intimo illius fundo sita est; at nescit ipsa, vndenam, aut quomodo hæc ei aduenerit; imò sæpè ne quidem scit, quid aut facere, aut velle, aut petere debeat. Iunctim ac simul omnia sé putat inuenisse, & tamen quid inuenerit, nescit; imò nec ipsa satis scio, quibus id verbis exprimam: ad multa enim horum exponenda, doctrina necessaria videtur. Nam ad propositum hic esset, exponere quid sit auxilium generale, quid particulare (sunt enim plurimi, qui hoc ignorant) & quomodo Dominus hic requirat, vt anima hoc particulare suis quodammodo (vt dicitur) oculis videat, nec non ad alia plurima in quibus ego fortassis errauero: sed quia hæc visuri & examinaturi sunt viri, qui satis intelligunt, quid sit error, quid non, hinc quoad hoc planè quieta, & secura sum: nam tam quoad materiam de doctrina, quam eam de spiritu, scio me tutam esse posse; quandoquidem in eorum hæc manus, & potestatem ventura sunt, qui & ea intelligent, & si quid malum, & erroneum fuerit, liberè delebunt. Vellem ergo hæc hoc loco exponere, quia prima principia sunt; nam cùm id genus gratias animæ cuidam Deus facere incipit, ne ipsa quidem satis eas intelligit, aut quid de se faciat, nouit: si enim per viam timoris eam Dominus conducat, vti me conduxit, non parum ipsa pœnæ, & amaritudinis sentit, si nullus adsit, qui eam intelligat; magna verò è contrà ei consolatio est seipsam velut depictam, & expressam videre: & tunc demùm clarè perspicit, quanam via incedat, eique perutile est scire, quid eam, in quocumque demùm statu, ad proficiendum facere oporteat. Ipsa namque multum sum passa, multumque temporis perdidi, quòd, quid agere deberem, nescirem: hinc valdè me illarum miseret animarum, quæ cùm huc peruenerunt, solas se, & magistro destitutas vident. Etsi enim varios, & plures libros spirituales, de ea materia, de qua hic loquor, tractantes legerim; hi tamen valdè tenuiter eam declarant, & sanè, quamuis eam pluribus

Vbinam illa satisfactio anima sua sit.

decla-

declararent, nisi anima valde, hac in re versata sit, nimis quàm multum negotij habebit, ad seipsam intelligendam. Vellem equidem Dominus mihi gratiam daret, vt fructus, & effectus, quos hæ res, (quæ iam tum supernaturales esse incipiunt) in anima operentur, hic possem exprimere, vt ex effectibus intelligatur, quando hic sit spiritus Dei. Intelligatur, inquam, prout quidem ab hominibus mortalibus id potest intelligi; tamen si semper consultum sit, cum timore, & metu incedere. Nam esto res etiam à Deo sit, poterit tamen se subindè cacodæmon in Angelum lucis transfigurare, &, nisi anima sit exercitatissima, & versatissima, ipsum non aduertet, & ità quidem exercitata sit oportet, vt ad hoc planè intelligendum penè ad summum Orationis fastigium peruenisse debeat. Sed quia temporis angustia laboro, hinc commodè, quæ necessaria sunt, omnia adferre nequeo: vnde necesse est, me maiestas eius hic adiuuet. Nam communia cum aliis Religionis exercitia me obire necessum est; adhæc alijs plurimis, & grauibus occupationibus distinetur, cùm in monasterio agam, quod iam primùm construi incipit, vti posteà legere erit. Vndè quidquid hic scribo, vix & sedentariè, sed per interualla; & abruptim scribo: cùm tamen ad hoc quiete mihi opus esset: nam cùm Dominus spiritum dat, tunc facilius, & meliùs omnia scribuntur; perindè ac si quis exemplar aliquod, & formam ante se positam haberet, ad cuius similitudinem opus suum effingere vellet. At si hic spiritus desit, tam eas impossibile est linguam, & idioma hoc intelligere, quàm, (vt vulgo dicitur) Hebraicum, aut exoticum aliquod idioma, esto etiam per multos annos orationi vacarint. Quapropter permagni ad hoc mihi auxilij esse videtur, quòd, dum hæc scribo, orationi vacem: nam ad oculum, & apertissimè video, non esse me, quæ hæc dicam, quia nec intellectu hæc ordino, nec etiam posteà scio, quomodo id dicere, scribereue potuerim. Et hoc mihi sæpè contingit.

Ex effectibus discernendum est, quando spiritus à Deo est.

Iam vero ad hortum nostrum redeamus, ac videamus, quomodo hæ arbores velut prægnantes esse incipiant, quò floreſcant, & posteà fructus dent; quomodo flores item, & Caryophylla, ad odorem emittendum. Hæc similitudo mirè me delectat; quia sæpè in principiis meis (& vtinam vel iam eius Maiestati seruire inceperim) principiis, inquam, respectu eius, quod deinceps de vita mea narrabo, permagnæ mihi consolationi erat, considerare animam meam hortum quemdam esse, ac Dominum velut in eo deambulare. Hunc itaque rogabam, vt floſculorum, virtutum, inquam, iam prodire (vt videbatur) velle incipientium odorem adaugeret, vtque hoc in gloriam eius cederet, & eos ipse foueret (cùm nihil in rem meam mihi vellem, aut peterem) &

quoſcunque liberet, præſecaret; ſciebam namque eos cum prouentu, & meliores erupturos. Præſecaret inquam: veniunt namque in anima tempora, quibus nulla prorſus horti huius memoria habetur, ſed omnia in eo arida eſſe videntur, adeò vt nec irrigando, & fouendo ei aqua futura, imò nihil vmquam virtuoſum in anima fuiſſe videatur. Graue hoc eſt, & peracerbum: vult namque Dominus, vt miſellus hortulanus cogitet, omnem, quem in eo colendo, rigandoque ſumpſit laborem, perditum, & fruſtrà eſſe. Tunc demum vera fit eruderatio, tumque malæ herbulæ, quæ ibidem adhuc remanſerunt, quantumcumque paruæ ſunt, radicitus exſtirpantur; vt nimirum intelligamus, nullam; quantumuis magnam diligentiam ad hoc ſufficere, ſi gratiæ aquam nobis Deus auferat, & noſtrum Nihilum parui, imò minoris, quam nihili faciamus. Hac autem ratione multum nobis humilitatis acquirimus, atque adeo flores reflo-

Quomodo flores in anima recreſcere incipiant.

reſcere, & denuo erumpere incipiunt. Ah, DOMINE DEVS, & omne bonum meum, hoc autem & ſine lacrhymis, & magno animæ meæ gaudio dicere nequeo) quòd ità nobiſcum eſſe velis, ſicut in altaris es Sacramento; quod certè cum omni veritate credere poſſumus, cùm reuera ita ſit. Veriſſimè autem hanc comparationem facere nobis licet, &, niſi nos in culpa ſimus, tecumpoſſumus deliciari, & iucundari, quia tu nobiſcum deliciaris, cum tuas eſſe dicas delicias cum filijs hominum verſari. Quid hoc eſt, DOMINE mi? quotieſcumque verbum hoc audio, magnâ anima mea introrſum conſolatione perfunditur: quam conſolationem etiam ſenſi tum, cum valde perdita eram, fierinè poteſt, DOMINE, dari poſſe animam, quæ cùm eo peruenerit, vt tales ei tu gratias & delicias præſtes, & ſimul intelligat, te ex ipſius conuerſatione, & commercio voluptatem capere, nihilominus poſt tot tantoſque fauores acceptos à te, tamque euidentia amoris erga ſe tui teſtimonia, ac ſigna, vt de eo dubitare nefas ſit (cum opere, & per effecta, res ipſa pateat) te denuo audeat offendere? Certum eſt ſanè eiuſmodi inueniri, quæque te non ſemel, ſed ſæpiùs offendunt: nam talis ego ſum; faxit autem bonitas tua, vt ego ſola illa ingrata ſim, & quæ tantam malitiam, tamque exceſſiuam intolerabilemque ingratitudinem oſtenderim. Nam infinita bonitas tua aliquod iam indè bonum adhuc elicuit, & quo malum grauius eſt, eo etiam magnum miſericordiarum tuarum bonum clarius eluceſcit. Quam meritò ergo eas in æternum ego cantare & dilaudare poſſum? Ita ſit, obſecro DOMINE, & ego eas ſine fine cantem; cùm tu maximas erga me

oſtendere

oſtendere dignatus ſis, vt, qui eas vident ac notant, maximopere obſtupeſcant, & interdum meipſa præ admiratione non capiam, & extra me rapiar, quò te melius laudem, & glorificem. Nam ſi ſine te in me eſſem, Domine, nihil penitus facere poſſem, niſi fortaſſis in cauſa eſſe, vt hi horti huius flores denuo præſecarentur, adeo vt infœlix, & miſerabilis hæc terra iterùm ſterquilinium, qualis antè fuit, fieret. Ne permittas id, obſecro, Domine, & noli pati, vt anima, quam tot tibi laboribus comparaſti, & deinde toties de nouo redemiſti, atque è terribilis draconis faucibus eruiſti, peſſum eat.

Ignoſcat mihi R.V. quod à propoſita materia & ſcopo digrediar; nec miretur, quia iuxta propoſitum, & intentionem meam loquor, id eſt, prout in anima mea affecta ſum, ſcribo, cum hæc interdum, etiam nimis quàm multum faciat, quod ſe contineat, ne in Dei ſui laudibus longius prouehatur, dum ei inter ſcribendum repræſentatur, & occurrit, quàm multa ei debeat. Et credo fore, vt hoc R.V. minimè diſpliceat, cùm (prout quidem mihi videtur) idem ambo Deo carmen cantare poſſimus; tametſi diuerſimodè, quòd ego Deo longè plus debeam, quia plura mihi, ſicut R. V. conſcia eſt, & probè nouit, dimiſit.

Caput XV.

Eandem proſequitur materiam, et aliqua orationis huius, quam quietis vocant, tenendæ præcepta aſſignat. Oſtendit item, multas reperiri animas, quæ ad hoc Orationis genus perueniant, paucas autem, quæ vlterius aſcendant. Quæ autem hic tractantur neceſſaria imprimis ſunt, & vtilia.

Iam vero ad propoſitum reuertamur. Quies hæc, & recollectio animæ maximè ſentitur in ſatisfactione, & pace, quæ ex ea ſequitur, cum maxima potentiarum animæ delectatione, & quietatione, & ſuauiſſima quadam voluptate. Quòd autem anima vlterius non aſcenderit, hinc nihil ei videtur eſſe, quod vltrà deſideret, & libenter cum Sancto Petro peteret, vt ſuum ei hic tabernaculum conſtruere liceret. Non ſe vel minimum mouere, aut aliorſum reflectere audet, quòd hoc ſibi bonum è manibus putet elapſurum & aufugiturum, imò interdum ne reſpirare quidem vellet. Et neſcit miſella, quòd cùm perſeipſa bonum hoc ad ſe trahere, prorsùs non

potuerit, minùs multò ipsum diutius, quam Domino visum fuerit, retinere & conseruare possit. Iam supra dixi, in prima illa animæ recollectione, & quiete potentias illius non deficere, sed eam Deo suo ita contentam esse, vt quamdiu id durat, esto duæ aliæ potentiæ distractæ sint, quod voluntas Deo vnita sit, quies tamen, & tranquillitas eius non amittatur, sed voluntas è contrà potiùs intellectum & memoriam paulatim rursus ad recollectionem pertrahat. Nam etsi ea nondum penitùs in Deum absorpta sit, nihilominùs tam benè occupata est (vt nesciat tamen quomodo) vt duæ aliæ potentiæ, quamcumque demum diligentiam adhibeant, suum ei gaudium, fruitionem, & voluptatem tollere nequeant; imò verò sine vllo labore allaborat, ne illa diuini amoris scintillula exstinguatur. Det mihi, quæso, diuina Maiestas gratiam, ad hoc benè & intelligenter exprimendum: permultæ enim sunt animæ, quæ ad hunc quidem statum perueniunt, paucæ verò quæ vlterius ascendunt. Et nescio quis hic sit in culpa. Certissimum quidem est, Deo eam ascribendam non esse: cùm enim hanc maiestas eius nobis gratiam præstet, quod ad hoc vsque punctum pertingamus, non credo fore, vt à maioribus, & amplioribus nobis dandis cessaret, nisi à nostra ipsi parte per peccata impedimentum obijceremus. Et sanè magni refert animam, quæ huc peruenit, magnam, in qua constituta est, dignitatem intelligere, nec non singularem gratiam DOMINVS ei præstitit, & quam meritò non deberet esse terrena. Videtur namque bonitas eius ipsam iam tum cæli ciuem facere, nisi ipsa sua id culpa impediat. Porrò si ipsa respiciat, & retrogrediatur, nimis quàm infælix erit: crediderim idei occasionem fore ad deorsum descendendum, sicut ipsa descendebam, si me Domini misericordia non reuocasset: nam, vti mihi quidem videtur, id vt plurimum, ob graues culpas contingit, & fieri non potest, vt tantum homo bonum deserat, nisi anteà per graue aliquod peccatum valde excæcatus sit. Vndè ex Dei amore, animas, quibus tantam gratiam Maiestas eius præstitit, vt ad hunc statum perueniant, rogo, vt seipsæ agnoscant, & per sanctam & humilem quamdam præsumptionem magni æstiment, quo ad ollas Ægypti non reuertantur: & si forte ex infirmitate, malitia peruersa ac misera natura labantur (vti ego lapsa sum) bonum quod amiserunt semper præ oculis habeant suspicenturque & metuant (meritò enim timere possunt) ne in orationis exercitium & vsum non resumant, è malo in peius ruant. Hoc namque verè lapsum appello, cum scilicet quis viam, per quam ad tantum bonum peruenit, abominatur & abhorret, & huiusmodi animas alloquor, non quod velim dicere, num quam eas Deum offendere, aut in peccatum

Descriptio orationis quietis vel simplicis otij.

Multæ animæ ad hanc orationē qui etu perueniunt, sed paucæ vlterius ascendunt.

catum labi debere; tametsi æquissimum foret, vt qui huiusmodi fauores, & gratias accipere incepit, imprimis sibi à peccato caueret: sed miseri sumus, & fragiles. Quod ergo seriò moneo, hoc est, scilicet orationis exercitium minimè ei omittendum esse, in ea quippè intelliget quid agat, & dolorem, & contritionem, ac robur, ad denuò resurgendum à Domino accipiet, sibique persuadeat (persuadeat, inquam) se, si ab oratione recedat, in præcipitium, vt quidem mihi videtur, ipsius periculo versari. Nescio sanè, num quod dico, ipsamet intelligam: nam, sicut antè dicere memini, hic iuxta modulum meum alios metior. Hæc ergo oratio veluti scintillula est, quam Dominus in anima excitare, & accendere incipit, veri amoris sui, vultque animam paulatim incipere intelligere, quid amor hic sit, idque cum quodam animi gaudio & sensu. Si hæc quies, & recollectio, & scintillula spiritus Dei sit, non autem gustus quidam, quem aut dæmon dat, aut nos ipsi procuramus (esto fieri non possit, qui experientiam aliquam habet, non statim intelligat, non esse id huiusmodi, vt nos ipsi per nos id obtinere possimus; sed hanc naturam nostram rerum sapidarum & suauium ità auidam esse, vt omnia & singula exploret: sed eam hic quamprimum frigescere, & frigidam manere; quia quantumcumque de nouo conetur, & identidem incipiat ignem hunc accendere, quo gustum hunc consequatur, nihil aliud omni hac contentione facere videtur, quam aquam ei exstinguendo inijcere.) Hæc igitur scintillula à Deo veniens, quantumlibet parua, magnum tamen excitat crepitum, & fragorem, & nisi nostra culpa exstinguatur, luculentum illum in nobis accendere ignem incipit, qui vti suo loco ostendam, maximi amoris diuini illius scilicet, quem in animabus perfectis Maiestas eius suscitat, flammas à se emittit. Hæc quoque scintilla signum quoddam vel pignus est, à Deo animæ huic ad hoc datum, quod illam iam tum ad magna, & ampla deligat, si ad ea recipienda se ipsa disponat. Est quippè singulare, & eximium quoddam donum, & maius longè quàm dicere possem. Miseret me sanè, quòd, sicuti dixi, multas animas noscam, quæ quidem huc pertingant, at earum, quæ hinc, ità vt quidē deberēt, vlterius ascēdāt, & transeāt, numerus ità exiguus est, vt me dicere pudeat. Non dico paucas esse; imò multas esse puto, nam per aliquid Deus nos sustentat: at dico quod vidi. Vellem equidem eas serio monere, vt videant, ne, quod acceperunt talentum, abscondant; cùm eas Deus ad aliorum plurimorum commodum eligere voluisse videatur; hoc præsertim tempore quo validis, & constantibus Dei amicis opus est, qui debiliores, & infirmos corroborent. Qui autem hanc in se gratiam agnoscent, se vt tales agnoscant, & habeant, si modò leges, quas etiam bona mundi huius amicitia exigit, adimplere norint: alioquin timeant (vt dixi)

Oratio nō-quam omittenda.

& caueant, ne quod sibi damnum, ac malum creent: faxit porrò Deus, vt solis sibi noceant.

Quid anima in oratione quietis facere debeat.

Nihil autem aliud animam tempore huius quietis facere oportet, quam vt suauiter, & sine strepitu vllo se teneat: strepitum autem voco per intellectum verba & considerationes multis hinc indè indagare, ad Deo pro huiusmodi beneficio gratias agendas, & peccata sua, & imperfectiones in vnum velut acerum accumulare, vt se illiorum intuitu nihil huiusmodi promereri colligat. Omnia ista hic velut strepitum intellectus quoque repræsentat, memoria feruet. Hæ quippè potentiæ non rarò me (vt verum fatear) defatigant, quod breuis, & labilis memoriæ sim, hinc eam subiicere non valeo, voluntas ergo hoc ipso tempore, læniter, & maturè sibi persuadeat, nihil tunc apud Deum per violentiam, & magnam corporis contentionem obtineri: hæc quippè sunt velut vasta quædam ligna temerè congesta ad scintillam hanc exstinguendam. Ipsa igitur hoc intelligat, & cum humilitate dicat: Domine, quid ego hic facere possum? quid ancillæ cũ Domino, quid terræ cũ cœlo, negotij esse queat? aut alia id genus amorem spirantia verba quæ hic occurrent. ita tamen vt bene fundata sit, & sciat verum esse id quod dicit; & de intellectu non magnopere laboret, quòd is vexator sit, & importunus. Si autem ipsa eũ participem facere voluerit eius quo fruitur, aut eum quietum reddere, & recolligere, conetur (sæpè enim homo voluntatem recollectam, & quietam esse videbit, intellectum vero inquietum, & turbatum) inconsultè faciet, nec proficiet, satius quippè est, eum sic dimittat, quam post currendo eum insectetur. Voluntas, inquam, hâc gratiâ fruens, se in quiete teneat, & instar sapientis apiculæ domi maneat: nam si nulla omnino apis alueare ingrederetur, sed quo se mutuo in alueare cogerent, omnes auolarent, ægrè admodum mel confici posset. Adeo vt anima multum amissura sit, si hic se prudenter non gerat, præsertim si ingenio acuto sit, & subtili. Nam cum argumenta formare, & rationes iam inquirere incipit; quantumlibet parum, si modò eæ bonæ, & conuenientes sint, aliquid se putabit efficere. Vnica autem, quæ hic formari debet, ratio; hæc est, clare scilicet intelligere, nullam omnino rationem esse, cur tam magnam nobis Deus gratiam conferat, quam vnicam ipsius bonitatem, ac considerare, quòd ei adeo prope simus; ad hæc gratias ab eius Maiestate petere; denique tum pro Ecclesia, & omnibus, qui nostris se precibus commendarunt, tum pro animabus in Purgatorio detentis eum feruenter rogare, idque sine strepitu verborum, sed cum sensu, quo ab eo audiri desideremus. Est hoc orandi genus, quod multa complectitur, & per quod plus homo consequitur, quam per multos, & varios intellectus discursus. Aliquas in se voluntas ipsa rationes excogitet,

Quid facere debeat voluntas in oratione quietis ab intellectu impedita.

gitet,quales ipſamet ratio ei proponet,& dictabit;quod ſcilicet ſe melioratam videat, ad hunc amorem reaccendendum; nec non aliquot actus amoroſos eliciat:V. G. quid facturus ipſe ſit in gratiam eius,cui tantum debet.Ita tamen,vt,(ſicuti dixi)nullum intellectus ſtrepitum,ad res magnas indagãdas admittat.Plus quippè hic poſsũt ſarmenta quædã cũ humilitate appoſita (quæ etiã minùs quã ſtraminea erunt,ſi ipſi ea apponamus) & magis ad amoris ignem in ipſis accendendum iuuant, quam multa magna ſimul congeſta rationum (vt nobis quidem videtur) doctiſſimarum ligna, hæc ſiquidem eum quamprimum exſtinguent.Hæc doctrina vſui erit doctis, qui hæc me ſcribere iuſſerunt: nam per bonitatem, & gratiam Dei, omnes huc poſſunt peruenire; & fieri poſſet, quòd multum temporis in adferendis, & applicandis S. ſcripturæ locis impenderent. Et quamuis ſcientia, & doctrina illos tam ante quam poſt multum iuuare poſſit, & reipſa iuuet, quamdiù tamen hoc orationis tempus durat, parum (vt mihi quidem videtur) ea neceſſaria eſt,niſi fortè vt voluntatem tepitam reddat; intellectus quippè, quod luci ſe vicinum videat, tunc maxima claritate perfuſus eſt:vt etiam ego, cum ſim, quæ ſum, iam tota videar alia. Nam eſto nihil penè intelligam eorum, quæ latinè lego (præſertim è Pſalterio) tamen, dum in hac quietis oratione ſum, ſæpe non ſolum intellexi,quid verſus latinus ſonaret in lingua materna, ſed etiam vlterius progreſſa ſum ſenſum illius in lingua Hiſpanica magna cum voluptate recogitando; excipio tamen,cum aut concionari, aut alios docere debent: hinc quippe eos conſultum eſt hoc talento, & bono vſi ad idiotas, & indoctos, qualis ego ſum, iuuandos: quod charitas, & præſertim frequens hoc animarum iuuamen præclarum quid ſit,dummodo purè propter Deum fiat. Adeo vt in hiſce quietis tẽporibus,animam in ſua quiete relinquere oporteat,& doctrina ab vna parte manere debeat. Tempus ſiquidem veniet, quo doctrina vſui illis erit,& quo tanto eam in pretio habebunt, vt pro nullo mundi theſauro vellent, quod eam ſibi comparare neglexiſſent,id ſolum, vt per illam Domino aliquod obſequium impendant,quod multum huc illa conferat. Verumtamen coram infinita illa ſapientia plus valet (dicenti mihi velim fidem habeant) parua quædam de humilitate comparanda cura, & vnicus eius actus, quam omnis totius mundi ſcientia. Hic enim non tam diſputare, & arguere oportet,quam noſce,quid,& qui ſimus,noſque ſimpliciter,& apertè coram Deo ſiſtere, qui animam ſimplicem, ignorantem & velut fatuam (qualis reuera coram eo eſt) fieri vult, cum illius maieſtas ita ſe deijciat hic,& humiliet,quòd eam propè ſe,& in præſentia ſua conſiſtere patiatur,cùm ſimus,qui ſumus.Intellectus quoque hic excitatur,ad concinnas,

In oratione linguã latinam intelligebat aliquando

Voluntas melius Deo agit gratias sine vllo verbo, quam intellectus per omnia sua verba

cinnas, & benè compositas gratias agendas; sed voluntas in sua quiete, & ità, vt cum Publicano ne oculos quidem attollere audeat, magis, & melius gratias agit, quàm fortasse intellectus, quocumque demùm Rhetorices artificio adhibito, facere posset. Denique mentalis oratio penitùs hic omittenda non est, vti nec verba aliqua, etiam vocalia, si interdum ea vsurpare aut velint, aut possint: si enim ipsa quies magna sit, vix loqui homo quidquam potest, nisi summa cum molestia. Et tunc, vt quidem ego arbitror, sentitur, & percipitur, quando sit spiritus Dei, quandò autem ipsi tale quid procuremus: idque ex initijs deuotionis, quæ Deus dat, & prout quidem nos, (vti dixi) vt ad hanc voluntatis quietem transeamus, dispositi sumus: tunc quippè nullam spiritus hic edit operationem, sed ilicò pertransit, magnamque post se ariditatem relinquit. Si verò à diabolo id proueniat, facile id, meo iudicio, anima exercitata intelliget; quòd magnam inquietudinem, at parùm humilitatis, & paruam ad effectus, quos ille, qui à Deo est, spiritus producit, dispositionem, adhæc nullam in intellectu lucem, nec in veritate constantiam post se relinquat; parùm, & fortasse nihil hic diabolus nocere potest, si, quam anima hic sentit, delectationem & suauitatem, ad Deum referat, suasque in eo cogitationes, & desideria (vti iam suprà monuimus) collocet. Nihil ergo hic malignus spiritus lucrari potest, imò permittet potius Deus, vt per illam, quam in anima causatur suauitatem, & delectationem, multum perdat: ità enim fiet, vt anima, dum id à Deo prouenire cogitabit, sæpè se ad orandum applicet, idque cum quodam eius habendi desiderio, &, si anima humilis, non verò curiosa, nec delectationum, aut consolationum (tametsi eorum spirituales sint) appetens, sed è contrà crucis amica sit, gustum, quem diabolus submministrat, parùm curabit; sed, si spiritus Dei sit, id facere non poterit, sed magni eum facere tenebitur; sed in ijs quæ à Diabolo veniunt, sicut ipse totus mendax, & mendacium est, ità, si animam propter gustus hosce, & consolationes se humiliare (hoc namque in omni re ad orationem, & consolationes spectante quàm maximè curare debet, vt inde humilior recedat) videar, sæpiùs ad eam non redibit, videns quantùm indè sibi dãni obueniat. Ob hanc, & multas alias causas in primo Orationis genere, & prima aqua monui, permagni referre, vt animæ sic orationem exercere incipiant, vt simul se ab omni recreationum, & consolationum genere sequestrare incipiant, firmiterque solum Christum in Cruce baiulanda adiuuare proponant adinstar generosorum equitum, & militum, sine vllo omnino stipendio Regi suo militare volentium, cùm de sua mercede, & præmio securissimæ sint; in verum, & perpetuò duraturum regnum, quod consequi studemus, oculos conijciendo. Magnum quid est, id semper præ oculis habere: maximè initio: nam posteà ità oculi illuminantur, vt po-

vt potiùs neceſſe nos ſit eius obliuiſci, vt poſſimus viuere, quam operam dare, vt meminerimus, quàm parum omnia durent, & quàm ea nihil ſint, & quàm nihili facienda ſit illa, quæ hic habetur, quies & recreatio. Videtur hoc nimis quàm tenue, & vile eſſe, vti etiam reuera eſt: nam eos, qui in perfectione prouectiores ſunt, puderet, & intra ſemetipſos etiam iraſcerentur, ſi ideo ſe bona mundi huius deſerere cogitarent, quòd breui ea prætereunt, & finem habent. Nihilominus, eſto etiam perpetuò ea durarent & ſolida eſſent, gaudent, quod ea propter Deum relinquant; & quo perfectiores fuerint, eò gaudebunt magis; & quo bona hæc etiam durabiliora erunt, eò etiam magis. In ijs, qui huiuſmodi ſunt, amor certo iam locum habet, & fixus eſt, & hic eſt, qui ibidem operatur; ſed primum incipientibus id, quod dixi, expedientiſſimum eſt, nec hoc illi ceu vile, & paruum æſtiment; magnum quippè bonum eſt, quod per hoc conſequuntur; atque idcircò tantopere id inculco: quia id ipſis vſu veniet, vti & eis, qui in orationis via longè prouecti erunt, & maximè tum cum eos Deus probare vult, & prorſus derelinquere videtur. Nam ſicut iam dixi (& vellem id nemini memoria excideret) in vita hac, quam viuimus anima eo modo non creſcit, quo corpus; etſi ipſum creſcere dicamus, & vere etiam creſcat: etenim puer, poſtquam iam creuit, & ad virilis corporis magnitudinem peruenit, non decreſcit amplius, nec ad paruam ſtaturam iterum redigitur, hic verò Deus animam vult nonnumquam decreſcere (ſicut in meipſa aduerti, quid enim in cæteris fiat, ipſa neſcio) idque vt nos ad maius noſtrum bonum humiliemus, & ne, interim dum in hoc exilio agimus, noſtri ipſorũ obliti torpeſcamus, cùm, qui ad ſublimiorem gradum euectus erit, magis timere, & minus ſibi fidere debeat. Venit ſubinde tempus, quo eos, qui voluntatem ſuam ità iam cum diuina conformarunt, quo ab omni Dei offenſione immunes ſe præſtent, neceſſe eſt atrociſſima potius tormenta, & mille mortis genera ſubire, quam vt aliquam imperfectionem admittant; ità & venit tempus, quo ad peccata non admittenda eos, (vt quidem tentationibus, & perſecutionibus ſe premi vident) primis orationis armis ſe communire oporter, & vti antea cogitare, omnia præterire, nec non cœlum, & infernum quemdam eſſe, & alia id genus. Vt ergo ad id, quod dicebam, reuertar, magnum certè fundamentum eſt, ad ſe à technis, & guſtibus, quos diabolus immittit, liberandum, iam inde à principio firmo cum propoſito, & reſolutione viam Crucis ingredi incipere, nec guſtus deſiderare, cum ipſemet Dominus hanc perfectionis viam demonſtrarit, dicens: *Tolle crucem tuam, & ſequere me.* Ipſe noſtrum exemplar eſt, & norma; non eſt quod timeat, qui tantummodo, vt ei placeat,

Anima non creſcit adinſtar corporis, etſi creſcat, & ſubinde etiam decreſcat.

illius consilia sequetur. E fructu, & progressu, quem in se aduertent, intelligent, id à diabolo non venire: nam esto relabantur, nihilominus hoc signum, & indicium remanet, è quo DOMINVM ibi aliquando esse commoratum colligatur, scilicet quòd ilico resurgant; nec non illa quæ modo declarabo. Quando spiritus Dei est, non est, quod multa reuoluamus, & inquiramus, quo humilitatem, & confusionem quamdam in nobis excitemus: nam Dominus ipse eam dat, modo longè differente ab eo, quo nostris nos considerationculis eam acquirere possemus, quæ sanè veræ cuiusdam humilitatis; è lucè quadam quam Dominus illic docet, prouenientis, respectu nihil planè sunt; quæ humilitas tantam confusionem causatur, vt homo propè deficiat. Notissimum est, cognitionem, quam Deus nobis dat, vt cognoscamus, nihil nos à nobis ipsis boni habere (quod eò magis agnoscere debemus, quo plura, & ampliora ab eo dona accepimus) intensum nobis ad in oratione progrediendum, & eum, quacumque demùm molestia nobis occurrente, numquam omittendum desiderium excitare, anima se ad omnia intrepidè offerente; ex ipsa præterea, quædam oritur de futura gloria, & saluatione securitas, humilitate, & metu nixa: seruilem quoque timorem statim ab anima expellit, & filialem ei longè iam maiorem quàm ante erat, inserit. Quisquis autem hanc cognitionem habet, quemdam amorem Dei, qui, quæ sua sunt, & semetipsum non quærat, in se oriri incipere sentit, vndè & sæpè solitudinem captat, quò bono hoc diutius, & quietius fruatur. Denique ne diffusior, & longior sim, est hæc quidam omnium bonorum fons, & origo, ac flores eò perducit, vt nihil penè ijs, quo minus aperiantur, desit. Clarè autem hoc anima videbit, imò tunc temporis non poterit non credere, quin Dominus apud se fuerit, quo adusque se relabi, & imperfectiones admittere videat, tunc quippe omnia timet. Bonum autem est illam timere: esto non desint animæ, quæ magis proficiant ex eo, quod certo credant Deum hoc causari, quàm per quoscumque timores, qui ei possent incuti, nam animam, quæ ex se amorosa, & grata est, magis ad Deum redire compellit gratiæ ab eo acceptæ recordatio, quam omnia, quæ quis ei repræsentet inferni supplicia. Ità saltem id animæ meæ, esto tam improba sit, factum est. At quia boni spiritus signa vberius à me alibi adhuc exponentur (vt cui magno constat ea declarare, & in apertum proferre) ideò hic ea iam non prosequor. Et spero, per Dei gratiam, fore vt in hac re, aliquid, quod prosit, dicam. Nam (vt taceam experientiam, quam satis magnam habeo) id à quibusdam viris solidè doctis, adhæc vitæ sanctitate præstantibus, quibus æquum est credere, accepi, ne animæ, quæ per Dei bonitatem,

ad hunc

ad hunc gradum pertingent, ita afflictæ & oppreſſæ incedant, ſicut ego afflicta fui.

Caput XVI.

Agit de tertio orationis gradv, in qvo ſublimia quædam puncta declarat, & quid anima, quæ huc peruenit, poſſit, nec non affectus, quos magnæ hæ gratiæ Dei cauſantur. Erunt hæc, vt quis mentem ad Deum laudandum diſcat eleuare ſimul & conſolationem eius, qui hucperuenit.

IAm de tertio aquæ, qua hortus hic irrigatur, genere loquamur, eſt autem hæc aqua, vel in flumine profluens vel è fonte ſaliens, qua quidem minore cum labore hortus irrigatur, tametſi etiam aliquis ſubeundus ſit in eo, quod aqua conducenda ſit. Vult Dominvs ita hic hortulanum adiuuare, vt ipſe quodammodo hortulanus ſit, & quidquid faciendum eſt, faciat. Eſt quidam potentiarum animæ ſomnus, vt quæ nec penitus perduntur, nec, quid agant, intelligant. Guſtus quoque ſuauitas & delectatio incomparabiliter maior eſt, quam qui in ſecundo gradu fuit, quod ſcilicet aqua gratiæ ad vſque fauces huius animæ pertingat, adeo, vt vlterius nequeat progredi, aut quomodo poſſit neſciat, nec tamen retrocedere vellet, eo quod maxima gloria fruatur. Quare perindè eſt, ac qui cereum, & candelam benedictam in manu habet; quod iam propè ſit vt moriatur, ſed morte optata & deſiderata, adeo, vt in hac agonia, & anguſtia maximis quibuſdam, & indicibilibus voluptatibus fruatur. Quod ſanè aliud meo iudicio non eſt, quam omnibus mundi rebus penitus, & totaliter prope mori, & Deo frui. Quod quomodo aliis verbis ſignificem, aut declarem, prorſus neſcio, ſicuti nec anima tunc ſcit, quid agat; neſcit enim an loquatur, an taceat, an videat, an fleat. Eſt hoc glorioſa quædam dementia, ac cœleſtis ſtultitia, in qua vera ſapientia latere dignoſcitur: nec non ſuauiſſimus, & ſapidiſſimus Deo fruendi modus pro anima.

Somnus potentiarum animæ.

Nimium gaudium non eſt perfecta potentiarū vnio, ſed ei proximum eſt.

Sæpè autem hocce orationis genus Dominus mihi quàm abundantiſſimè iam ab hinc quinque aut ſex annis, ſi bene memini, dedit; ſed illam nec intelligebam ipſa, nec etiam aliis exponere potuiſſem; vnde cum ad eam deſcribendam peruenirem, ſtatueram apud me, vel admodum parum, vel nihil omnino de ea dicere: ſatis quidem intelligebam eam totalem omnium potentiarum vnionem non eſſe, & liquidò patere eſſe

quid amplius, quàm superius orationis genus, tamen fatear necesse est, me nec discernere, nec intelligere potuisse, in quo hæc differentia sita esset. At existimo Dominum ob humilitatem V.R. (quòd nimirum rei adeo vilis, & simplicis, qualis ipsa sum, operâ vti voluerit) mihi hodie hoc orationis genus, postquam communicassem, dedisse, ità vt progredi minimè possem; & has comparationes, & eius explicandæ modum, ac quid animam hic facere oporteat, mihi suggessisse. Quod sanè mirabar, & in momento omnia quàm perfectissimè intelligebam. Sæpè hic velut impos mei eram, & hoc amore quasi ebria; nec quid, vel quomodo hoc esset, hactenus scire potueram. Intelligebam quidem, quòd esset Deus; sed intelligere non poteram, quomodo hic operaretur, nam reuera potentiæ hic penè totaliter vnitæ sunt, sed tamen non ità absorptæ, vt ab operando cessent. Incredibiliter gauisa sum, quòd id modo intellexerim. Benedictus sit Deus, qui ità me recreauit. Potentiæ habilitatem dumtaxat habet, ad se totas cum Deo occupandas; ita vt illarum nulla se videatur audere mouere, aut nos facere possimus, vt aliqua harum se moueat, nisi magna adhibita contentione nos ipsi distrahere vellemus; ac ne tum quidem id mihi vllatenus videtur fieri posse. Multa hic verba in Dei laudem inconditè; ac sine vllo prorsus ordine proferuntur, nisi Dominus ipse ea ordinet; ipse saltem intellectus ad hoc inutilis est. Vellet quidem anima libenter plenis Deum vocibus laudare; sed ita constituta est, vt in se ipsa durare nequeat. Et est hoc suauis quædam inquies, & turbatio. Iam igitur flores aperiuntur, iam edorem efflare incipiunt. Hic vellet anima, vt omnes suam gloriam viderent, & intelligerent, quò sic Deum laudarent & deprædicarent, seque in illo laudando iuuarent: quin imò gaudij illos sui, libenter participes facere vellet, quòd tantum ipsa gaudium capere nequeat. Vndè perindè se ipsa hic habere videtur, ac mulier illa Euangelica, quæ vicinas suas congratulaturas sibi conuocare volebat, vel de facto conuocabat; hoc mihi sentire debuisse videtur admirabilis ille spiritus Regij Prophetæ Dauidis, cum Dei laudes, & ore caneret, & Cytharâ pulsaret. Erga glorioſum hunc Regem equidem mirè afficior; & omnes affici vellem, eos imprimis, qui, sicut ego, peccatores sunt. Quis, ô Deus bone, animæ status est, cum sic constituta est? tota vellet in linguas conuerti, quò Dominũ laudare posset, sexcẽtas sanctas nugas, & fatuitates profert, sapienter semper placere desiderans ei, qui eam hoc modo detinet. Noui quamdam personam quæ, esto poeta non esset, ex tempore tamen lugubres quosdam versus effunderet, quibus eam, quam patiebatur, pœnam, & afflictionem commodè exprimebat; non quòd eos ipsa ex ingenio suo componeret, sed, quo magis frui posset gloriâ, quæ tam suauiter eam torquebat, & excruciabat, apud Deum suum de illa expostulabat. Vellet

Ad quid potentiæ aptæ sint in iubilo.

Inquietudo sapida.

Status animæ in hoc iubilo constituta.

ergo

ergo totum corpus, & animam ſuam in fruſta diſcerpi, quò gaudium ſuum, quod vnà cum hac pœna ſentit, oſtenderet. Quod tunc tormentorũ genus ei proponetur, quod non ei ſuaue, & volupe ſit pro Domino ſuo tolerare? videt ad oculum Martyres à parte ſua nihil propè in ſupplicijs, & cruciatibus tolerãdis feciſſe: intelligit ſiquidem anima, & liquidò perſpicit, aliundè hanc fortitudinem venire. Sed quàm ei erit graue, quod iterum ſapientiâ vti incipere ad in mundo viuendum, & denuò ad negotia, curas, conuerſationes mundanas debeat reuerti? Non video autem mihi hic quidquam, plus quàm oporteat, de gaudio illo, quod Dominus animam in hoc exilio ſentire vult, locuta fuiſſe: vt etiam longè infrà dignitatem de eo locutam me exiſtimem. Benedictus proindè ſis in æternũ Domine; & omnia te perpetuò, & in ſæculum ſæculi dilaudent: fac iam, Rex meus, (rogo te) vt, cùm interim dum hæc ſcribo, perpetuam bonitatem, & miſericordiam, qua mihi ſic, nullo meo merito, hanc gratiam præſtas, ſine ſancta, & cœleſti hac ſtultitia non ſim, vt, inquam, omnes, quibuſcum agam, tuo amore etiam ſtulteſcãt, aut præſta, ne cum nullo omninò agam; aut ità res diſpone, Domine, ne vllam rem, quæ mundi huius ſit, poſthac curem, aut ex illo me educito. Non poteſt ancilla tua, Deus meus, amplius tam graues, quæ ei, ex eò, quòd te carere ſe videt, ſuperueniunt difficultates, & anxietates proferre. Nam, ſi ei amplius, & diutius hic viuendum ſit, nullam in hac vita quietem habere cupit; neue tu hanc illi concede. Iam tum anima hæc ſe liberam videre vellet, cibum ſumere, ei mors quodammodo eſt, ſomnum capere tœdioſum, videt vitæ huius tempus ſibi effluere, idque in recreationibus, & iam nullâ ſe re, præterquam te ſolo, recreari poſſe, vt iam contra naturam viuere videatur, cùm iam non amplius in ſe, ſed in te ſolo viuere vellet. O Deus vere, & gloria mea, quàm delicatam ſimul & ponderoſiſſimam crucem præparaſti ijs, qui ad hunc ſtatum perueniunt! delicatam, inquam, quia ſuauis eſt; ponderoſam verò, quia incidunt tempora, quibus omnis tolerantia, & patientia ei ferendæ impar ſit: nollet tamen anima vmquam ab ea liberæ eſſe, aut carere, niſi vt quamprimum ad te euolaret, teque in gloria iam frueretur. Sed, cùm recordatur, nullum ſe tibi obſequium impendiſſe, & nulla in re ſeruiſſe; at ſi diutius in vita maneat, tibi poſſe ſeruire, longè adhuc grauius ſibi onus optaret, & aduſque mundi conſummationem in vita manere vellet; de quiete, & remiſſione laboris nullo modo laborat, dummodo paruum aliquod tibi obſequium poſſit impendere; neſcit quid deſiderare velit, ſed hoc nouit, aliud ſe, præter te, non deſiderare. O Fili mi (nam is cui hæc dirigo, & qui me hæc ſcribere iuſſit, ita humilis eſt, vt hoc ſe nomine dici velit) tibi ſoli reſerua illa, in quibus me limites debitos videbis tranſilire: nam nulla ratio ſatis eſt ad me detinendam, cum me

Crux lenis & grauiſſima, ſuauis ſimul & intolerabilis quæ ſit.

DOMINVS extra meipſam trahit: nec me eſſe credo eam, quæ loquor, iam indè ab hodiè manè, quo Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſi: videor velut in ſomno videre ea quæ video, & vellem nullum alium videre, quàm qui eodem laborant morbo, quo ipſa modo laboro. Rogo R.V. vt omnes quotquot ſumus, ſtulteſcamus ex amore eius, qui noſtri cauſa ſtultus eſt cognominatus. Quod autē dicis, miro te me amore proſequi, velim id opere mihi oſtendas, præparando te videlicet, vt hanc tibi Dominus gratiam conferat. Nimis quàm paucos enim video, qui non plus, quàm ſapientes ſint, ad id, quod ipſis expedit. Fieri etiam poteſt, vt & ego huius ſapientiæ plus habeam, quàm mortalium vllus: ſed rogo te, Pater mi, vt mihi hoc non permittas (neque enim minus pater meus es, quàm filius meus, quia Confeſſarius meus es, & is, cui animam concredidi) ne permittas, inquam, me decipi, ſed veritatem mihi declara: quia hac in re rarò, quòd verum eſt, dicitur. Vellem nos quinque, qui nunc inuicem in Domino diligimus, tale inter nos pactum iniremus, vt, ſicuti alij hiſce temporibus clanculò aduerſus maieſtatem eius, congregari ſolent, idque ad iniquitates decernendas, & hæreſes ſtabiliendas, ità ipſi interdum ad inuicem ab errore vindicandos, & declarandum, qua in re vitam quiſque noſtram corrigere, ac magis Deo placere poſſemus, conueniremus. Nemo enim, tam benè ſeipſum nouit, atque nos norunt ij, qui nos vident, & tractant, dūmodo id cum amore, & quadam nos mutuo adiuuandi intentione fiat. In ſecreto, inquam: quia ſic loqui iam publicè inuſitatum eſt; adeo vt etiam concionatores concionem ſuas iam ità diſponant, vt placeant cuilibet, nemini diſpliceant. Bonam quidem hi in hoc habere poterunt intentionem, & opus ipſum etiam bonum in ſe erit; pauci tamen ſunt, qui ideò vitam in meliùs commutent. Sed cur fit, vt pauci admodum hodiè ob ea, quæ in concionibus audiuerunt, publica vitia emendent? quia, vt mihi quidem videtur, concionatores nimium ſapiunt, & ſapientes ſunt: non habent, vt taceam nimium illud ſapere, magnum illum amoris diuini ignem, quem habebant Apoſtoli; ſed vellem maior eſſet eâ, quam in ipſis video. Nouit R.V. quid maximè in cauſa ſit? quod videlicet Apoſtoli vitam iam contempſiſſent, honorem iam parui feciſſent, &, vt veritatem vnam docerent, eamque ad Dei gloriam tuerentur, non pluris æſtimarent omnia amittere, quàm omnia lucrifacere: nā qui propter Deum ſincerè, ac verè omnia quàm libentiſſimè periculo exponit, æquiſſimo animo tam hoc, quàm illud acceptat. Non dico, me talem eſſe; ſed vellem eſſem.

Cōcionatores auditorio ſuo placere geſtiunt.

O Quanta libertas eſt, quòd inſtar carceris, & captiuitatis homo ducat, quòd in hoc mundo viuere, & ſecundum mundanas leges, & ritus agere debeat! quæ quoniam à Domino datur, & venit nullum ſa-

lum ſanè mancipium, aut captiuus eſt, qui non libenter omnia diſcrimini exponat, quo ſe in libertatem vindicet, & in patriam redeat. Et quandoquidem hoc vera ad eam via eſt, non eſt, quòd in illo tergiuerſemur: nam numquam, quoad hic viuemus, tam magnum theſaurum perfectè comparare nobis poterimus: ſuam nobis Dominus gratiam ad hoc concedat. Porro R. V. ſi ità ei videbitur, laceret, quidquid hic dixi, ſibique hoc, velut epiſtolam ſibi ſoli miſſam, ſeruet, ac mihi meam ignoſcat audaciam, quæ nimis quàm magna eſt.

Caput XVII.

In eadem materia tertii hvivs orationis gradus pergit, & effectus, quos hic operatur, nec non damnum, quod ab imaginatione & memoria hic prouenit, proſequitur.

Hic orationis modus iam vtcumque ſufficienter expoſitus eſt, necnon quid animam, quæ eum habet, facere oporteat, aut potius quid Deus in ea faciat: ipſe enim eſt, qui hortulani partes iam ſubit, illam autem vult requieſcere, & lætari; ità vt voluntas in gratias illas, quibus fruitur, dumtaxat conſentiat, ſeque reſignare debeat ad omnia, quæcumque vera ſapientia in ipſa operari volet. Ad quod generoſo haud dubiè, & conſtanti opus eſt animo. tam intenſum quippè id gaudium eſt, vt aliquando parum, aut nihil abeſſe videatur, quin anima è corpore egrediatur. Sed quàm beata, & optanda mors hæc foret! Non inſcitè huc facere videtur illud, quod R. V. dictum eſt, nimirum animam ſe totaliter in Dei brachia reſignare, & conſignare debere, vt ſi Deus illam in Cœlos tollere velit, tollat, ſi ad infernum detrudere, propterea non ſe affligat, modò à bono ſuo non diuellatur; ſi vitam finire, hoc velit; ſi ad mille annos vitam extendere, pari modo contenta ſit; maieſtas denique illius non ſecus de ea, ac de re propria diſponat: neque enim anima iam ſuà, aut ſui iuris eſt, ſed tota quanta quanta eſt, Domino tradita eſt, hinc de nulla prorsùs re ſolicita eſt. Itaque cum ad tam ſublimem orationis, qualis hic eſt, gradum euecta erit (nam cum Deus ei hunc dat, omnia hæc, imò & multò plura facere poteſt: hi quippè eius ſunt effectus) intelligit hoc ſe ſine vlla intellectus defatigatione facere; niſi quòd hic, meo iudicio, velut conſternatus hæreat, apud ſe conſiderans, quàm benè Dominus hortulani partes expleat, dùm non vult, vt hic laborem vllum ſubeat, ſed dumtaxat florum, iam redolere incipientium odore ſeſe oblectet. Cum enim ipſemet hortulanus, etiam aquæ ipſius creator ſit, ea, cum iam ſemel

Voluntas ſe reſignare debet ad omnia quæ Deus volet.

Gaudium animæ quantũ ſit.

Effectus tertij gradus orationis.

ſemel affluere incipit, quantumlibet parùm affluxus hic duret, ſine vlla prorſus menſura dàtur, adeò vt, quod paupercula anima magnis laboribus, & ſudoribus, viginti annorum ſpatio, quo intellectum torſit, conquirere, & comparare non potuit, cœleſtis hic hortulanus in momento perficiat, ac fructum ità creſcere, & matureſcere faciat, vt de horto ſuo ſe commodè anima ſuſtentare poſſit, Domino ſcilicet, ità volente. Attamen facultatem ei non dat, ad fructum alijs elargiendum, quoadusque ipſamet, ità corroborata ſit, cò quòd indè comedat, vt non ſatis ei ſit illum guſtaſſe, & de profectu, prouentuque nihil ſolicita, nec compenſans ei, qui fructum ſibi dabit, alios velut diſpendio, ac ſumptu ſuo ſuſtentet, ac nutriat, ipſamet intereà fortaſsè emoriatur fame. Satis ſuperque hoc declaratum erit pro illis, qui ex ingenio melius id applicare poterunt; quam id ego dicere, vt quæ etiam in hoc defatigor. Denique virtutes nunc fortiores, & validiores ſunt, quàm in priore illa oratione quietis, quod ipſammet animam latere non poteſt, cum ſe iam longè aliam eſſe videat, & vnde nam res magnas operari incipiat miretur; idque per odorem, quem flores, quos Dominus iam ſeſe expandere vult, ex ſe emittunt: vt quidem intelligat ſe virtutes habere, clarè tamen videat, ſe eas nec poſſe, nec etiam per multos annos potuiſſe ſibi acquirere; cœleſtem tamen hortulanum has ſibi pauxillo hoc tempore, contuliſſe. Maior hic, & profundior in anima humilitas manet, quam in gradu ſuperiori: clarius namque perſpicit, ſe ad hoc nec parum, nec multum de ſuo contuliſſe, ſed ſolum conſenſum præſtitiſſe, vt ſuas in ipſam Dominus gratias infunderet, & ipſa eas per voluntatem amplecteretur. Porrò hic orationis modus apertiſſima, & notiſſima quędam animæ totius cum Deo vnio mihi videtur eſſe, niſi quod Maieſtas eius potentijs illius facultatem facere velle videatur, vt intelligant ſimul, & fruantur magnis illis rebus, quas illi coperatur. Interdum imò & ſæpè contingit, vt, cùm voluntas iam vnita eſt (quò R. V. intelligat, & norit, hoc fieri poſſe, & ſimul perſpectum habeat, quando id ſibi fiet: me ſaltem id penè ſtultam reddidit, & propterea hoc loco id moneo) intelligat, & cognoſcat homo, voluntatem ſuam vinctam teneri, & in fruitione eſſe: cognoſcat, inquam, voluntatem ſolam in magna quiete eſſe. Intellectum vero, & memoriam ab alia parte ità interim libera eſſe, vt & negotia externa tractare, & operibus Charitatis intendere poſſint. Et licet hoc vnum quid eſſe videatur cum oratione quietis, de qua iam egi, ex parte tamen diuerſum eſt: nam in illa anima ita ſe habet, & conſtituta eſt, vt ſe ne vel minimum commouere, aut diſtrahere vellet, interim dum ſancto illo Mariæ otio perfruitur. Sed in hac oratione etiam Marthæ munus, & officium locum habere poteſt. Adeo vt anima ſimul, vt ità dicam, & actiuam, & contemplatiuam vitam exerciat, operibuſque Charita-

Virtutes in hoc gradu magis ſunt fortes quã in ſupe riore.

Hæc oratio eſt quadã animæ v nio.

Cum voluntas ita vnita eſt memoria, & intellectus exteriora tra ctare poſſunt.

Charitatis, & negotijs ſtatui ſuo conuenientibus, nec non lectioni poſſit intendere: ità tamen, vt qui tales ſunt, abſoluti ſuiipſarum Domini non ſint, & potiſſimam animæ ſuæ partem alio in loco eſſe intelligant. Perindè ac ſi hic cum aliquo loqueremur, illic verò nos alius quiſpiam alloqueretur, quia nec huic, nec illi perfectè nos totos dare poſſemus. Eſt hoc huiuſmodi, vt apertè, & ad oculum ſentiatur, magnamque ſecum ſatisfactionem, & gaudium affert, & ſimul animam præparat, vt, cum aliqua ſolitudinis, & à negotiorum tractatione vacandi haberi occaſio poteſt, ad tranquilliſſimam quandam quietem ipſa paulatim perueniat. Non aliter quam dum quis in ſe ipſo contentus & ſatur eſt, ità vt cibo opus non habeat; ſed ſtomachum contentum eſſe ſentiat, vt quidem de quocumque cibo obuio edere nolit, ità tamen ſatur, & plenus non ſit, vt, ſi bonum & ſapidum aliquem cibum antè ſe videret, eum non æuidè, & magno cum appetitu comederet. Pari modo nullum mundi gaudium tunc homini placet, aut arridet; quòd intrà ſemetipſum habeat, qui ſe ſatiet, & repleat: interim tamen maiora à Deo gaudia, intenſioraque eius voluntatem adimplendi, maioremque ex eiuſdem conuerſatione voluptatem ſentiendi deſideria habere vellet.

Quid anima in hoc orationis gradu quæras.

Eſt & aliud vnionis genus, quæ nondum quidem perfecta, & plena eſt vnio, maior tamen eâ quam iam deſcripſi, non tam magna tamen, atque eſt ea, quam tertia hæc aqua poſtulat (non parùm R. V. gaudebit, ſi quando Dominus omnes eas tibi dabit; & ſi nondum eas habeas, gratum ſaltem tibi erit, hoc deſcriptum habere, & intelligere quid ſit. Tam enim gratia eſt, quòd Deus gratiam det, quàm eſt intelligere, quòd gratia ſit; vti etiam eſt ſcire, dicere, & exponere quomodo hoc ſit. Et quamuis, ne anima turbata, & meticuloſa incedat, vtque animoſius per viam Domini pergat, omnia, quæ mundi ſunt, ſub pedibus conculcando, ſolâ primâ gratiâ opus eſſe videatur, nihilominus perutile eſt id intelligere, nec non ſingularis quædam Dei gratia, pro quâ Domino gratias ingentes agat oportet, qui ipſam accepit, cui verò ea data non eſt, gratias nihilominus ei agere debet, quòd ſaltem alicui viuentium ipſam contulerit, quò is deinde nobis per hanc proſit.) Ergo hic vnionis modus, quem dicere volo, ſæpè iam contingit (ac in particulari mihi, quia hanc mihi gratiam ſæpiſſimè Deus dat) vt voluntatem, imò & intellectum, vt mihi quidem videtur, Deus opt. max. velut comprehendat, & conſtringat, etenim hic non diſcurrit, ſed dumtaxat Deo ſuo fruendo occupatur: non ſecùs atque aliquis, cui tam multa videnda occurrunt, vt, quo oculos conuertat, neſciat, & vnius viſum propter aliud amittat, ac tandem nullum prorsùs rerum viſarũ ſignũ dare poſſit. Memoria verò libera manet, (vti & imaginatio, vt quidẽ veri ſimile eſt,) quæ, quia ſe ſolam eſſe videt,

Nouus vnionis modus, in quo voluntatẽ & intellectum hominis Deus cõſtringit.

Memoria quale certamen moueat

videt, haud dictu facile est, quale certamen & pugnam cieat & quomodo omnia perturbare, & inquietare gestiat. Quod ad me, diutius hanc ferre nequeo, & iam dudum ipsam fum execrata, sæpeque Dominum rogaui, vt, si ita me perturbare, & impedimento esse debeat, taliin occurrentia, & occasione eam mihi penitus auferret. Vnde nonnumquam ei dico: Quando nam ô Deus meus, anima mea tota ad te laudandum iuncta, & vnita erit, non vero per partes, velut membratim discerpta, vt seipsa iuuare nequeat? Hic video, quantum nobis peccatum mali attulerit, cum ipsum ità nos subegerit, & seruos reddiderit, vt quod vellemus facere, nequeamus; semper inquam Deo nostro occupari. Dixi hoc subinde mihi euenire (quin etiam hodie id euenit, vnde tam bene illius iam recordor) quod scilicet anima mea quodammodo se annihilet, & destruat, quo se coniunctam, & totam videat ibi, vbi potissima, & maxima eius pars est, sed hoc ei impossibile esse quod memoria, & imaginatio tale ei bellum moueant, vt prævalere prorsus nequeat: sed, quia reliquæ duæ potentiæ eas destruunt, hinc nihil efficere, ac ne quidem vllum eis malum inferre possunt, vtpote impotentes, esto nimis quam multum faciant mali, dum animæ quietem interrumpunt. Dixi ne malum quidem inferre eas posse, quod vires sufficientes ad hoc non habeant, nec in vno esse, & statu permaneant: nam quod intellectus nihil penitus memoriam iuuet, in re quam ipsa ei repræsentat, hinc non quiescit, nec vna in re sistit, sed ab vna ad aliam transcurrit, & adinstar papilionum illorum, vespertinorum importunorum, & inquietorum, huc, illucque volitans, se transfert. Hæc porro mihi similitudo maximè propria huic rei declarandæ esse videtur, nam esto nullum papiliones hominibus damnum inferre possint, valdè tamen importuni, & molesti sunt intuentibus. Cui malo nescio quod adhiberi remedium posset; etenim hactenus nullum me Dominus edocuit; nam quam libentissimè hoc ego pro me vterer, quod hæc me res vti dixi sæpius inquietet, ac cruciet, vnde hinc & nostram miseriam, & simul Dei potentiam quam manifestissimè colligere possumus, cum vna facultas, quæ libera est, tantum nobis mali, & inquietudinis, aliæ verò duæ, quæ Maiestate illius occupatæ sunt, tantum quietis, & tranquillitatis afferant. Vltimum, quod tandem, postquam multos me annos diuersimodè torsissem, inueni, remedium est id, quod iam suprà, cum de oratione quietis agerem, proposui; scilicet non pluris memoriam faciendam, quam stultum aliquem, sed eam in sua fatuitate relinquendam, quod solus Deus eam ipsi auferre possit. Denique cum hic seu serua, & ancilla maneat, eam nos cum potentia tolerare oportet, sicut Iacob Liam pertulit, quod nimis quam magnam nobis Dominus gratiam det, quod Rachelis frui amplexibus

Quale bellum memoria & imaginatio moueant.

plexibus possim. Dixi quòd ancilla maneat; quia alias potèrias, omni demùm adhibitâ diligentiâ, & conatu, ad se pertrahere nequit, imo illæ, etiam sine vllo prorsus labore, & difficultate, hanc sæpè ad se venire faciunt. Et subinde ita Deus facilis, & benignus est, vt compassione quadam moueatur, ex eo quod ipsam præ desiderio, vt cum aliis potentijs sit, ita perditam, & turbatam videat: & permittit Maiestas illius, vt ab igne diuinę illius candelæ aduratur, vbi aliæ duæ iam in cineres conuersæ naturale suum esse penè amisere, ac tantis bonis supernaturaliter fruuntur in omnibus hisce modis, quos de vltima hac fontana aqua exposui, tanta sita est gloria, & animæ quies, vt etiam corpus recreationis, & gaudii illius quam apertissimè participet (& hoc percipitur quam manifestissimè) & virtutes tale, quale dixi, incrementum capiant. Videtur autem Dominus hosce varios animæ status tam apertè, meo iudicio declarare voluisse, atque hic in terra exponi ab aliquo possunt. Poterit autem R. V. si visum fuerit, hæc cum viro aliquo spirituali, qui huc peruenerit, conferre, qui, si hæc bona esse dixerit, credas à Deo hæc dicta esse, Maiestatique eius eadem accepta refer, nec non propterea quam maximas ei gratias agito: nam, sicut dixi, veniet tempus, quo non parum gaudebis, quod, hoc quid sit intelligas. Interim verò, dum tibi hæc intelligendi gratiam Deus non dabit (etsi fruendi tibi gratiam dat) poteris per hæc, adiuuante & ingenio, & doctrina intelligere, quomodo illam primam à Deo acceperis. Sit ipse per omnia sæculorum sæcula benedictus. Amen.

Caput XVIII.

IN QVO DE QVARTO ORATIONIS GENERE AGIT; ET excellenti quodam modo declarare incipit, quanta in dignitate Deus animam, quæ hunc ad statum peruenit, constituat. Seruit hoc porrò caput ad multum animandos eos, qui orationi addicti sunt, vt ad tam sublimem statum peruenire omnimodis conentur, cum hic in terra is haberi possit; non quidem quod eum mereamur, sed ex sola Dei bonitate. Legendum autem hoc magna cum attentione & aduertentia.

Quartus & vltimus orationis gradus.

INspiret mihi Dominus verba, vt de quarta aqua aliquid dicere valeam; ad hoc autem eius gratia, & auxilium imprimis necessarium est magis etiam, quam ad gradum & aquam superiorem: nam in priore illa adhuc sentit anima, nondum plane se mortuam esse (Sic enim loqui possumus, cum mundo mortua sit) sed, vti dixi, adhuc intelligit se in mundo esse, suamque solitudinem sentit, & exteriorum ad-

miniculo vtitur ad id, quòd ſentit, per aliqua ſaltem ſigna, declarandum. In vniuerſa oratione, & in omnibus eius, quos dixi, gradibus aliquem quidem hortulanus laborem ſubit, at in his poſterioribus labori tanta permiſta & adiuncta eſt gloria, animæque conſolatio, vt numquam ab ea ſeparari vellet; ideoque id non tam vt laborem, habet, quàm vt gloriam. Non eſt hic ſentire, ſed tantum frui, ita tamen, vt non intelligat homo quo fruatur, at intelligat tamen tali ſe bono frui, in quo ſimul omnia bona incluſa ſunt; ſed bonum hoc non comprehenditur. Senſus omnes hoc in gaudio, & fruitione occupantur, ità vt nullus ſit qui vacet, quò in aliquid aliud tum internum, tum externum poſſit intendere. Antè quidem facultas illis dabatur quędam, vt dixi, ſigna edendi magni illius gaudij, quod ſentiunt; hic verò & incomparabiliter maiori gaudio anima perfunditur, tamen multò minus ſe declarare ipſa poteſt, quòd nulla ei tam in corpore, quàm anima facultas reliqua ſit, ad gaudium hoc alijs exponendum, aut communicandum. Nam illo in tempore, omnia ei permagno impedimento, tormento, & quietis ſuæ turbationi forent, & addo, ſiquidem omnium vnio ſit potentiarum, eam, quamdiu in illa verſatur, tametſi etiam vellet, id declarare non poſſe, &, ſi poſſet, iam non eſſe vnionem. Quomodo autem hæc vnio fiat, & quid ſit, exponere ipſa non poſſum, id in myſtica Theologia traditur, & declaratur: Nam nominare quidem poſſem nomina, nec intelligere ſcio, quid ſit mens, aut quæ ſit inter mentem, & animam, aut ſpiritum differentia: omnia quippè mihi vnum, & idem quid videntur eſſe, tametſi anima ſubindè à ſe ipſa egrediatur, idque ad modum ignis, qui & ardet, & flammas eiaculatur, interdum quoque cum impetu quodam creſcit, dum nimirum flamma hæc ſublimè admodum ſuprà ignem ſeſe effert; non propterea tamen quid diſtinctum eſt, ſed eadem flamma, quæ in igne eſt. Hoc quid ſit, R. V. ſua doctrina & eruditione facile intelligent; nam equidem pluribus & clarius id exponere non poſſum. Quod autem dicere intendo, hoc eſt, ſcilicet, quid anima ſentiat, cum in hac diuina vnione eſt. Quid autem ſit vnio ſatis nimis cognitum eſt, nimirum, duas res diuiſas, & ſeparatas vnam fieri, & in vnam coaleſcere.

Nihil hic ſentit ſed ſolum fruitur homo, ita tamen vt non intelligat quo fruatur.

Omnipotentiarum vnio.

Quid ſit vnio.

Quam ô Deus meus, bonus es! benedictus eſto in ſempiternum, & vltrà. Laudent te, Deus meus, omnia, quòd ità nos dilexeris; adeò vt de hac communicatione, quam etiam in hoc exilio cum animabus habes, cum veritate loqui poſſimus: quæ eſto bona, & ſancta ſint, nihilominus magna quædam, & liberalitas, & magnanimitas, & talis, qualis te, ô Domine mi, decet (vt qui das pro eo, atque es) ità te ijs communicare. O liberalitas infinita, quam magnificata ſunt opera tua! conſternant quippe, & in admirationem rapiunt eos, qui terrenis rebus intellectum ita occu-

cupatum non habent, vt nullum ad veritatem intelligendam ijs lumen sit reliquum. At quod animabus toties, tamque grauiter te offendentibus, tam eximia, & rara beneficia præstes, omnem ingenij mei captum superat, & cum hoc mecum ipsa voluere incipio, præ stupore vlterius progredi non possum. Quo ibo, ne retrocedam? si tibi gratias pro tam ingentibus beneficijs agere velim, nescio quomodo id faciam, & si interdum id ad mei solatium facere coner, non dico nisi impertinentia, & absurda. Et sæpè fit, vt cum iam recenter gratias illas accipio, vel Deus mihi iam illas facere incipit (nam, cum in ipsarum medio versamur, nihil penitus, vti iam dixi, facere possumus) tunc dicam: vide, Domine, quid agas, tam citò peccatorum meorum enormium noli obliuisci, esto eadem, quò mihi illa ignosceres, oblitus sis, & vt aliquem Beneficijs tuis, & gratijs modum ponas, peccata mea in memoriam quæso, reuoca. Noli, mi creator, tam pretiosum liquorem, in vas ità pertusum, & subtile infundere, cum iam alias sæpè videris, quòd toties eum ipsa effluere & perire fuerim. Noli huiusmodi thesaurum tali in loco ponere, in quo consolationum vitæ huius appetitus nondum pro eo, atque oporteret, exstinctus est; nam inutiliter is, & perditè impenderetur. Quare Vrbis huius propugnacula, & arcis, quæ in ea est, claues, gubernatori ità ignauo, & meticuloso tradis, qui ad primum insultum, & oppugnationem hostes ingredi sinit? Non sit, ô Rex æterne, amor tuus erga homines tam intensus, vt, eius ergo, tam pretiosa monilia discrimini exponas. Videris hac ratione, Domine mi, velut occasionem dare, vt ipsa parui fiant, cum ea in manu, & facultate tam improbæ, vilis, debilis, miserabilis, tamque contemptibilis creaturæ ponis; nam, esto cum tua ope, & gratiâ (quâ sanè, prout quidem ipsa sum, non exiguâ opus habeo) quàm maximè connitatur, ne ea amittat, nemini tamen indè aliquod compendium causare potest. Adhæc sum mulier, & non bona, sed improba: Denique videntur talenta non solum abscondi, sed & defodi, cum ea in terra adeò sterili, & inferaci collocantur. Non soles autem, Domine, huiusmodi magnalia, & beneficia animæ alicui conferre, nisi vt per illa alijs multis prosit. Nosti quoque, Domine Deus meus, me ex tota voluntate, & corde, & iam tibi supplicare, & subindè etiam supplicasse, & idcircò me etiam maximum, quod quidem in terra possidetur, bonum amittere, contentam, & paratam esse, vt hæc beneficia, & gratias conferas ijs, qui maiorem per ea fructum faciant, & pluribus prosint, vt sic tua gloria maior fiat, & adaugeatur. Hæc & alia id genus sæpè ad Devm proloquebar: postea verò meam ipsa hinc perspiciebam insciti am, & quàm parum essem humilis: nouit quippè Dominus, quid expediat

& conueniat, nec non animam meam ſufficientes, quò ſalutem conſequeretur, vires non habuiſſe, niſi has eius Maieſtas illi per immenſas ſuas gratias dediſſet. Volo hic præterea referre gratias, & effectus, qui in anima manent, & quid per ſe ipſa facere poſſit, & num ipſa ex parte cauſa ſit, quò ad tam ſublimem ſtatum euehatur.

Quid ſit ſpiritus eleuatio & vnio deſcribitur.

Fit interdum, vt hæc ſpiritus eleuatio, vel Vnio ſimul cum amore cœleſti veniat; nam, quantum quidem ego intelligo, in hac ipſa Vnione, differt vnio ab eleuatione: eſto ei, qui hoc poſtremum non eſt expertus, ſecus viſurum ſit; ſed, meo iudicio, etſi idem quid ſit, diuerſimodè tamen id Dominus operatur, quin imò ex incremento abſtractionis ab omnibus creaturis, atque etiam magis ex euolatione ſpiritus liquidò perſpexi, particularem quamdam id gratiam eſſe, etſi, vti dixi, vnum quid ſit, aut eſſe videatur. Sed quemadmodum paruus ignis, tam benè ignis eſt, quàm magnus; & tamen apparet, quanta inter hunc, & illum ſit differentia, nam in paruo igne multum temporis requiritur, vt etiam paruum ferrum candens reddatur, at, ſi ignis magnus eſt, ferrum, tametſi etiam ſit maius, minimo ſuum eſſe, & formam tempore penitus, vt quidem videtur, amittit. Ità ſe res in duplici hoc gratiarum, quas Dominus dat, genere habere videtur; quod eum, qui iam ad raptus mentis peruenerit, facilè intellecturum ſcio; At ſi nondum eos ſit paſſus, aniles ei manias, & ineptias id viſum iri. Et forſitan ineptiæ reuera ſunt: nam quòd talis, qualis ego ſum; tali de re loqui præſumat, aut declarare aliquid conetur eorum, ad quæ eam impoſſibile videatur etiam commoda verba adinuenire, quibus ipſum vel incipiat exponere, mirum ſanè non eſt, ſi deliret. Sed confido in Domino (nouit enim Maieſtas eius non aliam, ſecundum & poſt obedientiam, intentionem meam eſſe, quàm quamdam tam ſublimis boni famem, & appetitum animabus ingenerare) eum mihi hac in re ſubſidio futurum. Nihil autem hic dicam, quod non ſæpius experta ſum, &, vt verum fatear, cum primum vltimam hanc aquam deſcribere inciperem, impoſſibile mihi prorsùs iam tum videbatur, aliquid de ea proferre, imò magis impoſſibile, quam vel Græcè loqui. Adeò ſcilicet id difficile eſt; atque idcirco à ſcribendo ceſſabam, meque ad ſacram communionem ſuſcipiendam diſponebam. Benedictus ſit Dominus, qui ignorantibus, & indoctis ità benignus, & propitius eſt, (ô virtutem obedientiæ, quæ omnia potes!) nam ſtatim intellectum meum Deus illuſtrabat aliquando per verba, aliquando mihi proponendo, quomodo id dicerem; nam, vt in ſuperiore oratione Maieſtas eius faciebat, ſic etiam

Deus eam iuuit in oratione vnionis & ſuſpēſionis explicāda.

in hac

in hac per me dicere velle videtur, quod nec possum, nec scio dicere. Quod dico, ipsissima veritas est, ac propterea id, quod erit bonum, ab illius venit doctrina, quod verò malum, certum est ab omnis mali abysso, me, inquam, prouenire. Vnde, si qui sint, (vti multos esse necesse est) qui iam ad eum orationis statum peruenerint, ad quem me miseram sua Dominvs benignitate perduxit, & hisce placeret mecum hac ipsa de re agere, ne fortè deuiarent, & errarent, spero fore, vt me ancillam suam Dominus adiuuaret, vt per ipsius veritatem fructum aliquem facerem.

Iam ergo, vt de hac aqua de cœlis descendente, quò copiâ, & abundantiâ suâ vniuersum hunc hortum repleat, & reficiat, loquar, ad oculum patet, quantam hortulanus quietem haberet, si Dominus numquam ab ea, si quando opus est, danda cessaret; quanta insuper is voluptate repleretur, ac gaudio, si numquam hyems, at semper temperata serenitas, & aura foret, ita vt numquam ei aut flores, aut fructus deessent. At quamdiu hic viuimus, id fieri nequit: semper quippè curemus oportet, vt cum aqua vna defecerit, aliam ipsi nobis procuremus. Cœlestis aqua subindè, tunc, cum minimè eam hortulanus exspectat, delabitur. Hoc constat; in principio quidem id ferè semper non nisi post longam, & frequentem orationem mentalem accidere solere, Dominus quippè auiculam hanc ex vno gradu ad alium sustollit, & sic in nido collocat, vt quietem tandem inueniat: nam postquam vidit eam longo iam tempore volitasse, & identidem, tum intellectu, & voluntate, tum omnibus viribus suis Dominum quærere, eique placere fuisse conatam, suum ei pro labore susceptò præmium, etiam hac in vita dare vult. Ecquod autem præmium? quod scilicet vel vnicum momentum, quo illud habetur, satis sit, ad omnem laborem, qui in hac esse potest, quàm cumulatissimè compensandum. Anima ergo hac Dei quæsitione occupata, summa, & suaui quadam cum voluptate sensit, se propè totam à seipsa per modum quemdam deliquij excedere; nam paulatim eam deficit & habitus, & simul omnes vires corporales, vt nequidem manus sine magna pœna mouere possit; oculi adhæc ipsi etiam inuitæ clauduntur; quos si apertos teneat, nihil propemodum videt; & si legat in libro, ne quidem vnam litteram designare potest, imò vix eam dignoscere: videt quidem esse litteram, sed, quia intellectus eam non iuuat, tametsi vellet, legere nequit. Præterea audit quidem; at quæ audit, non intelligit. Adeò vt sensus in nullo eam iuuent, nisi fortè ad quietem eius interturbandam; vndè magis ei obsunt, quàm prosint. Loqui si velit, in cassum ad id connititur, quia ne vnum quidem formare potest verbum; &,

Quandiu hic viuimus, semper nos nostri curam habere oportet.

Anima in vnione cõstituta statu.

bum;&,ſi id etiam poſſet,vires ei deſunt ad ipſum efferendum: nam omnis vis exterior deperditur; internum autem animæ robur adaugetur,quò hæc gloriâ ſuâ melius frui poſſit.Exterior delectatio, quæ ſentitur,etiam eſt,& magna,& ſatis perceptibilis.Hæc porrò oratio quantumuis longa ſit,& diu duret,nihil valetudini nocet:mihi ſaltem numquam nocuit,nec memini,etſi ſubindè adhuc male valerem, cum hanc mihi gratiam Dominus daret,vllam me pænam tum ſenſiſſe;imò verò malum meum, & infirmitas indè multum minuebatur. Ecquod verò malum à tam eximio cauſari poſſet bono? Adeò id ex operibus exterioribus liquet;vt dubium non ſit,quin (cum omnes vires tantæ delectationis occaſione ſublatæ ſint)magna ad eadem adaugenda occaſio fuerit. In principio quidem quomodò id tam citò pertranſit (mihi ſaltem ita factum eſt)ipſum nec è ſignis illis exterioribus,nec è ſenſuum defectu tam facilè intelligi poteſt,vtpotè tam citò pertranſiens; è gratiarum tamen copia colligi poteſt,ſolis,qui hic effulſit,claritatem permagnam fuiſſe,cum animam ita liquefecerit.Notandum autem eſt,quantumlibet diu anima in hac omnium potentiarum ſuſpenſione agat,illud tamen tempus,meo iudicio, nimis quam breue eſſe, & ſi hæc ſuſpenſio ad ſemihoram duret, multum id eſſe:imo vt mihi videtur,non tam diu quidem, vmquam illa mihi durauit.Sed,vt verum fatear,homo,cum in illa verſatur, percipere vix poteſt,quandiu ſibi illa duret,cum tunc ſenſus omnis expers ſit. Plus dico ſcilicet,ſubindè non diu eſſe, quin aliqua potentia ſtatim ad ſe ipſa reuertatur.Sola voluntas eſt, quæ obſiſtit, & durat, at aliæ duæ potentiæ non diu ſunt,quin rurſus homini moleſtæ ſint: ſed quia voluntas in ſua ſuſpenſione firma manet,hinc & ipſas rurſus ſuſpendit,ac ſic aliquantulum manent,ac dein rurſus ad ſe ipſæ redeunt. Huic rei aliquod orationis horæ impendi poſſunt,& de facto etiam impenduntur: nam vbi duæ potentiæ de vino illo diuino inebriari, & guſtare incipiunt,quam facillimè iterum per ſe ipſæ perduntur (quo ſic melius recuperentur) & voluntatem comitantur; itaquè omnes tres ſimul in gaudio, & fruitione ſunt;ſed hoc,ſcilicet eas penitus deperdi,& ſine vlla imaginatione manere (nam vt mihi quidem videtur,etiam imaginatio penitus perditur)valde parum durat, eſto non ita penitus ad ſeipſas redeant, vt non ad horas aliquot,velut deliræ eſſe poſſint, poſtquam eas Deus iterum ad ſe paulatim,& ſuauiter attrahere voluerit.

Tempus ſuſpenſionis animæ valde breue eſt.

Imaginatio etiam in ſuſpenſione amittitur.

Iam ad internum illud quod anima hic ſenſit, veniamus;quod,qui nouit, dicere poteſt,nam intelligi id nequit,nedum dici. Cogitanti mihi apud memetipſam,cum iam hæc ſcribere volebam (cum ſcilicet iam à ſacra communione, & ab ea oratione, qualem hic deſcribo, ſurgerem) quidnam anima hoc tempore ageret; reſponſum à Domino fuit. *Totam ſe ô filia*

se, ô filia, destruit, quò se profundius intrà me abscondat; & iam non est ipsa quæ viuit, sed ego; & quia, quæ intelligit, nequit comprehendere, hinc perindè est, atque si intelligendo non intelligeret. Qui quidem hoc expertus fuerit, aliquid horum intelliget; quia id clarius exponi non potest, eo quòd perobscurum sit, id quòd illic peragitur. Vnum hoc dicere possum, scilicet, videri nobis esse nos apud Deum; tantamque in anima rei huius certitudinem manere, vt non possit non credere. Hinc eam omnes potentiæ deficiunt, itaque suspenduntur, vt nullo modo percipi possit, sicut dictum est, illas operari. Si alicuius mysterij meditatione iam occupabatur, ità mox ipsum de memoria elabitur, ac si numquam eius meminisset, aut de eo cogitasset: si in libro legat, mox lectorum non recordatur, aut quousque peruenerat: idem quoque in oratione vocali vsu venit. Adeo vt importuni huius papilionis, memoriæ, inquam, alæ hic adurantur, & se ipsa iam mouere amplius non possit. Voluntas quidem amando maximè occupetur oportet, sed tamen, quomodo amet, non intelligit. Intellectus denique, si quid intelligat, non intelligit, quomodo intelligat; saltem nihil eorum, quæ intelligit, potest comprehendere: equidem non puto ipsum quidquam intelligere; nam, sicuti iam dixi, hoc non intelligitur; & quomodo id fiat, planè ego intelligere non valeo. Initio in magna quadam versabar ignorantia: nesciebam enim Deum in omni re reperiri: &, quia mihi ità vicinus esse videbatur, hinc impossibile mihi videbatur non credere illum præsentem adesse; propterea quòd id mihi quasi apertum, & liquidum videbatur. Intellexeram quippè illum ibi reipsa præsentem esse. Indocti dicebant mihi illum solum ibi per gratiam adesse: at ego, vt hoc crederem, animum planè inducere non poteram: quia, vti dico, verè, & reipsa præsens adesse mihi videbatur; atque indè fiebat, vt summa in angustia agerem. Sed quidam vir apprimè doctus, ex ordine S. Dominici, ab hoc me dubio, & angustia eripuit, dum eum verè ibi præsentem adesse, & quomodo se hominibus communicet, asseruit. quod me summopere consolabatur. Notandum verò, & intelligendum hic est, hanc aquam cœlestem, & maximam hanc Dei gratiam, semper maximos in anima fructus post se, vti iam dicam, relinquere.

In suspensione totalis omnium potentiarū fit destructio.

* * *

CAPVT XIX.

EAMDEM MATERIAM PROSEQVITVR, ET DECLARARE incipit, quos gradus hic orationis in anima fructus, & effectus operetur, suadet quàm maximè, ne quis retrocedat, & licet post acceptam hanc gratiam, relabatur, ne propterea orationis vsum intermittat. Simul ostendit, quanta ex huius intermissione damna sequerentur. Est hæc doctrina notatu digna & imbecillibus, ac peccatoribus magnæ consolationi futura.

Sapida lachrymæ ignis vehementiam coercent.

MANET ergo maxima, post hanc orationem, & vnionem, in anima teneritudo, ità quidem intensa, vt se ipsa destruere vellet, non ex aliquo dolore, aut amaritudine, sed suauibus quibusdam lachrymis, quibus se irroratam, & humectatam sentit, ita tamen vt non sentiat, aut sciat, quando, aut quomodo eas effuderit. At mirè eam recreat, quòd magnam illam ignis vehementiam, ab aqua exstinctam cernat, quæ tamen illum adauget. Portentosum cuiquam id videatur, & exoticum; à parte rei tamen verissimum est. Interdum mihi hac in oratione versanti contigit, vt sic à meipsa alienata essem, vt nescirem somniumuè esset, an verè in me facta esset gloria illa, quam in me senseram; sed, quòd me lachrymis (quæ mihi sine vllo dolore, tanto cum impetu, & tam celeriter decurrebant, vt nubes illa cœlestis has effundere videtur) ità madefactam cernerem, satis colligebam id somnium nequaquam fuisse. Et hoc contingebat in principio, quando non diu id durabat. Magnum porrò indè anima robur, & generositatem concipit, adeo, vt, si hoc ipso temporis puncto propter Deum in frusta minutim concideretur, permagnæ hoc ei consolationi foret. Hic quoque magna quædam promittit, hæroica proposita concipit, ardentia desideria efformat: hinc mundum abhorrere, & odisse, eiusque vanitatem clarius perspicere incipit; ad hoc longè hic robustior, & valentior reddita est, quàm in præcedentibus orationis gradibus, & in humilitate, deiectioneque sui fundatior: liquidò enim perspicit, ad excessiuam illam, & sublimem gratiam accipiendam, diligentiam suam nihil penitus contulisse, neue ad eam alliciendam, aut etiam conseruandam, satis se potentem fuisse: simul etiam ad oculum videt, illâ se planè indignam esse, quod suam miseriam intimè perspiciat (nam in loco, quem multus sol illuminat, nulla aranei tela abscondi potest) & tam ab omni vana gloria remota est, vt ab illa tentari se nullatenus posse putet. Iam quippè ad oculum videt, & manu propè tangit, quam parum, aut nihil ipsa possit: nam

Humilitas profunda post vnionē in anima remanet.

ſit : nam in hoc , quod hic ſentit , ne quidem conſenſum ipſa dedit , imò videtur quis illâ etiam inuitâ , omnibus illius ſenſibus portam velut occluſiſſe , quò Deo ſuo amplius frui poſſit. Vndè ſola cum illo manet : quid aliud ergo faciat , quàm ipſum amare ? nihil hic videt , nihil audit , niſi brachiorum vi trahatur , & moueatur ; non eſt autem , quòd quis ei tunc gratias pro aliqua re agere velit. Poſteà ei vita præterita in mentem venit , nec non magna Dei miſericordia , idque magna cum veritate , & ſine vlla intellectus defatigatione , illic namque paratum , & velut coctum videt , quod comedere , & intelligere debet. Ex ſeipſa videt , ſe infernum promereri , & nihilominùs glorià puniri ; itaque ſe in Deo laudando deſtruit & annihilat. Imò ipſa me iam hoc tempore annihilare vellem. Benedictus autem eſto ; Domine mi , quòd è tam fœtida & cœnoſa palude , qualis ipſa ſum , tam lympidam aquam ſic efficias , vt in menſam tuam poſſit inferri. Laudem tibi dicant omnia , ô deliciæ , & iucunditas Angelorum , quod vilem adeò vermiculum ad tam ſublimem euehere ſtatum digneris. Hic porrò profectus , & incrementum aliquantiſper in anima manet. Vndè ipſa (quandoquidem manifeſtè videt fructum non eſſe ſuum) hunc ipſum in alios diſtribuere iam incipere poteſt ; ita tamen , vt ſatis inde ſibi retineat , nec egeat. Incipit quoque euidentia ſigna oſtendere animæ cœleſtes theſauros continentis , nec non ardentia eorum , in alios conferendorum deſideria habere , Deumque rogare , ne ipſa ſola diues & abundans ſit. Incipit præterea , proximum qua poteſt , iuuare , ita tamen vt id ipſa propè non ſentiat , nec ſe ipſa propterea aliquo loco habeat ; etſi id proximus facile ſentiat , ac percipiat. Odor quippe florum ita iam creuit , vt ardens proximi deſiderium , inijciat ad eam accedendi. Intelligunt ſiquidem hi , eam virtutes habere , fructumque earum ſapidum & dulcem eſſe vident ; vndè ipſam in eo comedendo adiuuare vellent : ſi terra hæc laboribus , difficultatibus , perſecutionibus , & morbis (nam pauciſſimos eſſe putem , qui ſine illis huc perueniant) ſeriò excolatur , & per proprij commodi carentiam , & renuntiationem benè ſubigatur , aqua ſic in ea imbibitur , vt penè numquam exſiccetur. At , ſi tellus ſit , quæ adhuc in terra maneat , totque ſpinis referta ſit , quot ipſa initio habebam , ſi nondum à peccandi occaſionibus ſit ſequeſtrata , nec tantam gratitudinem oſtendat , quantam tantum beneficium meretur ; terra denuò velut exareſcit : ſi deinde hortulanus negligens ſit , & Dominus è ſola ſua bonitate pluniam aliam dare nolit , hortum hunc velut perditum reputa. Ita namque mihi contigit ; quòd ſanè

Quando anima ſua fruitionis alios reddere partipes quæat.

Anima, quæ huc peruenit, ſi ingrata ſit, & negligès, in quanto periculo verſetur.

maximopere miror, vnde, nisi id mihi factum esset, vix crederem. Ipsum autem hic scribo, vt animæ imbecilles, qualis erat mea, hinc consolationem sibi capiant, ne vnquam desperent, & in Dei magnitudine semper confidant, & esto ipsas ad tam altum gradum, qualis hic est, à Domino euectas labi subindè contingat, non propterea animum abijciant, nisi penitus pessum ire velint: lachrymæ quippè euincunt omnia, & vna aqua attrahit aliam. Inter alia autem plurima, quæ me talem, qualis sum ad in his describendis, & vita mea improba & gratijs, quas à Domino, nullo meo merito, & obsequio, sed potius post enormes offensas accepi, enarrandis, obediendum excitarunt, non postremum fuit hoc quod dico. Et sanè vellem magnam hic auctoritatem haberem, vt in his omnes mihi crederent. Dominum autem rogo, vt mihi eam dare dignetur. Nemo ergo eorum, qui iam orationi se dedere cæperunt, animum despondeat, dicendo: si denuò in malum relabar, deterius est in exercitio orationis me progredi. Ita quidem id esse credo, si orationem intermittat, & malum suum non corrigat; at si orationem non omittat, credat, sibique persuadeat, ab eo se ad lucis portum conducendum.

Lachrymæ omnia euincunt.

Orationis intermissa dãna.

Cacodæmon magnum mihi hac in re certamen mouit, multumque sum passa, ex eo quòd paruam humilitatem esse crederem, me ità improbam orationi incumbere: adeò, vt ipsam, (vti suprà dixi) sesquianno, aut saltem anno toto (nam de medio anno vsque adeo certa non sum) intermiserim. In quo si perrexissem, rectà me ipsa in infernum deturbassem (imò iam reuera me deturbabam) ità vt dæmonibus, qui me eo conducerent, minimè opus esset. Quanta hæc, DEVS bone, cœcitas est! & quam benè diabolus nouit quid agat, cum tam efflictim eam impedire satagit. Nouit quippè sacrilegus hic impostor, se in animam, quæ in oratione constanter perseuerat, nihil posse, deque ea subuertenda se propè desperare debere, & omnem, quem ei cauſatur, lapsum, & ruinam, postea illam adiuuare, vt, per Dei gratiam, in diuino obsequio feruentius currat, & vlterius prouehatur: magni ergo hoc illius interest. Quid est Iesu bone, animam, quæ huc peruenit, in peccatum aliquod prolapsam videre, quando tuâ tu misericordiâ denuò ei manum porrigis, & eam subleuas, quomodo tunc magnitudinis, & misericordiarum tuarum multitudinem, propriamque miseriam agnoscit! hic scilicet serio se annihilat, tuamque magnitudinem agnoscit: hic oculos attollere non audet: hic non alliter eos attollit, quam vt videat, quantum tibi debeat: hic ardentem erga Cælorum Reginam affectum induit, quo ipsa te propitium reddat, hic sanctorum qui, postquam à te vocati essent, lapsi sunt, opem inuocat, qui eos auxiliatores habeat hic nimis quam superfluum pro se putat omne id, quod ei das; videt enim

Lapsus cooperantur ad bonum cum oratio non intermittitur.

enim se ne terram quidem, quam calcat, promereri: hic fide viua ad Sacramenta accedit, vtpote quæ hic ei manet, ad vim & virtutem, quam in ipsis sitam esse voluisti agnoscendam, hic denique te laudat, quod talem pro vulneribus nostris medicinam & vnguentum reliqueris, quæ ea non tantum superficie tenus sanant, verum etiam penitus auferunt. Hoc itaque anima demiratur: & quis ô Deus animæ meæ tantam misericordiam, ac tam excessiuam gratiam, post proditionem tam fœdam & abominabilem, non admiretur? vt nesciam quomodo cor meum mihi hæc scribenti non disrumpatur, quod ita scelesta, & improba sum. Videor tibi per has lacrymas, quas hic fundo, quasque ipse mihi das (quæ sunt velut tam malè olentis putei, quantum est ex parte mea, aqua) pro tam fœdis, quas admisi proditionibus satisfacere; semper quippe malum committebam, & gratias ac beneficia, quæ ipse mihi contulisti, tibi destruere allaborabam. Tu eis, Domine mi, robur & valorem adde, aquam hanc ita turbidam, lympidam redde, saltem ne cui occasionem dem iudicandi (vti mihi id occasio fuit) & cogitandi, quare, ô Domine, viros quosdam Sanctissimos, qui semper tibi seruierunt, semper pro te laborarunt, quique in religione educati, & de facto veri religiosi sunt, non quales ego, quæ nudum dumtaxat Religiosæ nomen habebam, negligis; cum apertè videam, eas te illis gratias non facere, quas præstitisti mihi. Video, ô bonũ meum, te præmium illis in futurum reseruare, quo ijs id totum simul retribuas, imbecillitatem autem meam hoc gratiarum adminiculo opus habere. Illi seu fortes, & generosi seruiunt tibi sine illo, & tu illos, velut robustos, & valentes ac sine vllo proprio compendio tibi seruientes tractas; verumtamen nosti, Domine sæpe me ad te clamasse eos qui mihi detrahebant, & aduersum me loquebantur, apud te excusando, quod bona ratione ad hoc eos moueri crederem.

Hoc tum erat, Domine, postquam tua bonitate me sustinebas, & retinebas, ne toties te offenderem, & cum iam à parte mea paulatim subducere me inciperem, ab omni eo quo te putarem offendi posse, & exacerbari. Mox enim vt hoc ego faciebam, tu tuos, Domine thesauros, ilico reserare incipiebas, quo ancillæ tuæ eos communicares. Et prout quidem quam primum, & statim incipiebas, non solum eos mihi dare, sed etiã velle, vt omnibus innotesceret, illos à te mihi dari, aliud sane exspectasse non videris, quam vt aliquam ipsa ad eos recipiendos voluntatem & dispositionem adferrem. Hoc ergo cum vulgo viderent omnes, bonam de ea opinionem habere cæperunt, quæ, quàm improba esset, nõdum intellexerant. Esto improbitas mea satis forinsecus appareret. Vndè derepentè acris aduersum me exorta detractio, & exagitatio, &, prout quidem

Quas passa sit calumnias.

quidem mihi videtur, non ſine ratione: vnde etiam erga nullum eorum odium aut inimicitiam concepi, ſed te rogabam, vt quibus monebantur, rationes intuereris. Dicebant ergo quod haberi vellem ſancta, & nouitates quaſdam adinuenirem; cum tamen tunc temporis nondum magna ex parte adimplerem ea, quæ regula mea facienda præſcribebat, nec ad quarumdam bonarum & ſanctarum ſororum, quæ domi erant perfectionem peruenirem, imo nec ad illam quidem me peruenturam puto, niſi ſua DEVS bonitate totum ex parte ſua agat. Sed è contra hoc poteram videlicet quod bonum erat, & eius loco conſuetudines non bonas introducere, eas ſaltem pro poſſe meo inducere ſatagebam; in malo autem ſatis potens & valida eram. Quocirca meritò ac nulla ſua culpa me culpabant; nec ſolum moniales domeſticæ, ſed externi, te nimirum permittente, mihi quæ vera erant, deregebant. Quadam vice, cum horas Canonicas (nam hæc me tentatio ſubinde capiebat) recitarem, & iam ad illum verſiculum: *Iuſtus es*, DOMINE, *& rectum iudicium tuum*, peruenirem: cogitare mecum ipſa cæpi, quam hoc verum eſſet: (nam quoad hoc numquam ſatis dæmon virium habuit, vt me tentaret, vt ſcilicet ambigerem, num omnia bonorum genera in te, DOMINE, complectereris, aut de aliquo fidei articulo ſubdubitarem; quin potius, quò res credendæ communes naturæ limites magis excedebant, eò fidem habere videbar firmiorem, & magnam in me deuotionem excitabat, quod omnipotentem te eſſe cogitarem; per hanc enim cogitationem omnia magnalia, quæ faciebas, in me comprehendebam, & quoad hoc (vti dixi) numquam vel minimum dubitaui) Cogitanti ergo mihi, quomodo (non ſine iuſtitia tamen) multis ancillis tuis, quæ (vti dixi) tibi ſincerè & ardenter hoc in loco famulabantur, illas conſolationes, & gratias negares, quas mihi, quæ ralis eram qualis fui, erogabas, reſpondiſti DOMINE: *ſerui tui mihi, de cætero noli eſſe ſolicita.* Hoc primum fuit verbum, quod loquentem te audiui, vndè etiam me ſatis conſternatam reddidit. Et, quia hunc audiendi, intelligendiq́ue modum, nec non alia plurima, poſtea ſuo loco declarabo, ideo eum hic non trado: id enim extra propoſitum foret & materiam, à qua iam ſatis me puto deflexiſſe: nam vix ſcio quid dixerim, & non poteſt eſſe minus; ſed R. V. rogo, vt has digreſſiones meas benignè interpretetur: cum enim conſidero, quam me Deus tolerarit, & nihilominus in hoc ſtatu, in quo ſum, me eſſe, mirum non eſt eorum, quæ dico & dicere debeo, filum me ac connexionem perdere: faxit vero Deus, vt ſemper hæ ine-

Prima Domini verba ad S.M.

Digreſſionum eius cauſa.

hæ ineptiæ meæ ſint, nec permittat Maieſtas illius poteſtatem, & facultatem amplius vt habeam, ad eum vel in minimo offendendum, ſed potius hoc ipſo, in quo ſum inſtanti, me deſtruat, & conſumat. Satis quidem eſt, vt magnitudo miſericordiarum eius hinc colligatur, quod tantam ingratitudinem non ſemel, ſed ſæpiùs ignouerit. Quod Sancto Petro ſemel factum eſt, & datum, mihi ſæpiùs datum eſt, adeo vt non immeritò me dæmon tentaret, ne ſingulari, & arcta amicitia proſequerer eum, cui tam apertam, & patentem inimicitiam oſtendebam. Hem! quanta mea erat cœcitas! apud quem ergo remedium quærere me oportebat, Domine, niſi apud te? Quanta inſipientia eſt hominem lucem fugere, vt ſemper in tenebris, & ceſpitando incedat? quam ſuperbam humilitatem dæmon in me excogitabat, dum me ſcilicet tentabat, vt fulcrum & baſin, quæ me ſuſtentare debet, ne tam grauem caſum facerem, decederem, & abijcerem. Iam me ipſa præ ſtupore cruce conſigno, ac in nullo mihi videor maiori periculo verſata fuiſſe, quam fuit hæc diaboli inuentio & techna, quam mihi ſub ſpecie & perſona humilitatis ingerebat. Cogitationi quippe meæ repræſentabat, quomodo me, cum poſt tot recepta beneficia à Deo ita improba eſſem, orationi auderem applicare; ſufficere proinde mihi recitare preces illas vocales à regula præſcriptas, quas aliæ ſorores recitabant; & quomodo ſupererogatoria & plura facere vellem, cum ne quidem ſtatas, & ordinarias preces benè perſoluerem; denique nihil eſſe hoc aliud, quàm paruam erga Devm reuerentiam, & reſpectum, eiuſque beneficia, & gratias parui pendere. Non erat quidem malum hoc cogitare & intelligere, at ipſum opere exequi grauiſſimum ſcelus fuit. Tu benedictus eſto, Domine, qui hac ratione me dignatus ſis adiuuare. Hæc tentatio quoddam mihi videtur eſſe principium eius, quam Iudæ proditori propoſuit: excepto quod ſceleſtus hic tentator non ità palam & manifeſtè me adoriretur; verumtamen paulatim eouſque me adduxiſſet, quò illum pertraxerat. Omnes ergo, qui ſe in oratione exercent, hoc ſeriò notare peruelim. Sciant ergo vitam deteriorem fuiſſe toto eo tempore, quo orationem intermittebam, quam antè: ac videant, quæſo, quam ſcilicet bonum mihi diabolus hic remedium docet, & quam abſurdam humilitatem, magnam videlicet animi inquietem ac perturbationem. Sed quomodo anima mea quieta eſſe poſſet? ſuam miſella quietem fugiebat, gratias, & beneficia, quæ acceperat, ad oculum intuebatur, & liquido perſpi-

Diabolus eã faciebat orationem deſerere ſub ſpecie humilitatis.

perſpiciebat omnes terrenas voluptates nõniſi meras ſordes eſſe. Miror quomodo id tolerare poſſet, ſed alebat eam ſpes: nam quantum quidem nunc memini (eo quod magis quam viginti & vnus iam elapſi ſint anni) ſemper propoſitum habebam denuo ad orationem redeundi; ſed exſpectabam quoadusque valde munda à peccatis eſſem. Ah! quam ſpes hæc male fundata erat, ac mihi illudebat: nam me diabolus ea ad vſque diem iudicij ludificaſſet & lactaſſet, vt ſic inde me ad infernum raperet: nam eſto antea lectioni librorum & vocali orationi inſiſterem (quod nihil erat aliud, quam hinc ipſam videre veritatẽ, & illinc prauum iter quod inſiſtebam) & ſæpè magna cum lacrymarum effuſione Dominum inuocarem, ita tamen improba eram, vt mihimetipſi prævalere non poſſem. Hoc ergo exercitiũ intermittens, & inter recreationes conſtituta, accedentibus multis peccandi occaſionibus & paruo ſubſidio (& dicere auſim, nullo, niſi quod ad lapſum meum cooperaretur) quid aliud exſpectare poterã, quam quod dixi? Credo multum apud Deum hinc promeruiſſe fratrem quemdam Dominicanum, ſummæ doctrinæ virum, qui me ab hoc veterno excitauit: hic quippe me (vti ante etiam dixiſſe me credo) ſingulis quindecim diebus ſacram communionem adire iubebat, & à malo nonnihil declinans in memetipſam cæpi reuerti, eſto interim Deum non deſinerem offendere? ſed quia rectam viam non perdideram, paulatim in ea, eſto pedetentim, ſubinde cadendo, & rurſus reſurgẽdo, progrediebar. Porro quiſquis ſemper it, ac progredi non ceſſat, tametſi ſerius, tandem ad deſtinatum locum peruenit. Nihil vero aliud mihi videtur eſſe, viam amittere, quam orationis ſtudium intermittere. Ab eo nos Dominus, pro eo atque eſt, liberet.

Anima nunquam ſibi fidere debet ad quantumlibet certum ſtatum ſanctæ.

Satis hinc ergo patet (& ex amore Dei rogo, vt hoc imprimis notetur) nullatenus animam, etſi tam magnas à Deo in oratione gratias, & fauores accipiat, ſibiipſi fidere (quia fieri poteſt vt cadat) nec vlla ratione ſe peccandi occaſionibus exponere debere. Caueat hoc imprimis, quia magna id eius intereſt: nam fraus quam dæmon hic poſtea adornare poteſt (eſto certiſſimum ſit, gratiam à Deo venire) in eo ſita eſt, quod vafer hic proditor in quantum poteſt, hanc ipſam gratiam in rem ſuam conuertat, ac præſertim cum ijs, qui nondum in virtutibus firmiter radicati, nec mortificati, nec à creaturarũ ſunt affectu diuulſi. Nam non ſunt adhuc hic tam fortes (vti infra dicam) vt ſe occaſionibus & periculis ſine noxa poſſint exponere, quantumlibet magna propoſita & deſideria haberent. Eſt hæc ergo ſingularis & notabilis quædam doctrina; non tamen mea, ſed à Deo tradita & propoſita; atque ideo vellem indoctos & idiotas, qualis ego ſum, eam ſcire; nam licet anima in tali ſtatu ſit, ſibi tamen ipſi fidere non debet, ad ſe in certaminis diſcrimen vltro conij-

ciendam,

ciendam, satis quippè faciet, si se tueri ac defendere possit. Armis siquidem opus hic habet ad se contra cacodæmonas defendendam, nam per se sat roboris nondum habet, ad cum ijs confligendum, eosque sibi subijciendos, vti habēt, qui iam eum ad statum peruenerunt, de quo posteà loquar. Hæc scilicet fraus atque ars est, qua animam incautam diabolus illaqueat; cum enim ipsa se ita vicinam Deo esse videt, & quanta sit inter bonum cœleste & terrenum differentia, & quo in ipsam Deus amore feratur, intelligit, ex hoc amore quædam in ipsa nascitur confidentia & securitas quod non frustrabitur eo, quo iam fruitur; quin imo suis se putat oculis præmium, quod exspectat, intueri; nec possibile esse se rem, quæ etiam quoad hanc vitam ità delectabilis, & suauis est, propter aliam ita vilem & turpem (qualis est voluptas) derelinquere. Vnde per hanc confidentiam aufert illi diabolus paruam illam fiduciam, quam habere deberet de se; itaque, vt dixi, in pericula sponte se conijcit, & bono quodam cum zelo, sine vlla mensura & modo alijs de fructu suo impertiri incipit, dum sibi persuadet nihil vltra esse quod de se timeat: nec hoc ex aliqua fit superbia (satis quippè intelligit anima nihil se per se facere posse) sed ex nimia quadam de Deo fiducia, ac sine vlla discretione, quod se adhuc imbecillem & implumem esse non consideret, at sola tenui lanugine superuestitam. Potest quidem nido egredi, quin & Deus eam indè educit, nondum tamen apta est vt volet: nondum enim virtutes satis robustæ sunt, nec adhuc vllam ipsa ad pericula cognoscenda habet experientiam, nec quantopere sibi, dum sibi confidit, noceat, adhuc intelligit. Hoc nimirum fuit, quod me perdidit, vnde & propter hoc, & propter alia omnia magistro quopiam & instructore, ac cum hominibus spiritualibus conuersatione quàm maximè opus est. Veruntamen ipsa mihi persuadeo suos Deum illi animæ, quam ad hunc statum euexit, (nisi penitus ipsa eius Maiestatem deserat) fauores non denegaturum, nec permissurum, vt in totalem ipsa sui perniciem tendat; sed quando (vti dixi) illam cadere continget, & videat, videat, inquam, (ex amore Dei hoc eam obsecro) ne ipsam diabolus decipiat, orationem intermittere illam faciendo, quemadmodum alias me ad illud faciendum sub falsæ humilitatis specie induxit, sicuti iam sæpè dixi, & sæpiùs adhuc dicere vellem. Diuinæ autem bonitati confidat, vtpote quæ infinities maior est, quam omnia quæ facere possumus mala, nostræque ingratitudines prorsùs obliuiscitur tum, cum nostram culpam agnoscentes, ad eius amicitiam Denuo reuerti cupimus; vti & gratiarum, quas nobis, vt nos ob illas castigaret, præstitit; quin potius hæ iuuant & conducunt, vt ipse citius nos in gratiam recipiat, tamquam eos qui iam domestici eius eramus, etiam panem illius

Diabolus aufert ab anima diffidentiam sui.

Bonitas Dei maior est quàm omnia nostra mala.

(vti vulgo dicitur) comederamus. Meminerint, quæſo, verborum eius, ac videant, quid mecum egerit: nam ante ego defatigata fui ipſum offendendo, quam eius Maieſtas me in gratiam identidem recipiendo. Numquam ipſe defatigatur dando, nec miſericordiæ eius vmquam deſinere aut exſiccari poſſunt; nos autem in recipiendo neutiquam defatigemur. ſit ipſe in æternum benedictus. Amen. & quidquid creatus eſt & exiſtit ſanctum eius nomen dilaudet.

CAPVT XX.

DECLARAT QVÆ SIT INTER VNIONEM ET RAPTVM differentia; item quid ſit raptus, addit aliquid de bono, quod illa anima adipiſcitur, quam ſua bonitate Dominus ad raptum euehit, nec non de effectibus quos in ea hic operatur. Eſt autem hæc doctrina notatu digniſſima

Raptus, eleuatio, exceſſus, volatus, translatio ſpiritus & extaſis idem quid ſunt.

VEllem poſſem, Deo iuuante declarare, ecquod ſit inter vnionem & raptum, vel eleuationem, vel euolatum ſpiritus (vt vocant) aut exceſſum diſcrimen, quia hæc omnia vnum & idem ſunt, & ſignificant. Hæc inquam, omnia diuerſa & diſtincta quidem ſunt nomina, tamen vnum quid ſunt; quod ipſum etiam extaſis appellatur. Multis autem partibus *vnioni hæc præcellit, ac præſtat, atque effectus longe maiores, & alias plurimas operationes producit: vnio namque videtur eſſe principium, medium & finis, & id etiam interius eſt; at quia raptus & extaſis altioris ſunt gradus & digniores, hinc ſuos effectus interius, & exterius operantur. Declaret hoc mihi Dominus, ſicut & cætera declarauit, nam ſanè niſi Maieſtas eius mihi inſpiraſſet, quibus modis & rationibus dici aliquid poſſet, idipſa per me facere non potuiſſem.

Ait raptum præcellere vnioni, ideſt animam Deo magis frui in raptu, Deiique illius magis dominari in eo, quam in vnione.

Videamus iam ergo aquam illam poſteriorem, de qua iam ante egimus, ita abundantem & copioſam eſſe, vt niſi forte ſit, quod terra eam nolit admittere, haud dubiè illam magnæ Maieſtatis nubem, quæ eam in terram hanc depluit, nobiscum eſſe credere poſſimus.† Quare cum ei ob ingens hoc beneficium gratias agimus, & gratos nos exhibemus, bonis ſcilicet operibus haud ſegniter inſiſtentes, Dominus animam colligit &

Ita autem id eſſe ſatis apparet: nam in perfecto raptu exteriorum & interiorum facultatum vſus deperditur. Dum autem ait, vnionem eſſe principium, medium, & finem, ſignificare vult, puram vnionem pene ſemper eodem modo fieri: ſed in raptu quoſdam gradus eſſe, in quibus alij ſunt vt principium, alii vt medium, alij denique vt finis. Atque ideo diuerſis dicuntur nominibus, nam quadam eorum minimum eius gradum, alia maiorem, & perfectiorem (vti in alijs locis oſtenditur) ſignificant.

† *Raptus deſcriptio.*

ligit & comprehendit, perinde (vt sic loqui liceat) ac nubes vapores terræ colligunt; eamque totam extra se sustollit; nubes quoque in cælum ascendit, secumque eam rapit, incipitque ei gaudia regni, quod ei præparauit, ostendere. Nescio sanè an similitudo hæc hic congruat; à parte rei tamen & de facto ità se res habet. Videtur autem anima in his raptibus corpus non posside re, nec animare, vnde valde perceptibiliter sentitur calorem eius naturalem deficere, ipsumque paulatim frigescit, esto interim magnam voluptatem & delectationem sentiat. Non est autem, quod raptui resistere se posse homo putet; at secus est in vnione: nam, quia adhuc velut in terra nostra sumus, hinc eam impedire possumus, & fere semper ei resistere valemus, licet non sine aliqua difficultate & violentia: in raptu verò, vt plurimum, nullum illius impediendi remedium est: nam etiam sine vlla cogitationis alicuius præuentione, aut sine vlla cooperatione extrinseca, subinde ac vehemens quidam impetus te occupat, ita vt nubem illam, aut generosam illam aquilam sublimem efferre, teque sub eiusdem alis delitescere videas ac sentias. Dico id sentiri ac percipi; teque sustolli vides, nescis tamen quo feraris: nam etsi id cum aliqua voluptate & delectatione fiat, nostræ tamen naturæ imbecillitas initio nos timere facit: & idcirco magno quodam animo & resoluta mente hic opus est, & maiore quam opus sit ad ea, quæ ante diximus: vt scilicet omnia periculo exponere non vereamur, veniat quidquid euenire potest, in manus Dei nos resignantes, & quo abducimur eo libenter sequentes, cum etiam inuiti & reluctantes sæpè abducamur, adeo quidem, vt ego sæpissimè raptui, etiam omni adhibita contentione, & cunctis viribus meis reluctando resistere voluerim; ac præsertim aliquoties dum is me coram aliis, & publicè occuparet, & sæpe etiam alias in secreto, quod metuerem, ne à Diabolo deciperer. aliquando quidem cum aliquantulum impediebam, sed non nisi summa adhibita contentione, & maximo cum labore, tamquam dum quis cum valido & robusto Gigante luctatur: vnde postea valde defatigata & fessa mansi, aliàs vero reluctari mihi planè impossibile erat, sed anima mea sursum tollebatur & plerumque fere etiam caput post illam, ita vt ipsum cohibere aut retinere non possem; ac subinde etiam totum corpus, ita vt hoc etiam sublime à terra eleuaretur. Hoc postremum tamen raro mihi contigit, semel porro mihi contigit simul cum reliquis Monialibus in choro agenti, & genua iam, vt sacram communionem susciperem, flectenti, vnde turbari, & angi in me ipsa cæpi, quod mihi quid valde extra ordinarium, & præter quam solebam pati, passura hinc videbar, & ob quod statim omnium admirationem prouocarem: quocirca Monialibus

Raptui impedire non possumus sed vnioni.

In rapta anima sustollitur, etiam caput interdum, & subinde totum corpus.

præcipi(nam contigit hoc poſtquam iam ſuperiorem,& præpoſitam ago) ne cui ipſum dicerent.Sed alias,mox vt incipiebam aduertere Dominum ſimile quid circa me velle facere(ac ſpeciatim ſemel cum in concione,inter Matronas nobiles agerem: nam feſtum patroni noſtri celebrabatur) totam me in terra extendebam,& licet circumſtantes corpus meum tenerent,alij tamen quid circa me fieret ſatis percipiebant. Rogabam itaque inſtantiſſimè Dominum, vt iam non amplius gratias mihi daret,quæ aliquam exteriorem apparentiam haberent: nam iam tœdioſum mihi erat vbique & ſemper me ita circumſpectè gerere, cum hanc Maieſtas eius mihi gratiam dare non poſſet, quin alij eam notarent & perciperent. Et meas ipſe preces, quæ eius bonitas eſt, in hoc videtur exaudiſſe:nam exinde vſque in præſentem diem non amplius id mihi contigit,etſi, vt verum fatear,non multum temporis poſt hoc adhuc elapſum ſit.Porro cum raptum impedire conabar,tam valida me manus & potentia de ſub pedibus ſuſtollere videbatur, vt cui eam aſſimilem neſciam; nam maiore longe id fiebat impetu, quam in aliis illis rebus ad ſpiritum ſpectantibus; quare ceu diffracta & emembris manebam. Eſt namque id graue quoddam certamen,& quidquid demum obnitendo fit, perparum iuuat,cum Dominus ſecus velit:non eſt enim potentia,quę eius potentię reſiſtat.Interdum vero ſatis illi eſt, nos videre,quod hanc nobis gratiam facere velit,& quod ab eius Maieſtate non dependeat, quo minus ipſi eam habeamus, cui dum ex ſola humilitate reſiſtimus,eoſdem illa in nobis operatur effectus, quos operaretur, ſi totaliter in eam conſentiremus.

Raptuum fructus.

Porro effectus & fructus qui hinc ſequuntur,permagni ſunt. Primò namque hinc colligitur, quanta ſit Dei potentia; & non poſſe nos,cum Maieſtati eius placuerit,tam corpus,quam animam retinere,nec illud nos in poteſtate noſtra habere; ſed videre nos, quantumuis inuitos, eſſe aliquem ſupra nos,ac gratias has & dona ab eo dari,à nobis ipſis autē prorſus nihil nos poſſe. Vnde magnam nos humiliandi occaſionem elicere poſſumus. Equidem fatear neceſſe eſt,id me initio valde perterruiſſe; eſt quippe viſu mirabile, corpus ita à terra ſublime eleuari: nam etſi ſpiritus hoc ſecum extollat, & magna id cum ſuauitate, cum nulla ſit reſiſtentia, fiat, ſenſus tamen ipſe non deperditur; ego ſaltem ita in raptu conſtituta eram,vt ſentire, & percipere poſſem me raptam eſſe. Notare hic eſt magnam maieſtatem eius,qui hoc facere poteſt,quæ etiam capillos præ horrore erigat,& ingens quidam in animo oritur timor, ne tantumque tamque potentem Deum offendamus.Sed timor hic cum magno quodam amore, quem de nouo hic acquirimus, miſtus eſt,erga eum ſcilicet, quem tanto amore erga putridum quemdam vermiculum

ferri

ferri videmus, vt non satis ei esse videatur, animam ità verè & seriò ad se pertrahere, sed & corpus, quod adhuc ità mortale est, tamque sordida è terra (vtpotè quæ tot peccatis inquinata est) compositum sibi velit.

Oritur hinc præterea mira quædam ab omnibus rebus creatis alienatio, & sequestratio, quæ qualis sit, haud facile dixero, dicere tamen mihi posse videor, ipsam aliquo modo differentem, imò maiorem esse, quam alia illa, quæ ad solum spiritum pertinent: nam cum iam homo, quoad spiritum ad totalem omnium rerum abdicationem peruenerit, videtur Dominus hic velle, vt etiam corpus hoc opere exequatur: Vnde nouam quamdam à mundi huius rebus alienationem, & auersionem cõcipit, quæ vitam hanc multò ei reddit acerbiorem, & tœdiosiorem. Indè quoddam subnascitur tœdium ac fastidium, quod nec à nobis ipsis habere, nec iam habitum, cum nobis placuerit, abijcere possumus. Vellem equidem imprimis magnum hoc tœdium aliquo modo declarare, sed vereor vt non possim, dicam tamen aliquid, si potuero. Notandum autem hic est, hæc mihi iam valde ad extremum, & in fine euenire, post omnes videlicet visiones, & reuelationes, quas describam, & postquam iam me orationi dederam, in qua me etiam Dominus magna suauitate, & consolatione perfundebat. Et licet etiam nunc subindè consolationes sentiam, tamen sæpissimè, imò plerumque hoc, quod iam describam, tœdium patior: quod aliquando quidem maius, aliquando minus est, iam verò loqui volo de eo, cum maius est. Nam etsi posteà expositura sim magnos illos impetus, qui me occupabant tum, cum me sustollere Dominus parabat, inter illos tamen, & id quod iam dictura sum, non minor mihi esse videtur differentia, quam sit inter rem valde corporalem, & valdè spiritualem. Et credo sanè me non dicere nimium aut plus æquo id exaggerare. Nam etsi in illis sola anima pœnam sentiat, ipsa tamen vnà cum corpore eam videtur sentire, & ambo pariter de ea participare, ita vt illic tam extrema non sit derelictio, atque hic. Hoc autem tœdium vt declinemus, vel comparemus, ipsi non sufficimus, nec pares vires habemus: nisi quod sæpè quoddam nobis subitò oboriatur desiderium (quod quomodo excitetur ipsa prorsus nescio) quòd vbi totam animam peruadit & penetrat, ita ipsa in momento angustiari, & fatigari incipit, vt longè supra seipsam, & suprà omnem rem creatam efferatur; & ità eam Deus ab omnibus rebus alienatam ac derelictam reddat, vt, quantumlibet etiam connitatur, nulla omninò supereſſe res in terra videatur, quæ ipsam tali in angustia constitutam comitetur; imò nec ipsa eam vellet, sed potius in illa solitudine emori. Frustrà sunt, tam qui illam alloquuntur, quàm ipsa sibi omnem vim ad loquendum inferens: spiritus namque eius, quantumuis ipsa è

Tœdium animæ quid sit.

contrà faciat, non vult illam ſolitudinem relinquere. Et eſto tum quidem Deus longiſſimè ab illa mihi abeſſe videatur, ſubindè tamen ei magnalia ſua, modo quodam maximè admirabili & ſingulari communicat. Qui proindè nullis poteſt verbis exponi, nec aliquem futurum credo, qui eum aut credat, aut intelligat, niſi qui reipſa eum ſit expertus; Hæc enim communicatio non tam eſt ad animam conſolandum, quam vt hinc pateat, quam meritò ſe anima cruciet, & doleat, quòd ab eo bono ſit abſens, quod omnia in ſe bona complectitur. Per communicationem hanc increſcit deſiderium, nec non extrema illa ſolitudo, in qua ſe videt, idque cum tam ſubtili, & penetratiua pœna, vt anima in deſerto illo conſtituta (ita enim ad litteram mihi hoc tunc vocari poſſe videtur) dicere poſſit, quod Regius Propheta in eadem fortè ſolitudine conſtitutus dixit: *Vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.* quamquam credibile ſit, Dominum ei, vt potè viro tam ſancto, dediſſe, vt longè excellentiore modo eam ſentiret. Vnde & mihi verſiculus ille Pſalmi tunc occurrere ſolet: nam hoc ipſum in me videre videor; imò mihi conſolationi eſt videre, quod & alij tam extremam in ſe ſolitudinem ſenſerint, præſertim qui tanta vitę ſanctitate fuerunt. Vnde anima non iam apud ſe, ſed in tecto vel ſuprema ſui, & omnium creatorum parte eſſe videtur, nā etiam ſuprà id, quod in ipſa ſummum & ſupremum eſt, videtur eſſe. Alias videtur, quaſi in maxima eſſe egeſtate conſtituta, ſibi ipſi dicens, & ſe interrogans; *Vbi eſt Deus tuus?* Dignum porrò notatu eſt, me initio non ſciuiſſe, quis horum verſuum in lingua materna eſſet ſenſus; poſtquam, verò ipſos intellexi, magnæ mihi conſolationi fuiſſe, cum videbam Dominum illos mihi etiam non procuranti, in memoriam reuocaſſe.

Pſal. 101.

Alias ad mentem reuocabam illud Apoſtoli Pauli dicentis; ſe mundo crucifixum eſſe, non quod velim dicere id in me locum habere, quia contrarium clarè video. Sed anima rapta taliter mihi conſtituta eſſe videtur: nam nec è cœlo vlla ei venit conſolatio, nec in eo ipſa eſt, nec vllam à terra habere vult, nec in terra eſt, ſed veluti crucifixa inter cœlum & terram pendet, & patitur, vt nullum ei vlla ex parte veniat ſubſidium, nam quod ei è cœlo venit (quod, ſicuti dixi, eſt tam admirabilis quædam Dei notitia, vt omne quodcumque deſiderare poſſumus longè excedat) maioris tormenti & crucis occaſio eſt; nam per hoc ita illius deſiderium adaugetur & increſcit, vt præ magnitudine pœnæ aliquando ſenſus, meo iudicio, penitus deperdatur, ſed hoc non diu durat; videntur hæc autem quædam mortis eſſe anguſtiæ, niſi quod hæc paſſio tantam ſecum conſolationem afferat, vt neſciam cui rei eam comparem, vt dulce amarum quoddam martyrium mihi eſſe videatur, cum quidquid terrenorum animæ repræſentari poteſt, tametſi id etiam ex

Anima hoc in raptu, eſt velut crucifixa.

ijs ſit,

ris sit, quæ maximè eis sapida, & delectabilia esse solebant, adeo id non admittat, vt quamprimum illud repudiare, & à se abijcere videatur. Intelligit autem nihil se velle, præterquam Deum suum, at nihil particulare, nec eius partem aliquam amat, sed omnia simul & semel habere vult, & tamen quid velit, nescit, nescit, inquam, quod imaginatio nihil ei repræsentet, &, prout quidem mihi videtur, tempore illo durante, potétiæ diu est, quod non operentur; nam, vti in vnione & raptu eas suspendit gaudium, ità hic à pœna, & à cruciatu suspenduntur. Vtinam id ergo R. V. benè & prout oportet, possem exponere, vel ideo tantum, vt mihi diceret, quid id sit! hoc quippè est, quod animam meam modo vt plurimum cruciat, & plerumq; cum se otiosam videt, hæ mortis angustiæ illam occupant, & timore concutiunt, dum eas sibi ingruere videt, quia ex illis se nouit non morituram; sed cũ iam in illarũ medio est, vellet omne, quo sibi viuendum est, tẽpus in hac posse amaritudine & pœna transigere: licet illa tam enormis, & excessiua sit, vt corpus ei ferendæ vix par sit. hinc subindè me omnis penè arteriarum vitaliũ pulsus deficit, (prout sorores illæ, quæ aliquando ad me veniunt, testantur, quæ iã ex vsu ipso id magis in me obseruant) & ossa corporis velut loco suo mouentur ac laxãtur, deniq; manus ita rigescunt, vt eas aliquando nequeã cõiungere, vnde magnus mihi manet in arterijs pulsatilibus, ac in toto corpore, etiã in diẽ vsq; sequẽtẽ cruciatus, ita vt omnia mea mẽbra laxata & loco mota esse videãtur: spero, & credo, si vt hactenus fecit, dolor hic sẽper procedat, & increscat, Dominũ, quæ eius bonitas, facturũ aliquãdo, vt hic semel vna cũ vita, finem accipiat: nã tam excessiua pœna (vt quidem mihi videtur) ad hoc plusquã satis est, sed hoc ipsa non promereor, ac tum quidẽ nihil adeo exopto, quã mortem oppetere: nec memini tunc purgatorij, nec enormiũ, quæ admisi, peccatorum, propter quæ infernũ promerita sum. Omniũ scilicet obliuiscor, præ desiderij illius de Deo videndi vehementia; illaq; derelictio & solitudo magis placet, quã quodlibet & quodcũq; cũ mundo & mundanis commerciũ. Nihil quippè animam tunc consolari potest aut recreare, nisi fortasse loqui & agere cum aliquo, qui quamdam tormenti huius habeat experientiam; sed iam intelligit, quod, esto de eius magnitudine apud aliquem conqueri vellet, nemo illi, (vt quidẽ censet) hac in re creditũ esset. Illud præterea illam cruciat, quod tormentum hoc adeò enorme, & magnum sit, vt iam nec in solitudine esse vellet, vti alias solebat, nec hominum contubernium ambire, nisi eius, apud quẽ de malo suo conqueri posset. Itaq; quemadmodum aliquis, qui laqueo collum implexum iam habet, & iam iam suffocandus est, respirare conatur, sic mihi hocce conuersandi cum hominibus desiderium dumtaxat à nostra infirmitate oriri videtur: nam sicut nos pœna in mortis periculo constituit (quod

Pœna grauissima, & nihilominus suauissima anima.

Consolatio est malum cum alio communicare posse.

sanè

sanè ita est, quia in eo periculo subindè versata sum, pergraues scilicet morbos, & alias occasiones, vti iam supra dixisse memini, imò verè me dicere posse opinor, ist hoc moriendi periculum non minus graue esse, quam vllum aliud) ita illud desiderium, quo corpus & anima à se inuicem non disiungi, & diuelli optant, opem exposcit ad respirandum, & necessitatem suam aperiendo, & conquerendo, & se paulatim diuertendo, quærit remedium ad vitam conseruandam & tuendam, esto id multum sit contra voluntatem spiritus, aut superioris partis animæ, quæ hac pœna carere nollet. Nescio an in ijs quæ dico à vero non aberrem, & an sciam ea dicere: sed, quantum mihi videtur, ità planè fit. Videat quæso R. V. quam hac in vita habere consolationem ac recreationem possim: nam, quam habere solebam, scilicet ex oratione & solitudine (nam in ea me Dominus consolabatur) iam magna ex parte, & potissimum in hoc tormentum commigrauit; quod adeo suaue & dulce est, & tanti videt anima pretij id esse, vt ipsum iam omnibus, quas habere & recipere solebat, consolationibus præponat. Videtur autem ei id multò esse securius, quòd regia crucis via sit, & in se quamdam magni valoris suauitatem (vt mihi quidem videtur) complectatur: corpus quippè nihil sentit, præterquam pœnam; anima autem sola ex gaudio & delectatione, quod ex hac pœna resultat, frui videtur; quomodo id fieri possit, ipsa nescio: attamen ita fit; nam (vt quidem mihi videtur) hanc sanè, quam mihi Dominus dat gratiam (ab eius enim manu, vti dixi, illa venit; nulla autem mea procuratione & cooperatione; est quippè admodum supernaturalis) cum omnibus alijs, de quibus postea loquar, non quidem omnibus simul sumptis, sed cum vnaquaque singulatim sumpta, commutare nollem.

Quanta gratia hæc pœna sit.

Notandum porro hic est, hosce impetus mihi etiam post acceptas illas gratias, de quibus hactenus egi, imò post omnia quæ hoc libro descripta sunt, nec non post id, quo me Dominus nunc demum perduxit, euenisse. Cum ergo in principio timerem (vti propè semper timere soleo, in singulis, quas de nouo à Domino accipio, gratijs, quoadusque me Maiestas eius, eas continuando securam reddat) dixit mihi; ne timerem, plurisque gratiam hanc facerem, quam omnes, quas hactenus mihi præstiterat; quod per hanc pœnam anima purificetur, efformetur, & sicut aurum in fornace purgetur, quò sic donorum suorum vermiculationem melius superinducat, & quod hac ratione emundetur ab eo, quod in purgatorio ei expurgandum erit. Intelligebam quidem magnam id gratiam esse, at his auditis à Domino multo mansi securior, ipse quoque Confessarius meus bonum id esse dicebat. Et quamuis timerem, quòd adeò essem improba; numquam tamen ipsa mihi persuadere poteram, id malum esse, quin potius ipsa boni magnitudo me timere faciebat, dum mecum reputarem,

putarem, quàm male id promeruerim. Benedictus sit Dominus, qui tam bonus est. Amen.

Videor porrò mihi à scopo proposito deflexisse, inceperam quippè de raptibus loqui; quod autem hic descripsi, longè plus est quam raptus, vnde etiam eos, quos dixi, effectus, operatur. Ergo ad sermonem de raptibus iam reuertamur, & quod in ijs frequentissimè, & vt plurimum occurrit prosequamur. Dicò igitur, sæpè mihi visum fuisse corpus meum post raptum ita leue redditum esse, vt omnis eius grauitas à me auferretur, imo tanta aliquando leuitas eius erat, vt nõ audirem quidem an pedibus terram tangerem. Corpus ergo cum in raptu est, velut mortuum manet, vt sæpè nullam prorsus fruitionem exercere possit, &, quo in statu raptus ipsum occupat, in eodem maneat; vnde si sedens, si manibus apertis, aut clausis occupetur, manebit & sedẽs, & manibus apertis, aut clausis. Nam etsi quam rarissimè sensus penitus amittatur, nonnumquam tamen accidit; illum me penitus amittere, sed est id rarius, & non diu durat, ordinariè verò, & vt plurimum turbatur, & quamuis nihil omninò tunc per se agere possit, quoad exteriora, non tamen desinit & intelligere, & audire, at quasi de longè. Non tamen dico ipsum intelligere, vel audire cum raptus in summo est: tunc verò raptus est in summo, cum animæ potentiæ ità Deo vnitæ sunt, vt omnem suam functionem amittant: nam tunc (quantum mihi videtur) nihil videt, nihil audit, nihil sentit, sed vti in superiori oratione vnionis dixi, hæc animæ totalis in Deum transformatio ad modicum duret, nulla potentiarum functionem suam exercere sentitur, aut nouit quid ibi agatur, non ita quidem vt ipsum plenè ac perfectè à nobis, dum in terra hic viuimus, intelligatur, (Deus saltem id intelligi non vult) quia ad hoc fortassis inepti sumus & incapaces. Et hoc ego in meipsa experta sum.

Descriptio raptus.

Totalis transformatio animæ nõ diu durat, & quod in ea fit non est tale vt in terra intelligatur.

Obijciet hic mihi R. V. & petet, quomodo, & vnde fiat raptum aliquando diu durare? respondeo, ipsa fruitio, prout quidem vt plurimum mihi contingit (vti in superiori orandi modo dixi) fit per interualla: per interualla quoque anima sæpè absorbetur, aut potius Dominus ipse eam in se absorbet, qui postquam sic eam ad tempus intrà se detinuit, duæ potentiæ iterum ad se redeunt, adeò vt sola voluntate illi anima adhæreat. Videtur porrò mihi hæc aliarum duarum potentiarum commotio non insciè comparari posse cum motu gnomonis & indicis, in horologio solari, vtpote qui numquam quiescit; cum soli tamen Iustitiæ visum fuerit, ipsum sistit & quiescere facit. at hoc, vti dictum est, non diu durat. Quia tamen impetus & raptus spiritus vehemens fuit, licet aliæ illæ potentiæ denuò sese moueant, voluntas tamen absorpta manet, & hanc in corpore operationem, velut absoluta omnium domina exercet: nam etsi aliæ duæ

Omnes potẽtiæ in raptu non sẽper perdũntur.

potentiæ, facile mobiles illam impedire ſtudeant, quæ ex inimicis eius minimi ſunt, cauet tamen ne & ſenſus ipſam impediant, atque ideo facit vt ſuſpenſi ſint, quoniam ita id Domino videtur. Oculi namque vt plurimum clauſi ſunt, eſto eos ipſi claudere nolimus; qui ſi interdum, vt iam dixi, aperti ſunt non tamen aduertit & reflectit ad id quod videt. Hic ergo corpus eſt maximè impotens ad aliquid ex ſe agendum, ne, cum potentiæ denuo adſe ipſas redibunt tam multum ſit quod agat. Quamobrem quicumque hanc à Deo gratiam accepit, non eſt quod deijciatur aut contriſtetur, ſi corpus, ſuum ad longum tempus velut vinctum & ligatum manere videat, intellectum autem ac memoriam ſubinde in alia diſtractam eſſe: vt plurimum tamen ambæ vel in Dei laudes occupantur, vel ea comprehendere & intelligere allaborant, quæ circa ipſas facta ſunt. Imo ne ad hoc quidem ſatis excitatæ ſunt; ſed ſunt tunc velut homo qui diu dormiuit, & varia ſomniauit, nondum tamen plenè excitatus eſt.

Quamre memoria & intellectus vt plurimum occurrentur in raptu, cum iam ad eo rediere.

Cauſa vero cur me quoad hoc ita explicem & declarem, hæc eſt, quod ſciam hodie nonnullas ſupereſſe, etiam hoc in monaſterio quibus id genus gratias Dominus confert: Vnde ſi, qui ipſas dirigunt, & regunt, in hiſce rebus minimè verſati ſint, putabunt fortaſſe eas in raptu debere ceu mortuas videri, præſertim ſi non ſint docti. Et certe dolenda res eſt, quod tam multa à Confeſſarijs harum rerum imperitis, vti poſtea dicam, pati homo debeat. Forſitan non intelligo id quod dico, R. V. tamen intelliget, num in aliquo à vero deflectam, cum aliquem iam Dominus tibi rei huius experientiam dederit, ſed, quia non ita dudum eſt quod eam habuiſti, forſitan non tam bene obſeruaſti atque ego. Itaque vt concludam nullæ omnino ſunt in corpore vires, quæ ipſum de loco in locum mouere faciant, vti id ipſa teſtari poſſum, vtpote quæ me ſæpè conatu magno conata ſum mouere: nam anima eas penitus ad ſe traxit, & ſecum abripuit ſæpe contingit, vt qui antea valde egrotabat, & grauiſſimos dolores patiebatur, per hoc ſanitati reſtituatur, & ad quid agendum agilior fiat, & expeditior. Quod enim illic homini datur, magnum quid & excellens eſt, hinc ſubinde vult Dominus vt & corpus (ſicuti dixi) eo fruatur, cum id iam anima in eo, quod ipſa cupit, obſequatur ac pareat. Poſtquam vero iam homo ad ſe redijt, vt die vno vel duobus, aut etiam tribus, potentiæ ipſæ ita abſorptæ maneant, vel attonitæ, vt apud ſe non eſſe videantur. Hic itaque contriſtatur & gemit, quod iterum ad vitam hanc redire oporteat: hic quoque ei enatæ ſunt alæ ad ſublimè, & fortiter volandum, & lanugo, & plumæ molliculæ iam exciderunt: hic Chriſto vexillum iam totaliter & abſolutè erigitur, ita vt arcis huius præfectus ad altiſſimam turrim quodammodo iam aſcendere, aut ab

Corpus fruitur.

alio

alio ſuſtolli videatur, ad illic vexillum Deo erigendum; atque inde conſpicit eos qui infernè conſtituti ſunt, vtpotè, qui iam in tuto verſatur, iam nulla pericula exhorreſcit, ſed ea potius deſiderat, tamquam qui iam certo quodam modo ibi de victoria redditus eſt ſecurus. Hic liquido etiam patet, quam parui facienda ſint omnia quæ in terra hic habentur, quamque ea ex ſe nihil ſint. Qui enim alto in loco eſt conſtitutus multa oculis conſequitur. Iam nihil aliud deſiderare, aut aliam voluntatem habere vult, quàm quam ei Dominus dat, quo letiã ſupplex eum rogat, ſuæque voluntatis claues ei conſignat. Vide quæſo, quomodo hortulanus iam factus ſit præfectus arcis; aliud facere non vult, quam Domini voluntatem, nec ſuiipſius, aut alterius cuiuſpiam, imò ne quidem putei vnius huius horti Dominus eſſe cupit; ſed ſi in horto aliquid boni ſit hoc Maieſtatem eius vult diſtribuere, nam iam inde ex hoc tempore nihil proprij habere vult, ſed vt Dominus de omnibus, prout voluerit, & ad gloriam ſuam expedire iudicauerit, diſponat & faciat. Et de facto, & in veritate omnia ita fiunt, ſi modo raptus veri ſint, quod ſcilicet in anima maneant: effectus & profectus, quem iam commemoraui: qui ſi non ſequantur, quam maximè dubitarem vtrum à Deo illi proficiſcantur, vererer potius ne illa furoris ſint ſpecies de qua S. Vincentius ſcribit. Hoc porro ipſa ſcio, & per experientiam exploraui, ſcilicet, animam hic abſolutam omnium Dominam manere & horæ, atque etiam minori ſpatio talem acquirere libertatem, vt ſe ipſa cognoſcere nequeat. Vnde quidem intelligit tantum bonum ex ſe non proficiſci, quomodo tamen id ſibi obuenerit, neſcit; ſed apertiſſime perſpicit magnum ſibi ex vnoquoque horum raptuum emolumentum & commodum prouenire. Nemo hoc crediderit niſi qui expertus id fuerit: atque hæc eſt cauſa, cur miſellæ animæ tam facile non credatur, dum eam antea ità improbam, tam cito ad res tam ſublimes & generoſas aſpirantem vident: ſtatim quippe non contenta Domino in paruis rebus ſeruire, ei in, quam poteſt maximis ſeruire geſtit. Vnde qui id vident, aut tentationem id eſſe putant, aut delirium; at ſi hoc non tam ab ipſa, quam à Domino, cui voluntatis ſuæ claues iam tradidit, proficiſci ſcirent, nequaquam mirarentur. Credo equidem animam, quæ ad hunc ſtatum iam peruenit, nihil iam ex ſeipſa aut loqui, aut tacere. Sed ſupremum hanc Regem curare & deponere omnia quæ ei agenda ſunt. Quam hic, Deus bone, liquido patet genuina verſiculi illius Dauidici expoſitio, & quam intelligitur, non ſine ratione tum Prophetam illum petijſſe, tum nos omnes poſſe petere pennas columbæ! facile hinc perſpicere eſt hoc volatum & librationem quamdam ſpiritus eſſe, qua is ſe ſuper omnia creata, atque im-

primis ſuper ſeipſum elibrare conatur; ſed volatum ſuauem, iucundum, ac ſine vllo ſtrepitu ac tumultu. Quam autem amplum & potens anima illa habet dominium, quæ à Domino eo euehitur, vt ſic omnia poſſit intueri, vt ijſdem nullatenus irretiatur? quam ipſam pœnitet, quod olim ijs ſe paſſa ſit ineſcari, quam ſuam iam obſtupeſcit cæcitatem? quam denique illam miſeret illorum, qui in eadem adhuc hærent, præſertim ſi ſint, qui in oratione ſe exercent, & in ea à Deo conſolationibus perfunduntur. Illis altum inclamare vellet, quo ipſis oſtendat, quantopere errent, quin etiam interdum de facto eos commonet; tum verò mille in caput eius ingruunt perſecutiones: dicunt quippè ipſam parum humilem eſſe, & docere velle eos, à quibus ipſa doceri deberet; præſertim ſi mulier ſit. Hinc eam condemnant, nec immeritò; neſciunt enim quo illa impetu agatur; etiam quieſcere aut continere ſe nequit, quo minus eos, quos diligit, & quos libenter ab vitæ huius carcere (qui ſanè non eſt minor, nec etiam minor illi eſſe videtur eo, in quo ipſa hæſit) ſolutos videre vellet, ab errore ſuo reuocet. Crux quoque illi eſt temporis illius recordari, quo anxiè de punctulis honoris ſolicita fuit, quodque ita decepta fuerit, honorem id eſſe credendo, quod mundus honorem nominat: videt quippe eum maximum mendacium eſſe, & nos omnes, quotquot ſumus in eo ambulare. Sed hoc nouit, verum honorem mendacem non eſſe, ſed veracem, quique nos faciat id vt aliquid reputare quod eſt taliquid, & id vt nihilum ducere, quod mere nihilum eſt, cum omnia quæ prætereunt Deoque non placent, nihil ſint, ac minus quam nihil. Ridet ſecum ipſa, quod pecunias aliquando magni fecit, & earum coacernandarum cupiditate laborauit: eſto me credam (& eſt veriſſimum) numquam quoad hoc culpam confeſſam eſſe, quamquam ſatis culpæ ſit, eas aliquo in numero ac pretio habere, ſi quidem coemi is hoc poſſet bonum, quod modo in me video; permagni ſanè eas facerem, at ſatis apparet ipſum per ſolam omnium rerum renunciationem & abnegationem comparari debere. Quid quæſo eſt quod his, quas ita deſideramus pecunijs comparatur? aliquid precioſum? numquid durabile? ad quid ergo eas tantopere ſectamur? egregiam ſcilicet requiem per ipſas quærimus, vtpote quæ tam caro conſtat: imo verò per eas ſæpe nobis infernum paramus, ignem inextinguibilem, & pœnam, quæ finem neſciat, emimus. Si omnes aurum vt terram inutilem reputarent, quam mundus pacificè procederet ac regeretur, quam citò omnis negotiatio concideret, quanta inter homines paſſim vigeret amicitia atque amor; ſi honoris, inquam ac pecuniæ nulla haberetur ratio, ipſa mihi perſuadeo fore, vt omnibus, qui hic in mũdo ſunt, defectibus facile remedium adhiberetur. Videt præterea anima, quanta in voluptatibus ſita ſit cæcitas, & quantum ſibi in hac vita

Volatus anima ſuauis eſt & quietus.

Huius anima perſecutiones.

Mũdi honor mera impoſtura.

Numquã S. M pecunia auida fuit.

Quantum malorum amor pecunia hominibus adferat.

hac vita per eaſdem homo comparet laborem & inquietem. Ah quanta hic eſt inquietudo? quam parua delectatio: quam inanis & fruſtraneus labor: hic non ſolum maiores animæ ſuæ ſordes & defectus, tamquam apparentes aranearum telas videt homo, ſed & minimum puluiſculum; per ſolis quippè radios ibi omnia clariſſima ſunt, vndè quantumcumque anima ſe perficere allaborat, ſi è ſole hoc ſemel, verè, ſerioque irradietur, ſe prorſus obſcuram, turbidamque eſſe videt. Itaque perinde ſe res hic habet, atque aqua in vaſe vitreo contenta, quæ ſole abſente valde lympida & pellucida eſſe videtur; ſed mox vt ſol ſuis vas radijs ferit, turbida, & atomis plena apparet. Hæc ſimilitudo valdè ad propoſitum noſtrum facit, & quod dicere volo, ſcite ſatis oſtendit. Antequam enim anima ad hanc extaſin perueniat, valde accuratè ac ſtudioſe canere ſe putat, ne qua in re Deum ſuum offendat, ſeque viribus ſuis agere, quidquid poteſt: ſed mox vt hoc peruenit, vt ab hoc Iuſtitiæ ſole irradiari incipiat, qui oculos ei aperiat, tantos in ſe puluiſculos & atomos conſpicit, vt oculos denuo vellet occludere: nondum enim generoſæ huius aquilæ in tantum pullus eſt, vt ſolem hunc irretorto queat oculo, & non conniuente intueri; ſed quantumlibet parum oculos ſuos apertos teneat, videt ſe totam turbidam eſſe, & recordatur illius ſcripturæ, dicentis: *Quis iuſtificabitur in conſpectu tuo*? Cum ergo diuinum hunc ſolem intuetur, à claritate eius & fulgore ipſa in obſcuratur; cum autem ſe ipſum intuetur, à luto, & cæno oculi eius occluduntur: itaque miſera hæc columba penitus excæcatur. Vnde non rarò fit, vt præ magnitudine magnalium quæ videt, planè cæca, abſorpta, conſternata, & extra ſe rapta maneat. Hic denique vera comparatur humilitas, vt ſcilicet homo parum curet vel ipſe loqui, quæ in ſui laudem tendant, vel ab alijs laudari. Non ipſa fructum diſtribuere cupit, ſed horti Dominum id facere mauult: itaque nihil ex illo manibus eius adhæret, omne quoque quod habet bonum, ad Deum dirigit ac refert; hinc ſi quid de ſeipſa narrat, hoc ad gloriam ipſius tendit. Nouit quippè ſe nihil omnino hic habere, & tametſi vellet, id ignorare nequit; hoc ſiquidem oculis videt, qui ei quantumuis inuitæ & reluctanti ad res huius mundi intuendas occluduntur, ad veritatem verò intuendam & intelligendam, apertos eos tenere compellitur.

Hic acquiritur vera humilitas.

* * *

CAPVT XXI.

HVNC VLTIMVM ORATIONIS GRADVM PROSEQVITVR & absoluit. Ostendit quam graue sit animæ, quæ ad hunc peruenit, iterum inter homines in mundo viuere, & quantam ei lucem Dominus det ad eius technas & impostvras perspiciendas salutarem caput hoc doctrinam continet.

VT ergo quod exponere cœperam, iam absoluam, dico Deum hic consensu animæ huius opus non habere : ipsa namque hunc illi iam consignauit; & nouit se illam vltra & voluntatè in potestatem eius tradidisse, & se decipere illum non posse, quod cognitor sit omnium. Non ita se hic habet res sicut in terra, vbi qui viuunt, dolis, duplicitatibus, & fraudibus pleni sunt : cum enim alicuius te tibi putas amicitiam, &, voluntatem conciliasse, secundum id quod tibi exterius demonstrat, postea intelligis omnia nonnisi meram fraudem & mendacium esse. Vix iam aliquis inter talia tantaque mercimonia tutò agere potest, præsertim cum vel minimæ spes affulget commodi. Næ felix illa est, anima, quam DOMINVS ad veritatis cognitionem & intelligentiam perducit. Quam hic status pro Principibus, & Regibus bonus esset ! quanto magis ipsis expediret, hunc statum sibi quam multa, ac longè latèque patentia imperia comparare ? quanta in regnis illorum vigeret iustitia, & æquitas ? quot mala impedirentur, & hactenus impedita essent ? hic homo nec vitam, nec honorem propter DEVM perdere veretur. Quam magnum hoc bonum est ei, qui de honore DEI magis solicitus esse debet, quam reliqui, qui ipso minores sunt ? Reges quippè esse debent tales, quos alij velut exemplaria sequantur, & imitentur. Equidem ità me dispositam sentio, vt si fidem vel paululum propagare, & adaugere, & hæreticis vel parum lucis præferre possem, mille parata sim regna amittere. Et meritò : nam longè maius lucrum est, lucrari regnum quod numquam terminatur, & finem non habet, & cuius aquæ vel vnica gutta tantæ potentiæ est, & efficaciæ, vt animæ, quæ eam gustauit, desipiant, & nauseam moueant, nostra quæ hic in terra sunt. Quid erit ergo, cum totam è cœlesti illo Oceano se absorptam videbit ! si tibi, ô DOMINE, ad eum me statum vocare placuisset, in quo hoc plena voce ad omnes proclamare possem, mihi quidem hoc clamanti, scio non crederent (vti non credunt multis, qui meliore modo quam ego, id dicere sciunt) verumtamen

tamen mihi ipsa satisfacerem. Equidem vitam mihi videor meam libentissimè discrimini expositura, quo vel harum veritatum vnam alijs declarem; nescio tamen, quid, si daretur occasio, factura essem, non est enim quod quis multum mihi fidat. His tamen non obstantibus, esto sim quæ sum, talem in me ipsa ad hæc ijs, qui superiores aliorum constituti sunt dicenda, impetum sentio, vt me penitus consumat, & annihilet, sed quia plura hic à parte mea non possum, ad te me, ô Domine, conuerto, tibi supplicans, vt omnibus malis remedium adhibeas; nosti quippè quod me libenter omnibus, quas de te accepi, gratijs exspoliarem, vt Regibus eas darem dummodo in statu manere queam, in quo te non possem offendere. Scio enim impossibile fore, vt tunc permitterent ea, quæ modo passim permittuntur, & maxima inde bona sequuntura. Da ijs, Deus meus, nosse & intelligere, ad quid obligati sint, etiam tum, cum eos in terra designari, & apparentes esse volueris, vt etiam, (prout quidem ab alijs audiui,) si quando eorum aliquem, ex hac vita aufers, signa in Cœlo appareant, interitum eorum præsignantia. Nam profecto quotiescumque hoc mecum ipsa recogito, nouam quandam in me deuotionem excitat, quod tu, O mi Rex, etiam hac ex re illos intelligere velis, se ad te in vita sua imitandum obligatos esse, quòd scilicet illis demorientibus aliquo modo in Cœlo signa sint, sicut & se moriente apparuere.

Nimis quam procul mea me auehit audacia: si quid in eo R.æ V.æ displicet, dilaceret, sibique persuadeat, me illis, si quidem eos præsentes haberem melius (si possim, aut fore putarem vt mihi crederent) dicturam esse; quia Deo illos identidem ex animo commendo, & vtinam aliquid orando proficerem! omnia autem in eo sita sunt, vt vita discrimini exponatur: nam sæpè illâ carere desidero, nihil enim id esset aliud, quam paruum quid discrimini exponere, & impendere, vt indè magnum sequeretur emolumentum. Vix enim quis iam viuat, cum magnas, in quibus agimus fraudes, & cœcitatem, in qua hæremus, ad oculum, & apertissimè videat. Anima autem, quæ huc peruenit, non modo propter Devm sancta piaque habet desideria, sed diuina eius Maiestas ei etiam dat vires ad eadem opere exequenda. Nihil enim ei occurrit, in quo quidemei obsequium præstare se posse putet, quin libenter id suscipiat: & tamen nihil præstat; nam sicuti dixi, ad oculum videt, omnia nihil esse, & præterire, præterquam Deo seruire & placere. Omnis difficultas in eo est, quod nihil faciendum occurrat, pro ijs, qui adeò inutiles sunt, atque ego. Vtinam Domine, aliquando veniat tempus,

quo

quo vel obolum perſoluere queam magni illius debiti, quod tibi debeo;
Prodeſſe publico S. M. geſtit. Tu id diſpone, Domine, prout tibi placuerit, dummodo hæc ancilla tua tibi in aliquo ſeruiat. fuerũt & aliæ mulieres, & hæroica propter te facinora fecerunt; ego ad aliud non ſum vtilis, quam ad loquendum, atque hæc eſt cauſa, Deus meus, cur me operi applicare nolis: In nudis verbis & ſolis deſiderijs ſitum eſt obſequium meum; & ne ad hoc quidem libertatẽ habeo, fortaſſis quia in omnibus errarem, Tu, ô bone Ieſu, animam meam corrobora; & primo ei de omni bonorum genere bene proſpice, deindè mox media ac modos præpara, quibus aliquid pro te præſtem: intolerabile quippè eſt, aliquæ tot ac tanta beneficia recipere, ac nihil pro ijs benefactori rependere. Conſtet, quanti conſtare velit, Domine, ne permittas, obſecro, vt tam vacuis in conſpectu tuo manibus appaream, cum pro operis magnitudine vel exiguitate dandum ſit præmium. Hic mea eſt vita, honor, & voluntas, omnia tibi dedi, tua ſum, de me diſpone prout volueris. Video equidem, Domine, quam parum poſſim. ſed iuxta te conſiſtens, & conſcensâ illâ ſpeculâ, vbi veritates cernere eſt, dummodo tu à me non abeas, omnia potero; at ſi à me abieris, ac me deſeras, quantumlibet parum, ad eum redibo locum, in quo antè agebam, ad infernum, inquam, quam igitur animæ, quæ huc peruenit, graue eſt, quod iterum cum omni hominum genere conuerſari, ludicrum vitæ huius ita diſſolutæ, & incompoſitæ ſcenam intueri, ac tempus corporis per ſomnum & cibum curationi impendere debeat! omnia ei tœdio ſunt, neſcit quomodo aut quonam fugiat; ſeſe conſtrictam, captiuam, ac velut vinculis compeditam cernit; ac tum corporum captiuitatem, quâ ſemper oppreſſi incedimus, & vitæ huius miſeriam, longè verius ſentit: agnoſcit item, quam meritò Apoſtolus Paulus Dominum obſecraret, vt ſe ex hac liberaret. Vndè cum eo clamat, ac Deo pro libertate, vti iam aliàs dixi, ſupplicat. At hoc hic ſæpè tanto cum impetu fit, ac vehementia, vt anima etiam è corpore ſuo erumpere, quò libertatem inueniat, velle videatur: at, quia retinetur, ac libera abire non ſinitur, hinc incedit quaſi vendita in terra aliena. Quod verò magis illam cruciat, eſt, quod paucos inueniat, qui cum ipſa eadem de re conquerantur, & idem poſtulent; eo quod plerumque omnes viuere deſideramus ô: ſi nulli rei adhæreremus, & in nulla re terrena conſolationem noſtram conſtitueremus, quàm ipſe mortis
Quid mortis metum imminuat. metus per tœdium, quòd indè enaſceretur, quod ſemper nobis ſine Deo viuendum ſit, nec non per intenſum verâ vitâ fruendi deſiderium imminueretur! ſubinde mecum ipſa cogito, cum mihi, eò quòd hanc mihi Dominus lucem dedit; cum tamen charitas mea ita tepida ſit, & quæ æterna veraque quiete adeo incerta ſum (quòd meis eam operibus promerita non ſim) triſte hoc exilium vitæ ſæpè ita amarum & graue ſit, cogito inquam,

inquam, ecquis sanctorum hac ipsa in re sensus fuerit. Quem fuisse putamus sensum & afflictionem S. Pauli, Mariæ Magdalenæ, & aliorum his similium, in quibus hic amoris diuini ignis adeò æstuabat? In continuò eos martyrio vixisse fit verisimile. Qui porro aliquantulum me alleuiant, consolantur, & quorum conuersatio me delectat, videntur esse illi in quibus huiusmodi desideria aduerto; desideria inquam cum operibus coniuncta, operibus, inquam, eò quod nonnulli sunt, qui sibi videntur ab omnibus rebus affectum abstraxisse, quod etiam alijs dicere non verentur; & ità quidem id esse oporteret, cum & ipsorum status id per se exigat, & nonnulli eorum ad multos iam annos per viam perfectionis incedere inceperint. At hæc anima, etiam valde eminus, facile dignoscit eos qui verbis solum id iactitant, ab ijs, qui verba hæc opere & factis ipsis confirmarunt, nouit enim & intelligit per exiguum fructum, quem priores faciunt, & permagnum, quem posteriores. Est autem res hæc eiusmodi, vt eam omnes qui vel aliquam habent experientiam, euidentissimè videre possint.

Quæ sanctorũ fuerit afflictio quod se adhuc in mundo viuere videret.

S. M. cognoscebat eos qui verè affectũ à rebus terrenis abstulerãt, idq; è fructu quem edebant.

Hæc ergo de effectibus quos ectases & raptus à Spiritu Dei prouenientes causantur, dicta sufficiant. In quibus, vt verum fatear, datur magis & minus: minus inquam; nam in primum incipientibus, licet huiusmodi effectus operentur, non sunt tamen hi per opera probati, nec satis sic intelligi potest, quod quis eos habeat. Ipsa etiam perfectio semper crescit, cum quotidie & identidem quis operam dat, ne qua vel minimarum imperfectionum in se memoria susperstit, & ad hoc aliqua temporis mora requiritur: quo autem amor & humilitas magis in anima crescunt, eo hi virtutum flores maiorem dant fragrantiam, tam pro eo qui ipsas possidet, quam pro alijs. Esto per vnum horum raptuum, ita in anima possit Deus operari, vt postea ei, ad perfectionem acquirendam, parum laboris sit subeundum: nemo enim, nisi qui expertus fuerit, credere poterit, quid ei Dominus hic det; nulla enim diligentia nostra tanta est, quæ, vt mihi quidem videtur, huc queat pertingere. Non dico, quod quis cum Dei auxilio, per multos annos sese iuxta præcepta quæ tradunt ij, qui de oratione eiusque principijs & medijs scripserunt, dirigendo, ad perfectionem, magnamque rerum omnium abnegationem, magno adhibito labore, non possit pertingere; sed id non fit tam breui tempore sicut in raptu, sine vllo nostro labore, Dominus operatur; in quo datâ operâ, & vltrò animam à terra auellit, eique super quidquid terrenum est, potestatem & imperium dat, esto etiam non plus ipsa meritorum haberet, quam habebat mea, neque enim quid amplius hic dicere possem, quod nullum propè meritum ego haberem. Ratio autem, cur Maiestas eius hoc faciat, est, quod id ità velit; & sicut vult, ità facit; & esto nulla ad

Deus per vnum horum raptuum, cum vult animã ad sũmã perfectionem euehit.

Ratio cur Deus animam tam breui tempore ad perfectionem sufflolat.

hoc in ea sit dispositio, ipse tamen eam ad bonum quod ei dat, recipiendū disponit. Adeò vt non semper id det, quod id ipsi, hortum benè excolendo promeruerunt (quamquam certissimum sit, eum non negleturum consolari ac recreare eos, qui id bene præstabunt, & omnis rei creatæ affectum exuere allaborabunt) sed quia (vt dixi) subinde ei placet, & vnlt magnitudinem suam erga terram quæ pessima est, ostendere, eamque ad omne bonum disponere: adeò vt iam quomodo in animæ potestate non sit denuo in vitia, in qua incidere solebat, incidere: eiusque intellectus ita iam vni verissimæ veritati intelligendæ assueuit, & habitum velut contraxit, vt cætera omnia esse ludicra ei & pueriles nugæ videantur. Subinde intra se ipsa ridet, cum viros aliquos graues, orationi ac religioni addictissimos, de minutijs & punctulis quibusdam honoris, quem hæc anima iam penitus proculcauit, tantopere videt laborare. Dicunt id discretionem esse, & ad status sui auctoritatem tuendam fieri quo maiorem in proximo, fructum faciant; sed ipsa optimè nouit, plus eos fructus vna die, qui hanc status sui auctoritatem ex amore Dei postponerent ac non curarent, facturos, quam cum illa per decenniū.

Fructus qui sequitur ex honoris neglectu.

Viuit erga hæc anima vitam permolestam, & perpetua in cruce; sed interim insignem progressum facit; & dum qui cum ea agunt, eam iam in summo laboris gradu esse putant, tunc quam breuissimo temporis spatio quam maximè progreditur; Deus quippè semper magis & magis ipsi succurrit. Deus namque eius est anima, ipse curam eius iam gerit, vnde qua potest eam illustrat: videtur quippè semper ei assistere & continuo eam tueri, ne ipsum offendat, nec non gratias ei communicare, & velut excitare, quo ei seruiat. Mox namque vt magnam hanc animæ meæ gratiam, raptum inquam, Deus præstitit, omnia mea mala cessarunt, Dominusque mihi robur ab eisdem egrediendum dedit; nec magis mihi nocebat, in medijs peccandi occasionibus, & inter eos qui distractionum mihi occasio esse solebant, agere, quam si inter eos non fuissem; quin imo, quod ante mihi obesse solebat, iam proderat; omniaque quoddam mihi medium erant, ad Deum & cognoscendum & amandum, & videndum quid ei deberem ac dolendum quod fuissem quæ fueram. Satis equidem intelligebam, hoc à me ipsa non prouenire, nec mea me diligentia ac studio id comparasse, nondum enim tempus ad hoc ipsum habueram, sed ad hoc mihi eius Maiestas ex sola sua bonitate, robur dederat. Ab eo autem tempore, quo mihi Dominus hanc raptuum gratiam dare incepit, vsq; in præsentem diem, hæc fortitudo semper magis & magis in me creuit, & quæ eius bonitas est, sua me manu velut retinuit, ne ad vomitū redirem, ac retrospicerē; & vix aliquid aut potius nihil fere ipsa mihi à parte mea agere videor, nec etiam ago; nisi quod ad oculum perspiciam &

Perfectio eius animæ quam in suam protectionem Deus capit.

cognos-

cognoſcam Dominum eſſe, qui operatur. Vnde mihi videtur, animã quæ has à Domino gratias recipit, ſi modo cũ humilitate & timore procedat, ſibi perſuadẽdo, ipſummet Dominũ omnia, & nos ipſos penè nihil agere, inter quoslibet homines, quantumuis diſſolutos & ſceleratos, agere poſſe: nihil ab illis ei dãni accedet, nihil diſtractionis & turbationis orietur; imo vero, ſicut ante dixi, hoc ipſam iuuabit, maioriſq; ei profectus faciendi erit occaſio. Tales animæ ſunt iam tum fortes, quas, quo alijs prõſint, ſibi Dominus ſeligit, etſi hanc ipſæ fortitudinem à ſe ipſis non habeãt: ſed, quando Dominus paulatim aliquam animam huc conducit, maxima ei ſecreta communicat. Deniq; in hac exſtaſi veras reperire eſt reuelationes, magnas quoque gratias & viſiones: omnia vero eo ducunt; vt hinc anima magis humilietur & corroboretur, vitæ huius res minoris faciat, ac præmij, quod ſibi ſeruientibus Dominus præparauit, dignitatem ac magnitudinem clarius perſpiciat, faxit Maieſtas eius vt ſingularis & eminentiſſima illa liberalitas, qua erga miſeram hanc peccatricem vſus eſt, aliquo modo occaſio ſit, vt qui hæc legent contendant, & animentur, ad penitus amore Dei deſerendum quidquid hic haberi poteſt, cum hanc illius Maieſtas renuntiationem tam abundè compenſet, cum etiam in hac vita liquido pateat, quale præmium ac lucrũ recipiant ij, qui ipſi ſeruiunt, quid ergo erit in altera?

Deus in S. M. operabatur.

Quando anima Deus magna ſecreta communicet.

Caput XXII.

Ostendit quam ſecurum ac tutum pro contemplatiuis ſit ſpiritum ad res altas non ſuſtollere, ſi is à Domino nõ ſuſtollatur, & quod ad altiſſimam contemplationem, ipſa Chriſti Domini humanitas viam ſternat. Declarat quoque, quo in errore ipſa ad aliquod tempus hæſerit. Eſt porro caput hoc inprimis vtile.

VNum adhuc dicere volo, quod, meo quidem iudicio permagni momenti eſt & ſiquidem R.ª. V.ª. ita videatur, ad inſtructionem aliorum ſpectabit: fieri enim poteſt, vt eo opus habeant. In quibuſdam enim libris de orationis exercendę arte conſcriptis legere eſt, quod, licet anima per ſe ad hunc ſtatum peruenire nequeat (quod plane ſupernaturale opus ſit, quodque Dominus in illa operatur) ipſa ſe nihilominus adhoc iuuare poſſit, ſpiritum ſuum ſuper omnem rem creatam ſuſtollendo, & per humilitatem eleuando; idque non quamprimum, ſed poſtquam ſe iam ad multos annos in via purgatiua exercuerit, & in illuminatiua aliquouſque prouecta ſit. Nõ ſcio autẽ bene, quidnam auctores illi viam illuminatiuã nominent; crediderim iam proficientes in illa ab ijs poni. Docẽt præterea cumprimis, vt contemplantes, omnem corpoream imaginationem à ſe quam longiſſimè repellãt, & ad diuinitatẽ contemplandã ſeſe applicent; dicũt enim Chriſti humanitatem eos qui etiam huc vſq; iã peruenerũt intricare,

tricare, & perfectiſſimam etiã cõtemplationẽ eâ impediri, Ad quod aſtruendum adferunt id quod Chriſtus Dominus ad Apoſtolos ait, antequam Spiritum Sanctum ipſis daret, videlicet cum iam ad cœlos aſcendere vellet (ſed puto quod ſi fidem hunc talem habuiſſent, qualem habuerunt poſtquam ſpiritus paracletus iam venit; ſi credidiſſent inquam illum, Deũ ſimul & hominem eſſe, hæc verba illos non impediuiſſent, cum Sanctiſſimæ Dei matri dicta non ſint, cum tamen plus eum ipſa quam omnes illi ſimul diligeret:) Adferunt inquam id quod Chriſtus Dominus ad Apoſtolos ſuos cum in cœlos aſcendere vellet dixit. Putant namque quandoquidem opus hoc penitus ſpirituale eſt, ipſum à qualibet re corporea turbari & impediri poſſe; & ideo hominem ſe velut in quadro conſtitutum, Deumque vndequaque circum ſe eſſe, ſe autem ab eo velut abſorptum eſſe conſiderare debere. Hæc quidem doctrina mihi placet, ſi aliquoties tantum ſe ab humanitate Chriſti homo ſequeſtret; ſed intolerabile prorſus eſt & indignum, eum ſe totaliter à Chriſto Domino alienare, ac diuinum illud corpus miſerijs noſtris, aut cuilibet rei creatæ, æquiparari.

Loquitur de fide in Chriſtum quo nullã humani arga eundẽ Chriſtum mixturam continent.

Expedit vobis vt ego vadam: ſi enim non abiero, paracletus nõ veniet ad vos.

Det mihi Dominus vt commodè me ipſam queam exponere. Equidem ipſis non contradico (ſunt enim docti & ſpirituales & ſciunt quę dicant; adhæc per varias & diuerſas vias Dominus animas conducit) ſed impræſentiarum tantum oſtendere volo, quali meam ipſe viâ deduxerit (nã de ceteris nihil laboro) & quali me periculo expoſuerim, dum ſequi ad vnguem vellem id quod legebam. Crediderim equidem, eum qui ad orationem vnionis iam peruenit, & vlterius non progreditur (ad raptus inquam, viſiones & alias gratias, quas animabus Deus elargitur) id quod dictum eſt, tanquam melius exiſtimaturum, vti & ego bonum eſſe id putabam; ſed, ſi illo contenta fuiſſem, numquam (vti quidem arbitror) perueniſſem ad id quò iam peruenj; eſt namque euidens, vt mihi videtur, error; quamquam fieri poteſt, vt egomet hic errem & fallar; ſed referam ſincerè quid mihi in hoc contigerit.

Ante experientiam quis ſe putat intelligere quod tamen non intelligit.

Quod enim inſtructore & directore carerem, legebam id genus libros, quorum lectione paulatim me aliquam harum rerum notitiam adepturam ſperabam, ſed poſtea intellexi fore, vt, niſi Dominus me doceret parum è libris addiſcerem: quod enim intelligebam, propè nihil erat, donec id mihi Maieſtas eius per experientiam declararet; imo neſciebam omnino quid agerem. Statim vero ac paululum orationis ſupernaturalis, quietis inquam cœpi habere, operam dabam, vt omne quod corporeum erat à me amouerem; attamen ſpiritum ſuſtollere non audebam, nam, quia ſemper adeo improba eram, idcirco id mihi præſumptionis quædã ſpecies eſſe videbatur: veruntamen Dei mihi præſentiam ſentire videbar

(vtire-

(vti reuera sentiebam)& dabam operam vt cum illo recollecta & vnita essem. Hic autem orandi modus valdè est sapidus, si Deus adhuc cooperetur magnamque delectationem & consolationem causatur. Et quia hic fructus & gustus eius satis euidenter percipitur, hinc nemo tam fuit potens, qui me, vt ad sacram Christi humanitatem recogitandam redirem, posset compellere; imo vero putabam illam mihi impedimento esse. Quotiescumque, Christe Iesu Domine animæ meæ, & vnicum bonum meum, opinionis illius meæ recordor, insignem in animo dolorem sentio, & mihi insignem quandam proditionem tunc molita esse, videor, tametsi ex ignorantia. Toto autem vitæ meæ tempore erga Christum Dominum valdè deuota fueram: hoc enim quod dico iam ad extremum erat, paulò scilicet antequam has raptuum ac visionem gratias Dominus mihi faceret. At paruo admodum tempore in hac opinione hæsi; itaque semper ad pristinam meam cum hoc Domino meo Christo deliciandi cõsuetudinem redibam; imo, cum ad sacram communionem accedebam semper eius speciem & imaginem præ oculis meis habere voluissem, cum eum ita in anima mea exsculptum & expressum habere non possem, vt quidem volebam. Sed fieri ne potest, Domine, vt in me vel ad horam illa manserit cogitatio, te mihi impedimento esse, quo minus ad maius bonum, peruenirem? Et vndenam obsecro, omnia ad me bona venerunt, nisi à te? Sed nolo cogitare me aliquam in eo culpam admisisse; nam mirè hoc me iam cruciat, & certè quædam fuit ignorantia: vnde etiam bonitati tuæ placuit, illam à me tollere; primo, subministrando aliquem, qui ex hoc me errore educeret; deindè, toties te mihi, vti postea dicam, videndũ exhibendo, vt scilicet, euidentius perspicerem, quam grauis hic error esset, & alijs multis ipsum declararẽ (vti etiam declaraui) denique eum hoc loco nunc referrem. Hanc esse causam opinor, cur multæ animæ non magis proficiant; & ad magnum quandam spiritus libertatem per orationem vnionis, minimè perueniant. Duæ mihi videntur esse rationes, ob quas dicere possum, quod dico (& forsitan nihil prorsus dico, sed quod dicam didici per experientiam, scilicet animam meam valdè malè se habuisse, quoadusque eam Dominus illuminaret; nam fruitiones & recreationes ei dabantur non nisi per interualla, & illis iam transactis non se inueniebat apud tales, qui eam in difficultatibus, & tentationibus superãdis adiuuarẽt, vti postea inuenit.) Prima ratio est, quod hic paruus aliquis humilitatis defectus locum habeat, sed is ita tectus, subtilis & absconditus, vt vix percipiatur; quis autem ita superbus & miserabilis erit, vti ego, qui postquam totum vitæ suæ tempus pœnitentijs, orationibus, & persecutionibus, quæ fingi dariuè possint, tolerandis iam impenderit, non se ditissimum existimet, atque abundantissimè sibi satisfactum putet, quod

Erat S. M. erga redẽptorẽ Christum Iesũ mirè affecta.

Dominus se cum S. Ioanne sub cruce consistere patiatur? Nescio sanè cui id demum non sufficiat, nisi forsitan mihi, quæ in omni eo semper detrimentum feci, in quo lucrifacere debebam. Si ergo quis vel ob complexionem naturalem vel inualetudinem semper de passione Domini nequeat cogitare, eò quod hæc cogitatio pœnosa est; quid impedit, quo minus apud eum iam resuscitatũ maneamus, cum eum in Venerabili Sacramento Eucharistiæ tam vicinum habeamus, vbi ipse est iam glorificatus, & vbi eum non iam sudantem, concisum, excruciatum, sanguine fluido conspersum, è viarum labore defatigatum, ab ijs quibus tanta beneficia conferebat exagitatum, ab Apostolis denique suis derelictum videbimus. Nam reuera nullus est, qui tot tamque grauibus laboribus & cruciatibus, quos Dominus subijt, semper recogitãdis par sit. Post resurrectionẽ autẽ eum videmus extra pœnas, ac plenum gloriæ, hos quidẽ corroborantẽ, illos animantem, antequam in cœlum ascenderet; deniq; nostrum in sanctissimo altaris Sacramento Socium; ita vt ne ad momentũ quidẽ à nobis diuelli potuisse videatur. Et me, Deus meus, à te separari & te relinquere potuisse, vt tibi magis seruirẽ? quia cũ te offendebã, tũc te nõ cognoscebam; sed quod, cum te iã nollem, mihi persuadere potuerim, hac via plus me posse lucrari? Ah, quã malam viam inibam Domine! imo vero prorsus sine via fuisse mihi videor, nisi tu iterum me in eandem reduxisses: nam cum te iuxta me viderem, omnia simul bona vidi; & nullus mihi labor superuenit, qui mihi non reddatur facilis, cum qualiter tu coram Iudicibus constiteris, considero. Qui tam amicum ac tam generosum ducem, qui in patiendo se velut in prima acie collocauit, apud se habet, omnia ferre potest: ipse enim nos iuuat, corroborat, neminem destituit, ac verus & sincerus amicus est. Manifestè enim video, vti & vidi postea, si Deo placere & magnas ab illo gratias accipere velimus, ipsum velle, vt per Sacratissimæ illius humanitatis, in qua Maiestas eius sibi complacere dixit, manus illæ nobis obueniant. Sæpissimè hoc per experientiam aduerti; quin & Dominus ipse hoc mihi dixit; ad oculum inquam vidi, per hanc nos portam ingredi debere, si magna quædam à suprema Maiestate arcana & secreta pandi nobis velimus. Reuerentia igitur V^a. aliam viam non quærat; etiamsi ad contemplationis apicem iam pertigeris: hac quippè via tutò & securè incedes. Dominus hic noster est is, à quo, & per quem omnia nobis bona obueniunt: hic te docebit; & illius vitam si intuearis, melius ac perfectius, quod imiteris exemplum non inuenies. Quid volumus amplius, quam tam fidum ad latus nostrum amicum habere, qui in laboribus & difficultatibus nos, sicut amici mundani faciunt, non deseret. Beatus ille, qui eum sincerè & verè amabit, & iuxta se semper tenebit. Intueamur gloriosum Apostolum Paulum,

Cum quis laſſus eſt cogitando Chriſtũ in paſſione cõſtitutum, conſideret eũ poſt reſurrectionẽ iã glorificatum.

Malã viã init qui Chriſtum deſerit.

Cõtemplatiui nunquam humanitatẽ Chriſti deſerere debent.

Paulum, qui assiduè in ore habebat Iesum vt qui illum cordi suo profundè insculptũ & impressum habebat. Diligẽter etiã ex quo hoc intellexi & didici, sanctos quosdam mirè contemplatiuos consideraui, & comperi non aliã quã hanc illos viam ingressos esse: exemplo sit Sanctus Frãciscus in suis stigmatibus, Sãctus Anthonius de Padua in puerulo Iesu; Sanctus Bernardus sacra Christi humanitate mirè capiebatur, nec non S. Catharina Senẽsis, & alij plurimi sancti, quorum R.a V.a nomina melius quam ego nouerit. Illud alterum, se ipsum scilicet ab omni eo quod corporeum est abstrahere, bonum haud dubiè sit oportet, cum viri ita spirituales id asserant; sed meo iudicio, tunc primum id fieri debet, cum anima iam multum profecit: nam ad illud vsque tempus, certum est Creatorem quærendum esse per creaturas. Nihil autem certi hic statui potest sed pro ratione gratiæ, quam vnicuique animæ in particulari Deus elargitur; de quo loqui non præsumo, sed quod libenter docere vellem, hoc est, scilicet sacratissimam humanitatem Christi inter talia corporea non debere numerari. Hoc autem punctum benè velim intelligi, & vtinam me commodè possem declarare. Cum omnes potentias Deus suspendere vult (sicut ex orandi modis, quos hactenus declarauimus, perspicuè videre fuit eas suspendi) tunc certum est, etiam nobis inuitis & reluctantibus, corpoream hanc præsentiam tolli, sed tollatur parum refert: felix & optanda est huiusmodi iactura, cum per eam magis fruamur eo, quod videbatur amitti; tunc quippè anima totam se impendit, amando, quem intellectus cognoscere tam operosè studuit, & amat id quod minimè potuit comprehendere, & fruitur eo quo tam benè frui non posset, nisi se ipsa perderet, vt se (vti dixi) magis lucrifaceret. Sed vt datâ operâ & studio assuescere-

Quãdo non sit bonum humanitatẽ Christi relinquere.

mus, ex omnibus nostris viribus non conari sanctissimam hanc humanitatem semper præ oculis habere (& faxit Deus, semper eam præ oculis haberemus) hoc inquam, mihi prorsus non placet; atque hoc est animam velut in aëre suspensam (vt vulgo dicitur) tenere: Videtur quippè omni fulcimine & adminiculo carere, quantumuis Deo, se putet plenam esse. Magnum quid est, interim dum viuimus, & homines sumus, ipsum vt hominem præ oculis habere: nam hoc secundum incommodum est, quod hac in re situm esse dico: nam primum, vti iam dicere cœperam, est, quod hic aliquis sit defectus humilitatis, cum scilicet se anima sustollere cupit, antequam à Domino sustollatur, nec satis illi est tam pretiosam rem meditari, ac esse Maria vult, antequam cum Martha laborarit: At, cum Dominvs eam Mariam esse vult, esto esset iam inde à prima die, non est quod timeamus; verum nos, à nostra parte ciuiles, restricti, &

Defectus humilitatis est se vel le sustollere antequam Dominus sustollat.

non nimis

non minus audaces esse debemus, vti iam aliàs me monuisse credo. Hæc defectus humilitatis festuca, etsi nihil esse videatur, & parum referre; tamen vt quis profectum in contemplatione faciat, maximoperè remoratur & impedit.

Iam ergo ad secundum punctum veniamus: non sumus Angeli quia corpore conuestiti sumus; ac proindè magna foret dementia velle nos Angelos facere, quam diù in terra viuimus, & quidem ita in terra infixi, ac ego infixa eram; sed necesse est, vt aliquod cogitatio nostra vt plurimum fulcimen habeat, quo innitatur: etsi enim anima subinde à se ipsa egrediatur, aut sæpè ità Deo plena sit, vt nullâ re creatâ ad totalem sui recollectionem opus habeat; hoc tamen non ita ordinarium ac frequens est: verum in negotiorum tractatione, in persecutionibus, in laboribus, quando nimirum tanta non potest haberi quies, & in tempore ariditatis, Christus Dominus optimus amicus est. Tunc quippè eum consideramus vt hominem, ac videmus eum plenum infirmitate ac laboribus, tuncque noster velut socius & collega est. Cui rei dum quis assueuit, valde facilè eum apud se habere potest; quanquam subinde venient tempora, quibus nec vnum, nec alterum facere poterit. Ad hoc autem non parum nos iuuabit, id quod iam dixi, quod scilicet non ostendamus, quod spirituales consolationes consectemur; veniat quod venire velit: sed magnum quid est, crucem amplecti. Dominus ipse ab omni cõsolatione destitutus fuit, laborum torcular calcauit solus, ab omnibus derelictus; quare nos ipsum non deseramus; ita namque nobis ad altius ascendendum melius manum porriget, quam nostra ipsi diligentia illud assequamur; & tunc à nobis se subducet, cum hoc expediri iudicauerit, & cum animam extra se trahere volet, sicut dictum est. Pergratum Deo Patri est videre animam, quæ filium eius magna cum humilitate in mediatorem assumit, quæque ita eum diligit, vt etiam cum ipsam Maiestas eius ad sublime quoddam contemplationis genus euehere volet, se ea (vti dixi) indignam reputet, cum Apostolo Petro dicendo: *exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Hoc ego experta sum, & hac arte & viâ anima meam Deus conduxit. Alij, sicut retuli, viâ incedent compendiosiore: sed ipsa intellexi omne hoc orationis ædificium super humilitatem fundatum esse, &, quo se anima magis in oratione humiliat ac deijciat, eo ipsam à Deo altius euehi. Et sanè non memini me vnquam singularem aliquam gratiam (quales sunt eæ quas postea narrabo) ab eo accepisse, nisi cum meipsa, visa meâ improbitate, annihilabam; imo vero tales mihi tunc cogitationes Maiestas eius indere satagebat, quæ nimirum me in meiipsius cognitione adiuuarent, quales ipsa ne imaginari aut concipere potuissem. Credo firmiter, animam, cum quid ex se ipsa, quò in hac oratione vnionis progressum faciat, agit

Christus optimus Amicus in persecutionibus & ariditate.

Expectare anima debet quo ad usque se Dominus subtrahit.

Deus diligit animã qua se cõtẽplatione reputat indignam.

(esto

(esto etiam sibi videatur statim per illud proficere) quamprimum ab eo exciſuram, vtpotè quia id bene fundatum non erat: imò vereor, vt nunquam ad veram Spiritus veniat paupertatem, quæ in eo sita, vt nullam in oratione consolationem aut gustum (nam consolationes terrenas iam dudum abdicauit) sed duntaxat in laboribus & doloribus, idque ex amore eius, qui perpetuo in ijsdem vixit, quærat: deinde vt in ijsdem & in spiritus ariditatibus quieta sit; esto ea ipsum aliquo modo afficiant, id ita tamen fit, vt ad inquietudinem ipsam non perducant; & se propterea non affligat, vt faciunt nonnulli, qui nisi per intellectum semper operentur & sensualem deuotionem habeant, se pessimè habere arbitrantur, perinde ac si suo ipsi labore tantum bonum promererentur. Non dico autē hoc procurari non oportere, & magna cum solicitudine coram Deo ipsos consistere non debere; hoc dico, si ita dispositi sint, vt ne vnam quidem bonam habere cogitationem possint (vti iam antea dixi) non esse vt propterea se torqueant vel crucient; serui inutiles sumus, quid putamus nos posse? Vult autem nos Deus hanc inutilitatem intelligere, & asinorum instar in orbita aquæ (quam descripsimus) vertenda laborare: ita namque etiam clausis oculis, ac non attendendo, ad ea quæ agunt, plus aquæ haurient, quàm hortulanus per omnem suam diligentiam & operam. Magna cum libertate per hanc nos viam ambulare oportet, in Dei manus totos nos resignantes. Si nos Maiestas eius inter cubicularios & secretarios suos referre, itaque euehere velit, libenter obsequamur; sin minus, vilibus & humilibus officijs contenti simus, nec ad prima loca aspiremus, sicut alias dixisse memini. Deus maiorem nostri curam gerit, quam nos ipsi, & nouit ad quid quisque aptus sit. Quid est, quod seipsum is regere velit, qui iam omnem voluntatem suam in Dei manus resignauit? Hoc autem meo iudicio multo minus licitum & tolerabile est hic, plusque nocet, quam in primo orationis gradu: sunt enim bona supernaturalia: si quis absonam vocem habeat, quantumlibet conetur canere, eam non emendabit, aut commodam reddet, at si Deus hanc ei dare velit, non est quod ipse vocem ante experiendo intendat. Deum ergo identidem oremus, suam vt nobis gratiam donet, animam illi nostram penitus subijcientes, semper tamen de eius magnitudine confidentes. Cum ergo potestas ei sit, secus pedes Christi sedendi, det operam & conetur ab ijs non abscedere, &, quomodocunque potest, illic maneat, & Mariam Magdalenam imitetur; nam quando satis virium iam habebit, Deus eam ad solitudinem conducet.

Vt quis ad paupertatē spiritus perueniat nō quarat gustus in oratione.

Deus vult nos agnoscere esse inutiles.

Vestra igitur R. quoadusque inuenerit aliquem, qui maiore sit experien-

perientiâ meliuſque quam ego rem hanc nouerit, hæc ſequatur. Non credat autem primum guſtare incipientibus quam DEVS ſuauis ſit; putant enim ſe inde proficere, & magis ipſis placet, quod ſibi ipſis prodeſſe poſſint. Cum Deus venire vult & ſe intermiſcere, quam apertè venit & perceptibiliter, etiam ſine paruis his adminiculis! nam quantumcunque obluctemur & reſiſtamus, ipſe ſpiritum noſtrum non aliter arripit quam gigas aliquis feſtucam arriperet; vt nulla in contrarium reſiſtentia proſit. Quis credat, Deum, cum iam vult, exſpectare quoadusque bufo per ſe euolet? Imò verò, adhuc difficilius & moleſtius mihi eſſe videtur, ſpiritum noſtrum ſe ſuſtollere, ſi Deus eum non ſuſtollat; eſt enim terrâ & mille alijs impedimentis grauatus, parumque ei prodeſt quod per ſe ipſe euolare velit: nam eſto per naturam ad euolandum ſit aptior quam bufo, tamen iam tam profundè cœno inhæret, vt ſua culpa hoc perdiderit. Concludere ergo volo, & monere vt, quotieſcumque de Chriſto Domino cogitamus, ſemper memores ſimus amoris illius, quo ipſe motus tantas nobis gratias & beneficia præſtitit; & quantum Deus amorem nobis oſtenderit, cum tale nobis amoris illius, quo nos proſequitur, pignus dederit: philtrum enim amoris eſt amor, & amor vnus prouocat alterum. Quamobrem operam demus, eſto etiam iam tum in ipſo principio, & dum adhuc valde improbi ſumus, vt hoc ſemper præ oculis habeamus, itaque nos ad amorem prouocemus: nam ſi ſemel hanc nobis gratiam Deus faciat, vt amor hic cordi noſtro profundè imprimatur, omnia nobis quam facillima erunt, & breuiſſimo tempore & paruo labore permultum præſtabimus. Hoc nobis Maieſtas illius concedat, cum norit, quanti id noſtra interſit; idque ex amore quo nos proſecutus eſt, & propter filium ſuum glorioſum, cuius graui impendio & ſumptu illum nobis oſtendit, Amen.

Vnum hoc Reuer.am V.am rogare velim, cur, cum tam ſingulares & eximias gratias (qualis eſt, eam ad perfectam quandam contemplationem euehere) Deus animæ facere incipit, vt meritò ſtatim perfecta vſquequaq; manere & eſſe deberet (merito inquam; nam quicunque tam ſingulare bonum recipit, terrenas conſolationes amplius conſectari & quærere non deberet) ipſa ſtatim non reddatur perfecta? nam anima quæ ad raptum peruenit, & iam conſueuit gratias inſignes accipere, effectus illarum maiores habere videtur; & quo plures habet, eo magis à creaturis reddi aliena; cum tamen in illo puncto & momento, quo DOMINVS venit, illam in ſanctitate perfectam relinquere poſſit, ſicut eam poſtea cum tempore paulatim in virtutibus planè perfectam reddit? Hoc ſcire peruelim, quia

lim, quia id ignoro : ſcio quidem magnam differentiam eſſe, inter robur quod DEVS in anima relinquit, cum raptus in principio non niſi ad momentum durat, ita vt is vix percipiatur, niſi in effectibus quos poſt relinquit ; & inter robur quod relinquit hæc gratia cum diutius durat. Sæpiſſimè quoque mecum ipſa conſidero an non propterea id accidat quod anima ſe ſtatim penitus non diſponat, quoadusque DOMINVS, paulatim eam enutriat, ac firmum tandem propoſitum eam habere faciat, virileque ei robur ſubminiſtret, vt omne creaturarum impedimentum à ſe penitus abijciat: quod tam breui tempore in MARIA MAGDALENA fecit, hoc & in alijs faciat, prout quidem ipſi à parte ſua operantur, ſinendo Maieſtatem ipſius agere quod vult. Aut forſitan vix credimus, DEVM, etiam in hac, centum poſſe pro vno perſoluere. Hæc quoque ſimilitudo mihi in mentem venit (poſito ſcilicet vnum quid eſſe, & quod datur ijs qui iam longius prouecti ſunt, & quod primum incipientibus) eſſe id videlicet, ſicut cibus è quo diuerſi comedunt ; è quo quidem in parum indè ſumentibus ſolum bonus aliquis ſapor manet ad modicum tempus durans ; plus verò inde ſumentes, eo etiam aliquo modo ſuſtentantur ; denique multum illius capientes, ex eo & vitam ſuſtentant, & robur acquirunt. Et poſſet quis toties & tam abundanter de hoc vitæ cibo comedere, nullus vt exindè cibus ei ſaperet, quam ſolus hic ; videt quippe quantum ſibi inde boni obueniat : & ſuum palatum ita huic dulcedini iam aſſuefecit, vt malit non viuere, quam ex alijs rebus compelli comedere, vt quæ ad nihil aliud proſunt, quam ad bonum illum ſaporem, qui ex bono illo cibo relictus eſt, penitus auferendum. Adhæc ſancti alicuius contubernium & conuerſatio non tantum fructus facit die vna, quantum pluribus : & fieri poſſet, tot diebus nos cum illo conuerſari, vt, cum Dei gratia, ei tandem per omnia ſimiles reddi poſſemus, ſed omnia in eo poſita ſunt vt Maieſtas eius velit, eique is det cui ipſum dare vult. Multum vero in eo ſitum eſt, vt nimirum is, cui hæc gratia iam dari cœpta eſt, firmiter apud ſe ſtatuat, ab omnibus ſe rebus abſtrahere, tantique eam facere, quanti eam fieri ratio exigit. Videtur mihi quoque Maieſtas eius explorare, quis ipſum diligat, modo hunc, modo illum per conſolationem & voluptatem hanc tam ſingularem oſtendens quiſnam ipſe ſit, quò fidem, ſi emortua iam ſit, eius quod aliquando daturus eſt, redanimet, dicens : *Vide hoc non niſi vna eſt gutta vaſtiſſimi illius omnium bonorum maris*, idque, vt nihil à parte ſua fa-

Anima eſt tantum robur acquirit, cui gratia illa copertranſeat, quæ tũ cũ diutius manent.

Sanctũ cõtubernium tantũ nobis boni non facit vno die quantum pluribus.

ſua facere omittat, pro ijs quos diligit: & prout ſe ab illis ſuſcipi videt, ita & dat, imo & ſe ipſum. Ipſe diligentes ſe, diligit. Et quam ardens ipſe dilector, quam fidus amicus eſt! Vtinam Domine animæ meæ nõ deeſſent mihi verba, ad declarandum quænã in te fiduciam habentibus des, & quantum ij amittant, qui cum ad hunc ſtatum peruenerunt apud ſeipſos remanere, nec à ſe egredi volunt. Ne hoc permittas, obſecro Domine, cum plura facias quam hoc, vt potè ad tam incommodum diuerſorium, qua le hoc meum eſt, diuertens. Eſto igitur in ſæcula ſæculorum benedictus.

Iterum ergo R^am V^am rogo, vt, ſi hæc, quæ de oratione ſcripſi, cum aliquibus viris ſpiritualibus conferre velis, hi ſaltem tales ſint: ſi enim non niſi vnicam viam norint, aut in medio viæ hæſerint, progredi nec auſi, nec valentes, non rectè de his ferre ſententiam ac iudicare poterunt. Et ſane reperire aliquando eſt, quos Deus iam inde à principio per viam valde ſublimem conducit, qui putant & alios ſic pari modo poſſe proficere, & intellectum ſine vllis corporearum rerum adminiculis ad quietem poſſe perducere: hi interim pumicis in modum aridi manebunt; alij vero, qui iam ad aliqualem quietem peruenerunt, quia vnum habent, etiam mox ſe aliud facere poſſe exiſtimant, & tamen hi adeò non proficient, vt etiam quemadmodum iam ſuprà dixi retroceſſuri ſint, adeo vt in omnibus magna opus ſit diſcretione & experientia. Hanc nobis Dominus (quæ eius eſt bonitas) concedere dignetur.

Viri nonnulli ſpirituales quantum noceant.

CAPVT XXIII.

IN VITÆ SVÆ NARRATIONE PERGIT ET QVOMODO SE maiori perfectioni, & quibus medijs dare cæperit. Perutile eſt animarum in oratione ſeſe exercentium regimen habentes ſcire, quomodo hæ ſe in principio gerere debeant: aitque quantum ſibi profuerit hoc ſciuiſſe.

IAm narrationis vitæ meæ filum, quod abruperam, reſumere volo: vereor enim ne in præcedentibus æquo fuerim prolixior, quo poſſent eæ quæ ſubiungentur melius intelligi. Sequentia ergo velut nouus futura ſunt liber, noua inquam & alia vita: quam enim hactenus vixi mea vita fuit; quam vero vixi iam inde ab eo, quo hanc orationis materiam cœpi declarare, eſt illa quam in me Deus (vt mihi quidem videbatur) viuebat: credo enim impoſſibile planè mihi fuiſſe, tam breui tempore, tam prauas conſuetudines & opera ita deſerere. Benedictus ſit Deus, quod me à meipſa liberarit.

Mox ergo vt occaſiones peccandi relinquere, & orationi magis me dare cæpi, Dominus etiam mihi ſuas incipiebat gratias dare, vt qui nihi aliud

aliud quærere videbatur, quam vt ego eas vellem ſuſcipere. Cæpit ergo Maieſtas eius valde frequenter mihi orationem quietis dare ac ſæpè etiam vnionis ; quæ ſatis diu durabat. Ego vero quoniam illa tempeſtate , multæ feminæ turpiter illuſionibus variis à diabolo deceptæ errant, & in fraudem pertractæ , timere cæpi, quod ea quam ſentiebam, voluptas & ſuauitas nimis quam magna eſſet;& ſæpè tanta, vt eam ipſa impedire non poſſem. Verum ex alia parte magnam intra memetipſam ſecuritatem ſentiebam,hæc non niſi à Deo venire (præſertim cum iam orationi incumbebam) & magnam inde in vita mea emendationem ſequi , meque in ſpiritu magis corroborari videbam. At ſi quando vel modica me diſtractio ſubinde abripiebat , rurſus metuere & cogitare incipiebam , an non fortè dæmon ſic intellectum meum ſuſpenderet, mihi perſuadendo id bonum eſſe , quo me ſic orationem mentalem faceret deſerere , & de paſſione dominica meditari, aut intellectu meo vti non poſſem : quod mihi vtpotè non intelligenti , maior longè iactura & damnum eſſe videbatur. Sed quia maieſtas eius iam mihi dare lumen volebat, ad ſcilicet ipſam non offendendam , & quantum ei deberem agnoſcendum, hinc ità in me timor hic creſcebat , vt is me viros quoſdam ſpirituales quibuſcum de hiſce rebus conferrem quam diligentiſſimè conquirere compelleret. Nam iam tum è nonnullis intellexeram , Patres Societatis Iesv huc nuperrimè veniſſe, erga quos ipſa , tametſi neminem eorum in particulari noſſem , mirificè affecta eram , ſolum quod eorum & viuendi & orandi modum intellexiſſem , ſed indignam me reputabam , quæ eos alloquerer , nec validam ſatis ad illis obediendum. Atque hoc magis me timere faciebat:nam graue mihi & durum erat, talis ego cum eſſem , illos alloqui, & cum ipſis conferre. In hac ergo contentione & conflictu ad tempus aliquod hæſi, quoaduſque ſine magna repugnatione quam in me ſenſi, & timoribus , mecum ipſa ſtatui , cum viro aliquo ſpirituali de rebus meis conferre, vt ex ipſo ſciſcitando ſcirem , quale orandi genus ipſa ſectarer & haberem;vtque is me, ſi qua in re errarem , edoceret , & facere quidquid poſſem ad Deum non offendendum. Nam fortitudinis & roboris defectus, quem in meipſa notabam , ita me,vti dixi, timidam reddebat. Quam grauis & intolerabilis,Deus bone, error erat, quod , vt bona eſſem à bono me ſubducebam ! Haud dubie diabolus hanc in rem in ipſo virtutis principio quam maximè debet incumbere , neque enim impetrare hoc à meipſa poteram; nouit ipſe namque omne animæ bonum ac ſalutem in eo conſiſtere, vt cum viris bonis & amicis Dei communicet ; itaque nullatenus ad hoc faciendum poteram animum inducere. Exſpectabam donec me prius emendaſſem , vti & alias feceram

S. M. oratione quietis & vnionis ſæpè ſentiebat.

Patres Societ. Ieſu alloqui volebat, ſed non audebat.

Salutare eſt animæ cum bonis viris conferre.

tum, cum orationem intermiſeram, & forſitan id nunquam feciſſem: iam enim tam profundè quædam malæ conſuetudines, tametſi exiguæ, mihi inſidebant, vt vix poſſem credere ipſas malas eſſe, adeò vt alios me iuuare, & manum mihi quo reſurgerem, porrigere neceſſe eſſet. Benedictus ſit DOMINVS, qui primus tandem mihi manum porrexit. Vt vero vidi, timorem hunc meum ita increſcere (quod indies creſceret oratio) videbatur mihi hic aut magnum aliquod bonum, aut maximum malum delitescere; iam tum enim intelligebam, id quod habebam, quid ſupernaturale eſſe: nam ſubinde ei, non poteram reſiſtere, vti nec in mea manu erat id cum vellem, habere. Hinc apud me cogitabam nullum omnino mei iuuandæ remedium eſſe, niſi conſcientiæ puritati ſtuderem, meque ab omnibus cuiuſcunque peccati occaſionibus, etiam venialis auocarem: poſito enim ſpiritum DEI eſſe euidens erat inde mihi non niſi bonum venturum; at ſi id à maligno veniret, me procurante DOMINO placere, eumque nequaquam offendere, non multum is mihi poterat nocere, imo potius id in eius detrimentum ceſſurum certum erat. Hoc itaque apud me conſtituto, DOMINVMQVE identidem obſecrans, vt mihi ope ſua præſto eſſet, atque hoc ad dies aliquot ſedulo obſeruans, comperi animam meam ſat virium non habere, vt ipſa ſola per ſe ad tantam perfectionem pertingeret, idque ob nimias quaſdam erga aliqua affectiones, quæ quamuis ex ſe valdè mala non eſſent, ſatis tamen erant, ad omnia impedienda. Audiui itaque de Sacerdote quodam perdocto hac in ciuitate commorante, cuius ſanctitatem ac honeſtam vitam Dominus iam populo patefacere incipiebat. Huius mihi notitiam & acceſſum vir quidam nobilis etiam huius ciuitatis conciliauit; vir hic quidem vxorem duxit, ſed vitæ eſt adeo honeſtæ, itaque orationi & operibus charitatis deditus, vt illius bonitas & perfectio omni in re eluceſcat, nec immerito, eius enim adminiculo & opera multæ ſunt animæ in ſalutis ſemitam reuocatæ, idque ob ſingularia quæ à Deo accepit talenta; quæ eum, quantumuis ratione ſtatus hoc facere impediatur, non operari non ſinunt. Nã præclaro & præſtanti eſt ingenio, & comis erga omnes; conuerſatio eius minime grauis & moleſta, ſed tam ſuauis, & omnibus grata (eo quod & recta ſit & ſancta) vt omnibus quibuſcum tractat, mirifice placeat, omnia vero ad maius animarum quibuſcum tractat, bonum dirigit, & omni ſuo ſtudio & opera aliud nihil ſpectare videtur, quam vt omnibus, quibus aliquo modo poteſt, placeat, & gratificetur. Hic ergo bonus & ſanctus vir induſtria ſua in cauſa & initium fuiſſe videtur, vt anima mea viam ſalutis iniret. Non poſſum humilitatem illius non ſummopere mirari, quod ipſe me adire & viſitare voluerit, cum tamen ipſe iam (quantum

Conſcientiæ puritati ſtudere ſuggeſſit S. M. & peccandi occaſiones relinquere.

Nobilis quidam vir ſanctæ vitæ.

(quantum quidem memini) quadraginta annis (an duo treſue minus ſint neſcio) orationis ſtudio incubuerit, & omnem vitæ perfectionem quam ſtatus eius permittere & pati videtur, ſemper ſectatus ſit. Vxorem namque habet, ita pietati addictam & caritatis ſtudioſam, vt hæc ei in perfectione ſectanda nullo ſit impedimento; talem inquam mulierem, vt eam Deus ei, quem tam ſingularem & indefeſſum ſeruum ſuum nouerat futurum in vxorem ſelegiſſe viſus ſit. Quidam de eius conſanguineis cum meis connubia contraxerant. Habebam præterea notitiam & nonnunquam tractabam cum alio quodam inſigni Dei famulo, qui vnam de cognatis meis in vxorem duxerat. Per hos itaque procuraui, vt is quem dixi Sacerdos, magnus inquam ille Dei ſeruus me accederet (nam erat hic ipſis per familiaris & notus) ſtatuens illum mihi & in Confeſſarium, & in ſpiritus negotijs directorem deligere. Vt ergo is venit, vt me alloqueretur, magno me rubore perfundi ſenſi, quod coram viro adeo Sancto apparerem; ac mox ei animæ meæ & orationis rationem reddidi; Porrò confeſſarius meus eſſe nolebat, quod ſe alijs negotiis plurimis diſtentum, ei vacare non poſſe diceret: & reuera occupatiſſimus erat. Hic ergo me ſancta aliqua & generoſa reſolutione conducere cæpit tanquam ſi fortiſſima fuiſſem (& ſane talis quidem eſſe debuiſſem, pro modo orationis quam me tenere videbat) vt ſcilicet nullatenus & nulla in re Deum offendere proponerem, vt ergo firmam & feſtinam eius reſolutionem etiam paruis in rebus vidi, ad quas tamen vt dixi tam perfectè vt volebat ſtatim ad implenda ſatis virium non habebam; non parũ contriſtari cæpi quod illum animæ meæ negotium, ita reſpicere viderem tamquam rem quam vnica vice ſemel conſequi & perficere poſſem, cum tamen longiore me curatione opus habere cernerem. Videbam itaque me per ea quæ ipſe mihi ſuggerebat media, nullatenus adiuuandam; quod animæ perfectiori magis illa quadrarent: ego enim etſi in Dei gratiis vtcunque prouecta eſſem, tamen valdè in ipſis virtutum & mortificationis principijs hærebam. Et ſanè ſi cum nullo alio quam cum hoc tractaſſem, numquam aliquem anima mea in virtutum ſtudio credo progreſſum feciſſet, quam enim in me ſenſi, afflictio, quod me nec facere nec poſſe facere (vt mihi quidem videbatur) viderem ea quæ mihi facienda præſcribebat, nimis quam ſatis erat, ad de progreſſu faciendo deſperandum, & quæ cæperam omnia abrumpenda. Subinde mecum ipſa miror cur, cum ſingulari vir hic ad animas ad Deum pertrahendas præditus eſſet gratia, Domino non placuerit, vt meam per noſſet, & illius curam in ſe ſuſciperet; at iam video, id omne ad maius animæ meæ bonum, factum & directum eſſe, vt ſcilicet ſic in notitiam venirem

Anima pedetèrim ducenda.

virorum

virorum ita ſanctorum, vti ſunt Religioſi Societatis Ieſu, & cum illis de rebus meis conferrem. Cum ex eo tempore virum illum nobilem rogaſſem vt aliquoties ad me viſitationis cauſa excurreret, id ipſe ſe facturum promiſit. Hic inſignis eius relucebat humilitas, quod cum perſona ita improba, qualis ego eram, volebat agere. Incepit ergo me ſubinde viſitare, meque animans dicere, nō debere me cogitare, me die vno ſimul omnia poſſe relinquere, ſed Deum id paulatim facturum: nam & ſe, in rebus quibuſdam valdè leuibus, ad annos aliquot hæſitaſſe, nec eas etiam omni conatu adhibito relinquere potuiſſe. O quantum boni pręſtas, humilitas, ijs in quibus habitas, nec non omnibus, ad eos qui te poſſident accurrentibus? Sanctus hic vir (hoc quippe nomine eum merito donare poſſe videor) quaſdam mihi de ſuis ſpiritualibus infirmitatibus narrabat, quæ quidem ei, quâ erat humilitate, tales eſſe videbantur (vt earum ſcilicet narratione, malo ipſe meo mederetur) ratione tamē ſtatus ipſius, nec defectus erant nec imperfectio; iuxta meum tamen ſtatum, grauiſſima fuiſſet, eas habere. Non ſine ratione autem hæc huc adfero; eſto minutijs referendis plus æquo videar inhærere; tanti quippè eæ momenti ſunt, quo anima aliqua in ſpiritu proficere incipiat, & volare diſcat, dū (vti dicitur) adhuc implumis eſt, vt nemo id crederet, niſi qui reipſa id eſt expertus. Et quoniam certa me cum Dei gratia ſpes tenet, fore vt R. V. alijs plurimis per hæc proſit, idcircò ea hic adferre viſum eſt; ſcilicet omne meum bonū ac ſalutem in eo ſita fuiſſe, quod is me iuuare ſciuerit, tum quod humilitatem ſimul & caritatem ad mecum manēdum, nec nō patientiam ad me tolerandam, quod imperfectiones adhuc penitus non reſcinderem habuerit. Procedebat hic paulatim cum diſcretione, modos mihi & media ad dœmonem expugnandum ſuggerens. Vnde ita eum diligere cœpi, vt nunquam maior mihi eſſet conſolatio, quam die illo quo is me viſitatum veniebat, ſed rarò admodum ad me excurrebat. Cum aliquanto diutius viſitationem differet, ſtatim non modicè affligebar, idcircò eum ad me non excurrere exiſtimans, quod nimis quam improba forē. Vt ergo meas imperfectiones ita graues (& forſitan erant peccata, nihilominus, ex quo cum eo agere cœpi, magna vitæ meæ ſecuta erat emendatio) nec non gratias, quas Dominus mihi conferebat, me referente, quò aliquam mihi ipſe hic lucem adferret intellexit; duo hæc ſimul conſiſtere & benè cōuenire poſſe negabat: has quippè gratias ijs ſolum dari, qui iam longius progreſſi eſſent, & paſſiones omnes ſubiectas haberent. Vnde non potuit non valdè mihi timere: in nonnullis enim rebus, diabolica id ei videbatur eſſe illuſio & impoſtura, ſe tamē non planè id aſſerere velle aiebat. Monebat porro vt, quidquid ad orationem meam ſpectare putabam ſedulo notarem, & ad ipſum dein referrem, ſed in eo difficultas omnis

Vno die omnes imperfectiones non ſimul tolluntur.

Gratia quas accipiebat non reſpondebāt vitæ.

omnis erat, quod quæ & qualis oratio mea eſſet, exponere non poſſem: nam non niſi nuper admodum hanc mihi Dominus gratiam præſtitit, quod intelligere & exponere poſſem, quale id ſit. Vt ergo hoc ipſe mihi dixit; ſimul accedente metu, quem à me ipſa habebam, maximopere intra meipſam anguſtiari cœpi, totaque in lachrymas reſolui: nam aliud ſanè non quærebam, quam Dei voluntatem implere, mihique perſuadere non poteram à dœmone hæc venire, ſubuerebar interim, ne fortè ob mea me peccata Deus excæcaſſet, vt hoc ipſa non intelligerem. Varios itaque inſpiciens libros, vt viderem num quem orandi modum habebam, in ijs expreſſum viderem; itaque eum alijs de eo ſciſcitantibus poſſem exponere; tandem in eo cui nomen eſt: *Aſcenſus in montem*, quantum ad vnionem animæ cum Deo ſpectat, omnia illa legi ſigna, quæ in me ipſa in illa vnione notabam, quod ſcilicet nihil penitus cogitarem, hoc quippè erat quod ſemper dicebam, nimirum me cum hunc orandi modum tenerem, nihil omninò cogitare poſſe, quamobrem, lineis quibuſdam ſubductis, loca illa in libro notaui, eique librum tradidi, vt & ipſe & alius ille quem dixi, Sacerdos pius, Deique famulus, ipſum inſpicerent, meque docerent, quid facto mihi opus eſſet, cum animo & propoſito, ſi ita ipſis videretur orationis ſtudium penitus intermittendi. Ad quid enim me in illa pericula conijcerem, cum viginti aut circiter annorum ſpatio, quibus hanc orationem vſurpaui, nullum aliud indè commodum retuliſſem quam illuſiones diabolicas? ſatius proinde eſſe, eam prorſus omittere, quamquam & hoc grauè mihi videbatur: iam tum quippè experta eram, quis animæ meæ, ſine orationis exercitio, eſſe ſoleret ſtatus. Adeo vt anguſtiæ mihi eſſent vndique, & quamcumque in partem me verterem, quietem non viderem: ſicut qui in rapidiſſimi fluminis medio conſtitutus, ad quamcumque eius partem accedit, ibi maius & euidentius periculum incurrere timet, & iam iam ab aquarum impetu abſorbēdus eſt. Eſt hæc ingens quædam crux & anguſtia, & id genus plurimas ipſa ſum paſſa, vti poſtea dicam: quod ſcire etſi parum referre videatur, forſitan vſu venire poterit ad ſciendum quomodo ſpiritus probari debeat.

Cum in oratione eſſet de Deo cogitare nō poterat.

Magna eſt diſcretione ſpiritus probandi ſunt, maximè in fœminis.

Et certè magna eſt anguſtia, quam homo ibi patitur; vnde ſumma hic opus eſt circumſpectione, præſertim in mulieribus: magna quippè noſtra eſt infirmitas, & ingens inde oriri malum poſſet, ſi apertè ipſis diceretur, hæc dœmone auctore in ipſis fieri: ſed res ipſa exactè inſpicienda eſt, & omne occurrens periculum ab ijs auertendum, ipſæque clàm alijs & ſecreto commonendæ, vt ſecreta ſua celent, quod & ipſi confeſſarij facere debent, ita quippè & expedit. Hoc dico & moneo, quia hac in re ſatis multa ſum paſſa, quod quidam, quibuſcum de oratione mea contuli, tacere non potuerunt: nam modò hunc, modò illum conſulendo,

adeo non mihi profuere, vt potius magnopere nocuerint. Hac enim ratione multa diuulgata sunt, quæ satius fuisset taceri & celari, cum hæc non sint omnium & quorumlibet; & ego illa euulgare videbar. Crediderim equidem Dominum id, nulla ipsorum eum culpa, permisisse, quo ego aliquid patiendi materiam haberem. Non dico, eos aperuisse aut reuelasse, ea quæ in confessione acceperant; sed quia erant, quibus ob timorem quem habebam, omnia mea aperiebam, quo facem mihi præferrent, & benè consulerent, par mihi esse videbatur, eos audita tacere debere: interim tamen nihil omnino eorum, quæ mihi occurrebant tales homines celare audebam. Moneo itaque vt circumspectè & magna cum discretione cum mulieribus procedant, semper illas animandos, & tempus exspectando, quoadusque eas DOMINVS iuuet, vti me iuuit: nam alioquin prout quidem meticulosa & subtimida eram, maximopere id mihi nocuisset, accedente præsertim illo ordinario meo animi deliquio: vnde & miror me non plus adhuc inde damni accepisse. Postquam ego librum illi tradidi, simul & vitæ meæ rationem, ac peccata mea in genere, quam poteram optimè, aperui (non quod confiterer; erat quippè sæcularis: satis tamen ei declaraui, quam essem improba) duo hi Dei famuli, magna cum caritate, & amore considerabant, & examinabant, quid mihi facto opus esset. Vt ergo secum statuerunt, quid mihi responderent (quod ego responsum magna cum anxietate exspectabam, cum per eos dies etiam plurimis, vt negotium meum per preces Deo commendarent, iniunxissem, & ego id à parte mea per frequentes orationes serio commendassem) magna cum angustia & animi mœrore, eorum alter ad me venit, & dæmonis esse illusionem, sibi ac socio post maturam deliberationem, videri dixit; quocirca sibi consultum videri, vt cum quodam è Societate Iesu hac super re conferrem, libenter se interfuturum, si quem è Patribus illius, ad necessitatem meam ei declarandam accerserem, illi totius vitæ meæ & status rationem in generali confessione redderem, idq; quam poteram apertissimè & sinceriſſimè: nam per Sacramenti confessionis virtutem sperare se, fore, vt Deus plus ei lucis daret; illos quippè Patres in rebus spiritus esse versatissimos. Monebat præterea, vt omnibus quæ is mihi suggereret, aut cõsuleret, ei quam exactissimè morem gererem; quod nisi haberem qui me dirigeret, in præsentissimo lapsus versarer periculo.

Fœmina discretè tractanda.

Tantum porro inde concepi timorem & angorem, vt quid facturа essem, planè nescirem: vnde vbertim flere cœpi; cumque in oratorio meo admodum afflicta sederem, incerta, quid mihi futurum esset, libro quodam (quem mihi Dominus haud dubiè in manus tradidisse videtur) sumpto, in eo legi, Apostolum Paulum scribere: Deum fidelem esse

eſſe quam maximè, ita vt eos, qui ipſum ſeriò & ſincerè amant, nunquam à diabolo decipi ſinant & illudi. Hoc autem maximæ mihi conſolationi fuit. Itaque de generali confeſſione inſtituenda cogitare cæpi, & omnia mea mala & bona, nec non vniuerſam vitæ meæ ſeriem, quam noſſe & intelligere poteram clariſſimè, nihil vt illius omitterem, ſcripto committere. Memini autem, me poſtquam quæ ſcripſeram relegi, tot ſcilicet mala, & nullum propè bonum, ſummo mærore & afflictione, oppreſſam fuiſſe. Valdè quoque me torſit, quod me domeſticæ cum hominibus tam ſanctis, quales Societatis IESV Patres erant, agentem viſuræ eſſent: verebar quippè meam improbitatem; & videbatur mihi, quod ſic magis obligata manerem ad eandem deponendam, & omnibus recreationibus meis valedicendum, & niſi hoc facerem, inde maiora ſequi mala poſſent. Vnde æduituam & ianitricem rogaui, nemini id ſignificarent, ſed parum hoc mihi profuit; nam fortè fortuna factum eſt, vt cum ad Patres alloquendos euocarer, ad ianuam eſſet, quæ per totum Monaſterium mox id diuulgauit. Ah, quot dæmon remoras, impedimenta, & timendi occaſiones oggerit ad Deum venire cupientibus! Itaque cum magno hoc ſeruo Dei (nam talis reuera erat, & magnæ vir prudentiæ) tractaui, vniuerſumque vitæ meæ ſtatum, & animæ interiora ei patefeci; ipſe autem, vtpotè hiſce in rebus verſatiſſimus, liquido mihi declarauit, quidnam à parte rei eſſet, neque ad vlterius pergendum animauit, dicens, ſpiritum Dei euidenter hic operari; ſed neceſſe me eſſe ad orationis ſtudium denuò reuerti, quod bene fundata non eſſem, & necdum intelligere incepiſſem, quid eſſet mortificatio (& ita erat; nam ne nomen quidem eius mihi videbar intelligere) ac proinde orationem nullatenus intermitterem, ſed animum ſumerem, cum tam ſingulares mihi Deus gratias faceret: quis enim inquiebat nouit, an multas opera tua animas DEVS iuuari velit? Et alia id genus addebat plurima; ita vt velut Propheta mihi prædixerit ea, quæ DOMINVS poſtea mecum egit. Adhæc magnæ me culpæ ream fore, ſi acceptis à Deo gratijs haud reſponderem. Viſus eſt itaque mihi ipſe Spiritus ſanctus per omnia per eum loqui, ad animam meam curandam: ita quidem is ſe cordi meo inſinuabat & imprimebat. Magno hic igitur me rubore ſuffudit, & per eam viam conduxit, vt me in alium planè hominem commutare videretur. Quam magnum porrò bonum eſt, animam pernoſſe & intelligere? Monebat is me, vt quotidie aliquod dominicæ paſſionis myſterium meditando percurrerem, & per hoc me ipſa iuuarem; ac non niſi de humanitate Chriſti cogitarem, illis autem recollectionibus internis ac guſtibus, quoad eius fieri poterat, reſiſterem, nullumque penitus ijs locum

Vexat illum quod cum viris ſanctis agere videretur.

Certa redditur orationem ſuam à Deo venire.

Quomodo iuſſus ſit orationem inſtituere.

darem, quoadusque ipse aliud moneret. Is ergo plane me consolatam, & ad maiora animatam reliquit, itaque Dominus cum me, tum illum mirè iuuit, vt & conditionem meam ac statum, & quomodo me dirigeret, intelligeret, firmiter autem apud memetipsa statui, ab omnibus quæ mihi iniunxerat, ne latum quidem vnguem, vel in minimo recedere: atque ita ad hoc vsque tempus, ipsum obseruaui. Benedictus sit Dominus, qui mihi Confessarijs meis obediendi, tametsi satis imperfectè, gratiam dedit. Et hi penè semper fuere è benedictis illis Patribus Societatis Iesu; esto eis, sicuti iam dixi, imperfectè admodum obsecuta & secuta sim. Quare factum est, vt notabiliter melior animæ meæ status redditus sit, vti iam referam.

CAPVT XXIV.

EANDEM MATERIAM PROSEQVITVR, ET NARRAT QVOmodo ex quo obedire cæpit, anima eius profecerit; quamque ipsi parum prodesset, gratijs Dei obluctari & quomodo has ei Maiestas ipsius etiam abundantius & magis daret.

POst generalem illam confessionem, anima mea ita serenata & tranquillata mansit, vt nihil mihi obijci & proponi posse visum sit, ad quod aggrediendum me numquam libentissimè disposuissem: vnde multis in rebus me ipsa mutare cæpi, & fui alia, quamuis me Confessarius non vrgeret, imò verò ipse omnia illa etiam parui facere videbatur. Et hoc maximè me mouebat: eò quod iuxta normam & regulam caritatis Dei me ducebat, & vt qui ad libertatem, non autem ad præmium, vocaret, nisi hoc ipsa mihi per amorem promererem. Bimestri penè toto, ita me gessi, omni-modis allaborans, vt diuinis consolationibus & gratijs resisterem, quoad exteriora vero, notabilis in me apparebat mutatio: nam incipiebat mihi iam Dominus robur & animos dare ad quædam superanda, quæ ijs, qui me nouerant, atque etiam domesticis, extrema esse videbantur. Et, vt verum fatear, prout quidem erat quod ante faciebam, bene iudicabant, extrema esse; sed secundum id, ad quod ratione habitus & professionis meæ tenebar, minus æquo præstabam. Per hanc gustuum & suauitatum interiorum reluctantiam, hoc saltem assequebar, quod à Domino instruerer. Ante namque mira mihi, ad id genus gustus in oratione sentiendos, opus esse videbatur solitudine & abstractione, ita vt me vix mouere auderem; sed postea aduerti, quam parum hoc ad rem faceret, nam quo plus me satagebam distrahere & in alia diuertere; eo me illa suauitate Dominus, & gloria abundantius perluebat; adeò vt ab illa circumcingi & obrui, & nullo eâ modo effugere posse, viderer.

viderer. Et reuera ita erat: tametsi à parte mea in tantum in cõtrarium obniterer; vt mihi etiam id pænosum esset. Dominus è contra hoc bimestri, in gratijs mihi submini strandis, & sese patefaciẽdo, magis effundere visus est, quam antea, vt hac ratione melius intelligerem, non amplius in potestate mea esse illis resistere. Cæpi ergo nouo quodam erga sacratissimam Christi humanitatem affectu affici, & oratio mea magis stabiliri, perinde ac domus aut fabrica, cuius iam fundamentum positum est: nec non maiori erga austeritatem & afflictionem corporis, quam ob morborum meorum grauitatem hactenus neglexeram, studio ferri. Aiebat Sanctus ille vir, qui confessionem meam excipiebat, quædam mihi nullum prorsus detrimentum allatura, ac Deum ideo fortasse, tantas mihi infirmitates ac morbos immittere, quod austerius corpus meum non tractarem, ac proinde Maiestatem eius, me in eo deficiẽte, illud castigare & affligere velle. Quasdam ergo me mortificationes iubebat subire, qui mihi parum gratæ & molestæ erant nihilominus eas omnes exactissimè implebam, quod & mihi à Domino iniunctas, & ei ab illo ad illas mihi præscribendas, gratiam dari existimarem, vt hac ratione ei obsequens forem.

Erga Christi humanitatem affici denuo incipit.

Per mortificationes exercetur, quæ parum ei sapiebant.

Iam ergo anima & conscientia mea, angi scrupulis incipiebat, si quod quantumlibet exiguum, aduersus Deum peccatum admitterem; adeo vt, si quid superflui haberem, non prius me in oratione recolligere & attentionem habere possem, quam ipsum à me abdicassem. Sæpius quoque tunc ad hoc orationem meam direxi, vt in sua me Dominus protectione habere dignaretur, nec me, quandoquidem cum seruis eius communicabam, retroflectere sineret; hoc enim mihi magnum & intolerabile crimen fore, & illos insignem, mea occasione, boni, quod apud omnes habebant, nominis iacturam facturos arbitrabar. Hoc ipso tempore, ad hoc oppidum appulit P. Franciscus, qui, Gandiæ Dux cum fuisset, ab hinc annis aliquod, omnibus, quæ possidebat relictis, Societatis Iesv se dedicarat. Operam dedit Confessarius ille meus, vt hic me semel alloqueretur (& vir ille nobilis quem dixi, hac etiam de causa ad me venit) vt orationis quem habebam modum illi declararem: sciebat enim multas illum à Deo gratias, & singulares fauores accepisse, vt qui, quoniam multa propter eum reliquerat, iam tum in hac vita, aliqualem ab eo propterea compensationem accipiebat. Is ergo postquam me loquentem audiuit, Dei spiritum hunc esse, dicere non dubitauit, sibique nefas videri, iam diutius & magis ei obluctari, quamuis in ei hactenus resistendo non peccassem, nec malè egissem. Suadebat autem, vt orationem meam semper ab aliquo passionis mysterio inchoarem, ac, si deinde Dominus mentem meam suspenderet aut raperet, ei neutiquam resisterem, sed Maiestatem eius illam sustollere sinerem, sic vt ipsa raptum minimè

P. Franciscus Borgia ei dixit Spiritum Dei in ipsa operari

procurarem. Hic itaque ſalutare mihi conſilium & remedium ſuggeſſit, vtpotè qui hac in re verſatiſſimus erat. Multum quippè hic facit experientia. Addebat præterea, grauiſſimè me delicturam, ſi poſt hac amplius ſpiritui Dei refragari cuperem. Vnde magnam in animo meo hinc conſolationem ſenſi, vti & vir ille nobilis; qui etiam magnopere lætabatur, audito Spiritum Dei hic operari, mihique ſemper qua poterat (poterat autem plurimum) tum verbis tum re ſubſidio fuit.

Hoc autem tempore, iuſſus eſt Confeſſarius meus ex hac ciuitate in aliam commigrare; quod ſanè, pro eo ac debuit, mihi permoleſtum accidit, & graue fuit: verebar enim, ne rurſus retroſpicerem, & ad prauas meas conſuetudines redirem, mihique impoſſibile videbatur huic parem inuenire. Vnde anima velut in deſerta quadam ſolitudine ſola relicta, valdè anxia & timida manſit; vt quid mihi facerem, planè ignorarem. Quocirca quædam de cognatis meis tantum fecit, vt me domum ſuam abduxerit, vbi ego me quamprimum ad Patres Societatis contuli, vt aliū mihi ex illis Confeſſarium deligerem. Placuit autem hic Domino, vt neceſſitudinem & familiaritatem, cum vidua quadam nobili ſanctæque vitæ, quæ cum Patribus illis ſæpè tractabat, contrahere inciperem. Hæc ſuo me Confeſſario fecit confiteri, & ad dies aliquot illius in ædibus egi. Pergrata mihi erat, quod non procul ab eorum Collegio habitaret, quo maior eſſet cum ipſis identidem agendi occaſio: magnum ſiquidem animæ meæ etiam è nuda ſanctitatis, quam in omni conuerſatione ſua præferebant, fama & commemoratione, commodum accedebat. Hic porro pater ad maiorem cœpit me promouere perfectionem: aiebat enim, nihil omnino me prætermittere debere, quo Deo penitus & per omnia placerem; quam etiam in rem magna ſatis induſtria & ſuauitate vtebatur vix enim anima mea vtcunque fortis erat & valens, ſed admodum tenella, præſertim ad particulares quoſdam, erga nonnullas perſonas affectus exuendos, nam etſi per illos Deum minimè offenderem, magnus tamen meus erga eas erat affectus; vnde inſignis mihi futuræ ingratitudinis nota videbatur, eaſdem amicitias reſcindere. quare ab eo petebam, cur, cum Deum per eas nō offenderem, ingrata eſſe vellem? Suaſit ergo mihi vt ad aliquot dies negotium hoc Deo commendarem, hymnumque: *Veni creator ſpiritus &c.* recitarem, vt is mentem meam illuminare dignaretur, quo quid factu optimum eſſet, poſſem perſpicere. Cum ergo die quadam frequentius, & ardentius orationi inſtitiſſem, Dominumque, vt me, in illi penitus placendo adiuuaret, rogaſſem, hymnum prædictum recitare cœpi; in quo cum aliquouſque progreſſa eſſem, tam ſubitus me raptus occupauit, vt propè tota extra me ipſa eſſem: ita vt de eo nullatenus dubitare poſſem;

Ingratā ſe foreputabat, ſi amicitias quorundā relinqueret.

poſſem ; nam nimis quam manifeſta res erat. Hic primis fuit raptus, quem Dominus mihi dedit, in quo apertè verba hæc ex eo audiui : *Nolo poſt hac cum hominibus conuerſeris, ſed cum Angelis.* Maximopere hoc me conſternauit: magna quippè animæ meæ erat turbatio & commotio , & verba hæc mihi valdè profundè in ſpiritu dicebantur. Vnde magnus me timor inceſſit, ſed ex alia parte mirabili ſum conſolatione perfuſa: quæ, poſtquã timor (vt potè quam, vt quidem cenſeo, ipſa rei nouitas cauſabat) iam abijſſet, acceſſit & intra me manſit. Quod autem ad me tunc ore dictum eſt, exinde re ipſa completum eſt: ex eo enim tempore nunquam amplius firmam cum quopiam neceſſitudinem contrahere, cõſolationem ex eo capere, aut amore proſequi aliquem in particulari potui, niſi eos quos Deũ amare, ac ſeriò velle ei ſeruire, noui. nec in manu aut poteſtate mea fuit, ſecus agere; nec plus moueor, ſint conſanguinei, aut amici , nec ne; niſi hoc quod dixi iam, de eo intelligam; aut niſi ſit aliquis, qui ſe in oratione exercet: alioquin grauiſſimum mihi eſt, cum alio quopiam agere. Verè hoc ita eſt, vt mihi quidem videtur, & nullum de eo dubium eſt. Ab eo tempore ita ad omnia ex amore Dei, vt cui ancillam ſuam vnico momento (neque enim diutius id mihi viſum & duraſſe) in alium hominem cõmutare placuit, relinquenda animata manſi, vt neceſſe non fuerit mihi id amplius ſpeciali aliquo præcepto iniungere. Quod enim Confeſſarius ita me his implicatam videret & affixam, hinc non fuit auſus, hoc mihi apertè, & expreſsè iniungere. Exſpectare ſcilicet debebat, vt Dominus ipſe in me operaretur, vti & operatus eſt, nec ipſa putaram fore, vt hoc à me impetrarem; nam iam aliquoties hoc conata fueram; ſed ita id mihi graue & permoleſtum fuit, vt id quam primum, tanquam rem, in qua non multum momenti ſitum eſſet omitterem & penitus abijcerem, hoc vero robur mihi, & plenam illius quod volebam opere exequendi libertatem, Dominus dedit, quare hoc Confeſſario meo aperui, & prout quidem is mihi iniunxerat, omnia quantociùs reliqui. Vnde qui mecum continuò agebant, hanc in me reſolutionem & generoſitatem videntes, nõ parum inde fructus retulerunt. Benedictus ſit Deus in æternum, qui vnico in momento illam mihi libertatem dedit, quam omni diligentia & conatu meo, etiam per tot annos adhibito, per me ipſa conſequi non potui ; tametſi tantam mihi ſubindè violentiam inferrem, vt ſanitati id meæ non parum nocuerit: ſed quia opus fuit eius qui potens eſt, & verus abſolutuſque omnium Dominus, hinc nullam iam in eo pœnam aut moleſtiam ſenſi.

Vno momẽto dedit ei Deus omnia poſſe relinquere.

Caput

CAPVT XXV.

EXPONIT QVOMODO DEI AD ANIMAM LOCVTIO, QVAE sine ſtrepitu & tacitè fit, intelligenda ſit; ac quænam in ea latere poſſint illuſiones; & vnde nam cognoſci poterit, quando illa vera erit. Eſt hic tractatus vtilis futurus iis qui ad hunc orationis gradum peruenerint, nam ſatis apertè id demonſtrat, multaque egregia documenta continet.

NON abs re futurum mihi videtur declarare, quo Deus animam modo alloquatur, & quid ipſa hac in locutione ſentiat; quo hanc R. V. materiam benè intelligat. Nam ab eo tempore, quo hanc mihi gratiam Dominum feciſſe dixi, valde, vſq; in præſentem diem, mihi illa frequens eſt & ordinaria, quemadmodum ex illis, quæ adhuc commemorabo, patebit. Sunt ergo hæc, verba quædam expreſſa, & benè formata, at corporalibus auribus non percipiuntur, eſto clarius intelligantur & percipiantur, quam ſi auribus exciperentur; vnde ſi quis audiens, ea audire recuſat, & nolit, inanem operam ſumit, & fruſtra eſt, quantũuis obluctetur. Cum enim hominem aliquem in terris loquentem audire nolumus, aures obturare, aut aliò mentem diuertere, aut reflectere poſſumus, ita vt, etſi audiamus ſonum verborum, ſenſum tamen eorum non intelligamus: at in hac Dei ad animam ſermocinatione, nihil eſt quod impedit, quò minus intelligatur: nam, eſto quis nolit ac repugnet, ei tamen auſcultare, & intellectum ita excitatum & vegetum, ad ea quæ Deus nos audire vult, habere debet, vt velle ac nolle hic locum non habeant. Nam qui poteſt omnia, vult nos intelligere, & ſcire ea quæ fieri vult, fieri prorſus oportere; atque in hoc ſe abſolutum verumque noſtri ipſorum Dominum eſſe declarat. Hoc ego ſæpius experta ſum; nam biennio propè toto, omni qua potui contentione reſtiti, quod perpetuo in timore & anxietate verſarer: quin etiam modò ſubinde id facere tento, ſed oleum & omnem operam perdo.

Interna locutio triplici modo fieri poteſt

Vellem equidem illuſiones & fraudes diabolicas, quæ hac in re eſſe poſſunt declarare (etſi vt mihi quidē videtur, pro eo qui magnam huius rei experientiam habet, non ſit quod timeat, niſi fortaſſis valdè parum; ſed, vt dico, magna hæc experientia ſit, oportet) nec non quomodo diiudicari debeat, vtrum à bono ſpiritu ſermocinatio hæc fiat, an à maligno; item, quando non niſi mera intellectus ipſius ſit apprehenſio (id enim cõtingere poſſet) aut quando ſeipſum ſpiritus alloquatur, hoc autem an fieri poſſit, equidem neſcio, ſed adhuc hodie mihi viſum eſt, fieri id poſſe. Quando autem fiat hæc locutio à Deo multis è caſibus & rebus euidẽter cognou-

cognoui & didici, quæ biennio triennioue antè mihi præsignificabantur, quæ omnes adimpletę sunt, & hactenus nulla mè fefellit: nec non ex alijs rebus, è quibus clarè colligitur spiritum Dei esse, vti postea ostẽdetur. fieri quidem interdum mihi posse videtur, vt aliquis quid magno cum affectu & apprehensione Deo commendans, se aliquo modo intelligere putet, an fieri id posset, an secus; & est hoc valdè possibile: sed qui per primũ internæ locutionis modũ id cognouit, liquidò perspiciet quid sit; cũ magna inter vtrumq; sit differentia: & si res sit, quã intellectus ipse fabricat, & disponit; quantumlibet id subtiliter fiat, facilè est intelligere eam solũ ab eo inueniri & dici. Tantum quippè discrimen est, quantũ est, dũ homo ipse sermonẽ aliquem concipit, ac dum tantum auscultat sermoni ac verbis ab alio prolatis. Porro videbit intellectus, se tum quidem non auscultare, quando quidẽ ipsemet operatur; verba quoque quæ ab eo formãtur, sunt velut surdum quid, & in phantasia sola efformatũ, nec eam claritatem habent, quam habent alia. Et perinde hic in nostra potestate est nos à sermone diuertere, vti est dum loquimur, subito tacere; sed in priori locutione prorsus id fieri nequit. Omnium autem apertissimum signũ, est, quod intellectus locutio nullam prorsus operationem faciat; sed sermo Domini, simul est dicere & operari: & quamuis eius verba non sint verba deuotionis, sed reprehensionis & increpationis; tamen in primo instanti animam disponunt, habilitant, ad teneritudinem excitant, illuminant, delectant, quietant; &, si qua eam ariditas, afflictio, aut inquietudo diuexabat, illa velut manu, aut etiam adhuc melius quotocyus detergitur, & auferturadeo vt Dominus velle videatur, vt anima intelligat, ipsum potentem esse, & verba ipsius, efficacia opera esse. Tantũ porro mihi inter vtrumque esse videtur discrimen, quantum est inter loqui, & audire: cum enim loquor, intellectu (vti dixi) ordino & dispono ea quæ dico; sed, cum alij me alloquuntur, nihil aliud ago, quam audire, idque nullo meo cum labore. Primum illud an sit, aut quid sit, vix scire possumus, perinde ac dum quis semisopitus est: sed hoc, tam clara vox est, vt ne vna quidem syllaba pereat eorum quæ dicuntur: imo & fieri potest, vt hæc locutio tum alicui eueniat, cum & intellectus & anima ita perturbata & distracta sunt, vt ne vnam quidem bonam sententiam & argumentum formare possent; magnas autem sententias, quæ ipsis dicuntur, hic velut coctas & præparatas inueniunt, quas ne quidem in summa quiete, & recollectione, excogitare anima potuisset; cum tamen ad primum verbum, quod hic audit, vti dixi, penitus immutetur, præsertim cum in raptu est; tunc enim potentiæ suspensæ sunt: quomodo enim tunc intelligantur ea, quæ ante nunquam memoriæ occurrerant? & quomodo occurrant tunc, cũ ipsa quasi nõ operatur, & imaginatio velut obtusa & stupida

Interna Dei locutio certò contingit.

Qua signa sint, cũ interna locutio est ab intellectu.

Effectus locutionis Dei.

Alia differentia inter locutionẽ Dei & intellectus.

ſtupida eſt? Sciendum autẽ, vt mihi quidem videtur, animam, cum aut viſiones videt, aut huiuſmodi verba audit, eo præcisè tempore illa non audire, vel videre, quæ iam in raptu vnita eſt: tunc enim (vt ſupra oſtendi, cũ ſcilicet, quantum memini, de ſecunda aqua agerem) potentiæ omnes penitus perduntur, & anima, vti eo loco monui, nihil omnino vel videre, vel intelligere, vel audire poteſt. Tunc quippè tota eſt in manu & poteſtate alterius, nullamq; ei Dominus toto illo tempore (quod ſanè breuiſſimũ eſt) ad quid agendum libertatem videtur relinquere. Sed cũ hoc temporis punctum iã præterijt, & anima nihilominus in raptu adhuc manet, tunc fit id quod dico: potentiæ quippe tunc tali in ſtatu manent, vt eſto penitus non perdãtur, tamen nihil fere operẽtur, ſed velut abſorptæ ſint, & ad aliquem diſcurſum, aut argumentum formãdum, ineptæ prorſus. Tot porro ſunt ad hanc diſtinctionem intelligẽdam modi, vt, etſi ſemel quẽ decipi contingat, ſæpius tamen decipi nequeat. Quinimo audeo dicere, ſi anima in his verſata, exercitata, ac circumſpecta ſit, haud difficulter ipſam id perſpecturam. Nã, vt alia taceã plurima, è quibus id quod dixi, colligi queat, prorſus nullũ, cũ id ab ipſa prouenit, effectũ operatur, neq; enim id admittit, vti admittit aliud illud, quod etiã inuita admittere debet; nec ei auſcultat, ſed quoddã intellectus deliciũ eſſe ad oculũ videt; perinde ac non magni facimus eũ, quem phreneſi nouimus laborare. Et alterum illud perinde eſt, ac ſi virum aliquem ſanctiſſimum, doctiſſimũ, maximæque auctoritatis, quem ſcimus nobis non mentiturũ, loquentem audiremus. Et hæc comparatio mihi adhuc nimis vilis & humilis eſſe videtur: nam verba hæc quandam ſubinde maieſtatem includunt; etenim, ſi reprehenſiua ſint, hominem faciunt contremiſcere, non aduertendo quis ea proferat; ſi autem amoris, in amando liqueſcere, & annihilari. Suntquè hæc huiuſmodi, quæ (vti iam dixi) antè nimis quam procul à memoria remota erant; & tam cito breuiq; tempore, tam prægnantes ibi ſententiæ dicuntur, vt multo ad eas ordine digerendas opus foret tempore: actum nullatenus videmur poſſe ignorare, non eſſe hoc quid ab ingenio noſtro prouiſum & excogitatũ. Adeò vt me neceſſe non ſit diutius his exponendis immorari: nam prodigio ſimile eſſet, credo, hominem in his verſatum & exercitum, hic decipi & illudi, ſi i pſemet dedita operâ & ſtudio, ſe non velit decipere. Sæpenumerò contigit, vt ego ſubdubitans, non crederem id quod mihi dicebatur, & me ſomniare, aut faſcino quodam detineri putarem (ſcilicet poſtquam id iam præterijt; cum enim adhuc durat, id impoſſibile eſt) longo tamen poſt tempore ipſum adimpleri viderim: facit enim Dominus, vt ita id memoriæ inſculptum maneat, vt ex ea eradi penitus nequeat: quod autem ab intellectu prouenit, eſt velut primus cogitationis motus, qui diſperit, & cuius memoria illicò

Verba Dei non auditur tũc, cũ anima in ipſo raptu eſt.

Cũ res dicta à Deo venit, tam profundè impreſſa memoria manet, vt eius homo obliuiſci nequeat.

ilicò pertrãsit. Verum primum illud, est velut opus & operatio; nam, esto huius aliquid memoriâ excidat, & tempora multa effluant, nunquã tamẽ ita eius homo obliuiscitur, vt non semper meminerit, id sibi aliquãdo dictũ esse; exceptò, cũ valdè longũ tẽpus intercurrit, aut fauoris, vel doctrinæ verba sunt. Verborũ porro prophetias aut prædictiones continẽtium nullatenus mihi homo videtur posse obliuiscì: ego saltẽ, quãquã angustæ sim memoriæ, eorũ obliuiscì nequeo. Et rursus dico, impossibile mihi videri, vt anima, nisi ita foret maligna, vt id vellet fingere, itaq; mẽtiri (quod sanè intolerabile malum foret) aut id se intelligere diceret, cũ tamen non intelligat; non ad oculum videret, ipsam per se verba ordinare, atq; intra se loqui: hoc inquam non videtur fieri posse, si spiritum Dei loquentem audierit; nam alioquin tota vita sua in hac illusione manere posset, sibiq; persuadere id se intelligere: & ne hoc quidem scio quomodo fieri possit. Vel enim anima id vult intelligere, vel non vult: si non vult intelligere, & ijs quæ alioquin posset intelligere obluctatur, idque ne mille timendi occasiones habeat, & alias plurimas ob causas quæ locum hic habent (vti sunt, quod in oratione quieta esse velit, sine hisce rebus) quomodo intellectui tantum temporis supererit, vt rationes & discursus formet? ad hoc quippè opus est tempore. Hic verò sine vlla prorsus temporis iactura docemur, & intelligimus ea, ad quæ ordinanda ac digerenda mensis integer necessarius videbatur. Vnde & ipse intellectus & anima consternata hærent & percussa, præ admiratione quorundam quæ audiunt. Verè hæc ita se habent, & qui aliquam horum habebit experientiam, videbit omnia quæ dixi sic planè se habere. Benedico autẽ & laudo Deum, quod hoc ita exponendi gratiã mihi dederit. Finem igitur, facio; si addidero videri mihi, cum id ab intellectu prouenit, nos id cum volumus, haud difficulter intellecturos, &, quotiescunq; orationi insistimus, visurum nobis quod aliquid intelligamus. Sed in prima illa locutione ita non contingit: nam sæpè ad multos dies ero, vt, tametsi velim, prorsus mihi impossibile sit quidquam intelligere, & alias, etiam nolens, non possum illud, vt dixi, non intelligere. Videtur mihi, si quis homines decipere vellet, dicendo se velut à Deo intelligere, id quod à se ipso prouenit, eum eadem ratione etiam dicere posse, id se corporeis auribus audire. Et, vt verum fatear, nunquam putaui, alium audiendi aut intelligendi modum esse, quã cõmunẽ hunc, quoaduscq; id ipsa in me aduerti: atq; ita id mihi, sicuti dixi, magno labore & impendio cõstitit. Sed cũ hæc locutio à Dæmone prouenit, tũc nõ solũ, nõ bonos post se effectus relinquit, verũ etiã malos. Hoc mihi non nisi bis aut ter contigit; & statim me tunc Dñs admonuit, dœmonẽ esse, vt taceã notabilẽ illã ariditatẽ, quæ inde sequitur.

Signa quando locutio à diabolo est.

Est hæc ingens animæ inquietudo, qualem & alias sæpè experta

ſum, cum me Dominus magnis tentationibus, & diuerſis animæ anxietatibus exagitari permiſit. Et licet hoc me ſæpius affligat, vti narrabo; hæc tamen inquietudo eiuſmodi eſt, vt vnde ea veniat, ſciri nequeat, niſi quod anima illi reſiſtere, eaque turbari & affligi videatur, neſciat tamen quid ipſam affligat: nam quod dicit, non malum eſt, ſed bonum. Ipſa mihi perſuadeo, ſiquidem vnus ſpiritus alium ſentiat, guſtum & dulcedinem, quam cacodæmon dat, longè differentem eſſe ab ea, quam dat Deus. Poſſet ille his guſtibus decipere eum, qui alios illos Dei guſtus nondum habet, nec habuit. Guſtus inquam veros, ſuauem ſcilicet, validam, profundè inhærentem, delectabilem, & quietam recreationem: etenim paruas quaſdam animæ deuotiunculas, & alios paruos motus (quia ad primum perſecutionis flatum floſculi hi decidunt, & depereunt) deuotionum nomine non appello, eſto bona ſint principia, & ſancti quidam ſenſus & motus, ſed non tales, vt per eos boni ſpiritus aut mali effectus diſtinguantur. Quocirca magna ſemper & vbique cautelà & circumſpectione opus eſt; nam qui non niſi huc vſque, & non vlterius, in via orationis proceſſerunt, facilè decipi poſſent, ſi quas viſiones vel reuelationes haberent. Equidem non antè viſionem aut reuelationem aliquam habui, quam mihi Dominus ex ſola bonitate ſua, orationem vnionis dediſſet; niſi fortè prima vice quam dixi, iam antè multos annos, cum Chriſtum vidi. Et vtinam tunc ſciuiſſem, veram id viſionem fuiſſe, vti quidam poſtea id intellexi: etenim non parum id mihi profuiſſet. Nulla inde in anima manet ſuauitas, aut teneritudo; ſed ipſa manet velut conſternata, & nauſeabunda & tœdioſa. Certa ſum, illam animam à diabolo non decipiendam, nec etiam Deum permiſſurum, vt decipiatur, quæ nulla in re ſibi fidit, & ita firmiter in fide ſtabilita eſt, vt ſe pro vno eiuſdem articulo millies mortem ſubire paratam ſentiat, quæque cum magno hoc ſuo erga fidē affectu & zelo, quem Deus ſtatim infundit (qui aliud non eſt, quā fides quædam viua & fortis) ſemper ſe conformare ſatagit & procurat ijs, quæ Eccleſia credenda proponit, modo hunc, modo illū interrogās, vt quæ in hiſce fidei veritatibus iam tam firmiter ſtabilita eſt, vt omnes, quæ excogitari poſſent, reuelationes, imo ne quidem ſi cœlos apertos videret, vel minimum eam ab ijs quæ Eccleſia credit, dimouere non poſſent: ſi ſe ob cogitationem aliquam, ſuborientem interdum circa hoc vacillare ſentit, vel propterea apud ſe dicere. Cum Deus hoc mihi dicat, tam id verum eſſe poteſt, quam quod ſanctis dicebat; non dico ipſam id credere, ſed, diabolum tantum per primum motum incipere ipſam tentare (patet enim ad oculum, valdè eſſe malum, diu in illa cogitatione hærere; imo ſæpè ne quidem primos illos motus ſenſuram opinor illam animam, quæ in fide tam fortis eſt,

Qui nō habuit guſtus diuinos facilè per guſtus falſos decipitur.

Guſtus diabolici ſignum.

Viſiones & reuelationes fidei cōtraria cuiuis non ſunt.

fortis est, atq; est illa, cui Dominus prædictas gratias confert; vt quæ se ita validam credit, vt diabolus omnes ob vel minimam eorum, quæ Ecclesia credit, veritatem pessundare & conficere se posse existimet) dico, si magnum hoc robur in se non sentiat, & eam quam habet deuotionem ac visionem huc se non conducere videat, hanc illam vt suspectam tenere posse: nam esto damnum statim non percipiatur, paulatim tamen ipsum posset increscere, & sensim grauius fieri. Nam, quantum ego quidē colligo, & per experientiam noui, tunc demum id homo credit à Deo esse, dum id cum sacra scriptura coincidere, & conforme esse animaduertit, cum enim vel minimum ab ea deflectit, multo sine vlla cōparatione firmius mihi videor creditura id à cacodæmone venire, quam modo credā, à Deo id venire, quantūcūq; firmiter etiā id credam, tunc quippè necesse non est, varia signa inquirere, è quibus colligatur ecquis sit spiritus: cū hoc signum, quo colligatur, hoc à Diabolo prouenire, ita sit euidēs, vt licet tunc omnes mūdi totius homines mihi assererēt, Deū hic agere, id minimè crederē. Summa, cū dæmon hic se intermiscet, ilico omnia bona abscōdi, & ab anima fugere videtur. Ita scilicet illa inquieta, turbata, tædiosa manet, & nullū omnino bonū effectū operatur. Nam etsi aliqua bona desideria dare videatur, illa tamē nō sunt solida & firma; & humilitas, quā post se, vt sui effectū, relinquit, falsa est, inquieta & omnis suauitatis erpers. Qui autē aliquā boni spiritus experientiam habebit, facile hoc, quod dico, intelliget. Nihilominus varias diabolus ipse technas & insidias struere potest, adeoq; nihil hac in re ita certū est, quin sēper tutius ac securius sit timere, & magna cū circūspectione & cautela procedere, ac directorē quēdam doctum ac peritum, qui errantem audacter corripiat, habere; ita enim fiet, vt nullum prorsus damnum incurrat; esto ego sæpissimè valdè sim passa, ob nimios illos timores, quos nōnulli habēt. Semel inter alia id mihi contigit, cum scilicet multi, de quibus bonam opinionem, vt par erat, habebam, vnum in locum congregati erant (nam esto tunc nonnisi cum vno in particulari agerem, & cum alio nullo loquerer, nisi dum hic id mihi præciperet; illi tamen sæpè inter se de me iuuanda agebant, quia & me valdè diligebant, & metuebāt, ne fortè diabolus mihi illuderet; quin & egomet, dum extra orationem eram, non mediocriter timebam; nam statim atque eidem me applicabam, & aliquam mihi Dominus gratiam dare incipiebat, quam primum omnis à me timor recedebat, & secura reddebar) quinque vel sex eos fuisse crediderim, & omnes insignes, & zelosos Dei seruos: affirmabat autem tunc mihi confessarius meus, omnes illos sibi persuadere, à diabolo mihi illudi; propterea que illud consultum videri, nec toties Sacramentum venerabilis Eucharistiæ susciperem, meq; in externorū negotiorū tractatione distraherēr ac solitudinē cauerem. Equidem

In visionibus nihil ita certum, quin semper securius sit timere.

Omnes putabant id quod ipsa sentiebat, à diabolo venire.

quidem, vt dixi, in magno tunc timore & anxietate versabar; ad quem augendum non parum conferebat continuum meum cordis deliquium; ita vt sæpe per diem, aliquo in loco sola agere non auderem.

Cum ego tales & tam multos id mihi dicere vidi, ego tamen animũ inducere penitus non possem, vt hoc de me crederem; grauissimum conscientiæ scrupulum sensi, quod id ex humilitatis defectu fieri putarem: omnes quippè incomparabiliter multo sanctioris erant vitæ, quam ego, & insuper doctrina & litteris eminebant; cur ego eis non crederem? Conabar quam poteram maximè, etiam vi mihi facta, illis credere, & simul scelerataṁ vitam meam recogitabam, itaque illos verè de me iudicare, cum sic iudicarent. Quare sic anxia & afflicta me ad templum contuli, intraq; oratorium quoddam me abdidi, cum iam ad dies multos sacra communione abstinuissem, & solitudinem cauissem, in qua tamen omnis mea sita erat consolatio & recreatio, ita vt nullum haberem, cum quo conferre possem; nam omnes ad vnum mihi aduersabantur. Nonnulli, dum his de rebus agerem, me videbantur ridere, tanquam si tantum imaginatio & phantasma fuisset: alij Confessarium monebant, sibi vt à me caueret: alij certò & indubitanter asserebant, diabolum in me operari, solus Confessarius meus (esto cum alijs conspiraret; at duntaxat, vt me, sicut postea intellexi, probaret) semper me consolabatur, dicebatque, tametsi etiam diabolus foret, modo Deum optimum max. peccando non offenderem, nihil penitus mihi damni illum inferre posse; ipsum tandem à me discessurum; vnde hoc ipsum à Domino instanter per preces deposcerem, quod tum ipse, tum omnes, quibus ille in confessione aures dabat, nec non alij plurimi, serio præstabant. Omnis quoque oratio mea hunc ad scopum dirigebatur; quin & vniuersos Dei seruos, quos nossem, orabam, vt Deum rogarent, alia vt me Maiestas illius via conducere dignaretur. Biennio penè toto hanc ego Deo rem per preces continuo commendaui, identidẽ hoc ab eo petens. Nihil autem me consolari poterat, cum mecum cogitabam, fieriue posse, vt cacodæmon toties mecum loqueretur. Nam quod nullum amplius mei per orationem in solitudine recolligendæ tempus haberem, Dominus mihi dabat, vt interim dum cum alijs cõuersabar, me introrsum possem recolligere; quin & ipse, frustra me reluctãte, loquebatur mihi, quæcunque ei videbantur, egoq;, quantumuis id mihi grauissimum ac molestissimum esset, eum tunc loquentem audire cogebar. Sed cum sola essem, nullum amicum habens, cuius alloquio me ipsa solarer, non poteram vel orare, vel in libro legere; sed ob tantã tribulationem, & timorẽ, ne forte mihi cacodæmõ illuderet, tota inquieta & afflicta, planè nesciens, quid tandem de me factura essem (& hanc quidem angustiam aliquoties imò sæpè sensi, sed numquam meo iudicio ita grauem & ex-

Magna eius desolatio.

cessiuam

ceſſiuam ac tũc) quatuor aut quinq; horas continuo in hoc ſtatu manebã, vt nec à terra mihi vllũ, nec è cælo ſolatiũ veniret, aut affulgeret; niſi quod Dominus me, mille inter periculorum timores cõſtitutam pati cerneret.

Quã, ô Domine Ieſu, verus amicus es tu! & quã potens! quãdo enim vis, potes, & nunquã nõ vis, ſi modo nos te velimus, omnia quæ condita ſunt, te ô mũdi Domine, laudẽt & benedicant. Vtinã plena per vniuersũ orbẽ terrarum voce promulgare poſſẽ, quã tu amicis tuis fidelis ſis! Omnia, Domine, creata deficiunt & pertrãſeunt, tu illorũ omniũ Dominus, nunquã deficis aut pertrãſis. Nimis quã exiguũ eſt, quod pati ſinis eum, qui te diligit. Quã, ô Domine mi, tenerè, ciuiliter, blandè, & ſuauiter tuos tractare & habere noſti! ò ſi quis nũquã aliquẽ, præter vnũ te, amare procuraſſet! Videris, ô Domine, virga & rigore probare eũ, qui te amat, vt iã in extrema afflictione conſtitutus, maiorem amoris tui extremitatem & immenſitatẽ intelligat. O ſi quis, Deus meus, ingenium ſimul & doctrinam, nec non noua verba haberet, ad opera tua magnificanda, & extollenda, vt quidem ea anima mea intelligit! Omnia me deſerunt & deficiunt, Domine mi; ſed ſi tu me non derelinquas, ego à te nullatenus deficiam. Omnes viri docti contra me inſurgant & impugnent, omnes me creaturę perſequantur, omnes me dœmones exagitent, tu ſolus noli à me recedere: experientiâ quippè noui, quantum ſit lucrum, quod referunt ij, qui in te ſolo confidunt.

Cum ergo in magna illa anxietate conſtituta eſſem (nondum enim aliqua mihi viſio hactenus oblata erat) hæc ſola verba nimis quam ſufficientia fuêre ad illam auferendam, mentemque meam, omni nubilo diſcuſſo, ſerenandam: *Filia noli timere: ego enim ſum; & non deſerã te, noli timere.* Putabã ſanè (vt quidem me diſpoſitam vidi) valde lõgo tẽpore opus eſſe, ad mihi perſuadendum, vt mẽtem ego meam ad quietem componerẽ, & neminem ſufficientẽ ad hoc eloquẽtiam & ingeniũ adferre poſſe; & ecce ſola verba hæc, ita me ſerenant, corroborãt, animãt, ſecurã reddunt, quietant & illuminant, vt animã meam in momento planè immutatã viderẽ, & aliã, & contra vniuerſum mundũ diſputando, rationibus euicciſſẽ, Deũ eſſe qui in me operaretur. Quam Deus bonus eſt, quam bonus & potens Dominus eſt! nam nõ modo bonum conſiliũ ſuggerit, ſed remediũ: Verbaq; eius ſunt opera. Quĩ, ô Deus bone, fides hominẽ corroborat, & per eam amor adaugetur! Vt verũ fatear, ſæpè ad mentem & memoriã reuocabã, quomodo Dominus olim orta in mari tẽpeſtate, vẽtis imperaſſet, vt ceſſarent; vnde ita mecum ipſa dicebã, Quis eſt hic, cui omnes potentiæ meæ ita obediunt, & qui vnico momento tam ſpiſſis in tenebris lucẽ ſerenitatemque adfert: qui cor, quod ſaxeum & marmoreũ eſſe videbatur, emollit; qui ſuauium lachrymarum ibi fluenta laxat, vbi ariditas dudũ & longo

Dominus Deus ipsã ſecurã eſſe iubet: & qui horum verborum fuerit effectus.

longo tẽpore futura esse videbatur? Quis hæc desideria subministrat? quis hos suggerit animos? vt sæpè intra me ipsa cogitarem; Quid est quod timeo? quid est hoc? huic ego Domino famulari cupio; aliud nolo, quam ei soli placere; aliam recreationem, quietem, bonum non cupio, quam illius voluntatem facere (nam de eo, prout mihi quidem videtur, planè certa eram, vt id hic possim referre) si ergo Dominus tam potens sit, atque eum esse video & scio, & dæmones eius sint mancipia; deque eo nefas sit dubitare (cum sit de fidei articulis) ego autem huius Domini & Regis ancilla sim, ecquod illi mihi malum referre possunt? cur non satis virium habeam, ad cum vniuersis inferorum cohortibus decertandum? Crucem itaque in manus sumpsi: & videbatur sanè mihi Dominus robur & animum inspirare; nam breui tempore ita me immutatam vidi, vt cum omnibus dæmonibus etiam manus conferre & luctari non vererer: videbar quippè cruce illa haud difficulter eos in fugam agere, ac debellare posse. Vnde apud memetipsa prouocando dicebam, venite iam omnes quotquot estis; videre volo quid mihi, ancilla Dei cum sim, facere vniuersi possitis. Et sanè, videbantur illi me timere: nam ex eo tempore quieta & sine timore mansi, & ita illos, quotquot sunt, formidare desij, vt omnis, quem hactenus habueram, timor cessarit: nam tametsi eos, vt postea referam, interdum adhuc viderem, non tamen iam amplius eos timebam, quin è contra me ipsis terribilem esse putabam: & quoddam mihi, Deo dante, in illos omnes mansit dominium, vt iam non magis eos timeam quam si muscæ forent. Ita porro illi mihi meticulosi & ignaui videntur esse, vt quamprimum se contemni vident, omne robur & potentiam suam amittant. Neminem hi hostes de facto oppugnare norunt, nisi quem vltro semetipsum tradentem conspiciunt, aut quando suos Deus seruos, ad maius ipsorum bonum, tentari vexarique permittit. Vtinam verò timeremus eum, quem verè timere nos oportet, nobisque persuaderemus, plus nobis damni ab vno peccato veniali, quam ab omni infernali multitudine simul iuncta posse aduenire: cum hocà parte rei ita sit. Quam porro nos hi maligni spiritus in metu & pauore detinent, eo quod per nostros honoris, auri, ac voluptatum appetitus ipsi nosmetipsos pauidos & timidos reddere volumus: nam illi tunc nobiscum coniuncti, & velut collatis viribus (nam nobismetipsis hostes & inimici sumus, tum cum diligimus & sectamur ea, quæ odisse deberemus) permultum haud dubiè nobis nocebunt: ipsi enim in causa sumus, cur nostris proprijs armis illi nos oppugnent, ipsis quodammodo illa in manus dantes, quibus nosipsos contra eorum vim & impetum defendere deberemus, quod sanè deplorandum est. Sed si propter Deum omnia repudiemus, crucem amplectentes, eique sincere & ex corde seruire satagamus; tunc non

Magnus eius cõtra dæmones animus.

Diaboli alijs non nocent, quam sese tradentibus, & cũ Deus id permittit.

secus

ſecus has cacodæmon veritates fugit, quam nos peſtem virulentiſſimam. nam diligit mendacium, imò ipſummet eſt mendacium; nec vllum cum eo, qui in veritate ambulat, inibit pactum aut commercium: ſed, cũ mentem & intellectum alicuius obnubilatum cernit, omnimodis collaborat, vt & oculos ei eruat, & planè cæcum reddat. Si quem enim iam ita cæcum videat, vt is ſe in rebus vanis quietem inuenturũ putet. (nam omnes mũdi huius res ita vanæ ſunt, vt non niſi puerilia crepundia & nugæ eſſe videantur) quamprimum aduertit, huiuſmodi hominem merum eſſe puerum, cum nimirum puerorum more viuat; vnde mox audaciam & animos concipit, ad cum eo, non iam ſemel, ſed ſæpius luctandum. Faxit Deus, de horum numero ipſa non ſim, ſed gratiam Maieſtas ipſius, quæſo, mihi det, qua mediante, id quietem eſſe exiſtimem, quod verè quies eſt; id honorem, quod verè honor eſt; hoc delectabile, quod verè delectabile eſt, & non vice verſa, ac tum dæmones omnes explodam, & flocci faciam; immo potius ipſi me timebunt. Non intelligo hunc timendi modum, vt dicamus, *diabolus, diabolus*; cum dicere poſſimus, *Deus, Deus*, atque ita ei timorem incutere: ſcimus enim iam tum; illum, niſi Dominus id ei permittat, ſe ne mouere quidem poſſe. Quid ſibi vult hoc? quod ſcilicet iam plus metuam eos, qui Dæmonem ita metuunt, quam ipſummet verear: Nam ipſe nullum prorſus inferre mihi damnum poteſt; at hi, præſertim ſi Confeſſarij ſint, hominem mirè turbant & inquietant. Equidem per multos annos tantas hac in re pertuli moleſtias, vt etiamnũ mecum ipſa mirer, quomodo eas ferre potuerim. Benedictus ſit Dominus, qui ita me reipſa fortem reddidit. Amen.

Diabolũ audaciæ cum videt ſubiectum pauidum.

Dei nomẽ Dæmones percellit, omnemq; nobis timorem aufert.

Caput XXVI.

EANDEM MATERIAM PROSEQVITVR, ET NARRAT quanam ſibi hac in re timorem abſtulerint, ipſamque credere facerent, non eſſe niſi bonum ſpiritum, qui cum ipſa loqueretur.

VNAM de primarijs ac maximis, quas à Deo accepi gratijs hanc eſſe puto, generoſitatem & animos, quos mihi contra cacodæmones dedit. Damnoſiſſimum quippè maximeque impertinens eſt, animam ignauam & meticuloſam eſſe, & aliud quid, præterquam Dei offenſam vereri. Nam cum omnipotentem Regem & Dominum ita potentem habeamus, vt omnia poſſit & omnes ſibi ſubijciat, nullam omnino timendi occaſionem habemus, ſi modo (vti dixi) in veritate & ſincerè, & magna cum conſcientiæ puritate coram eius Maieſtate ambulemus. Ad hoc vellem (ſicuti dixi) omnem quicunque eſt timorem habere, ne videlicet

Magna Dei gratia eſt habere robur contra Dæmones.

licet aliqua in re offendam illum, qui hoc ipso momento nos destruere & ad nihilum redigere potest: nam si Maiestatem eius amicam & propitiam habeamus, omnes aduersarij nostri, manibus iunctis velut supplices coram nobis se humiliabunt. Dicet ad hoc quis, id ita quidem esse, sed quænam anima ita rectè & sincerè viuet, vt Deo placeat in omnibus, & propterea facta securior, nihil omnino metuat? Certè non mea; nam nimis quam improba, & inutilis est, ac mille miserijs, & infirmitatibus obnoxia, vt Deus Optimus Max. non ita se erga reos gerit, vti homines solent, nouit quippè imbecillitatem nostram. Sed anima, euidentibus è signis & coniecturis colligere in seipsa potest, an ipsum sincerè vereque diligat: amor enim in illis quæ ad hunc statum peruenerunt, non est dissimulatus & tectus, vti in principio, sed admodum impetuosus, & ardens hæ Dei videndi desiderium in se sentiunt, vti infra vberius ostendam, aut iam supra commemoraui. Hinc omnia hominem cruciant, affligunt, torquet, nisi aut cum Deo, aut propter Deum ferantur; omnis quoque quies eum inquietat, quod se à vera & propria sua quiete abesse sentiat. Proinde res manifesta est, & quæ, sicuti dictum est, dissimulatè tecteque non procedit.

Status in quo amor non est dissimulatus.

Quodam tempore, cum me magnis tribulationibus, atq; varijs aliorum obloquutionibus, certo quodam in negotio, quod postea referam, in quo tum vniuersam ciuitatem in qua impræsentiarum ago, tum vniuersum Ordinem repugnantes, & aduersantes habui, oppressam cernerem, & magna sane in angustia, nec immeritò, versarer, factum est vt his me Dominus vocibus compellaret. *Quid times? an nescis me Omnipotentem esse?* *quod tibi promisi reipsa præstabo:* & est id etiam postea adimpletum. Statim vero tantum in me robur ortum est, vt, quo ei possem seruire, etiam ad alias perdifficiles res de nouo aggrediendas animata fuerim, esto etiam maior mihi inde sequi molestia, & nouam illæ patiendi materiam mihi dare debuissent. Hoc vero accidit mihi toties vt numerum dicere non possem: sæpe quoque me increpauit, quin etiam modo increpat, cum in aliquas imperfectiones incido; & quidem verbis tam acribus, vt satis ea sint ad animam quandam in nihilum redigendam; tantæ saltem sunt efficaciæ, & tam potentia, vt ipsa se corrigat: nam, sicut supra dixi, Maiestas eius consilium dat iuxta ac remedium. Aliàs præterita peccata mihi in memoriam reducit, ac tum præsertim, cum singularem aliquam mihi gratiam dare vult, adeò vt se iam anima verè coram illius tribunali consistere putet: veritas quippè tam clarè & liquidò ei ob oculos ibi ponitur, vt quo se se referat, prorsus ignoret: subinde pericula quædam, tum mihi, tum alijs impendentia, nec non alias res futuras, tribus aut quatuor antequam contingerent annis mihi præsignificauit; quæ omnia, exactè & ordine

Verba Domini ad S. M.

Nec non reprehensiones.

dine euenerunt; quorum nonnulla postea fortasse referam. Adeò vt tam multa signa sint; è quibus queat colligi, an Deus sit qui loquitur, vt neminem id ignorare posse putem. Omnium verò tutissimum est, sicuti sæpè mihi Dominus significauit, vt totam animã & omnes quas à Deo accipimus gratias, Confessario aperire non vereamur: is autem doctus sit oportet, nostrum verò est, in omnibus morem gerere. hoc autem ipsa facio, & nisi facerem, quietem non haberem; neque enim consultum est, nos mulieres plenã quiete frui, cum & indoctæ simus, & nullum omnino hinc incommodum, attingens sequatur commodum. Et hoc valde frequenter mihi contingit. Quodam tempore Confessarium habui, qui variis me mortificationibus exercebat, & subinde etiam affligebat, & mirum in modum me identidem diuexabat: nullam quippe mihi quietem indulgebat. atque hic meo iudicio fuit, qui plus quam alij me in via spiritus adiuuit; &, licet magnoperè eum diligerem, subinde tamen ad eum relinquendum tentabar; credebam namque eas, quas mihi causabat molestias & afflictiones, impedimento esse, quo minus orationi possem insistere. Quotiescunq; autẽ hoc facere proponebã, statim interius Domino loquente monebar, id ne facerẽ, idque tam aspera & acri cum reprehensione, vt illius verba magis cor meum discinderent, quã omnes, quas mihi Confessarius inferebat, molestiæ. Aliquando, graue mihi erat, quod hinc quidẽ interrogarer, illinc verò reprehenderer. Et sane sic mecũ fieri oportebat, prout quidẽ voluntas mea parũ flexa & morigera erat; semel Dñs mihi dixit, me verè obedientẽ non esse, quam diu non proponerẽ & parata essem pati; sed oculos conijcerem in id, q̃ ipse nostri causa passus esset, & tunc mihi omnia quam facillima visum iri. Alius porro Confessarius, is scil. qui in initio confessionẽ meam exceperat mihi quodam tẽpore consuluit, vt, quando quidẽ iam notissimum erat, spiritum bonũ in me operari, id ipsa post hac tacerẽ, & nemini quidquam de eo dicerem, quod melius esset, id genus res silentio premere & celare. Non displicebat hoc consilium mihi: nam quoties Confessario meo hisce de rebus loquebar, tam mihi id graue erat & tanto me rubore suffundebat, vt maiorem aliquando in hisce declarandis, quam in grauibus peccatis aperiendis difficultatem sentirem; & maximè, cum singulares quædam gratiæ declarandæ erant, putabam enim illos mihi non credituros, meque audientibus ludibrio fore. Hoc autẽ malè me habebat, quod magnaliũ & mirabilium Dei quędã mihi hoc videretur esse irreuerentia & vilipendiũ: ideoq; hæc silentio inuoluere maluissem. Tunc demum intellexi, valdè mihi malè Confessarium illum meum in hoc consuluisse, nec vllatenus debere me quidquam celare eum, quo vt Confessario vtor; hoc namque longè tutissimum esse, & secus si agerem, fieri posse, vt illuderer aliquando,

Confessarium se mortificantem deserere cogitat.

Omnia facilè tolerat, qui Dominè labores considerat.

Illusionis quantum sit periculum.

& deciperer. Quotieſcunque Dominus mihi in oratione aliquid faciendum mandabat, Confeſſarius autem id fieri nolebat: Dominus, cum ad eum poſtea recurrerem, vt obedirem Confeſſario, iubebat: ac Maieſtas eius, ipſius deinde mentem immutabat, vt iam id mihi iniungeret, quod Dominus ante fieri iuſſerat.

Cum quodam tempore multi libri Hiſpanici nobis iuſſu Superiorum, auferrentur, legiq; vetarentur; ſatis hoc mihi graue viſum eſt, quod eſſent nonnulli erga quorum lectionem maximè afficiebar, & quos iam amplius legere vetitum erat, quod ſolum latinè eos legere fas eſſet. Vnde mihi Dominus ait, *ne hoc te cruciet; nam ego dabo tibi librum viuentem.* Neſciebam cur aut quo fine hoc diceretur: nondum enim vllas tunc viſiones habueram: at non multo poſt, quid ſibi id vellet facile intellexi. nam tantam recogitandi, & ea quæ coram videbam, meditandi materiam habui, & tantum mihi Dominus, in me omnimodis erudienda, amorem exhibuit, vt, aut valdè parum aut propè nihil opus habuerim libris? Maieſtas ipſius verus ille liber fuit, in quo veritates legi: benedictus autem ſit ille liber, qui, quæ legenda & facienda ſunt, ita memoriæ imprimit, vt ea nulla eradere poſſit obliuio. Etenim quis, quæſo, Dominum plagis ac vulneribus coopertum, & perſecutionibus vexatum & exagitatum conſpiciet, & illas non complectetur, amabit & ambiet? quis item eius gloriæ, quam ſibi ſeruientibus præparat, vel aliquam tantum particulam videbit, & non ſimul intelliget, quodcunque aut facere, aut pati poſſumus, nihil penitus eſſe, cum tam amplum pro eo præmium exſpectemus? quis tormenta damnatorum conſpiciens, ſibi non perſuadebit, omnia quæ in terra ſunt tormenta, eum illis comparata delicias potius ac gaudia eſſe; nec non ſimul agnoſcet, quot Domino nominibus obſtrictus ſit, quod ſe toties ab illo loco liberarit? At quoniam poſtea, Deo fauente, de horum nonnullis, pluribus agam, ideo in vitæ meæ ſerie referenda pergere cupio. Vtinam verò in ijs quæ dixi, ſatis me declarare potuerim: crediderim autem, eum qui vel aliquam horum experientiam habebit, non ſolum hæc intellecturum, ſed & confeſſurum, me aliqua ſaltem in re veritatem dixiſſe; ei autem qui experientiam horũ non habebit; ſi omnia hæc, mera deliramenta & mœniæ aniles viderẽtur, minimè mirarer. Satis porrò eſt, quo ille propter iudiciũ hoc culpa careat, quod ego ſim quæ hæc dico; equidem à parte mea eum qui ita cenſeat, culpæ non inſimulabo. Det mihi Deus, vt ſaltem voluntate ipſius adimplenda non errem. Amen.

Dominus S. Matri librum viuentem promittit.

CAPVT

Caput XXVII.

Alivm modvm quo Dominvs animam doceat, et suam ei voluntatem ratione quadam admirabili sine vlla prorsus locutione, patefaciat, declarat. nec non singularem quandam Domini gratiam, visionem inquam, non imaginariam, enarrat. Caput hoc notatu dignissimum est.

VT igitur interruptam vitæ meæ narrationem resumam, hac in afflictione & anxietate ipsa tum eram; variæ autem, vti dixi, ad Deum passim orationes pro me fundebantur, vt ipse me per aliam viam, quæ securior foret, ducere dignaretur, quod eam per quam ambulabam, suspectam dicerent, ac periculis plenam. Fateor tamen, quamuis id à Domino suppliciter peterem, & summopere vellem desiderium in me sentire ad aliam quandam viam ineundam; quia tamen animam meam ita melioratam videbam (nisi forte interdum, cum ob ea, quæ mihi dicebantur, nec non ob timores, quos mihi incutiebant, mirè angebar) in potestate omnino non fuisse mea, serio id desiderare, esto identidem ipsum à Deo peterem. Quod enim me prorsus viderem mutatam, hinc aliud facere non poteram, quam me totam in Dei manus resignare, quod ipse sciret, quid mihi conueniret; ipsumque ideò rogabam, vt in omnibus sanctissimam voluntatem suam in me adimpleret. Videbam porro, quod per hanc viam, rectà in cœlum tenderem, ante verò rectà ad inferos properassem; vnde à me ipsa impetrare non poteram, vt aut hoc ipsum desiderarem, aut dæmoniacam id illusionem esse crederem, esto quantamcunque possem, cum ad hoc credendum, tum ad illud desiderandum diligentiam adhiberem; sed nequaquã hoc in manu mea situm erat. Quidquid agebam (si modo bonum aliquod opus facerem) hunc in finem Domino offerebam; adhæc pios quosdam Sanctos mihi in patronos deligebam, vt me hi ab illusione diabolica eriperent; nouemdiales quoque peregrinationes hac intentione suscipiebam; seriò præterea S. Hilarioni & S. Michaëli Archangelo me commendabam; quem hac potissimum de causa, iam recenter mihi in patronum delegeram, serioque inuocare inceperam: quin & alios non paucos Sanctos importunius inuocabam, vt per illorum intercessionem veritatem Dominus ostendere dignaretur, & hoc suis ipsi precibus à diuina Maiestate exposcerent.

Orationes variæ fundebantur eo fine vt aliâ eam Dominus via deduceret.

Afficitur erga SS. Hilarionẽ & Michaelem Archangelum.

Postquam ergo biennio toto, tam ego quam alij plurimi instantissimè orassent, vt Dominus vel per aliam me viam conduceret, aut rei veritatem declararet, eò quòd me Dominus eo quo dixi modo sæpè alloqueretur; hoc tandem mihi contigit. Cum quodam glorioſi Apostoli Petri die

tri die festo in oratione versarer, videbam (aut vt melius dicam, sentiebam: oculis enim corporis aut animæ nihil penitus videbam) attamen videbatur ipse Saluator noster Iesus penes me consistere, & videbam (vt mihi quidem apparebat) ipsum esse, qui mihi loquebatur. Ego, vt quæ penitus ignorabam, similem visionem fieri posse, initio magno concuti timore cœpi, & indesinenter lachrymabar: vt primum tamen, ad me reddendam securam, cæpit loqui, pro more quieta, serenata, & gaudio plena mansi, & omnis mox timor euanuit. Videbatur Dominus semper ad latus meum incedere, sed quia non erat visio imaginaria, hinc non videbam, quâ esset formâ: nihilominus valde notabiliter percepi & sensi, illum semper ad dextrum meum latus adstare, ac testem oculatũ esse omnium quæ agerem: & quamdiu vel minimum recollecta eram, vel non multum aliorsum distracta, ignorare non poteram, quod apud me esset. Sine mora valde afflicta & turbata Confessarium meum adij, vt hanc ipsi visionem referrem. Is me rogauit, quâ illum forma viderem: respondi me illum non videre. Intulit, vnde ergo scirem, quod esset Saluator Iesus: dixi, nescire me; nihilominus, non posse me non scire & intelligere, quod apud me esset, & me hoc clarè videre & sentire: quod animæ recollectio in oratione quietis, multo maior esset, & valde continua, & effectus longè alij quam habere solebam; adeo vt res esset euidentissima. Vnde alias super alias similitudines adferebam, ad me ipsam declarandam: sed ad hoc visionum genus declarandum, nullam sanè dari posse putem, quæ satis quadret vel apta sit. Nam cum hæc de maximè sublimium visionum genere sit, sicut mihi postea Sanctus quidam vir, magniq; Spiritus, F. Petrus de Alcantara appellatus (de quo postea vberius loquar) alijque viri doctissimi dixerunt, nec non de numero earũ, in quas se dæmon minus ingerere & immiscere potest, hinc nobis indoctis verba non suppetunt & occurrunt, ad illas hic in terra declarandas: litterati autem & docti melius eas exponent. Si enim dixero, me nec corporeis, nec interioribus animæ oculis eum conspicere, quia imaginaria visio nõ est; quomodo ergo scio, & maiore cum claritate & certitudine mihi persuadeo, eum apud me esse, quam si oculis eum meis intuerer? Si enim dico, videri perinde esse, ac dum quis, quia in tenebris est, vel cœcus alium hominem apud se consistentẽ non videt; non satis hoc conuenit; aliquam quidem similitudinem habet, sed ea satis parua est: ibi namque sensibus suis quis hominem præsentem sentit, vel eum loquentem, incedentemue audit, vel tangit; at hîc nihil tale est, nec vlla hic videtur obscuritas; sed per notitiã quandam, quæ sole sit clarior, Dominus animæ se repræsentat. Non dico, solem aut claritatẽ hîc videri, sed lucem, quæ sine vlla tamẽ lucis visione, intellectum illuminat, vt tanto bono anima fruatur. Magna hoc præ-

Christum Dominum apud se esse percipit.

Descriptio huius visionis puræ intellectualis.

tesca bona secum adfert. Non est autem velut quædam Dei præsentia, qualis sæpè in oratione sentitur; præsertim ab ijs qui orationem vnionis ac quietis habent; sed hîc statim atque orare incipimus, inuenire videmur quicum loquamur, & etiam intelligere quod ipse nos audit, idque ex affectibus, & spiritualibus ardentis amoris ac fidei, & aliorum propositorum cum quadam cordis teneritudine, affectibus sensibusque colligere est. Est hæc singularis & magna Dei gratia, vnde qui eam cœlitus accepit, permagni faciat oportet: est quippè valde sublimis orandi modus, sed non est visio; vt scilicet quis intelligat, Deum ibi per effectus, quos, sicut dixi, in anima operatur, adesse: nam per talem modum se Maiestas eius nobis patefacere vult: hinc liquidò videre est, Iesum Christum purissimæ Virginis Mariæ filium, hîc præsentem adesse. In alio illo orandi modo quædam duntaxat diuinitatis influentiæ se exerunt; at hîc, præter illas influentias, etiam sacratissimam humanitatem nos comitari, & benefacere nobis velle videmus. Petijt ergo à me Confessarius: Quis autem tibi dixit, id Iesum Christum fuisse. Respondi, Ipsemet sæpè id mihi dixit; imo verò, etiam antequam id ipse mihi diceret, menti meæ impressum fuit, quod ipse esset: quin etiam ante hanc impressionem, ipse id mihi significabat, & tamen eum non videbam: perinde ac si quis, quem nunquam vidissem, sed de quo nonnulla referri inaudissem, ad me, cum cœca, vel in obscuro quodam loco conclusa essem, mihi locutum veniret, mihique diceret, quisnam esset: possem quidem ipsa id credere, non tamen tam indubitatè & certò affirmare, quod esset is quem se esse diceret, ac si eum oculis meis vidissem. Hîc tamen illud fieri potest; nam etiam non videndo, tam euidens & certa menti notitia imprimitur, vt nullum de eo dubium esse posse videatur. Vult siquidem Dominus, id tam firmiter intellectui insculpi, vt non magis de eo dubitare possimus, quam de eo quod oculis videtur; immò etiam adhuc minus: nam in illo quod videmus, aliquando dubitamus, an id tantum ita nobis visum sit: at hîc, esto ab vna parte talis fortasse de subitò dubitatio & suspicio enascatur, ab altera tamen tanta in anima certitudo manet ac securitas, vt dubitatio nihil possit, sed quamprimum euanescat. Sic ergo & alio quodam modo animam Deus edocet, & non loquendo; alloquitur, eo scilicet pacto quo antè dixi. Est autem isthoc locutionis genus, ita cœleste, vt hominibus mortalibus, quantislibet verbis vteremur, eam exponere vix possimus, nisi id per experientiam Dominus aliquem edoceat. Deus quippe in intimis animæ penetralibus id imprimit; quod eam vult intelligere, ac sine vlla imagine, aut verborum forma, at non nisi per modum visionis illius quam iam descripsi, id ibi ei repræsentat.

Christus Dominus se declarat S. Matri.

In eo quod videmus oculis, adhuc potest esse dubium.

Hic

Hic ergo modus, quo Deus animam intelligere facit id quod vult, nec non magnas veritates & mysteria, imprimis notetur: nam sæpè, hoc est, tum cum mihi Dominus aliquam visionem, quam Maiestas eius mihi repræsentare dignatur, exponit, tali modo id fieri solet; & hic modus esse videtur, in quem se cacodæmon minus potest ingerere, idque propter rationes quas subnectam; quæ si bonæ non sint, haud dubiè decepta sum. Hæc quippe visionis & locutionis species est, quid ira spirituale, vt nulla, meo iudicio, in potentijs aut sensibus sit concitatio, è qua aliquid ad rem suam spectans dæmon possit elicere. Hoc quidem interdum fit, & quàm citissimè pertransit. nam aliquando vt mihi quidem videtur, nec potentiæ suspenduntur, nec sensuum vsus omnis perditus est, sed multum in seipsis sunt & potentes: quia non semper hoc in contemplatione cõtingit, sed quam rarissimè; cum tamen id fit, tunc nos non operamur, nec quicquam facimus, sed id totum Domini ipsius videtur opus esse. Perinde hoc fit, ac dum cibus aliquis in stomacho est, quem quidem homo non comederit, nec, quomodo illuc venerit, sciat; norit tamen eum ibi esse, esto nesciat qualis sit, aut quis eum stomacho iniecerit. Hic autem id noui, sed quomodo illud illuc venerit, nescio (quia non vidi) nec intelligo; immo ne animum quidem vnquam habueram id desiderandi, nec ad notitiam meam peruenerat, tale quid fieri posse.

Visio in quam se Dæmon minus ingerere potest.

In locutione vero, de qua supra iam egi, efficit Deus, vt intellectus etiam inuitus, audiat & aduertat, ad ea quæ dicuntur: videtur quippe anima ibi alias habere aures, quibus audiat, & ad audiendum velut compelli, & etiam inhiberi, & vitari ne aliò se distrahat; sicut, si quis bene audiens, non permitteretur aures suas obturare, & alij interim plenis vocibus de propè eum alloquerentur; hic, tametsi etiam nollet, illos loquentes necessariò audire deberet: ita ne demum aliquo modo hic cooperatur, cum attentus sit ad audiendum, & excipiendum ea quæ ipsi dicuntur. Hic autem nihil tale est; nam etiam parum illud, quod huc ante conferebat (ipsa inquam nuda ad ea quæ dicuntur auscultatio) illi eripitur, & omnia cocta inuenit, & velut masticata, ita vt aliud ei faciendum non restet, quam frui. veluti si quis, qui ante non didicisset, nec, vt quidem legendi artem calleret, elaborasset, neque etiam studuisset, omnem se iam artem ac scientiam cognitam habere aduerteret, nesciret tamen quomodo, aut vnde, hanc ipse nactus esset, cum non laborasset vnquam, vt quidem suum Alphabetum addiscere. Vltima hæc similitudo cœleste hoc donum aliquo modo videtur declarare: anima quippe vnico momento se sapientem factam, & Sanctissimæ Trinitatis, aliorumque mysteriorum valde sublimium, tam perfectam sibi datam intelligentiam intelligit,

Quomodo intellectus audiat, & attentus sit in hac visione.

intelligit, vt nullus sit Theologus, cum quo de horum magnalium veritate disputare non audeat. Inde vero ita perculsa, & consternata manet, vt harum gratiarum vna nimis quam satis sit, ad animam planè immutãdam, & talem ei amorẽ indendum, vt nihil aliud amet, quam eum, à quo se sine vllo suo labore & studio ad tanta bona recipienda aptam ac capacem fieri videt, qui sua ei secreta communicat, quique tam amicè & familiariter cum ipsa agit; vt id describi non possit. Quasdam enim ei dat gratias, quæ illusione suspectæ sunt; tum, quod ita admirabiles sint, tum quod collatæ ei, quæ eas tam parum promeruit, vt nullus, nisi fidem valdè viuam habeat, ijs sit crediturus; atque ideo illarum, quas Dominus mihi dedit gratiarum, paucas admodum referre constituí (nisi aliter superiores iusserint) nisi fortè quasdã visiones, quæ ad aliquid vtiles esse possunt: tum vt ille, cui eas Dominus dabit, non nimis admiretur, atque impossibile id esse non credat, sicut ipsa initio credebam; tum vt modum & viam, per quam me Dominus conduxit, aperiam; atque hoc est, quod me superiores scripto tradere iubent.

Mirus huius visionis effectus.

Vt ergo ad hunc intelligendi modum redeam, quod mihi de eo videtur, hoc est, videlicet Dominum omnimodis velle, vt quandam animæ hæc notitiam habeat eorum quæ in cœlo fiunt; nam sicut beati ibi se mutuo sine locutione intelligunt (quod nunquam antea sciui, cum tamen res certa sit, quoadusque me Dominus ex sua bonitate id reipsa voluit videre; & in raptu quodam mihi ostendit) ita prorsus & hic contingere videtur: Deus quippe & anima se mutuo intelligunt, tantum quod Maiestas eius ipsam id intelligere velit, idque sine vllo alio artificio, vt nimirum sic pateat amor, quo hi duo amici se inuicem prosequuntur. Quemadmodum, dum hic in terra duo se inuicem diligunt, statim se mutuo, si quidem boni ingenij sint, sine vllo prorsus signo aut indicio intelligere videntur, dumtaxat se mutuo aspiciendo: sic omnino hic fieri credamus necesse est, esto quomodo id fiat, ipsi non intelligamus; adeo vt duo hi amantes se inuicem fixè intueantur, sicut sponsa in Canticis sponso suo dicit; & illud, quantum memini de hoc intuitu intelligi debere audiui. O admirabilem Dei benignitatem, qui se tam amicè ab oculis, qui tam malè hactenus viderunt, quales animæ meæ oculi sunt, videri sinit! Hoc saltem velim Domine, vt post hunc intuitum, iam non amplius res viles, & visu indignas aspicere assuescant, & in nulla re præterquam te, quietem & satiem inueniant. O hominum ingratitudinem! quousque se illa extender! scio sane per experientiam, hoc quod dico, verissimum esse, & quidquid demum dici possit, minimum esse eorum quæ tu, Domine, animæ, quam ad hunc statum euehere dignaris, præstas. O animę, quæ vos in oratione exercere cæpistis, quæque veram fidem habetis, quod quærere

Quomodo Deus & anima se mutuo intelligant sine locutione.

bonum poteſtis, etiam in hac vita (vt omittam bonum id, quod in æternitatem comparatur) quod cum illorum minimo queat æquiparari? Vide, id verè ita eſſe, nimirum ſic Deum ſe dare ijs, qui omnia propter ipſum relinquunt: non eſt acceptor perſonarum, omnes ex æquo amat, nemo, quantumlibet improbus, excipitur, cum ſic mecum agat, ad hunc me ſtatum euehens. Cogita, quod id quod dico, ne vel apex ſit eorum, quæ dici de hac re poſſunt: nam ea ſolum hic dixi, quæ, vt hunc viſionis & gratiæ quam animæ Deus dat, modum exponere & declarare poſſem, dicenda erant: ſed quidnã tunc anima ſentiat, cum ſua ei Dominus ſecreta & magnalia patefacit, dicere & deſcribere non valeo: nam tantam id voluptatem & ſuauitatem includit, vt omnes quæ haberi hic in mundo & dari poſſunt, tam multis hoc interuallis antecedat, vt hominem non ſine ratione eas contemnere & repudiare faciat, cum hæ ſimul omnes iunctæ, nonniſi meræ ſordes ſint. Immò prorſus indignum eſt, haſce voluptates cum illis æquiparare, eſto etiam ſemper & in æternum illis frui quis poſſet. Omne autem ſolatium, quod hic in mundo Dominus dat, non niſi aquæ eſt guttula, vaſti illius fluminis, quod nobis præparatum eſt. Pudor id eſt; & ſane pudet me mei, & ſiquidẽ in cœlo locum pudor habere poſſet, ego meritò plus cæteris omnibus ibi erubeſcerem. Cur tantum bonum, ac voluptates, & gloriam in æternum duratura, boni Ieſus diſpendio habere volumus? Annon ſaltem, vnà cum filiabus Ieruſalẽ, flebimus, cum illum in cruce ſua ferenda, vt Simon Cyrenæus, non adiuuemus? Quid? nũ per voluptates & recreationes fruemur eo, q̃ ipſe pretioſi ſanguinis, quẽ tam copiosè effudit, pretio nobis cõparauit? Eſt hoc prorſus impoſſibile: nã per vanos mũdi honores reſarcire nos poſſe putamus cõtemptum illũ, quẽ ipſe olim in mundo ſubijt, vt ſic ipſi æternũ regnem? a impertinens hoc eſt: non eſt hæc via; erramus, nunquã illuc pertingemus. Has porrò veritates plenis vocibus R. Vra vbiuis locorũ deprædicet, cũ hanc mihi libertatẽ Deus non dederit: vellẽ ſanè eas mihimet ipſa identidẽ & nunquã non inclamare; ſed tardè admodũ me audio, & Deũ loquẽtem audiui, ſicut ex his q̃ ſcripſi colligere erit; vnde magna mihi confuſio eſt, hac de re loqui, ac proinde tacere cupio. Hoc vnũ dũtaxat dicam, q̃ aliquando mecũ ipſa conſidero (Dñs eo me faciat peruenire, vt bono hoc frui poſſim (ò qualis accidentalis gloria & recreatio Beatis hoc iã de facto fruentib⁹ erit, cũ videbunt, quod (tametſi ſerius) propter Deũ nihil omiſerint facere eorũ; q̃ facere potuerunt! & quod omnia, quæ ipſorũ & vires & ſtatus dare permiſerunt, omnimodis ei dederunt! & qui plus fecit, plus etiã voluptatis capiet. Quam is ſe diuitẽ eſſe cõperiet, qui diuitias omnes ꝓpter Chriſtum reliquit! q̃ honoratũ is, qui honorem propter eum non ambiuit, ſed ſumopere gauiſus eſt, dũ valdè ꝓfundè deprimeretur! q̃ ſa-

Dici non poteſt quid anima ſentiat cũ ſua ei ſecreta Deus reuelat.

pientem

pientē is, qui lætatus eſt, dū velut fatuus & irriſus & habitus eſt, cū & ipſa Dei ſapiētia inſtar fatui irriſa ſit! q̄ hodierna die paucos, peccatis noſtris id impedientib⁹, tales inuenire eſt! vt penitus iā defeciſſe videātur ij, quos mundani ideò vt ſtultos reputabant, ꝙ eos heroica & generoſa veracium amatorū Chriſti, opera facientes, cernerent. Quā tuus, ô munde, munde, honor indies creſcit, eò ꝙ paucos qui te pernorint, inuenire ſit! magis etiā, ſi ipſi nobis perſuadeamus, Deo iam gratius eſſe ac magis placere, ꝙ ſapiētes & diſcreti paſſim habeamur. Et ita prorſus ſe res habere debet, ꝓut quidē hodie diſcretionis haberi rationē video: nam ſtatim alios putamus ſcandalizandos, & nō ædificandos, exteriorē cōpoſitionem & autoritatē, in ſuo quiſq; ſtatu, non p̄ferat, aduſq; Monachū, ſacerdotē ſæcularē, monialē, nemo eſt cui nō nouitas, & ſcādaloſum ꝓ infirmis, eſſe videatur, veſtes detritas & rappeciatas ferre; vti & ſolitudinē ſæpè ſectari, & orationi inſiſtere, ꝓut quidē hodie mundi ſtatus eſt, & iā eorū quæ ad pfectionem ſpectant, nec nō magni illius, quē olim Sancti p̄ferebant, feruoris obliuio inualuit. Vnde in ea ſentētia ſum, vt plus nocere, & diſſolutionem ſæculi p̄ſentis magis promouere exiſtimo, q̄ fortaſſe quis inde ſcandalizaretur, ſi Religioſi ita opere ipſo oſtenderent, ſicut docent verbis, q̄ parui mundus vniuerſus faciēdus ſit: nā tali è ſcandalo inſignes Dñs fructus colligit; &, ſi fortè aliqui inde ſcandalizentur, alij tamen per hoc ad conſcientiæ remorſum excitantur. Vtinā hodie ſaltē rudis quædā expreſſio & imitatio vigeret eorū, q̄ tum Redemptor noſter Ieſus, tū Apoſtoli eius paſſi ſunt & fecerunt: illa ſiquidem hodie magis opus eſt, q̄ vnquam fuit. Talis haud dubiè fuit benedict⁹ ille Fr. Petrus de Alcantara, quē non ita pridem Dñs ad ſe euocauit: nō is iā mundus eſt, vt tantā perfectionē ferat. Dicūt nāq; corpora & valetudines hominū iā debiliora eſſe, nec eſſe iā ſicuti ſuperiorib⁹ ſęculis fuit. Sanctus tamen hic vir, huius temporis fuit; at ſpiritus eius tā erat validus & potens, ac præcedentibus paſſim eſſe ſolebant; atq; hæc cauſa eſt, cur mundū ipſe conculcarit. Et eſto, nudi, vt ipſe, nō incedamus, nec tantā auſteritatem p̄feramus quantā ipſe; multa tamen ſunt, ſicut iam aliàs dicere memini, ad mundum ꝓculcandum media; & hæc Dñs ſuggerit & edocet, dū generoſum aliquem animū videt & reperit. Quā vero eū magnum ac generoſum Maieſtas eius Sancto huic, quem dico, viro dedit, ad 47. annos, tā (vti nouimus oēs) auſterè & ſeuerè viuendū? de qua auſteritate aliq̄d hic dicere volo; quia q̄ de ea dictura ſum, veriſſima fore ſcio. Ipſe mihi & alteri cuidā, à quo non multū ſibi cauebat (mihi quidem, ꝙ magno me amore proſequeretur; placuit quippè Dño, hunc mihi tempore illo anguſtiæ, de quo & locuta ſum & adhuc loquar mihi defenſorem & animatorem dare) dixit, ſe quadraginta (ſi benè memini) annorum ſpatio non plus quam ſeſquihora per noctem ac diem dormiſſe, & maximum

Diſcretio hodierna quam ſit noxia.

Quantum inde ſequeretur boni, ſi Religioſi opere exhiberent, quod verbo docent.

B. F. P. Petri de Alcantara ſanctitas.

Pœnitētia eiuſdem.

mum auſteritatis ac pœnitentię laborem, quem in principio habuit, fuiſſe ſomnum ſuperare; atque hinc ſemper aut genua flectebat, aut ſtabat erectus: cum autē dormiret, dormiebat ſedens, ac paxillo, qui hac de cauſa in pariete fixus erat, capite innitens: nam extenſus, quantumuis voluiſſet, dormire non potuiſſet; cella quippè eius, vti norunt omnes, nonniſi quatuor & medio pedibus longa erat. Omnibus illis annis nunquam caput caputio texit quantumlibet ſol ferueret, aut cœlo plueret. Semper quoque nudipes inceſſit; veſtis autem eius alia non fuit, quam quædam è nautico & rudi panno confecta, ſine alia interiori ad carnes; & erat hæc tam anguſta & arcta quam eſſe poterat: palliolum quoque, quod ei ſuperinijciebat, eiuſdem erat materiæ: & hoc, dum frigus intenſum eſſet, ſeſe, mihi dicebat, ſolitum deponere, oſtium vero & feneſtellam cellulæ aperta habere, vt, cum poſtea palliolum hoc reſumebat, & oſtium claudebat, corpus ſuum recrearet, quod illud maiore calore frueretur & refocillaretur. Vt plurimum, nonniſi tertio quoque die comedebat; dicebatque mihi, non debere id mihi videri: eſſe quippè id factu facilè ei, qui huic ſe ieiunio aſſuefaceret. De ſocijs eius nonnemo mihi narrauit, eum etiam ad octiduum aliquando cibo abſtinuiſſe. Id tum fuiſſe credo, cum in oratione verſabatur; nam ſubinde magnos raptus, & intenſos diuini amoris impetus patiebatur; vti meis ipſa oculis ſemel vidi. Paupertas eius extrema fuit; in adoleſcentia quoque valde ſe ſtudio mortificationis addixerat; vnde mihi retulit, ſe in quodam ordinis ſui Conuentu triennio ipſo commorantem, neminem è fratribus de facie, ſed de voce dumtaxat, nouiſſe: oculos quippe nunquam ſuſtollebat, ita vt nec loca ſciret, ad quæ neceſſario eum ire oportebat, ſed alios fratres, eodem pergentes, ſequeretur. Hoc ei in ipſa via accidebat. Mulieres nunquam intuebatur, idque ad multos annos obſeruauit: poſtea vero eò iam ſe dicebat peruenisſe, vt non plus moueretur videndo, quam non videndo; ſed erat ſenex admodum, vbi primum eum noſſe cœpi, & ita exſuccus & exhauſtus, vt nonniſi ex aridis arborum radicibus compactus eſſe videretur. Ad hanc morum ſanctitatem mira accedebat affabilitas; attamen verborum erat paucorum, niſi cum aliquid interrogaretur: in loquendo autem valdè erat lenis & blandus, quod bono eſſet præditus ingenio. Multa alia de hoc viro dicere vellem, niſi vererer, ne R. V. diceret, hæc extra propoſitum meum eſſe, & nihil ad me pertinere, & ſanè ne hæc quidem, ſine metu ſcripſi: quocirca finem facio, ſi addidero, talem eius fuiſſe mortem, qualis vitæ curſus: fratribus enim circumſtantibus prædicando, & identidem eos admonendo, vbi mortem iamiam imminētem vidit, Pſalmum illum Dauidis, *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi*, decucurrit, & genua flectens, ſpiritum Deo reddidit. Placuit vero Domino, vt iam mortuus maio-

Illius mortificatio.

S. Matris poſt mortē apparet.

maiorem mihi opem tulerit, benè mihi pluribus in rebus consulendo, quam fecerat viuus: sæpè namque eum vidi maxima gloria circumfusum. Cum primum se mihi spectandum daret, dixit, beatam & felicem esse pœnitentiam, quæ tam amplo remunerata sit præmio; & alia complura. Vno antequam vita excederet anno, absens licet, mihi apparuit; Ego autem illum breui demoriturum sciens, id ei significaui, esto aliquot leucis hinc distaret. Cum vero spiritum iam Deo redderet, apparens mihi dixit, se iam ad requiem abire: ego autem id non credens alijs nonnullis id narrabam: & ecce, octiduo post nuntiatum est, illum iam mortuum esse, vel, vt melius loquar, incepisse in æternum viuere. Hæc igitur vitæ asperitas & rigor, tam luculentum gloriæ præmium recepit; qua ille iam perfruens, magis ac sæpiùs me consolari videtur, quam dum inter mortales mortalis ageret. Quodam tempore mihi Dominus dixit, nihil omnino homines in eius nomine, à se petituros, quod non essent impetraturi: & sane multa quæ ego illi, vt à Domino præsens peteret, commendaui, adimpleta vidi. Sit autem Dominus in æternum benedictus. Amen.

Quam Domino sit gratũ, quod in nomine Sanctorũ inuocetur.

Sed, quam multis equidem hic vsa sum verbis, ad R. V^ram excitandam, vt, quidquid huius vitæ est, nihili faceret, quasi id ipse nescires, & non iam firmiter proposuisses omnia deserere, & opere ipsum etiam præstitisses. Tantam porro in mundo perditionem, & corruptionem video, vt, esto hæc dicendo non proficiam, quam quod me hæc scribendo defatigem, hoc tamen ipsum mihi recreationi sit; nam quidquid hic dico, cõtra me ipsam est. Ignoscat mihi Dominus, quidquid hac in re cõtra ipsum deliqui, ignoscat mihi quoque R. V^ra, quod sine vlla necessitate & præter propositum illi molesta sim. videor quippè velle, vt ipsa luat, & pœnitentiam agat pro omni eo, quod hic ego deliqui.

Caput XXVIII.

Refert singvlares, qvas ei dominvs praestitit gratias, & quomodo ei prima vice apparuerit, simul declarat, quid sit visio imaginaria; necnon magnos effectus, & signa, quæ ipsa cum à Deo venit, post se relinquit, describit. Caput hoc vtile cumprimis est, & notabile.

VT ergo ad propositum redeã, multos in illa quam dixi visione dies hæsi, vtpote quæ valdè continua fuit, tantumque mihi illa profuit, vt ab oratione non discederem; immò omnia quæ agebam, sic facere allaborarem, vt non displicerem ei, quem eorum testem & inspectorem esse tam apertè videbam: & esto subinde apud memet ipsa timerẽ, quod tam

multa mihi in dies dicerentur, timor tamen hic diuturnus non erat, quod me Dominus ſecurã redderet. Cum ergo quadã die in oratione verſarer, placuit Domino ſuas dumtaxat manus mihi oſtendere; quæ ſanè tam excellentis pulchritudinis erant, vt eam verbis ſatis exprimere non poſſem. Vnde cæpi metuere: omnis quippe nouitas ſemper me initio valdè timidã & paũidam reddit, quamcunq; demum ſupernaturalem gratiam mihi Dñs præſtet. Paucis poſt diebus, vidi quoq; diuinam eius faciem; cuius aſpectus planè me, vt quidem mihi videtur, abſorbuit. Intelligere nõ poteram, cur ſe Dñs, quaſi per partes, & paulatim magis ac magis oſtenderet, cum poſtea gratiam mihi facturus eſſet, vt eum totum viderem: quoadũſque poſtea intellexi, Dominum in eo ſe naturali meæ imbecillitati conformaſſe & adaptaſſe. Sit ipſe in æternum benedictus: nam tam abiectum & vile ſubiectum, tantam gloriam ſimul ſe exerentem ferre nõ potuiſſet; & Dñs, vtpote qui id benè nouerat, pro ſua bonitate id ita diſponebat. Videbor fortaſsè R. Veſtræ magno, ad manus & faciem ita formoſam aſpiciendam, robore opus non habuiſſe: ſed nouerit oportet, corpora glorioſa ita pulchra eſſe, tantamq; vndequaq; gloriã ſpirare; vt rei tã ſupernaturalis: & ita eminenter pulchræ aſpectus hominẽ velut extra ſe rapiat, & velut dementem reddat: hinc fiebat, vt ita timerem, vt præ timore turbarer & conſternarer; etſi paulò poſt planè ſecura redderer & certa, & eiuſmodi in me ſentirem effectus, vt omnis mox timor abſcederet.

Dominus Ieſus ſuas ei manus oſtendit.

Item faciem.

Corporum Beatorum pulchritudo.

Quodam die S. Paulo Apoſtolo ſacro, dũ Miſſam audirẽ, ſacratiſſima illa Chriſti Dñi humanitas, totã ſe mihi videndam exhibuit ea prorſus in forma, quã è ſepulchro glorioſus reſurgens depingi ſolet, talem pulchritudinem & Maieſtatem præferens, qualẽ tũc in particulari R. Veſtræ deſcripſi, dũ id mihi exactè iniungeret: q̃ ſanè ſatis mihi grauẽ fuit; neq; enim quis id dicere poteſt, niſi magnã ſibi pœnam inferat: porrò tunc id q̃ potui optimè & clariſſimè deſcripſi; quãobrem neceſsè non eſt hoc loco, q̃ aliàs dicta ſunt, repetere: hoc ſolũ dico, q̃ eſto in cœlo non aliud oculorũ oblectamentum foret, q̃ ſumma glorioſorum corporum pulchritudo, nimis quã magna ea gloria ſit, præſertim ipſam humanitatẽ Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti videre: Locũ hoc habet quòq; etiã cum ſe Maieſtas eius hic in terra, nonniſi ſecundũ imbecillitatis noſtræ capacitatem, ſpectandã dat: quid ergo erit in cœlo, vbi tanto bono ſimul & ſemel frui datur? Sed licet viſio hæc imaginaria ſit, nunquã tamen corporeis eã oculis intuita ſum, vti nec vllam aliã, ſed dũtaxat oculis animę. Qui verò maiorẽ harum rerum peritiam habent, quam ego, dicunt viſionẽ de qua ante locuta ſum, perfectiorẽ eſſe hac, & hanc perfectiorẽ eſſe ijs, q̃ corporeis oculis videntur: tradunt enim hoc viſionũ genus, inter viſiones infimũ eſſe, & plus illuſionib⁹ diabolicis obnoxiũ: quanquã id tunc quidẽ mihi perſua-

Dominus totum ſe videndum exhibet.

Magna in cœlo gloria vel corpora glorioſa videre.

dere

tua dere nõ poterã; ſed volebam quã maximè, vt, quoniã huiuſmodi mihi gratia fiebat, corporeis eã oculis poſſẽ intueri, ne Confeſſarius mihi diceret, oculos meos faſcino detineri & illudi. Quin imò, cũ illa iã præterijſſet, q̃dam incidebat mihi cogitatio (& quidẽ ſtatim, ſtatim) nũ fortè oculi mei deluſi fuiſſent, & me torquebat & angebat, q̃ id Confeſſario meo ſignificaſſem, mecũ cogitans an nõ fortaſsè eum decepiſſem. Erat itaq; hoc noua lachrymarũ ac doloris materia; quare me ad eum cõferebam, & doloris mei occaſionẽ narrabam. Rogabat is me, an id tantum mihi ita videretur, an vero dato ſtudio ipſum decipere voluiſſẽ. Ego ſincerè ei, q̃ à parte rei erat, dicebã: nã, meo iudicio, non mentiebar, neu mentiri voluerã; imò, ne quidem propter omnia quę in mundo ſunt, vnũ pro alio narraſſem. Noueram hoc ipſe, itaq; me ad quietem reducere conabatur. Ita etiã à parte mea mihi graue & permoleſtum erat, cum id genus nugis, ipſum adire; planè vt neſciam, quomodo ſuggerere mihi diabolus potuiſſet, ipſum vt fingerem, quo me ipſa excruciarem & torquerem: ſed Dñs ipſe in hac gratia mihi præſtãda, & veritate hac declaranda, ita feſtinabat, vt quãto cyus hæc à me anxietas, & ſcrupulus an hoc nõniſi mera oculorum illuſio eſſet, abſcederet; ac meum ipſa ſtuporem ac ſimplicitatem poſtea nimis quã apertè perſpexi. Nã etſi ad multos annos mecum ipſa imaginando cogitarẽ, quomodo rẽ tam ſpecioſam effingerẽ, hoc tamen facere penitus nec poſſem, nec ſcirem; longè quippe ea excedit omne id q̃ hic imaginatione cogitando ue poteſt effingi, imò etiã ſolus eius candor & ſplendor: neq; enim ſplendor eſt, qui viſum p̃ſtringat; ſed ſuauis quidam cãdor, & infuſus ſplendor, qui oculos viſumq; maximopere recreet, nõ fatiget; vti eſt & claritas, q̃ ad tam diuinam hanc pulchritudinẽ ſpectãdam accedit. Eſt autẽ lumen, ita diuerſum ab eo q̃ hic in terra videtur, vt ipſa ſolis claritas quam omnes videmus, cum claritate & lumine q̃ hic viſui repræſentatur, comparata, ita obſcura & obfuſcata videatur: vt ne oculos ſuos quidẽ, ad eã vidẽdam, quis ſemel aperire dignaretur. Perinde namq; eſt, ac ſi hinc, aquam limpidiſſimam, in fundo cryſtallino, ſolaris radijs repercuſſo, fluitantem cerneres; & huic aliam valdè turbidam, in tẽpore nubilo, & præterea per ſordidam terræ ſuperficiem currentem opponeres. Non quod hic aliquis ſe ſol oſtendat, aut lumen ipſum ſicuti lumen ſolare ſit; verumtamen hoc naturale quoddam videtur eſſe lumen, & aliud illud non niſi factitium atque adumbratum. Lumen ſcilicet eſt, quod noctem & obſcuritatem non habet; ſed quia ſemper lumen eſt, hinc nihil eſt quod ipſum queat impedire aut obfuſcare. Denique id tale eſt, vt quantumlibet acuto, & præſtanti quis ingenio eſſet, toto tamen vitæ ſuæ tempore imaginando concipere non poſſet, quomodo id ſit: Deus tamen id tam repentè & ſubitò oſtendit, vt, etſi ei cernendo oculos aperire

S. M. mirè affligebatur cum Confeſſario ſuas aperiebat viſiones.

Deſcriptio lumẽnis & ſplẽdoris Domini cum alicui apparet.

Quam repente tamẽ hoc appareat.

aperire neceſſe foret, illis aperiendis homini ne quidem tempus eſſet: ita ſcilicet derepentè id affulget. Verum non plus refert, apertine illi ſint, an clauſi, cum id nos Dominus videre voluerit, velimus nolimus id videre debemus. Nulla eſt diſtractio, quæ ei impediendo ſufficiat; nulla potentia quæ reſiſtat; nulla etiam diligentia ac ſolicitudo, quæ ad hoc habendum par ſit. Hæc ipſa ſatis reapſe experta ſum, vti poſtea declarabo.

Iam verò declarare velim, quo ſe Dominus modo in hiſce viſionibus ſpectandum det: non dico me oſtenſuram, qua ratione in interiori ſenſu, tam vehemens ac forte lumen, & in intellectu tam clara imago, vt verè ipſe illic præſens adeſſe videatur, poſſit cõſtitui: hæc namq; ad viros doctos ſpectat tractatio. Et noluit mihi Dominus modum, quo id fiat, declarare; adhæc adeò ipſa ignara, tanquam obtuſi ingenij ſum, vt hactenus id intelligere non potuerim, quantumlibet id mihi alij exponere ſint conati. Certum autem id eſt, quamuis R. V^ra me felici & acuto eſſe ingenio opinetur, ſtupido tamen & obtuſo me eſſe: nam quẽadmodum multis in rebus experta iam ſum, ipſum non aliud aut plus comprehendit, quam quod (vti dici vulgò ſolet) ei comedendum præbetur. Qui mihi à confeſſionibus erat, ſubinde meas mirabatur ignorãtias, nec vnquam vel is mihi aperiebat, vel ego ſcire cupiebam, quo Deus hoc vel illud modo feciſſet, aut hoc illud eſſe poſſe potuerit: nec etiam id vnquam interrogaui, eſto, vti ſupra dixiſſe memini, iam à multis annis cum viris doctiſſimis agere conſueuiſſem. Hoc porrò rogabam, num, quid peccatum eſſet, nec ne; ac de reliquo aliud mihi opus non erat, quam cogitare, Deum omnia condidiſſe; ac videbam, me nullam admirandi, ac magnam eius magnificandi ac laudandi occaſionem habere; immò ad deuotionem potius mẽ mouebant res difficiles & ſublimes, & quo illæ erant ſublimiores, eo mouebar magis. Dicam ergo, quod reipſa, & per experientiam vidi; ſed quo id Dominus modo faciat. Reu. Veſtra melius exponet, & ſimul quidquid obſcurum erit, & ipſa explicare non potero, apertius declarabit. Nonnullis quidem è rebus videbatur mihi id, quod videbam, imago quædam eſſe; ſed ex alijs multis rebus, non imago quædam, ſed ipſemet Chriſtus eſſe videbatur: idq; colligebam è claritate, in qua is ſe mihi oſtendere dignabatur. Nonnunquam ita in confuſo id fiebat, vt nonniſi imago mihi eſſe videretur; non tamẽ talis, quales ſunt in mundo expreſſiones hominum in tabula, quantumlibet eæ perfectæ ſint; eſto viderim permultas quæ ſuum archetypum egregiè referebant. Stultum quippè eſt, putare, quandam inter vtrumque hoc imaginum genus ſimilitudinem dari poſſe; tanta enim inter vtramque eſt differentia, quanta inter hominem viuum & ſpirantem eſt & illius picturam: nam quantumuis ſcitè & ad viuum quis depictus

Exponere conatur quomodo hæc viſio ſibi facta ſit:

depictus sit. ita tamen propè ad naturam ipsam accedere non potest, quin ad oculum tandem pateat, nō esse nisi quid mortuum & vita destitutum. Sed, esto hoc hic ad propositū mirè faciat, ei tamen diutius inhærere nolo. Non dico autem, id similitudinem quandam esse (quia similitudines nunquam ita exactè per omnia respondent) sed ipsissimam veritatem: quia tanta est inter hanc & reliquas imagines differentia, quanta inter quid viuum & quid depictum: nam si imago est, est imago viua; non homo mortuus, sed ipsemet Christus viuus, atque satis ostendit, hominem se simul esse ac Deum, non qualis in sepulchro iacebat, sed qualis iam resuscitatus inde surrexit. Et aliquando tanta apparet cum maiestate, vt dubitare nemo possit, quin ipsemet Dominus sit, præsertim post Sacram Communionem: scimus quippe iam tunc indubitanter, illic eum præsentem adesse, ita namque nos fides docet. Ita porrò se huius domicilij Dominum esse ostendit, vt anima prorsus annihilata, in Christum se absorberi & consumi quodammodo videat. Vtinam vero, mi Iesu, indicare verbis possim, quanta cum maiestate te spectandum præbeas, & quam veniuersi orbis terrarum, cœlorum & aliorum mille mundorum, & infinitorum mundorum ac cœlorum quos creare posses, Dominum te esse ostendas: quos omnes anima, pro maiestate quidem qua te vidēdum das, indignos & nihil prorsus esse intelligit, vt tu illorum Dominus sis & dicaris. Hic quoque clarè apparet, mi Iesu, quam exigua & eneruis diabolorum omnium sit potentia, si cum tua conferatur, & quomodo, qui te amicum habet, vniuersam tartari vim & nequitiam possit proterere. Hinc quoque colligitur, quam merito cacodæmones, te ad limbum patrum descendente, metuerint, & mille alios infernos profundiores optarint in quos se abderent, ne tantam maiestatem coram aspicerent: ac simul ipsa video, declarare te animæ velle quam magna sit sacratissima illa humanitas, diuinitati coniuncta, & quanta eius potentia. Hic item apparet, quid erit, in iudicij extremi die hanc Regis huius Maiestatem, eiusque erga damnatos & reprobos seueritatem intueri. Hic quoque vera est humilitas, quam in anima relinquit, quod scilicet suam ipsa miseriam intueatur: nam non potest eam non intueri. Hic denique confusio, & verus de commissis peccatis dolor, ac pœnitentia: nam, quamuis amicè se anima à Domino haberi videat, vbi se tamen ab eo abscondat nescit; atque inde est, quod tota annihiletur. Dico itaque, hoc visionum genus, cum scilicet Dominus insignem quandam magnitudinis & maiestatis suæ partem animæ ostendere vult, tam esse efficax, vt mihi prorsus impossibile videatur, creaturam aliquam (nisi eam Dominus valdè supernaturaliter, scilicet per raptum quendam & exstasin, in quo nimirum visus diuinæ illius præsentiæ visionem per eiusdem fruitionem amittat, adiuuare vellet)

Quomodo ei Dominus appareret, & quæ maiestate.

hoc ferre posse. Verum quidem est, animam postea eius obliuisci: attamẽ maiestas illa & pulchritudo ita illi impressa manent, prorsus vt impossibile sit eam illius obliuisci, nisi forte tunc cum eam Dominus in magna quadam ariditate, solitudine & desolatione, de qua loquar infra, versari cupit: nam tunc etiã Dei ipsius videtur obliuisci. Alioqui manet hic anima quasi tota alia, & semper in Deum absorpta: imò verò viuus quidam Dei amor ei de nouo cõmunicari videtur, & quidẽ (vt mihi videtur) in summo quodam gradu: nã quamuis superior illa visio, quæ sine imagine Deũ (vti dixi) repræsentat, sublimior sit, vt tamen illius memoria exinde nostræ imbecillitati conformis maneat, quò sic cogitationem ab illa benè occupatam vbique circumferamus, hinc magnum quid est, vt tam diuina præsentia benè repræsentata, & in imaginatione insculpta maneat: atque inde est, quod duplex illud visionum genus semper simul veniat: quod reuera ita fit; animæ namque oculis sanctissimæ humanitatis excellentia, pulchritudo, & gloria videtur; & per alium illum modum, quem dixi, nobis declaratur, Deum esse, ipsumque potentem esse, omnia posse, omnia imperare, omnia gubernare, omnia deniq; amore suo adimplere. Hæc autem visio permagni facienda est, & (vt mihi quidem videtur) nulli obnoxia est periculo; ex effectibus quippe colligi potest, nihil omnino hic diabolum posse. Ter quaterue (quantum memini) ipsum Saluatorẽ Christũ hoc ille modo mihi repræsentare voluit, in falsa ac mendaci repræsentatione; formam quidem carnalem tunc assumit, at gloriam illã, quæ formam hanc sequitur, cũ à Deo visio hæc venit, imitari nequit: facit autem has repræsentationes, vt veram visionem quã anima habuit, destruat; sed ipsa ita illis resistit, itaq; turbatur, & nauseabunda fit & inquieta, vt omnẽ q̃ antea habebat, deuotionem & suauitatis gustum amittat, itaq; prorsus sine oratione maneat. Hoc mihi ter aut quater in principio, sicuti dixi, contigit. Ea porro inter vtrumq; differentia est, vt eũ etiã qui orationem quietis dumtaxat habebit, facilè id ex effectibus, quos ipsa dũ de internis locutionibus agerem, prosecuta sum, putẽ posse intelligere. Res est satis euidens & manifesta, & nisi anima spontè & vltrò decipi velit & illudi, vix fieri posse puto, vt, si in humilitate & simplicitate ambulet, à dæmone decipiatur. Nam qui veram aliquam à Deo visionẽ habuit, id ferè statim & quamprimum percipit: esto enim hæc à suauitate & consolatione incipiat, eam tamen animam, quam citissimè à se abijcit: quin & suauitas illa quam dæmon dat, longè, meo iudicio, alia esse debet, vtpotè quæ nulla puri ac casti amoris signa det. Vnde statim is se prodit, & ostendit quis sit; adeò vt ei qui aliquam habet experientiam, nullum dæmon, vt mihi quidem videtur, irrogaturus sit damnum. Vt autem hæc visio nonnisi imaginatio sit, prorsus est impossibile, & nullam verisimilitudinem habet; nam vel so-

Ter eam aut quater diabolus per falsam repræsentationem Christi decipere conatus est.

Descriptio gustus quẽ diabolus dat.

vel ſola manus vnius pulchritudo & candor, omnem imaginationē noſtram longè excedit. Adhæc, quomodo in momento coram nobis & præſentia videre poſſimus illa, quorum nullā omnino habemus memoriā, & de quibus nunquam cogitauimus, & ad quæ per imaginationem concipienda longo nobis opus eſſet tempore? hoc quippe longè, vti dixi, altius aſcendit, quàm quod hic comprehendere poſſumus: adeò vt hoc impoſſibile ſit; & vtrum hic aliquid poſſimus, patet etiā ex eo quod mox dictura ſum. Si enim id per intellectum repræſentaretur (vt omittam quod magnas illas nō faceret operationes, quas ille facit, imo nullam prorſus) perinde eſſet, atque aliquis qui dormire quidem vellet, ſed tamen adhuc vigil manet, eo quod ei ſomnus nondum aduenerit; ſed ſi eum vel neceſſitas, vel capitis grauedo ad ſomnū inuitet (vt quidem & ipſe cupit) ſponte in ſomnum incidit: alioqui, eſto ipſe ad hoc connitatur, aliquid quidē ſe facere putabit; ſi tamen ſopor verus non ſit, ipſum ille nec reficit, nec caput confortat, quin imò illud nonnunquam adhuc inanius reddit. Ita quoque ex parte hic fit; vt ſcilicet anima inanis & vacua maneat, minimè autem nutriatur, aut corroboretur, ſed è contra defatigetur ac faſtidio laboret: ſed ex eo quod dico, vix verbis exprimi queat, quantum boni vtilitatiſque ſequatur, vt etiam corpus inde reddatur ſalubrius, & vegetius maneat.

Boni effectus illuſionis.

Hoc ergo argumentū, vti & alia id genus, opponebam, me à dæmone illudi & faſcinari (quod ſane perfrequenter mihi obijciebatur) dicentibus, nec non ſimilitudines quaſdam, prout poteram, & prout eas mihi Dominus ſuggerebat, adferebam: ſed parum per hæc omnia euincere poteram: nam quod hoc in oppido multi viri Sancti eſſent, quibus ego collata nōniſi mera corruptio erā & putredo, quos Deus tamen per hanc viā nō conducebat, ſtatim ipſi mali quid de me ſuſpicabātur; & peccata mea in cauſa fuiſſe videntur, vt hæc de me fama & ſuſpicio, velut in orbem, ab vno ad alium, obambularet; ita vt, eſto id nemini præterquam Confeſſario meo ſoli, aut ijs quibus id ipſe me declarare iubebat, aperirem, omnibus tamen paſſim res hæc innoteſceret. Inter alia ſemel ijs dixi, ſi, qui de me hoc dicebant, mihi iamiam ab alloquio cuiuſpiam, quē optimè noſſem, venienti dixiſſent, hunc ipſum non eſſe reuera illum quem putarem, ſed id mihi dūtaxat ita videri, & hoc ipſis ſole meridiano clarius eſſe, me hoc haud dubiè potius credituram fuiſſe, quam id quod videram: at ſi hic amicus præterea quædam mihi monilia, velut amoris ſui pignora, in manus conſignaſſet, quæ ante non habuiſſem, meque iam diuitem viderem cum antè paupercula fuiſſem, non poſſe me id, tametſi fortè vellem, credere. Addebam autem, hæc me monilia etiamnum poſſe oſtendere: quotquot enim me nouerant, ad oculum videbant, animam

meam penitus immutatam esse: vt taceam, idem quoque mei Confessarij de me fuisse iudicium. Hæc quippe mei mutatio omnibus in rebus ita manifesta & euidens erat, vt omnium in oculos passim incurreret. Dicebam namque, cum initio ita improba & peccatis assueta fuissem, me credere planè non posse, dæmonem, si hoc ad me decipiendam, & postea in tartara deturbandam, faceret, tam contrarium ad hoc medium & viam vsurpaturum, vti erat, meas à me imperfectiones auferre, & earum loco virtutes, & robur spiritus suggerere; videbam namque sole meridiano clarius, me in momento, hisce rebus in planè alium hominem mutatam esse. Confessarius meus, qui (vti dixi) erat vir apprimè sanctus, de Societate Iesu, idem, prout postea intellexi, respondebat: erat namque vir mirè discretus, magnæque humilitatis: hæc autem magna eius humilitas multarum mihi molestiarum causa fuit; esto enim orationi esset addictissimus, & satis doctus, sibi ipsi tamen non confidebat, quod se Dominus per hanc viam non duceret: vnde ipse mea causa satis per omnem modum angebatur & torquebatur. Intellexi itaque, dictum illi à quoquam esse, vt sibi à me caueret, ne à dæmone, si quid eorum quæ ei dicebam crederet, deciperetur: afferebant ei ad hoc aliorum exempla: quod vti & alia omnia, maximopere me cruciabat; adeò vt vererer, vt tandem inuenire non possem aliquem, qui mihi confitenti aures dare vellet, sed omnes à me, velut profana fugerent: itaque in lachrymas tota resoluebar: sed Dei prouidentia ita eum permouit, vt me patienter ferre, & aures confitenti dare voluerit: erat quippe tam zelosus Dei seruus, vt eius causa nihil non tentasset: quare ipse mihi consuluit, ne Deum peccando offenderem, nec ab ijs quæ mihi suggerebat monitis & consilijs vel latum vnguem declecterem; & hoc si facerem, non esse quod vererer ne ab ipso desererer. Semper is me animabat & quietabat; nec non mandabat, vt nihil eorum quæ mihi accidebant, ipsum celarem: quod & exactè obseruabam. Dicebat autem, me, si hæc facerem, quamuis dæmonis hæc esset illusio, nullum ab ea damnum accepturam esse, quin imò fore, vt Dominus è malo, quod animæ meæ is intentare vellet, bonum ingens eliceret: vnde eam ipse omni qua poterat ratione perficere allaborabat. Ego vero, quia valde anxia & timida eram, ei in omnibus, quamuis imperfectè, obsequebar. Triennio & amplius, quo mihi, durantibus illis anxietatibus, confitenti aures dedit, satis molestiarum mea causa & per me passus est: nam in summis persecutionibus quas habui, & alijs pluribus in rebus, in quibus permittente Domino, sinistrè de me sentiebant & iudicabant (in quarum plerisque innoxia eram) semper ad ipsum recurrebatur; vnde ipse nullâ suâ culpâ, mea causa diuersimodè insimulabatur. Et sanè, nisi tantæ vir sanctitatis fuisset, & eum Dominus corroborasset, tantis

Confessarius, illius occasione, multas molestias pertulit.

tantis moleſtijs & obloquijs perferendis impar fuiſſet: hinc quippe pro me reſpondere debebat ijs, qui me in interitum ruere cenſebant, eique ſecus dicenti minimè credebant; illinc verò me ſecuram reddere, & qua laborabam anxietatem & timorem, alio maiori timore mihi iniecto, ſimul etiam me quietando, diſpellere. Nam poſt ſingulas viſiones, maximè cum quid noui in ijs intercurreret, permittebat Dominus, vt magnis timoribus & anxietatibus angerer; quod hauddubiè inde procedebat, quod tot peccata committerem, & aliàs commiſiſſem. Ipſe autem quam cordialiſſimè & pijſſimè me conſolabatur: &, ſi ſibi ipſe credere voluiſſet, equidem non tam multa paſſa eſſem: dabat enim ei Deus, vt veritatem in omnibus cognoſceret; nam & Sacramentum ipſum, quantum credo, ei lucem ſuggerebat. Serui Dei, quibus ſuſpecta eram, ſæpè mecum agebant; &, quoniam ego quædam ſimpliciter & inconſideratè effutiebam, hinc hæc ipſa ſecùs quàm ego illa protuleram, interpretabantur. Erga horum vnum mirè afficiebar; multis quippe nominibus anima mea ei obligata erat, eratque magna vitæ ſanctimonia: vnde ſummopere me torquebat, quod ab ipſo me viderem non intelligi; ipſe autem de profectu meo valdè ſolicitus erat, & vt Dominus me illuminare dignaretur: atque ita fiebat, vt quod (vti iam dixi) inaduertenter & ſine reflexione dicebam, id ex humilitatis defectu proficiſci arbitrarentur; & mox vt aliquam in me imperfectionem notabant (quæ ſanè non paucæ erãt) quamprimum omnia mea vt mala interpretarentur. Proinde nonnulla me rogabant; ad quæ cum ſimpliciter & ſine vlla reflexione reſponderem, ſtatim me putabant ipſos docere velle, meque ipſam vt doctam & verſatam reputare. Quæ omnia mox ad Confeſſarium meum referebantur: nam reuera de bono & progreſſu meo illorum nemo non laborabat: ipſe autẽ quamprimum me obiurgabat. Et hoc ſatis diu durauit, vt multis ex partibus afflicta eſſem; verum gratijs, quas mihi Dominus faciebat, corroborata, omnia peruincebam. Hoc ideò refero, vt pateat quã difficile, & moleſtum ſit, cum homo neminem habet, qui in hac via ſpiritus ſit verſatus: niſi enim ſuo me Dominus auxilio in tantum ſuffulſiſſet, neſcio profectò quid mihi futurum fuiſſet. Erant ſanè nonnulla, quæ nimis quam ſatis erant ad me ad inſaniam redigendam: imò ſubinde eo me redactam ſenſi, vt quid agerem penitus ignorarem, quam oculos meos ad Dominum ſuſtollere: nam bonorũ virorum contradictio, improbæ & imbecilli mulierculæ (qualis ego ſum) vt meticuloſæ, nihil (vt ita dicam) eſſe videtur; inter omnes tamen afflictiones ac moleſtias, quas in vita mea habui maximas, hanc ſanè reputo grauiſſimam: faxit Deus vt Maieſtati eius aliquod hac in re obſequium præſtiterim: certa quippe ſum, eos, qui me condemnabant, & aduerſabantur, inſigne hac in re ei obſequium præſtitiſſe, om-

Quomodo timorem eius Confeſſarius curaret.

Vndiq; S. M afflicta fuit.

nemque hanc operam ad vtilitatem & bonum meum assumpsisse & direxisse.

CAPVT XXIX.

MATERIAM QVAM CAEPIT, PROSEQVITVR, ET SINGVLAres quasdam, quas à Deo accepit, gratias refert; & quid sibi Dominus, ad se securam reddendam, & sibi contradicentibus respondendum, dixerit.

AEQVO longius à proposita mihi via deflexi; decreueram quippe rationes tradere, è quibus colligi posset, visionem illam priorem imaginationem non esse: quomodo enim ipsi per operationem & conatũ intellectus, ipsam Christi humanitatem nobis repræsentare, & eximiam eius pulchritudinem per imaginationem concipere possemus? multo sanè tempore opus foret, etiam ad imaginandum aliquid quod ei aliquatenus assimiletur. Possumus quidem eam imaginationi nostræ obijcere ac repræsentare, & aliquamdiu in ea intuenda hærere, figurasque quas habet & albedinem eius considerare, & hanc ipsam paulatim magis & magis perficere, hancque imaginem memoriæ consignare: quis enim hoc impediat? cum intellectu meo eam fabricare & formare possim. Verum in eo de quo hic agimus, hoc fieri prorsus nequit: sed, cum Domino eam repræsentare placuerit, eam nos necessariò intueri oportet, & sicut ipse volet, & quodcunque volet; vt in nostra manu non sit, quidquam de eo aut demere, aut ei addere, quantumlibet connitamur; aut, cum volumus, ipsum videre, aut cum nolumus, non videre: quin imò, statim ac particulare aliquid videre cupimus, Christi visio amittitur. Duobus annis & medio durauit, quod hanc mihi Dominus gratiam vt plurimum præstitit; sed iam ab hinc triennio & amplius, illam mihi hoc modo, per aliam longè sublimiorem (vti fortasse infra dicam) valdè cõtinuò abstulit: & licet viderem quod me alloqueretur, & ego summam illã pulchritudinem, & qua suauitate verba illa ore illo pulcherrimo & diuino eloquatur (etsi interdum etiam rigorem præferat) considerarem; ac summopere desiderarem scire qualis oculorum eius esset color, quæ eorum magnitudo, quò hoc alijs possem referre; nunquam tamen id videre merui, &, quomodocunque id coner, semper frustra sum; in eò, ipsa visio potius penitus mihi deperit. Interdum quidem, fateor, video, quod me blandè & amicè intueatur; sed aspectus hic tam est potens & efficax, vt eum anima perferre nequeat, tamquerepentinus mox eum raptus sequitur, vt, quo ipso toto ea fruatur, pulchrum hunc aspectum amittat. Adeò vt velle & nolle locum hic prorsus non habeat; & liquido appareat, Dominum aliud

Duobus annis & medio hãc gratiam Deus præstitit, & eur eam abstulerit.

aliud non velle, quam vt humilitatem ac noſtri ipſorum confuſionem hic exerceamus, & fruamur eo quod nobis datur, & laudemus eum qui id dat. Habet hoc in omnibus viſionibus, nulla prorſus excepta, locum, nihil ſcilicet nos à parte noſtra hic poſſe, & omnem quam adhibemus diligentiam, nihil omnino prodeſſe, vel obeſſe, ad plus minuſue videndũ. Vult Dominus nos ad oculum videre, non eſſe hoc opus noſtrum, ſed à ſua Maieſtate id prouenire. Vnde tantũ abeſt, vt inde ſuperbire poſſimus, vt potius propterea nos humiliari, & timoroſos reddi oporteat, dum nimirum cernimus, quod ſicut Dominus liberam nobis poteſtatem eripit videndi id quod cupimus, ita hæc beneficia & gratias nobis auferre poſſit, & prorſus perire ſinere queat; itaque ſemper cum metu & tremore procedamus, quandiu in hoc exilij loco agimus.

Humilitate & confuſione in viſionibus opus eſt.

Quoties ſe Dominus mihi ſpectandum dabat, in ea penè ſemper forma apparebat, quam habuit dum ſepulchro glorioſus reſurrexit: ſic quoque in ſacra hoſtia ſe ſpectandum exhibebat; niſi quod interdum, ad me in aliqua tribulatione poſitam animandam & corroborandam, ſua mihi exhibebat vulnera, modò quidem in cruce poſitus, modò in horto cõſtitutus, rarò ſpineam coronam geſtãs, aliquãdo etiam crucẽ baiulans, idq; (vti dixi) ob meas & aliorum neceſſitates: vt ſemper corpus & carnem glorificatam preferens. In hoc autem alijs declarando multa opprobria, infamiam & moleſtias pertuli; ſæpè etiam propterea mihimetipſi timui, & ab alijs exagitata ſum. Tam enim certò me putabant à dæmone inſeſſam, vt nonnulli eum etiam exorciſmis pellere à me vellent: ſed parum hæc morabar: cæterum graue mihi erat, quod viderem Confeſſarios meos à mea confeſſione audienda deterreri, aut cum aliquid de me ad eos delatum ſciebam. Ceteroquin nunquam me pœnitere poterit, q̃ cœleſtes has viſiones viderim, & ne vnam quidem illarum cum omnibus mundi huius bonis & delicijs commutaſſem: ſemper quippe id vt ſingularem & magnam Dei gratiam interpretabar; & ſane id maximus quidam theſaurus mihi eſſe videtur; quin & Dominus ipſe ſæpè me ſecuram eſſe iubebat. Videbam me in eo amando plurimum proficere: vnde has omnes afflictiones meas illi queritabunda in oratione exponebam; neue ab ea vnquam ſurgebam, niſi conſolatione ac nouis viribus acceptis. Illis autem me opponere non audebam; quia videbam contradictionem meam adeò non prodeſſe, vt obeſſet potius; nam illam ex humilitatis defectu oriri cenſebant: ſed cum Confeſſario meo tractabam, qui dum me afflictam & mœſtam videret, identidem me conſolabatur. Cum autem viſiones increſcerent, vnus illorum qui antea me iuuare ſolebat (vtique is, cui ſubinde, P. Miniſtro impedito, confitebar) incipiebat dicere, certum & euidens eſſe, illuſionem diabolicã eſſe. Is me iubebat,

S. M. in libro suo, cui Castellum animæ nomen, hanc spiritus explorationem nõ probat, idque ob bonas rationes: & sane satius est, adsei ipsum introgredi, vti S. M. fecit, quã hanc Deo iniuriam facere.

bebat, cum iam nulla resistendi esset ratio aut modus, quoties aliquam visionem viderem crucis signum formare, dæmonemque exsibilando irridere, quod certò crederet, dæmonis illusionem esse, itaque fore vt nõ amplius ad me veniret; cæterum non timerem, Deum enim mihi auxilio futurum, & ab illusione liberaturum. Graue hoc mihi erat & peracerbum: quod enim credere non possem, quin esset Deus, idcirco hoc facere mihi horrendum & impium erat; nec, vti dixi, desiderare aut velle poteram, vt hoc à me auferretur: nihilominus faciebam quod faciendum iusserant. Deum itaque instanter orabam, vt me, ne à dæmone deciperer, cõseruaret. Hoc assiduè & identidem orabam, idque multis cum lachrymis; nec non SS. Apostolorum Petri & Pauli (quos Dominus, cum ipsorum die natali primum se mihi spectandum daret, me promisit seruaturos, & protecturos ne à dæmone deciperer) opem efflagitabam. Vnde eos sæpè quam clarissimè ad latus meum sinistrum adstantes conspexi, etsi non per visionem imaginariam. Erant ergo hi glorioſi Sancti singulares mei domini ac patroni. Illa autem per sannas explosio mihi erat quam pœnalissima, cum hanc Domini visionem videbam: quando enim eum præsentem videbam, nullatenus mihi persuadere potuissem, hunc esse dæmonium, esto me in frusta concidissent. Itaque erat hoc mihi graue tormentum & mortificatio; ac ne me toties signo crucis consignarem, crucifixum aliquem in manus sumebam. Hoc propè semper agebam; sed exsibilationem illam, non tam frequenter vsurpabam: erat hæc quippe mihi grauis & permolesta. Siquidem in mentem mihi veniebant iniuriæ & sannæ, quas olim Iudæi illi irrogarant, orabamque supplex, vt hanc mihi exsibilationem ignosceret, cum eam non aliter vsurparem, quàm quò obedirẽ ei quem in illius locum delegeram, mihique eam ad culpam non imputaret, cum hi ipsius essent ministri, quos sua in Ecclesia constituisset. Ipse autem aiebat, vt parum hoc morarer, adeo enim id culpam non esse, vt bene agerem, illis obediendo; se vero effecturum, vt rei veritas tandem palàm patèret. Dum autem orationem mihi inhibebant, videbatur id ipse molestè tulisse: proinde dicebat, responderem ijs, id meram esse tyrannidem. Adhæc, argumenta & rationes mihi suggerebat, è quibus intelligerem, non esse diabolicam illusionem: quarum aliquas postea referam. Cũ quodam tempore crucem, quæ de rosario pendebat, in manu haberem, sua ipse manu eam meæ eripuit; cumque eam mihi deinde redderet, è quatuor ingentibus compacta erat gemmis, quæ multo sine vlla comparatione adamantibus erant pretiosiores, &, quantum videre est, penè supernaturales; immò adamantes fictitium & imperfectum quid esse videntur, comparati cum gemmis in cruce illa apparentibus: præferebant autem hæ quinque Domini vulnera, quam scitissimè expressa. Aiebat

Dominus irascebatur cum orare vetabatur S. M.

Crucem gemmeam ei Dominus dat.

autem

autem, deinceps me crucem hanc vt gemmeam visuram; & ita reuera factum est, vt scilicet non lignum, è quo confecta erat, sed hasce gemmas viderem: at illas nullus videbat, quàm ego.

Mox vt has spiritus explorationes facere iussa sum, & apparitionibus resistere, gratiæ mihi vberius & copiosius in dies dabantur; cumque me distrahere conarer, nullatenus me poteram ab oratione diuertere, adeò vt etiam inter dormiendum orare viderer: hîc quippe amoris erat incrementum, & mea cum Domino expostulatio, & quod id ferre non possem; nec in mea manu erat (etsi id & vellem, & ad hoc maximè connitererer) de eo non cogitare; nihilominus, quantum poteram, obtemperabam; sed in hoc parum, aut certè prorsus nihil poteram. Et Dominus ipse núquam hoc à me abstulit; sed, esto vt id facerem suaderet, ab alia tamen parte reddebat me securam, docebatque quid ipsis responderem (vti & modo facit) tamq; sufficientes & prægnantes mihi dabat rationes, vt plane me conuincerent & securam redderent.

Non multò pòst incepit Maiestas eius (vt mihi promiserat) euidétius ostendere, se esse qui mihi apparebat: etenim tam ingens & ardens Dei amor in me crescebat, vt quis eum mihi inderet prorsus ignoratem; erat is namque quàm maximè supernaturalis, nec ego ad eum vllatenus connitebar. Emoriebar præ desiderio videndi Deum, & nesciebam quonam ad hanc vitam modo peruenirem, nisi per mortem. Magni itaque quidam huius amoris impetus me occupabant; qui quamuis adeò intolerabiles non essent, atque ij de quibus aliàs locuta sum, nec tam potentes, nesciebam tamen quid mihi ipsa facerem: nihil enim me delectabat, aut recreabat; sed anima iam inde ab intimis fibris mihi euelli verè videbatur. O summum & eximium Domini artificium! quam subtili & suaui, cum misella ancilla tua, vtebaris industria! faciem ipse tuam abscondebas à me, & interim tuo me amore vrgebas, tamque dulcem mihi mortem inferebas, vt anima perpetuò in ea agere, & nunquam eâ carere voluisset. Vix hæc quisquam intelligat, nisi qui ingentes hosce impetus est expertus; neque enim quædam pectoris est inquietudo, aut quædam deuotiuncula, quæ hominem subinde ita commouent, vt spiritum illius quodammodo suffocare, ita vt in se ipse durare & respirare nequeat, videantur. Hoc orationis genus vtilius est & humilius; & anhelationes hæ tollendæ sunt, eas cum suauitate quadam intra nos retinere & cohibere & animam quietare conando: perinde enim id est, ac quidam pueri, qui tam præcipitanter & anhelè flent, vt statim suffocandi videantur; quibus statim ac potus datur, omnis ille impetus & vehementia quiescit: pari modo & hic ratio refrenare impetum debet: fieri enim posset, vt hoc ex parte naturaliter contingeret, ideoque hoc per quandam considera-

Impetus amoris intolerabiles.

tionem, & timorem ne forte planè perfectum non sit, sed maxima ex parte sensuale esse possit, debet cohiberi; & puer hic per quædam amoris signa & delicias, quæ eum ad suauiter, non autem violenter per pugnos (vt dicitur) amandum impellant, quietandus est. Adeò vt amor hic introrsum cohibendus sit, nec extra ferri sinendus, instar ollæ quæ nimis ebullit, & sursum deorsumque inuertitur, quod plus quam oportet ligni ei subijciatur; sed ignis causa imminuenda est, & flamma per suaues, non per molestas lachrymas (quales sunt, quæ hos sensus & affectus comitantur, plurimumque damni inferunt) exstinguenda. Has ergo subinde in principio habui, & caput illæ meum satis perturbabant, ac spiritum ita defatigabant, vt postridie, & etiam multò post, inepta essem, vt ad orationem reuerterer. Adeò vt magna initio opus sit discretione, quò omnia cum suauitate procedant, spirituque addiscat interius operari; quæ autem exteriora sunt, remis velisque vitentur. Alij porro impetus ab his nimis quam diuersi sunt: neque enim ipsi lignum hîc suggerimus, sed, igne iam exstructo, quamprimum in eum nos rapi & conijci videmur, vt ardeamus. Non dat hîc anima operam, vt hæcce absentia Domini plaga ipsum afficiat & lædat; sed in viuacissimas internorum aut cordis partes aliquando sagitta inijcitur, vt anima, quid habeat, aut quid velit, nesciat; intelligat tamen se velle Deum, & sagittam hanc velut herbæ cuiusdam succo infectam esse, quæ ipsam, ad se, propter Domini huius amorem penitus abnegandam, immò & vitam pro ipso quàm libentissimè exponendam moueat. Satis exprimi dicique non posset, quo Deus modo ad animam veniat, & quam ingentem ei pœnam infligat, ita vt efficiat, vt nihil de se ipsa sciat: sed pœna hæc ita sapida & suauis est, nulla vt in mundo delectatio aut voluptas sit, quæ plus suauitatis afferat. Vellet, vti dixi, anima semper ex hoc languore mori. Hæc autem pœna simul & gloria, me mentis quodammodo impotem reddebat; quod intelligere non possem, quomodo hoc esse posset. Ah, quid est, animâ sauciatam videre, quæ nimirum ita se affectam sentiat, vt se propter tam excellentem causam vulneratam esse verè dicere queat; & quæ clarè videat, se in causa non fuisse cur hic ad eam amor peruenireret, sed scintillam hanc, qua tota iam inardescit, à magno illo amore, quo ipsam Dominus prosequitur, in ipsam subitò decidisse & dimanasse videri! Ah, quoties me ita affectam sentio, recordor versiculi illius Dauidici; *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus!* hoc quippe ad litteram in me experire videor: sed cum hic ardor & impetus tam vehemens non est, anima nonnihil placari videtur (aliquod saltem ad hoc remedium quærit; nescit enim quid agat) quasdam austeritates subeundo; quas tum non magis sentit, nec plus eam afficit sanguinem suum fun-

Lachrymæ coactæ non sunt bonæ, & multũ damni afferunt.

Initio magna opus discretione, vt omnia suauiter procedant, & exteriora seriò cauenda.

Psalm. 41.

dere

dere, quam si corpus planè emortuum esset. Modos ergo & media conquirit ad faciendum aliquid, quo corpus propter Deum excrucietur; sed primus ille dolor tam intensus est, vt nesciam ecquod corporale tormentum eum possit auferre: quod autem remedium ibi situm non sit, hinc bæ medicinæ tam sublimi malo curando impares & ineptæ sunt; tum vero nonnihil serenatur & placatur, soque aliquo modo sustentat, cum Deum orat vt sibi in suo languore & malo remedium suggerat: at nullum aliud remedium videt, præter solam mortem, qua suo se bono penitus frui, & perfrui posse censet. Aliquando vero impetus hic, ita est vehemens, itaque animam occupat, vt nec hoc ipsum, nec quid aliud facere possit, atque adeò totum corpus occupet, ita vt nec pedes, nec brachia mouere possit: imò verò si antè erectum stabat, ilico velut obreptitium quid, subsidit, & nec spiritum quidem attrahere potest, sed quosdã dumtaxat dat gemitus, & eos non graues (quia nequit) sed qui introrsum sint. Voluit autem Dominus, hanc me visionem aliquoties hîc videre: videbam scilicet mihi ad latus sinistrum corporea in forma astantem Angelum quendam; quòd, nonnisi admodum rarò, videre soleo, etsi alioqui sæpè mihi Angeli appareant; sed cum hi apparent, eos non video, nisi ad instar superioris illius visionis, de qua primò locuta sum. In hac verò visione voluit Dominus eum sic viderem: non erat is magnus, sed paruus formâque pulcherrima, ac vultu ita ardenti & flagranti, vt de supremis ac primarijs esse Angelis videretur, qui toti ardere videntur; hoc credo esse eos qui Seraphini dicuntur: sua quippe nomina mihi non declarant: video tamen, tantum in cœlis inter vnum Angelum & alium, & inter hos & illos discrimen esse, vt ipsum non possem verbis exponere. Videbam illum, longum quoddam iaculum aureum, sed ad ferri cuspidem pauxillo igne inflammatum, in manu habere: hoc ipso ille cor meum subinde ad intimas vsq; fibras transuerberare, &, dum illud rursus educeret quædã earum frusta simul educere videbatur: quo facto, ingenti Dei amore me totam æstuantem & inflammatam reliquit. Tam vehemens porro hæc pœna erat, vt in hos me gemitus & expostulationes faceret prorũpere; sed suauitas, quã summus hic dolor mihi adfert, tam excessiua est, vt eũ mihi auferri prorsus nolim, nec anima minorem voluptatem ac delectationem quærat, quam ipsummet Deum. Non est autem hæc pœna, corporalis, sed spiritualis, etsi corpus ab ea planè immune non sit, sed eam nimis quàm multum sentiat. Est hæc tam suauis inter animam & Deum amoris reciprocatio, vt eius ego bonitatem rogem, eam vt gustare faciat illum, qui me fortè censebit mentiri. Omnibus diebus quibus hoc durauit, eram quasi mentis inops; voluissem neminem videre aut alloqui, at dumtaxat meipsam cum pœna mea amplecti; quam ego maiorem

Magnus dolor vulneris animæ.

Videt S. M. Seraphinum.

Angelorũ in cœlo magna differentia est.

Magna suauitas doloris spiritualis.

esse gloriam putabam, quàm esse posset omnis quæ à rebus creatis venire posset. Hoc interdum mihi etiam contingebat, cum volebat Dominus, vt hi tam magni raptus mihi superuenirent, vt etiam, cum inter homines versabar, ijs resistere non possem, vnde magno meo cum dolore, & inuitâ me, in hominum notitiam hi venire & diuulgari cæpêre: sed, ex quo hosce raptus habere incepi, hanc pœnam tam intensam non sentio, sed aliam illam, de qua antè quodam in loco (capitis enim non memini) locuta sum; quæ sanè multis in rebus diuersa, & longè dignior est. Imò cum hæc pœna, de qua iam ago, me occupare incipit, tum Dominus animam sustollere, & in exstasi collocare videtur; atque ita nulla est aut pœnæ sentiendæ, aut aliquid patiendi occasio; nam statim ipsa sequitur fruitio. Sit ipse in æternum benedictus, qui tot tantasque gratias præstat ei quæ tantis beneficijs ipsius tam malè respondet.

Cum dolor hic incipit, anima à Deo in exstasin rapitur.

CAPVT XXX.

AD VITAE SVAE NARRATIONEM REDIT, AC REFERT quomodo Dominus labores eius multum imminuerit, ad ciuitatem in qua ipsa agebat, sanctum virum F. Petrum de Alcantara Ordinis S. Francisci, destinando. Narrat quoque quas aliquando tentationes, & interiores afflictiones passa sit.

CVM ergo viderem quam parum aut nihil impedire possem ingentes illos, quos sentiebam, impetus; vereri cœpi illos habere; quod intelligere non possem, quomodo pœna simul & gaudium simul vno in subiecto esse possent: nam sciebam quidem corporalem pœnam & spirituale gaudium, & delectationem simul consistere posse; sed haud capiebam, & impotem me mentis penè reddebat, quomodo tam immensa pœna spiritualis cum tam excessiua suauitate consistere possent: & quamuis omnimodis ei resistere laborabam, tam parum tamen proficiebam, vt subinde defatigarer. Armis ergo crucis me defendebam, meque ea tueri volebam aduersus eum, qui nos omnes per eandem liberauit & defendit. Videbam porrò, à nemine me intelligi: ego verò id quam clarissimè intelligebam, sed nemini id indicare audebam, præterquam Confessario meo: nam hoc alijs indicando satis ostendissem, humilitate me carere. Placuit autem Domino, magnam laborum meorum partem, ac tum quidem omnem penitus, mihi auferre, benedictum virum F. Petrum de Alcantara, cuius iam suprà memini, & de cuius austeritatibus aliquid narraui, hoc ad oppidum perducendo. Nam inter alia mihi certò affirmatum est, eum viginti ipsis annis continuò cilicium ex albi ferri lamellis contextum gestasse. Ipse quorundam libellorum de oratione in lingua patria conscriptorum, qui iam omnium manibus teruntur, auctor est: nam

Pœna spiritualis, & gaudium spirituale, excessiuũ simul in vno subiecto.

Petrus de Alcantara viginti annis ferreum gestauit cilicium.

est: nam quia eam benè exercuerat, & optimè in ea versatus erat, hinc de ea scripsit quàm vtilissimè ijs, qui eandem exercent. Primam S. Francisci regulam ad vnguem, & in rigore seruauit, & alia permulta præstitit, de quibus iam supra actum est. Vt ergo vidua illa, magna Dei ancilla, meaque amica, de qua supra egi, virum tam eximium huc veniſſe intellexit, sciretque quantis in necessitatibus versarer (vt quę mearum afflictionum & ærumnarum testis & conscia erat, & identidem me consolabatur: tanta namque eius erat fides, vt aliud sibi persuadere nō posset, quam quod spiritus esset Dei, quem cæteri omnes malignum & diabolicum esse aiebant; &, quia boni ingenij, mireque taciturna est, & multas à Domino in oratione gratias solita erat accipere, hinc ipsius Maiestas eam illuminare dignata est in eo, quod viri docti intelligere non valebant: hinc mihi Confessarij mei copiam faciebant, vt nonnullis quæ ipsa mihi diceret, acquiescerem: nam multas ob causas satis eorum erat capax: interdum quoque gratiarum, quas Dominus mihi concedebat, particeps reddebatur, accedentibus quibusdam monitis & consilijs, in magnam animæ eius vtilitatem tendentibus) vt inquam hoc intellexit, quo melius cum eo & liberius agere posſem, me insciâ, à Prouinciali meo licentiam mihi impetrauit, vt ad octiduum illius in domo agere liceret: vbi, sicut & in quibusdam templis, sæpius eum conueni, pro prima vice quâ hic fuit; nam postea diuersis vicibus ac temporibus cum eo de meis rebus communicaui. Vt ergo ei vitæ meæ seriem, & meum in oratione procedendi modum summatim, ea qua potui perspicuitate (hoc quippe semper mihi solenne fuit, vt cum ijs, quibus animam meam declaro & aperio, omni qua possum claritate & veritate agam; imò vellem, vt & motus mei primò primi illis paterent & innotescerent; in rebus dubijs quoq; & suspectis ego contra memetipsam argumenta & rationes producebam) declaraui, ita vt sine vlla duplicitate, nihilque celando, animæ ei meæ statum patefecerim. Iam inde penè ab initio intellexi & vidi, eum me per experientiam intelligere, quod imprimis mihi erat necessarium: tunc quippe ipsa me, sicut & iam, intelligere non poteram, ad illud declarandum (postea enim gratiam mihi Deus dedit intelligendi & exponendi gratias, quas eius Maiestas mihi elargitur) quod vt quis benè intelligeret, & quid sit exponere posset, opus sanè foret, vt hoc reipsa expertus esset. Is me non parum illuſtrauit & enubilauit; nam saltem in visionibus, quæ imaginariæ non erant, omnino intelligere non poteram, quid hoc esse posset: quin & in ijs quas animæ oculis intuebar, æquè parum mihi videbar intelligere quomodo hoc fieri posset; sed dum taxat eas quæ corporeis oculis videntur, vti dixi, magni me facere debere putabam, & has ipsa non habebam. Sanctus hic vir magnam mihi in omnibus

Deus ei dedit gratiam intelligendi & declarandi gratias quas recipiebat.

F Petrus de Alcantara reddit eam ſecuram, quod ſpiritus Dei in ea operaꝛetur.

lucem dabat, ſingulaque declarabat, ac ne me affligerem & torquerem monebat, ſed Deum laudarem, tamque certa eſſem, ſpiritum illius hic operari, vt, vna excepta fide, nihil maioris eſſe poſſet veritatis, aut quod certiùs credere poſſem. Magnopere porrò is ſe mecum oblectabat, & omnem quem poterat, fauorem & opem mihi exhibebat, atque ex eo tempore ſemper ſingularem mei curam geſſit, meque rerum etiam ſuarum ac negotiorum participem reddidit: & quia me mirè deſiderare videbat, quæ ea quæ ipſe iam de facto & reipſa poſſidebat (nam deſiderium Dominus valdè firmum & ſolidum mihi dabat) & ſimul tam benè animatam, hinc quam libentiſſimè mecum tractabat. Nam ei quem Dominus ad hunc ſtatum perduxit, nulla voluptas aut conſolatio accidere maior poteſt, quam in aliquem incidere, cui aliqua huius rei principia communicaſſe Dominus videtur: nam tunc temporis quidem (quantum quidem mihi videtur) non multò amplius habere poteram: faxit autem Deus, vt id vel modò habeam. Magnopere autem is mihi compatiebatur; dicebatque, id, quod paſſa eram, de maximis, qui in terra haberi poſſunt, laboribus & afflictionibus eſſe, contradictionem ſcilicet bonorum; & adhuc multa mihi ſubeunda reſtare (ſemper quippe opus habebam aliquo, qui cùm conferrem; hoc in opido nullus erat, qui me intelligeret) ſed acturum ſe cùm Confeſſario meo, & cum aliquo eorum, qui me maximè affligebant, qualis erat vir ille nobilis coniugatus, de quo iam egi ſuprà: nam quia me mirificè diligebat, hinc mihi omne bellum mouebat: eſt porro vir Deum timens, & ſanctus; ſed quia me non ita pridem, ita ſceleratam & improbam viderat, non poterat non timere, meque vt ſuſpectam tenere. Sanctus vir Petrus, vti promiſit, ſic & reipſa præſtitit, & ambos conuenit, multaſque apud eos rationes & cauſas, protulit, quibus ab omni eos timore liberaret & ſecuros redderet, ac me poſthac non amplius inquietarent. Porrò Confeſſarius monitione hac non valdè opus habebat; ſed benè vir ille nobilis; cui tametſi ea ſatis non fuit, nec planè ſatisfecit, ex parte tamen iuuit, vt me poſthac in tantum non intimidaret. Pactum inijmus, vt ego ei perſcriberem, quidquid iam inde ab hoc tempore mihi hoc in genere accideret, vtque alter alterum Deo per preces commendaremus: tanta ſcilicet eius erat humilitas, vt mei miſerabilis orationes aliquo haberet loco: quod ſanè non mediocris mea fuit confuſio. Diſcedens ergo, magna me conſolatione & gaudio perfuſam reliquit, monens vt ſine timore, ſed ſumma cum ſecuritate in oratione mea pergerem, neu dubitarem quin Dei Spiritus hic operaretur; omne verò id, de quo aliquo modo dubitabam, quin & (ad maiorem meam ſecuritatem & quietem) quidquid demum mihi eueniret, ad Confeſſarium meum referrem,

Loquitur ꝰ cum ijs, qui ipſam vexabãt.

& ſic

& sic posthac quiete viuerem. Adhanc tamen ego securitatem peruenire prorsus non potui. Dominus namque me per viam timoris deducebat, vti erat, credere diabolum in me operari, cum eum alij in me operari dicebant: adeò vt nec timor, nec securitas quidquam possent, quo ad securitatem peruenirem, ita vt illis non possem vlterius credere, quã quantum Dominus mihi inspiraret, & cordi immitteret. Vnde, etsi ipse me cõsolatus sit & quietarit, tamen non tantum ei credidi, vt omni prorsus timore vacarem & plane secura essem, præsertim cum me Dominus in illis spiritus angustijs, quas iam commemorabo, adhuc agere volebat: nihilominus, vti dixi, magnâ consolatione delibata mansi. Non poteram proinde Deo, & glorioso Patri meo S. Iosepho gratijs agendis satiari, qui, vt mihi videbatur, bonum hunc Patrem ad me destinarat: erat hic quippe Cõmissarius Generalis Custodiæ S. Iosephi, cui Sancto vti & glorioßissimæ Matri Mariæ me identidem commendabam.

Via hæc necessaria est ijs què magnas reuelationes habẽt, ne fortè se extollãt.

Aliquando tum (vti & modo, etsi non tam frequenter) ingentibus animæ opprimebar angustijs & pressuris; ad quas præterea excessiui quidam corporis cruciatus & tormenta accedebant, ita quidem graues, vt ijs ferendis par vix essem. Interdum verò dolor ipse corporalis intensior erat; quem quia tunc à pressura spiritus libera eram, æquissimo & hilari animo perferebam: sed cum & corporis & spiritus mala simul ingruebãt, tam grauis pœna & pressura erat, vt me velut opprimeret. Vnde omnes quas à Deo acceperam gratias, prorsus obliuiscebar, ita vt sola earum memoria, velut rei cuiusdam, quam per somnium videram, mihi maneret, quod mihi in pœnam cedebat: intellectus quippe ita torpidus & soporatus redditur, vt mille mihi dubitationes & suspiciones suboriri faceret, meq; id non benè intelligere potuisse, & forsitan ita dũtaxat mihi visum fuisse, & velut somniasse putarẽ: ac proinde satis esse debere, q̃ ego sola deciperer, ac proinde bonos in errorem non pertraherem. Ita porrò me malam & sceleratam esse putabã, vt vniuersa mala, & etiam hæreses quæ exortæ erant, ob mea peccata enata esse crederẽ. Est hæc falsa quædam humilitas, quam idcircò in me excitare diabolus conabatur, vt me turbaret & inquietaret, & videret, num sic in desperationis abyssum animam meam posset pertrahere. Equidem iam tantam experientiam habeo, illud non nisi à diabolo prouenire, vt quoad hoc iam toties me non oppugnet ac solebat; videt enim me iam artes suas & technas percallere. Colligere autem hoc clarè est ex inquiete & perturbatione quam initio adfert, nec non ex tumultu, quem in anima, quamdiu id durat, excitat; adhæc ex obscuritate & afflictione quam in ipsa operatur; denique ex ariditate, & ad orandum & omne bonum opus ineptitudine & indispositione: adeò vt animam præfocare, & corpus velut

Interdum corporalibus & spiritualibus malis simul premebatur S.M.

Falsa humilitas per quam se putabat causam esse omnium malorum mundi.

Vera humilitas animam non inquietat.

velut constringere videatur, quo ad nihil omnino sit vtile. Vera enim humilitas (esto anima se, vt improbam agnoscat, nobisque graue sit videre id quod sumus, nostramque improbitatem nimium quantum extollamus, eo modo quo dixi, & id verè de nobis ipsis sentiamus) non venit cum perturbatione, animam non inquietat, nec obscuram aut aridam reddit; quin immò planè è contra, mira eam quiete, suauitate, & luce recreat ac perfundit. Hæc autem pœna animam alia ex parte consolatur, dum nimirum videt, quantam sibi Deus gratiam faciat, cum hac se pœna affligi sinit, & quam ea benè veniat; hinc dolet quod Deum offenderit, ex alia autem parte ipsius misericordia ipsam dilatat & consolatur: accedit & lumen quoddam, tum ad sui ipsius confusionem excitandam, tum ad Maiestatem eius, quod tam diu se sustinuerit, deprædicandam. At in alia illa humilitate, quæ à diabolo prouenit, nullum hominis ad aliquod bonum faciendum, lumen datur, adeò vt Deus omnia ferro & igne deuastaturus videatur: hæc namque solam iustitiam ei ob oculos ponit; &,

Diabolus fidem homini eripere nequit.

esto etiam misericordiam credat (neque enim tanta dæmonis potentia est, vt fidem ipsi auferat) hæc tamen fides & consideratio nullam ei adfert consolationem; quin imò tantam misericordiam videns, magis inde cruciatur & affligitur, quod propterea se ad plura bona præstanda teneri putet. Hæc dæmonis techna & artificium, inter alias quas in eo notaui & grauissima est, & subtilissima, & maximè recta: ideoque Reuerentiæ Vestræ hanc indicare & aperire mihi visum fuit, vt, si fortè te hac machina dæmon oppugnet, aliquod ad eam dignoscendam lumen habeas, si modo tibi intellectum ad eam intelligendam & perspiciendam relinquat. Cogites enim velim, non omnia in doctrina & scientia sita esse: nam etsi mihi desint omnia, tamen, cum hoc iam præterijt, id nonnisi meras esse inanias ac stultitiam intelligo. Hoc autem intellexi, nimirum Dominum Deum id velle & permittere, diaboloque velut potestatem facere, vti olim ei dedit, vt Iob virum sanctissimum tentaret, esto mecum, quæ ita misera & improba sum, tam durè & immaniter non agat. Contigit mihi, &, quantum recordor, pridie vigiliæ festi Ven. Sacramenti (erga quod festum mirè, esto non pro eo ac quidem oporteret, afficior) & tunc quidem id mihi nonnisi vsque ad festum durauit, nam alias integrâ id hebdomadâ, aut duabus, & interdum etiam tribus, & nescio an etiam diutius, ac præsertim circa hebdomadas sanctas, cum me magis in deuotionem & pietatem effundere solebam, durabat. Videtur ergo is in momento intellectum occupare, & aliquando ob res ita leues & exiguas, vt aliàs eas

Tentatio diaboli, qua mentem turbat & inquietat.

riderem & exploderem; ipsumque tunc quocunque allubuerit, rotat & versat; & anima tunc ceu compedibus ferreis ita constricta est, vt sui ipsius compos & domina non sit, &, præter nugas & inanias, quas ipse ei oggerit, nihil

rit, nihil omnino cogitare possit, & ita quidem vanas, vt vix vllius sint momenti, & ad nihil prosint, quàm vt animam ita constringant & suffocent, vt ipsa sibi nimis quàm angusta sit. Ita portò me subinde constitutam sensi, vt mihi dæmones animam ceu pilam, iactare, versare & reuersare viderentur, ipsaque interim ita impotens esse, vt ex illorum manibus sese eximere non posset. Dici non potest aut exponi, ecquid anima hoc in genere patiatur, vellet quidem iuuari, at, Deo permittente, fit, vt iuuantem non inueniat; solum liberi arbitrij lumen semper ei adest, id tamen non vsque adeò clarum est, sed perinde ac si oculi ei velati essent, vel sicut aliquis, qui sæpius per certum aliquem locum transiuit, qui quamuis de nocte & in tenebris per eum ambulet, nouit tamen per frequentem anteriorem reflexionem, ad quæ offendicula cespitare posset, eò quod de die illa notauit, itaque ab eo sibi periculo cauet; ita quoque se res hic habet, in Deo non offendendo, quod id tum ex consuetudine quadam, fieri videatur: vt taceam interim (quod sanè præcipuum hic est) Deum nos conseruare & tueri solere: fides quoque tum ita emortua & soporata videtur, simul & reliquæ virtutes, tametsi non omnino perdita (nam credit quidem anima quod Ecclesia credendum proponit ac docet, sed tantum velut quid ore exterius pronuntiatum) vt ab alia parte velut vrgeri, premi, ac torpida reddi videatur, & Deum non aliter nosse, quàm velut rem quam eminus & à longè tantum audiuit. Amor quoque eius ita tepidus & vapidus est, vt, si quando de eo loqui audit, non secus auscultet, quam quasi ad rem quam credat esse id quod est, quod Ecclesia id ita credendum docear; sed non meminit eius, quod aliàs in se ipsa experta est: si se orationi vocali applicare velit, aut intrà solitudinem abdere, maiorem adhuc afflictionem & pressuram sentit: quod enim in se sentit tormentum, vt tamen causam eius nesciat, est penè intolerabile, & tormentorum infernaliũ, mihi quodammodo imago & typus videtur esse. Et verũ dico, vt mihi Dominus ipse in quadam visione declarauit, anima enim in se ipsa ardet, vt tamen nesciat à quo aut vndenam ignis sibi subdatur, aut quomodo eum euitet, aut deniquè qua eum ratione exstinguat: velle autem à lectione remedium aliquod inuenire, tantum dẽ est, ac si legere omnino non posset: semel mihi contigit, vt, cum vitã alicuius Sancti legere inciperẽ, vt viderem, num illã possem imbibere, meq; consolarer eo quod ille passus erat; iãq; quater aut quinies totidẽ lineas legissem, minus tamen lecta intelligerẽ in fine quam initio, tametsi linguâ maternâ illa conscripta essent; itaq; lectionem abrupi. Id quidem sæpè mihi contigit, sed illius quã dixi vicis particularius recordor. Deterius etiã multò est, cũ aliquo colloqui velle: dæmon quippe tã amarulentum & fastidiosum iræ spiritũ homini infun-

Hanc tentationem Psalm ista exprimere videtur in Psalmo 6.

Anima in seipsa ardet.

infundit, vt is omnes deuorare etiam velle videatur, vt tamẽ id impedire omnino non valeat, quamquam sibi aliquid facere videtur dum ei obluctatur & contra pugnat, vel potius ipse Dominus facit, dum eum qui hoc in statu est protegit & defendit, ne quid proximo damnosum, ac noxium, vel per quod Deum ipsemet offendat, dicat aut faciat. Ad Confessarium autem recurrere nihil iuuat: quod autem iam dicam, certum est id mihi sæpius contigisse; scilicet illos, esto tam sancti essent, ac sunt modò, tam ij quos tunc habui, quam quos modò habeo, talia tamen mihi verba dixisse, itaque aspere me obiurgasse, vt ipsimet, cum hæc apud eos deinde verba repeterem, mirarentur, dicerentque in sua potestate non fuisse mitius loqui; nam quantumuis firmum ab ijs verbis abstinendi propositum facerent, imò etiam postea cum mei miseratione tacti, tũ conscientiæ scrupulis cõpuncti, apud se statuerent, suauiter me, cum in huiusmodi tum corporis tum animi pressura degerẽ, consolari, impossibile tamen illis erat aliter facere. Non dicebant quidem verba aliqua mala, quibus scilicet Deum offenderent, ea tamen tam amarulenta & aspera, vt acerbiora à Confessario aliquo proferri non possent. Erat, credo, illis propositum me mortificare & humiliare; &, quamuis alias talibus gauderem, & omnia ferre parata essem, hoc tamen tempore omnia mihi crux erant & tormentum. Videbatur adhæc mihi quod illos deciperem; vnde eos adibam, serioque illos præmonebam, sibi vt à me cauerent; fieri enim posset vt illos deciperem: videbam quidem, quòd sponte & datâ operâ eos non deciperem, aut illis mentirer, in omnibus tamen erat quod timerem. Vnus illorum auditâ meâ tentatione semel mihi dixit, non esse quod me propterea cruciarem aut affligerem; etsi enim ipsum decipere vellem, satis se ingenij habere ad se non sinendum decipi. Hoc aliquoties, imò penè semper, me magnopere consolabatur: tunc saltem vt plurimum aliquod alleuiamentum sentiebam, cum à sacra communione surgebam; & interdum etiam, cum ad eam accedebam, ita derepentè in anima & corpore vegetabar & serenabar, vt satis id nequeam admirari: perinde ac si omnes animæ meæ tenebræ in momento dispellerentur; & sole iam exorto, perspiciebam, quæ me fatuitas & stoliditas occupasset. Aliàs vel vnico Domini verbo audito, vti cum mihi dixit, *Noli te excruciare, nec metuas* (vti iam ante dixi) vel aliquam visionem videndo, ita sanitati tota restituebar, ac si nullum ante malum habuissem. Recreabam me in Deo, & apud illum de malo meo expostulabam, petens cur aut quomodo tam grauibus me malis premi sineret. Sed mihi hæc mox quam abundantissimè compensabantur, cum ferè semper exinde me magna in copia cœlestes gratiæ circumfluerent. Vnde talis anima velut recenter è conflatoria fornace prodire videtur,

Quam S. Matrem Confessarij aspèrè alloquerẽtur.

Omnia illi durante hac tentatione crux grauis.

Lumen quod post tentationẽ habebat.

Quas gratias post eã reciperet.

detur ; vtpotè quæ adinstar auri purior & clarior reddita est ad Dominvm in seipsa contemplandum. Vnde fit, vt hi labores demum velut exigui habeantur, etsi antea intolerabiles esse viderentur, velletque eos homo de nouo subire, si id maius Dei beneplacitum foret. Et licet tribulationes ac persecutiones adhuc crebriores sint, dummodo sine vlla Dei offensione, sed & gaudenter ac libenter propter eum illas ferat, illæ in maius eius commodum & vtilitatem cedent; etsi ego eas non prout oportet, sed magna cum imperfectione feram.

Tentatio per quam omnis illi potestas eripiebatur quid boni cogitandi.

Aliàs aliquo modo illæ in me ingruebant, vti & modo ingruunt, ita vt omnis aliquid boni vel cogitandi, vel facere volendi potestas planè mihi auferri videatur, sed prorsus tam quo ad animam quàm corpus, inepta, torpida & grauis maneam: at tunc alias illas tentationes, & inquietudines non sentio; sed tantum tœdium quoddam, vt quid mihi sit, prorsus nesciam, & nihil omnino animæ meæ satisfaciat aut arrideat. Bonis quibusdam operibus exterioribus meipsam tunc occupare, & ex parte inuita, connitebar, sed facilè intelligo, quam anima parum ex se possit, gratia Dei sese abscondente: sed hoc mihi graue aut molestum erat; quod enim me ita vilem, miseram & abiectam viderem aliquo modo me id recreabat.

Aliàs ita me constitutam esse comperio, vt ne vnam quidem formalem de Deo aut vlla re bona, cogitationem constanter firmiterque habere, nec orationem instituere possim, esto etiam in solitudine sim sentiam tamen, me eum nosse. Quantum quidem intelligo, intellectus & imaginatio hic mihi nocent: voluntas quippe bona, & ad omne bonum disposita mihi esse videtur, at intellectus ita distractus & perditus est, vt cum nulla re melius eum conferre possim, quam cum stulto quodam furioso, quem nemo vinculis potest constringere; imò ne tantillo quidem spatio, quò symbolum Apostolorum decurri posset, eum quietum esse iubere possum. Aliquando mecum ipsa rideo, meamque miseriam agnosco, & eum curiosius inspecto, ac sibi permitto, vt videam quid agat! &, Deo laus, nunquam (quod mirum est) rei malæ se applicat, sed indifferentibus, num scilicet hîc aut illic, aut alibi quid faciendum sit. Ac tum melius intelligo maximam illam gratiam, quam mihi Dominus præstat, dum stultum hunc in perfecta contemplatione vinctum detinet. Considero quoque apud memetipsam, quid esset, si qui me vt bonam intuentur, me tum, cum in hoc delirio & errore versor, viderent. Miseret me quam maximè animæ, quod eam cum socijs tam imparibus viuere debere videam: vellem eam liberam & in libertate videre: vnde subinde sic Dominum compello: Quando, ô Deus meus, erit illud tempus, quo animam meam totam in te laudando

dando vnitam videbo, ita vt omnes eius potentiæ te perfruantur? Ne permittas, Domine, vt posthac amplius velut per partes distracta sit; nam singulæ eius partes ad suam quæque finem & intentum ferri videntur. Et frequenter hoc ipsa patior, sed aliquando video, in dispositionem & inualetudinem corporis, non parum huc conferre. Quocirca sæpè mecum ipsa ingens illud damnum, quod à primo peccato nobis prouenit, recogito; inde namque venisse nobis videtur, quod ad tanto bono fruendum inepti & incapaces sumus: quin imò meis proprijs peccatis id merito imputare possum; nisi enim mea tam multa fuissent, hauddubiè in bono longè fuissem constantior.

Defectus valetudinis impedit quo minus Deo seruiat.

Habui & aliam satis magnam afflictionem, quod enim me omnes libros qui de oratione agunt, satis sufficienterq; ,dum eos legebam, intelligere putarem, & Dominum mihi gratiam illam dedisse, quod illis iam opus non haberem; hinc fiebat, vt illos non amplius legerē, sed solas vitas Sanctorum euoluerem (nam quod videam me eos in Deo diligēdo seruiendoq; tam parum imitari, hinc mihi semper aliquod ex illa lectione bonum prouenire, meq; animari non mediocriter existimo) insignis tamen mihi humilitatis defectus esse videbatur, nec cogitare, ad huiusmodi orationis gradū me iam tū peruenisse: quia tamen id mihi prorsus ita videbatur, nec hanc à me repellere ipsa cogitationem poteram, magnopere contristabar & affligebar; donec quidam viri docti, & inter cæteros benedictus ille F. Petrus de Alcantara, mihi dicerent, hanc vt cogitationem parui facerem & nihil morarer. Equidem satis video, me ne incepisse quidē Deo sincerè seruire, tametsi mihi Maiestas eius non minores nec pauciores gratias fecerit, quam multis alijs bonis præstitit, cū tamen ipsa non nisi mera sim imperfectio, nisi quod bona quædam habeā desideria, & eū amem: video namq; Dominum hoc in genere aliquid mihi dedisse, quò ei saltē aliquā in re seruire possē. Videor quidē mihi ipsū amare; sed opera mea, & frequentes imperfectiones, quas in me aduerto, me cōtristant.

Noua S. M. afflictio quod se putaret ad eū orationis gradū veniss̄e ad quē iā peruenerat.

Aliàs me quædam animæ occupat simplicitas, & velut stupida stoliditas: simplicitas, inquam; videor quippe nec bonum, nec malum quid facere, sed alios præeuntes, & communem plurimorum agendi modū (vt dici solet) sequor, neuè vllam pœnam sentio vel gloriam; animaq; nec vitam curat, nec mortē, nec voluptas eam afficit, nec tristitia, sed nihil prorsus sentire videtur; at instar asselli esse, qui pascitur & alitur eò quod ei pabulum porrigatur, & comedit quodammodo nihil sentiens: neque enim dubium est, quin anima hoc in statu, aliquod singularium quarumdam Dei gratiarum alimentum percipiat, eū eam non pigeat, aut tædeat tam amarā vitam viuere, & quidem summa cum patientia & animæquitate: verum nullos prorsus in se sentit motus vel effectus, per quos se ipsa

Simplicitas anima & quid sit.

possit

possit intelligere. Perinde id mihi iam esse videtur, ac si quis leni quadam inter nauigandum aura vteretur, cuius adminiculo multum quidem viæ conficiat, nesciat tamen vnde hoc fiat. Nam in alijs illis modis effectus & operationes tam sunt euidentes, vt anima quamprimum aduertat se proficere & meliorem fieri, eò quod bona desideria ebulliunt & statim se efferunt, & nunquam sibi anima satisfacit, quidquid demum facit; hoc quippe ingentes illi amoris impetus, de quibus supra locuta sum, operari solent in ijs, quibus illos Deus elargiri dignatur. Non secus se res habet, ac in nonnullis, quos manantes vidi, fonticulis, in quibus arena lusitans continuo in altum effertur & ascendit, quæ similitudo & exemplum ad viuum repræsentare mihi videtur statum animarum quæ huc perueniunt. Amor quippe semper efferuescit, & continuo excogitat quid facturus sit, nec se ipsum capit; ac sicuti terra, aquam illam in se continere & capere non posse videtur, sed eandem foras eijcit & expellit; ita & anima vtplurimum sic constituta est, vt nec in se quieta sit, nec ob amorem quem sentit, durare queat, ac proinde at eodem velut imbibita, vellet & alios de eo bibere, cum eius ipsa plusquam satis habeat; cum hi illam in Deo laudando adiuuent. Ah quoties mihi in mentem venit aquę illius viuentis, de qua Samaritanæ mulieri Redemptor Iesus locutus est, atque ideò erga illud Euangelium maximè afficior; & certè, iam inde à prima pueritia, licet bonum illud nondum tam bene intelligerem, sicut iam intelligo, erga id mirè affecta fui, atq; ideò sæpè Domino supplicabam, vt hãc aquam mihi daret; &, vbicumque agebam, mulieris huius imaginem vnà cum illis verbis, quibus Saluatorem ad puteum venientem compellauit, *Domine da mihi aquam*, semper circumferebam. Videntur quoq; huiusmodi animæ similes esse magno cuidam igni qui, quo non exstinguatur, nouo semper alimento & materia fouendus est: nã vellent hæ, etiã magno suo dispendio & labore, vndiquaq; ligna, & materiam congerere & afferre, ne ignis hic exstingueretur. Ego autẽ huiusmodi sum, vt contenta essem si vel stramen & sarmenta haberem, quæ igni illi fouendo inijcerẽ, & hoc mihi subinde, imò sæpẽ, accidit, vnde aliquando propterea mecum ipsa rideo, aliquando mirum in modum affligor. Nam internus motus me excitat, vt ei in aliquo seruiam, nimirum, cum quid maius præstare non possum, imagines ramusculis & flosculis conuestiendo, aut verrendo, aut oratorium quoddam concinnando, au talia id genus ministeria obeundo, ita quidem exigua & parui momenti, vt pudore suffunderer. Si quam austeritatem aut pœnitentiam subirem, ea erat nimis quam parua & modica, adeo vt omnia illa nullius esse momenti viderem, nisi Dominvs voluntatem meam in bonam partem accepisset: imo memetipsa irride-

Aquã viam Samaritanæ promissam identidem à Domino petebas.

Ipsa vitam suam ridebas.

irridebam. Non igitur parum patiuntur animæ illæ, quibus Dominus per misericordiam & bonitatem suam, hunc amoris sui ignem abundanter & magna in copia elargitur; præsertim cum vires corporales sibi vident deficere ad aliquid propter ipsum, & ex amore eius faciendum; quod sanè non mediocre illis tormentum & crux est, quia enim sat ex se virtium non habent, ad lignum & fomitem necessarium igni huic submini-strandum, & præ metu ne is exstinguatur, emoriuntur, hinc in seipsis mihi consumi, annihilari, ac velut in cineres videntur conuerti; & totæ in lachrymas resolutæ, propè consumuntur, & ardent: quod sanè sat magnum & intolerabile tormentum est, tametsi sapidum ac suaue. Anima igitur quæ huc redacta est, & cui Dominus vires corporales ad pœnitentiam agendam, simul & doctrinam, industriam & libertatem ad prædicandum, confessiones audiendas, animasque Deo lucrifaciendas dedit, hunc ipsum datorem quàm maximè laudet ac celebret oportet: nescit enim & non intelligit, quantum ipsa bonum possideat, nisi prius probarit, & reipsa experta sit, quid sit nunquam Deo aliquod obsequium deferre posse, & tamen multa semper ab ipso beneficia accipere. Sit ipse pro omnibus benedictus, & laudent eum Angeli omnes, Amen.

Nescio profecto, an benè agam, quod tot minutias tam minutim conscribam: sed quia R. V.ª iterum mihi mandauit, vt me ipsa extendere non dubitarem, nihilque omnino omitterem, hinc est, ꝙ ea quæ recordor, quâ maximâ possum claritate & veritate, describam: non potest autè fieri, quin adhuc plurima omittantur, alioquin plus temporis, ad hoc mihi opus esset, quod mihi tamen, vti dixi, nimis quam curtum & breue est & forsitan nullum inde commodum proueniret.

CAPVT. XXXI.

EXTERIORES QVASDAM TENTATIONES, ET REPRAESENTATIONES sibi à dæmone factas recenset; nec non tormenta quædam sibi ab eo illata. Suggerit adhæc, salutaria quædam monita, ad cautelam & vtilitatem eorum qui in perfectionis via ambulant.

QVandoquidem hactenus de nonnullis internis & occultis tentationibus ac perturbationib⁹, quas mihi diabolus causabat, locuta sum, ideo nunc alias quasdam, quas penè inspectantibus alijs mihi inferebat, & ita manifestè, vt nullum esset dubiũ quin ab ipso hæ prouenirẽt, loqui propono. Quodam tẽpore mihi in oratorio agenti ipse ad latus meũ sinistrum, tetra & horribili in figura, se spectãdum dedit: & quia me alloquebatur, hinc particulatim os eius intuita sum, quod valdè terribile & immane

Dæmon S. Matri apparet.

mane habebat. Illius autem è corpore ingens prodire videbatur flamma, eaq; tota rutilãs & ſine vlla fumoſa fuligine. Mox ergo horribili quadam voce me alloquens, aiebat, in præſens quidem ſuas me manus euaſiſſe, ſed fore, vt in ſua me poteſtate denuò haberet. Vnde conterrita non mediocriter, ſigno crucis me, prout poteram, conſignabam; quo ille viſo, mox diſparuit, ſed illicò redijt: & hoc ſecundo. Et ego ignara quid agerem, aquam benedictam, quæ eo in loco erat, verſus locum illum ieci: nec exinde ad me tunc redijt.

Alias quinque horas continuò tam intenſis me vexauit doloribus, & preſſura tum interiori, tũ exteriori, vt ampliùs eam ferre poſſe me diffiderem: Quæ apud me erant ſodales valdè conſternatæ & pauidæ erant, & quid agerent neſciebant, vti nec ego, quomodo me iuuarem. Pro more habeo, cũ pœna corporalis & preſſura valdè intenſa eſt, internos ſpiritus actus intra memetipſam, prout quidem poſſum, facere, Dominum rogãs, vt, ſi illius baneplacitum ſit, tantum mihi patientiam det, ceterum in hac me preſſura ad vſque ſæculi finem ſinat manere. Vt ergo preſſuram tunc tam vehementem & intenſam eſſe vidi, per internos illos actus & propoſita concepta me iuuare ſatagebam. Dignatus eſt autem Dominus mihi declarare, quod id diabolica vexatio eſſet: videbam quippè ad latus meum, nigellum quendã ęthiopem, horribili valdè aſpectu, dentib. inſtar cuiuſdam deſperantis frendentem & ringentem; quod vnde lucrum ſperabat, inde iacturam referret. Vt eum vidi, riſi nec quidquam timui; erant enim apud me quædam, quæ & viribus deficiebant, & quomodo tantum diſpellerent tormentum, neſciebant: nam corpore toto, capite & brachijs, tam vehementes, illo impellente, dabam motus, vt me retinere non poſſem, & (quod deterrimum erat) interna inquietudo tanta erat, vt nullo ad quietem pacto peruenire valerem: non audebam tamen aquam luſtralem poſcere, ne illas perterrefacerem, ipſæque intelligerẽt, quid rerum circa me ageretur. Sæpè probaui & vidi, nihil eſſe quod diabolos magis in fugam compellat: ad amplius non reuertendum quam aqua luſtralis: à me quidẽ fugiunt, ſed quãprimum redeunt. Vnde efficio magnam hauddubiè aquæ luſtralis virtutem eſſe debere: mihi ſaltem ſingulares & patentiſſima quædam animæ conſolatio eſt, eam ſumere: hoc certum eſt, me communiter & vt plurimum, ex illius ſumptione eã recreationem ſentire, quam verbis non poſſem exponere, nec non internam quamdam delectationem, quæ totam animam meam vegetat & recreat. Nõ eſt hoc, ſomniũ, aut res q̃ mihi nõ niſi ſemel accidit, ſed quæ frequẽter, & ad quã ſeriò reflexi, & diligẽter animũ aduerti: dico id perinde eſſe, ac ſi quis, valdè æſtuãs & ſitiens, aquæ frigidæ hauſtũ, biberet, vnde totus homo refrigerari videtur. Mecũ ipſa ſubinde ppẽdo, q̃ magni faciẽda ſint

Dominus ſi declarat à damone apparitionem eſſe.

Aquæ luſtralis vis.

omnia

Ecclesia Catholica instituta quàti sint ponderis & virtutis.

omnia quæ ab Ecclesia instituta & ordinata sunt ; & summopere gaudeo, cum tantam verba hæc vim habere video, vt eam etiam aquæ affluent & indant, quo tantum sit inter id quod benedictum est, & quod benedictum non est, discrimen. Sed quia tormentum id nondum cessabat, dicebam ad socias, me, nisi timerem ne me riderent, aquam lustralem petituram esse. Ergo sine mora illam attulere, meq; ea respersérũt. Sed incassum; ego hoc videns versus eã partem illam ieci in qua diabolus erat; qui in momento disparuit; ego autẽ mox ab omni malo planè liberata fui, nõ aliter quam si quis manus id à me defricuisset; excepto quod ita delumbata & eneruis mansi, ac si longam & duram toto corpore fustigationem passa essem. Magnopere mihi profuit quod hoc viso cogitarem intra me, si homini, in quẽ nec quo ad animã, nec quo ad corp⁹ aliquod habet ius, tantum diabolus malum, Domino id ei permittente, inferat, quantum illaturus sit, quãdo eum vt proprium possidet? Hoc nouum quoddã in me excitabat desiderium me ipsam à tam infido contubernio liberandi.

Tetrum odorem diabolus abiens reliquit.

Non diu præterijt, cum hoc ipsum rursus mihi contigit, etsi non tã diu durarit. Eram autem sola in loco ; petebamq; mihi aquam lustralem adferri: quæ autem, post illius abitum (fuerunt autem duæ moniales fide dignæ, vt quæ ob nullam omninò causam mentirentur) cubiculum ingressæ sunt, tetrum quemdam odorem, quasi sulfureum, olfecerunt. Ego verò eum non sensi; tam diu tamen is in loco mansit vt commodè percipi posset.

Alio tempore cum in choro agerem, magnum quemdam mentis recolligendæ impetum ac desiderium sensi: vnde me quamprimum inde subduxi, ne id aliæ aduerterent; quæ tamen non procul à me erant, magnum quemdã verberum inflictorum strepitum eo in loco in quo ipsa eram, percipiebant; ego verò, iuxta me, vocem quamdam velut quid inter se statuentium audiebam, esto intelligere non possem, quidnam dicerẽt; nam ita in oratione mea eram attenta, nihil vt intelligerem & nihil omnino timerem. Penè semper hoc mihi eueniebat, cum mihi Dominus gratiam faciebat, mea vt persuasione anima aliqua ad meliorem frugem rediret.

Quod autem iam commemorabo, certũ est mihi accidisse, ac multi eius sunt testes, & inter alios is qui mòdo Cõfessarius meus est, quia id in epistola quadam scriptum vidit; & licet ei non dicerem, cuiusnam ea esset epistola, ipse tamen eum nouerat. Veniebat ad me quidam, qui duobus annis & medio in peccati mortalis, & quidem talis, vt nullũ eo abominabilius vnquã audierim, reatu hæserat: & toto illo tempore ipsum nec cõfitebatur, nec vitam in melius commutabat, nihilominus Sacrum frequẽter celebrabat. Et quamuis alia peccata sua confitebatur, de hoc tamen ita

dicebat

dicebat; Quomodo ſcelus tã fœdum & abominabile poſſem confiteri? magnopere quidẽ ab eo liberari deſiderabat, quoad hoc tamen ſeipſum expugnare non poterat. Miſerebat me eius quàm maximè, ac valdè cruciabat, quod hac ratione Dei Maieſtas violaretur. Promiſi illi, Deo me ſupplicaturam, quò eum ab hoc malo curaret, meq; operam daturã, vt & alij, qui me eſſent meliores, idẽ præſtarent. Scripſi ergo cuidam, ad quẽ ſe litteras rectè curaturũ promiſit. Et ecce factũ eſt, vt prima confeſſione crimen illud confiteretur: viſum quippe fuit Deo, quem multi homines verè ſancti, quibus id ipſa ſeriò commendaram, feruentibus precibus ſuis flexerant, miſericordiam hanc erga animam hanc exhibere: & ego, tametſi miſerabilis, quidquid poteram à parte mea, magna animi contentione præſtabam. Ipſe autem mihi ſcripſit, ſe iam ita in melius mutatum eſſe, vt iam ad dies aliquot ab eo peccato abſtinuiſſet; ſed tam ſe acriter à tentante dæmone oppugnari, vt ſe in inferno (adeo ſcil. torquebatur) eſſe putaret; quare inſtanter eum Domino commendarem. Itaq; denuo eum ſororum mearum precibus commendaui; quibus Dominum flexum & delinitum, hanc mihi gratiam præſtitiſſe credo: nam rem cordi habentes ſeriò eum Deo cõmendarunt: fuit autem is talis, vt quiſnã eſſet, nemo aut coniectura aſſequi poſſet aut diuinare. Rogabam autem Maieſtatem eius, vt quæ is patiebatur tormenta & tentationes, paululum mitigarentur, quiq; illum vexabant tentatores, me oppugnatum venirent & cruciatum, eâ tamen conditione, ne Dominum vllatenus offenderẽ. Vnde factum eſt, vt menſe integro grauiſſima tormenta & vexationes pertulerim, ac tunc mihi illa duo quæ ante narraui, contigerunt. Placuit autẽ Domino, vt ipſum tentationes deſererent (vti mihi poſtea perſcriptũ eſt) quia vero ei narrabã, quid toto illo menſe paterer, hinc anima eius vigorabatur; exinde autẽ penitus à vexationibus diabolicis immunis fuit: vnde Deo identidem gratias quam poterat maximas agebat, nec non mihi, tãquam ſi ego aliquid huc contuliſſem; niſi fortè opinio quam habebat, quod Dominus mihi aliquas gratias daret, eum aliquo modo iuuaret, dicebatque ſe meas litteras legere tum, cum ſe à tentatione acriter impeti videbat, ac earum ſe lectione ab ea liberari, mirabaturq; nõ mediocriter, tũ quæ ego propterea paſſa eram, tũ quod ipſe à malo ſuo liberatus eſſet: quin & ego mirabar: quin & adhuc ad multos annos, quo animam hanc immunem & liberam videre poſſem, illa pati voluiſſem. Sit Deus in omnibus benedictus. Magnæ ſanè potentiæ & efficaciæ eſt oratio eorũ qui Domino ſeruiunt, vti ei ſeruire credo huius loci Moniales, ſed quia has ego preces procuraram, mirum ſanè non erat, in me potiſſimum dæmones ſæuiſſe: ob peccata quoq; mea Dominus id permittebat. Hoc eodem tempore quadã nocte ab ipſis me putabam ſuffocari: vnde cum aqua

Sororum ſuarũ precibus attribuit cõuerſionem flagitioſi viri.

Litterarũ S. Matris efficacia.

lustrali plurima me conspergerent, magnam illorum multitudinem promiscuè quam celerrimè, perinde ac si de rupe aliqua præcipitassent, à me fugere conspexi.

Toties porrò scelesti ac maledicti hi spiritus me infestant, tamq; parũ eos timeo, eo quod eos, nisi id Dominus permittat, ne mouere quidẽ se posse videã, vt, si quoties hoc factũ sit enarrare vellem, & R. Vestrã defatigarem & meipsam recrearem. Quod autẽ dixi, vsui esse poterit, vt verus Dei seruus, quæ illi ad nos perterrendos ponũt & concitant terriculamẽta, contẽnat & parui faciat: norint enim, quotiescunq; eos videmus & minas ipsorum parum curamus, cùm vires ipsorum imminui, tum animã vegetiorẽ fieri. Semper porro magnũ inde bonum sequitur, quod, ne æquo sim prolixior, hic omitto referre: hoc vnum narrabo, q̃ mihi in nocte festum Commemorationis animarũ fidelium præcedente in oratorio quodam agenti contigit. Cum enim primum Matutinarum nocturnum recitassem, & pias quasdam orationes, quæ ad finẽ eiusdem in Breuiario nostro continentur iam legerem, libro meo insedit, ne orationẽ perficerem. Ego signo crucis me communiebam, ipse vero se in fugam dabat. Iterum me legere incipiente, iterum ipse se spectãdum dedit (& tertiò eum id fecisse credo) nec ante recessit quam aqua benedicta ipsum conspergerem; & simul videbam, animas quasdam, hoc ipso temporis instanti, è pœnis Purgatorij egredi, quibus non multum expiandum restare debebat, & cogitabam an hoc ipse forsitan impedire voluerit.

Diabolus aliquando in assumpta forma, aliquando sine ea apparet.

Rarò eum in assumpta forma vidi, sed sæpius sine omni prorsus forma, adinstar visionis; nam etiã sine forma clarè perspicitur eum præsentẽ esse, vti iam dixi. Volo porro & hoc hic referre, quia magnam id mihi admirationem incussit. Cum in festo SS. Trinitatis in cuiusdam Monasterij choro agerem, & in exstasi rapta essem, magnum dæmonum contra Angelos certamen & contentionem perspexi: equidem intelligere non poteram, quid sibi hæc visio vellet; sed ante quindecim dies facile id quadã inter quosdam orationi addictos, & alios plurimos ab eadem alieniores contentione patuit; è qua domui, in qua res illa contigit, non mediocre damnum enatum est. Contentio autem & decertatio hæc diuturna, magnarumq; turbarum ac molestiarum exstitit occasio.

Deus S. Matrem magna luce cõtra dæmones circũdat.

Alio tempore ingentẽ illorum multitudinem circumcirca me vidi: sed ingenti quadam claritate vndiquaque circumdata esse videbar, quæ illos propiùs ad me accedere non sinebat; vnde intellexi, Deũ me custodire & protegere, ne mihi sic illi appropinquarent, vt me ad eũ offendendũ prouocarẽt. Et iuxta id quod subinde in meipsa experta sum, facile intellexi, verã id visionem fuisse. Quocirca, tam iam apertè intelligo & video, quã parum illi possint (si Deum inimicum non habeam) vt vix eos timeam:

nam

nam prorsus impotentes sunt, nisi animas quasdam vltro seipsi dedentes, & meticulosas videant: aduersus huiusmodi namque vires suas & potentiam exerunt. Interdum quidem in tentationibus, quas iam dixi, omnes superiorum temporum vanitates & infirmitates iterum in me reuiuiscere & repullulare videbantur, ita vt Deo me quàm enixissimè cõmendare opus haberem. Mox autem hæc me pressura vexabat, quod putarem, quandoquidẽ hæ mihi cogitationes ingruerent, quidquid agerem, diabolicum esse, quoadusque Confessarius mentem meam serenaret, & ad quietem componeret. Putabam namque, me, quæ tam multas à Deo gratias recipiebam, ne primum quidem malæ cuiusdam cogitationis motum sentire & habere debere.

Diaboli impotentes sunt, nisi in eos qui vltro se ipsis dedunt.

Aliàs non mediocriter me cruciabat (vti & modo me cruciat) quod aliquo in numero & existimatione me esse viderem, præsertim hominibus qui magni sunt nominis, quodq; multa bona de me referrent: hac in re multa passa sum, & etiamnum patior. Vnde statim ad Redemptoris Christi & Sanctorum vitam oculos conuerto, videorque mihi planè alia quam ipsi, via incedere, cum ipsi non nisi per contemptus, opprobrij & grauium iniuriarum viam incesserint: & hoc me facit cũ metu & tremore incedere, ac quasi caput meum attollere non audentem, vellemque à nemine omnino videri; hoc autem in me sentio tum cum persecutionibus exagitor; tum quippe anima ita potens & magistra est, esto corpus in pressura sit, & ipsa alia ex parte afflictionem sentiam, vt quomodo hoc fieri possit, penitus nesciam. Nihilominus ita, vti dixi, fit, tunc namque anima suo in regno esse videtur, &, quidquid in mundo est, pedibus premere. Hoc subinde mihi eueniebat, & ad multos etiam dies durabat; & quædam id mihi virtus atq; humilitas esse videbatur; at iam liquidò perspicio, id meram tentationem fuisse, vt vir quidam apprimè doctus ex Ord. Prædicatorum bene mihi declarauit. Cum autem cogitarem, quas mihi Dominus confert gratias, in publicum propalãdas, & passim omnibus notas fore, tam intolerabile & excessiuum in me tormentum sentiebam, vt meam id animam non parum affligeret & inquietaret: quin imò eò res processit, vt, cum hoc considerarem, visa sim maluisse viua sepeliri, quam vt eæ innotescerent. Vnde cum me magnæ hæ recollectiones, vel raptus primùm ita occuparent, vt ijs publicè resistere non possem, post eos ita erubui, & me puduit, vt libenter aliquo concedere voluissem, vbi me nemo videret.

Mirè enim cruciat, quod aliquo in pretio haberetur.

Cum ergo hac de causa quadam vice summopere contristarer, rogabat me Dominus, ecquid timerem? cum ex hac re nonnisi horum duorum alterum sequi posset, aut quod homines aduersus me murmurarent & obloquerentur, aut q̃ ipsum laudarẽt; significans, eos qui hoc crediturí

Quid ei Dominus dixerit de raptibus, qui ipsam in publico occupabãt.

eſſent ipſum dilaudaturos, qui verò non crediturí, nulla me meâ culpâ & merito condemnaturos, & vtrumquè in bonum meum ceſſurum, ac proinde non eſſe vt me affligerem. Hoc me valde ſerenauit, quin etiam quoties illius adhuc recordor, mirè me conſolatur. Ita porro vehemens hæc tentatio fuit, vt hinc abſcedere & ad aliud me Monaſterium, in quo clauſtrum arctius ſeruabatur, quàm in eo in quo modo verſabar, quodquè valdè commendari audiebam, & eiuſdem Ordinis erat cuius id in quo agebam, procul hinc ſitum (nam magnæ mihi conſolationi fuiſſet eo in loco agere in quo prorſus ignota fuiſſem) transferre animus fuerit, ſed Confeſſarius id mihi permittere noluit. Hi timores ſpiritus mihi libertatem valdè imminuerunt: nam poſtea intellexi, humilitatem hanc non eſſe bonam, quod adeò me inquietaret, hanc porro veritatem me Dominus edocuit, ſcilicet cum certiſſimè ſcirem, nihil boni meum eſſe, ſed à Deo omnia prouenire, quemadmodum mihi graue non erat aliorum laudes audire, quin imò ſummopere eo gaudebam, & permagnæ id mihi conſolationi erat, quod viderem Deum in illis ſe oſtendere, ita nec moleſtum nec graue mihi fore, quod & in me opera ſua oſtenderet.

Falſa humilitas erat ex hiſce timoribus enata.

Incidi & in aliud extremum, quod nimirum Deum orarem, & quidem orationem ſigillatim ad hoc dirigendo, vt, ſi quando quis aliquid boni in me notaret, mea illi peccata Maieſtas eius declararet, vt nempe is videret, quam mihi immerenti ipſe gratias conferret: nam hoc idē tidem quàm enixiſſimè ab eo peto. Confeſſarius autē me monuit, ne id amplius facerem: ſed aduſque hunc penè diem, ſi quem bene de me ſentire, & bonam opinionem habere videbam, mea mox ei peccata per amfractus & circumlocutiones, vel quomodocunque poſſem, declarabam; & per hoc mihi ſerenari & quietari videbar.

Peccata ſua alijs innotefcere petit ex falſa humilitate.

Hac quoque in re magnum mihi ſcrupulum mouerunt: & hoc mihi videbatur, non ex humilitate, ſed tentatione quadam prouenire. Multi ad me veniebant, & hos omnes ego decipere, & in errore detinere mihi videbar: &, eſto fallantur in eo quod aliquid in me boni eſſe putēt, neminem tamen vnquam ex profeſſo decipere volui, nec vnquam ea mea fuit intentio, ſed id Dominus interdū certam ob cauſam permittit. Vnde ne quidem cū Confeſſarijs meis de aliqua re vnquā contuliſſem, niſi id mihi perneceſſariū eſſe vidiſſem; nā alioquin magnus id mihi ſcrupulus fuiſſet. Omnes hoſce pueriles timores & afflictiones, & nimiā humilitatē video iam magnā imperfectionem fuiſſe, & inde manaſſe, quod non ſatis mortificata eſſem: anima namq; quæ ſe totam in Dei manus conſignauit, non curat vtrum bona an mala de ſe dicantur, dummodo bene intelligat, cum Dominus aliquam ei gratiam conferre vult, nihil prorſus ſe à ſeipſa habere.

Neminem vnquam decipere voluit.

Indiſcreta humilitas magna eſt imperfectio.

habere. Illi ergo fidat, qui hanc ſibi gratiam confert; poſtea enim reſciet, cur eam manifeſtam fieri velit, ſeque ad aduerſitates ferendas diſponat; hoc quippe hodierna die certiſſimum eſt, cum Dominus ſciri vult, quòd id genus gratias ipſe alicui homini præſtet, mille ſuper huiuſmodi animam oculos excubare & reflectere, cum tamen ſuper mille animas, quæ alterius generis ſunt ne vnus quidem excubet. Magna igitur nobis timendi ratio incumbit, & talis eſſe debuit timor meus, & non humilitas, ſed puſillanimitas: nam anima, ſuper quam Dei permiſſu, oculi mundanorum hominum excubant, diſponere ſeſe poteſt, vt mũdi huius ſit martyr: etenim ſi ipſa mundo mori nolit, ipſam mundus occidet. Nihil ſanè in mundo video quod mihi arrideat, quàm quod nullos in bonis defectus ferat aut toleret, quin eos per ſuas ipſe murmurationes & obloquia ad perfectionem adducat. Maiore animo & robore opus eſſe dico, vt quis ſi perfectus non ſit, perfectionis viam ingrediatur; quàm opus eſt, vt martyrium citiſſimè obeat: perfectio namque breui aliquo tempore non obtinetur (niſi ſpeciali aliquo priuiligio hanc alicui Dominus gratiam dare voluerit) porro mundus ſtatim atque aliquem videt incipere, eum perfectum habere vult, & iam inde à mille leucis in eo defectum ſubodoratur, qui fortaſſe in eo virtus eſt: ſed quia, qui hoc reprehendit, eodem nonniſi cum peccato vtitur, hinc ſimile de alio iudicium fert. Putat, eum non debere comedere, non dormire, nec (vti dicitur) ſpiritum attrahere; imò quo meliorem de eo opinionem habent, eo minus eum adhuc corporeum eſſe recordantur, quantumlibet quoad animam perfectus ſit: adhuc quippe in terra viuit, miſerijs ſuis adhuc ſubiectus, quantumlibet eas conculcarit & ſubegerit. Atq; ideo ingẽti, vti dixi, ad hoc opus eſt animo: nam miſella anima vix dum cœpit pedẽ figere, & volunt eam volare; nondum paſſiones ſuas expugnauit, & cupiunt vt etiam in magnis & inſignibus occaſionibus ita immobilis & ab omni affectu denudata maneat, vt fuiſſe legunt Sanctos, poſtquam in gratia iam confirmati fuere. Quod autem hoc in genere peragitur, eſt cum ad Deum dilaudandum, tum ad animum hominis valde affligẽdum ac cõtriſtandum: multæ quippe idcirco animæ retrocedunt, quod miſellæ ſeipſas iuuare nequeant. Et ſanè mea hoc modo, puto, retroceſſiſſet, niſi Dominus à parte ſua omnia tam miſericorditer feciſſet: &, quouſque non per bonitatem ſuam omnia promouit? vti R. V. è dictis hactenus videre iam poteſt; aliud ſcilicet in me non fuiſſe, quam labi & denuò reſurgere. Vellẽ id verbis poſſim exprimere; multas quippe animas hac in re errare exiſtimo, quę videlicet volare volunt, antequam eis Deus alas det. Hanc porro ſimilitudinẽ putẽ me & alio loco vſurpaſſe, ſed & hic optimè ad propoſitũ meum facit: multas quippe animas ob hanc cauſam nõ mediocriter

Qui gratias recipiunt ad perſecutiones ſe diſponant.

Mundus in virtuoſo eminus defectus odoratur.

diocriter affligi & contristari video; quod enim magno cum ardore & contentione, insignique in virtutum via proficiendi desiderio incipiant, quin & nonnullæ sint, quæ omnia exteriora propter illum relinquunt; vbi iam in alijs vlterius proiectis illustria virtutum, quas Dominus ipsis suppeditat (eo quod ipsi per nos habere illas non possumus) opera vident; cum etiam in omnibus qui de oratione & contemplatione tractant libris, multa præscribi obseruant, diligenter vsurpãda nobis quo ad hanc dignitatem aliquando pertingamus; hinc cum ipsi illa statim adimplere & efficere nequeant, animum despondent & deijciunt: talia sunt, parum curare quod alij de nobis malè loquantur, imò tunc magis gaudere, quam dum bene de nobis loquuntur; honorem parui ducere, ab amicis & notis (nisi sint qui orationi dediti sunt) nos rescindere, illorumque commercia declinare, ac velut impedimento nobis essent, subterfugere, & alia plura id genus, quæ, prout ego quidem censeo, à Deo dari debent: videntur mihi quidem supernaturalia dona esse, aut alia quæ naturali nostræ inclinationi & propensioni contraria sunt: quocirca non est quod se crucient; sed in Domino sperent, Maiestatem illius effecturam, vt id quod modo in desiderio habent, postea etiam reipsa habeant, idque orationis adminiculo, & modo ipsi à parte sua faciant quidquid possunt. Nam propter hanc debilem naturam nostram, necesse imprimis est, firmam nos fiduciam habere, nec animum despondere, nec cogitare, non ideo magis nos victoriam adepturos, quod omnibus neruis ad hoc cõnitamur. Et quia ipsa magnam rei huius experientiam habeo, dicam aliquid, quod R.V. ad cautelam vsuuenire possit: non cogites inquàm (esto secus tibi videatur) te iam tibi virtutem comparasse, nisi ipsam per eius contrarium probaris: quin imo semper timidi & anxij esse debemus, nec vnquam quoad viuimus segnescere. Statim quippe deforis multa nobis adhærent, nisi, vti dixi, gratia totaliter nobis iam data sit, ad intelligendum quid omnia sint; deniq; in hac vita nunquam omnia tutò & sine periculis habentur.

A nobis ipsis habere virtutes non possumus.

Virtus comparata non est, nisi per contrarium suũ probetur.

Iam abhinc paucis annis putaban me consanguineis & amicis meis non solum valdè mortuam esse, sed etiam eos mihi molestos ac tœdio esse: & reuera ita erat; nam illorum conuersatio mihi pergrauis erat. Contigit porro, aliquod magni momenti negotium offerri, cuius causa me multo tempore apud quamdam è sororibus meis, quam antea vnicè dilexeram, commorari oportuit: & quamuis in communi conuersatione (licet illa me sit melior) non bene inter nos conueniret; nam, quod diuersum à me vitæ statum elegerat (nupta enim erat) hinc non semper de ijs agere rebus poteramus, de quibus ipsa agere voluissem, atque ideo semper penè (quantum quidem poteram) sola essem; vide-

bam

bam me nihilominus, illius è moleſtijs & pœnis plus doloris haurire, quam ex alterius cuiuſpiam proximi mei, & aliquam illas mihi ſolicitudinem & curam adferre. Vnde me vidi, non adeò ab affectu liberam & mortificatam eſſe, ac putabam, & adhuc me opus habere occaſionem fugere, vt, quam mihi Dominus dare virtutem inceperat, validior fieret ac creſceret: atque ita ſemper poſtea illo iuuante, hoc ſum, quoad potui, facere conata. Quando Dominus virtutem aliquam dare incipit, magni illam æſtimare, nec ipſi nos eius amittendæ periculo exponere debemus: maximè in ijs, quæ ad materiam honoris pertinent, & in alijs permultis. Nouerit ſiquidem R.ª V.ª non omnes totaliter mortificatos eſſe qui id de nobis credimus; & neceſſe nos eſt hac in re nunquam deficere aut ſegneſcere. Et ſanè quiſquis aliquod punctum honoris in ſe ſentit, ſi modò in virtutibus progreſſum facere velit, mihi credat, hocque vinculum perfringere & diſrumpere ſtudeat; eſt quippe catena, quam nulla lima comminuat, niſi ſolus Deus vi orationis, etſi nos à parte noſtra multum huc connitamur. Videtur autem id mihi iſthac in via laqueus quidam eſſe; & mecum ipſa miror, dum damnum quod creat, perpendo. Video ſiquidem nonnullos ſuis in operibus tam ſanctos eſſe, eaque tam magna facere, vt neminem non in admirationem rapiant. Quomodo fit, Deus meus, talem animam adhuc in terra hærere? quare nondum ad ipſum perfectionis culmen peruenit? quid hoc eſt? quis detinet & retinet illam, quæ tantum Dei cauſa præſtat? Habet ſcilicet punctum honoris: &, quod longè deterius, non vult intelligere & ſcire ſe id habere: & ratio eſt, eò quod dæmon ſubinde ei perſuadet, ſe etiam obligatum eſſe, id habere: ſed credat is, quæſo, mihi, credat in quam paruulæ huic formicæ, quam Dominus hic loqui vult; ſcilicet, niſi hanc ipſe erucam tollat, eſto fortè tota arbor damnum inde non ſentiat (quia adhuc aliquæ aliæ virtutes ibi remanebunt, licet valde detritæ & eroſæ) fore tamen vt ipſa minimè vireat & floreat, nec creſcat, imò nec eas quæ iuxta illam conſitæ ſunt creſcere ſinat: quem enim fundit boni exempli fructum, planè inſalubris eſt nec ætatem feret. Sæpius autem hoc inculco; quantumuis enim paruum hoc honoris punctum ſit, perinde tamen in eo ſe res habet, ac in Muſica, quæ mox ac punctum, menſura vel notula aliqua ſecus atquè oportet canitur, diſſona redditur & hiulca: & cum id huiuſmodi ſit, vt animæ in omnibus permultum damni creet, in hac tamen orationis via velut tetra & noxia quædam peſtis eſt. Studemus nos Deo per vnionem coniungere, & Chriſti, qui opprobrijs & falſis teſtimonijs obrutus & ſaturatus fuit, cõſilia ſequi volumus, & noſtrum ipſi honorem & auctoritatem ne in minimo quidem lædi aut violari,

Agnoſcit ſe nondum planè affectum erga conſanguineos exuiſſe.

Qui proficere vult, honoris deſiderio bellum indicat.

Damna deſiderij honoris.

violari, ſed integrum conſeruare cupimus. Impoſſibile eſt eo pertingere, quia hæc ambo eadem viâ non tenduntur. Tunc porro ad animam Dominus diuertit, cũ ipſi nobis vim inferimus, & omni qua poſſumus ratione, noſtro iure multis in rebus cedere procuramus. Dicent fortaſſe nonnulli. Non habeo in quo iure meo cedã, nec talis ſeſe mihi offert occaſio: at ipſa mihi perſuadeo, Dñm non permiſſurum, vt is, qui tam firmũ propoſitum fecerit, tantum bonum amittat: imò plures virtutis huius aſſequendæ illi diuina eius Maieſtas occaſiones oggeret & dabit, quam fortaſſe ipſe cupiet. Manus ergo operi admouendæ; id eſt, nihilitates, inaniæ, & minutiæ, quas ipſa cum primum inciperem faciebam, aut ſaltem aliquas illarum; ſtipulas ſcilicet & ſarmenta, quæ dixi, in ignem conijcio: neque enim ad maius quid faciẽdum apta ſum. Dominus autem omnia admittit: ſit ipſe in ſæcula ſæculorum benedictus.

Dominus eum qui bona voluntatis eſt bono no priuat

In cantu & officio choro ali parum verſata erat S. M.

Inter alias, quas habebam imperfectiones, erat hæc; quod in lectione horarum parum verſata eſſem, &, quid in choro mihi agendum, aut quomodo in eo me gerere deberem, vix ſcirem; idque ex mera negligentia, & quod alijs vanitatib. diſtinerer; adeò vt & Nouitias viderem quę me docere potuiſſent, at ſæpe eas interrogare nolebam, ne meã ipſis proderẽm inſcitiam; ac ſtatim mihi in mentem veniebat, me illis bono exemplo prælucere debere. Verum ex quo mihi Dñs oculos nonnihil aperuit, cũ rem aliquam ex parte ſcirẽ, nonnihil tamen adhuc de illa dubitarẽ, interrogabam id alios, etiam pueros; nec propterea vel minimam honoris authoritatiſque meæ iacturam feci, imo vero (quantum mihi quidem videtur) placuit exinde Domino tenaciorem mihi memoriam dare. Non bene noram cantare; cumque præſcriptum mihi cantum non ſatis bene didiciſſem, valde ſollicita & anxia eram: idque non, quod in conſpectu Domini errare vererer (hoc quippe virtutis fuiſſet) ſed ꝙ plures me cantantẽ audiebant; quod enim puro honoris deſiderio tenerer, hinc inde ita turbabar, vt etiam valde minùs dicerem, quàm ſcirem. Quocirca mecum ſtatui, cum non ſatis bene ſcirem, dicere, me planè neſcire. Hoc quidem initio peracerbum mihi fuit; at poſtea longè fuit ſuauiſſimum. Et reuerã aduerti ex eo tempore longè meliùs me dicere ſolitam, ex quo parui ducere cœpi, quod ignorantia mea & inſcitia alijs innoteſceret; & fatuum honorem magno mihi, in bene agendo eo, in quo honorem meum ſitum eſſe arbitrabar (quiſque enim cum collocat in eo quo vult) impedimento fuiſſe, per has nihilitates, quæ nullius ſane momenti ſunt (& reuera merito nihilo comparari ipſa poſſum, cum hoc ita mihi graue eſſet) & frequens rerum paruarum (quales hæ ſunt) exercitium paulatim quis ad maiores actus aſcendit: cum enim hi propter Deum exercentur, tunc ipſe illis robur & valorem addit, & Maieſtas eius adiuuat, vt ad ea quæ maiora &

Quomodo ob deſiderium honoris turbaretur.

Paulatim ad maiora aſcenditur.

ra & altiora ſunt, paulatim gradum faciat. Atque ita id mihi in rebus ad humilitatem ſpectantibus contingebat : videns enim omnes religioſas in via virtutum , vnâ me exceptâ (nunquam enim ad aliquid vtilis fui) progredi, illis è choro iam digreſſis, omnium pallia complicabam: in quo officio videbar mihi Angelis , Dominum illis laudantibus, obſequium præſtare, quoadusque id ipſæ, neſcio vndenam, intellexerunt; quod ſanè magno me rubore compleuit: neque enim tam perfecta mea erat virtus, vt hæc ſciri vellem; idque non (vt veriſimile eſt) è pura & ſincera quadâ humilitate, ſed quod vererer, ne me irriderent, eò quod hæc parua & nullius momenti eſſent.

Quam, ô Domine mi, intolerabile eſt, vbi tot ſunt nequitiæ & peccata, ibi aliquot minutas arenulas, quas ego ne quidem à terra propter te ſuſtollebam, ſupputare velle; omnia namque mille miſerijs repleta, & inuoluta erant: nondum enim gratiæ tuæ aqua arenis hiſce interfluebat, quæ eas in altum ſuſtolleret. Vtinam verò, Sanctiſſime Creator, inter tot iniquitates, vel aliquod alicuius momenti bonum referre poſſem, cùm ſingulares illas referam gratias quas à te recepi! Neſcio ſane, Domine mi, quomodo cor meum ferre id queat; aut quî fieri poſſit, vt qui hæc leget, non me auerſetur, cum videat me tam ſingularibus donis & gratijs tam malè reſpondiſſe, & tamen non erubeſcere, hæc obſequia tanquam mea hoc loco referre. Verè, Domine, pudet me: ſed quia, quod à parte mea narrem, aliud non habeo, hinc eſt quòd hic tam tenuia principia referam, vt, quiſquis in maioribus ſe exercebit, ſperare poſſit, Dominum, cum illa tenuia mea (vt quidem apparet) admiſerit, longè potiori iure hęc eius admiſſurum. Maieſtas autem eius mihi gratiam præſtet, vt non ſemper in principijs hæream. Amen.

Caput XXXII.

Narrat quomodo eam Dominus, quodam tempore in ſpiritu in quodam inferni loco, quem ſuis ipſa peccatis promeruerat, ponere voluerit; quid ibi viderit, aliquatenus deſcribens. Deinde referre incipit, quomodo & qua ratione monaſterium S. Ioſeph, eo quo modo eſt loco, fundatum ſit.

Diu poſtquam mihi Dominus permultas illarum gratiarum, quas commemoraui, necnon alias ſingulares, contuliſſet, cum quadam die in oratione verſarer, repentè, ac velut in momento ita me totaliter conſtitutam ſenſi (vt tamen neſcirem quomodo) vt me in inferno agere putarem. Statim intellexi, velle Dominum, vt quem dæmones mihi

In inferno ſe eſſe putat.

mihi illic parauerant, & peccatis ipſa meis promerita eram, locum oculis meis conſpicerem. Pauxillo quidem tempore illic hæſi; ſed etiamſi adhuc ad multos annos vitam protenderem, nunquam illius (vt mihi quidem videtur) potero obliuiſci. Illius introitus mihi videbatur eſſe, ad inſtar longiſſimæ & anguſtiſſimæ cuiuſdam ſemitæ, perinde ac demiſſus, obſcurus & arctus caminus; fundus autem, velut aquæ lutulentæ & ſordidę, quę & tetram mephitim exhalabat, & virulentis beſtijs repleta erat: illius ad extremum, in muro quodam, foramen erat, ad inſtar armarij, intra quod me, anguſtè admodũ compingi videbã. Et hæc omnia, viſu iucunda & delectabilia erant, ſi cum ijs quæ ibi ſenſi, comparentur; cum tamen quæ dixi, non ſatis prout quidem oporteret, exaggerauerim. Sed ad ſecundũ illud prout oporteret, & ſicuti eſt, declarandũ, ne principiũ quidẽ poſſem inuenire, & id quomodo ſit, nemo intelligere queat: talẽ autẽ in anima mea ignẽ ſenſi, vt intelligere planè nequeam, quomodo ego qua ratione id fiat, exponam. Intolerabiles illi corporis dolores, quos aliàs in vita mea pertuli, præſertim quum paralyſi, & neruorũ omniũ cõtractione laborarem (qui, prout medici cenſent, inter eos quos homo hîc pati poteſt, dolores, facile grauiſſimus eſt) vt taceam alios plurimos diuerſi generis, quos paſſa ſum, quorum etiam nonnullos (vti dicere memini) diabolus mihi intulit, nihil omnino ſunt, ſi comparentur cum ijs quæ ibi pertuli, maximè eò quod viderem, dolores illos finem non habituros, nec vllo æuo ceſſaturos. Omnia hæc adhuc nihil ſunt, collata cum agone animæ, cum angore, cum ſuffocatione, cum tam ſenſibili anguſtia, cum tam deſperabunda & anguſtiante afflictione, vt quo pacto id ſatis commodè exponam, prorſus neſciam: ſi enim id continuam quandam animæ eradicationem & euulſionem eſſe dixero, nimis quam parũ dixero: nam tunc ab alio tibi vita tolli & eripi videtur; ſed hîc anima ſeipſam conſumit & deſtruit. Adeo vt prorſus neſciam, quomodo internum illum ignem & deſperationem, quam præter intolerabiles illos cruciatus & tormenta, ibi paſſa ſum, ſufficienter ſatis exprimã. Non videbã, quiſnam mihi tormenta illa infligeret; ſentiebam tamen, me aduri, & in fruſta comminui & commoli, prout mihi quidem videtur: dico autem ignẽ & deſperationẽ illam internam, omnium teterrimam eſſe. In illo autẽ peſtilentiali loco, in quo nulla prorſus conſolationis recipiendæ ſpes eſt, agentem impoſſibile eſt aut ſedere, aut iacere, imo nec vllus ibi eſt locus ſedẽdi aut iacẽdi; eſto ipſa vbi, velut in foramine in pariete facto, conſtituta eſſem; nã illi ipſi parietes, qui viſu horribiles ſunt, coanguſtiant; & quidquid ibi demũ eſt, ſuffocat & cõſtipat. Adhæc nulla ibi lux eſt, ſed ſpiſſiſſima vbiq; & obſcuriſſima caligo. Et ſanè intelligere nõ valeo, quomodo fieri poſſit, vt, cũ ibi nullũ prſus ſit lumen, videri tamen poſſit, quidquid viſum excruciare poteſt.

Deſcriptio loci infernalis in quo S. M. fuit.

Nolebat

Nolebat me Dominus tunc plus videre, quàm totum infernum: ſed poſtea aliam viſionem habui, idq; de rebus maximè horrendis, de quorumdâ ſcilicet vitiorũ caſtigationibus: hę, quoad viſum quidẽ, multò mihi horribiliores eſſe videbantur; quod tamen pœnã illã minimè ſentirẽ, hinc tantũ mihi timorem non incuſſerunt; nã in priori illa viſione voluit me Dominus reipſa in ſpiritu illos cruciatus & anguſtias ſentire, perinde ac ſi corpus illos reuera pateretur. Quomodo id factum ſit, neſcio; hoc ſcio, ſingularem quamdã id Dei gratiã eſſe, ipſumq; voluiſſe, vt ad oculũ velut intuerer, à quibus ipſa malis ac cruciatibus per illius miſericordiam liberata eſſem. Quidquid enim alios de diuerſis tormentorum generibus dicentes audiui, & nonnunquàm etiã mecum ipſa meditata ſum (eſto nõ ſæpè; anima quippe mea timoris fræno regi nolebat) quomodo ſcilicet infernai tortores candentibus forcipibus damnatos lancinent, & alia diuerſa tormentorum genera, quæ apud alios deſcripta legi, cum hac pœna collata, nihil omnino ſunt: nam quid longè aliud eſt: tantum deniq; inter vtraq; diſcrimen eſt, quantum inter imaginem pictam & ipſammet veritatem; & hic ardere, exiguum quid & puerile eſt, reſpectu ignis infernalis. Ita autem inde conſternata fui, & adhuc ſum modo, dum hæc ſcribo (eſto iam ſexennium ab hac viſione effluxerit) vt calor naturalis me præ timore, vbi hîc ſum, deſtituere videatur. Atq; inde eſt, vt, in tribulatione, & angore, & doloribus conſtituta, nunquã huius meminerim, quin ſtatim mihi omne quodcũq; demũ hîc homo pati poſſit, merũ nihil eſſe videatur: itaq; ex parte immeritò & fruſtra, de doloribus quos hic patimur conqueri videmur. Vnde iterum dico, hoc de maximis, quæ Dominus in me contulit, donis & gratijs vnum fuiſſe; hoc namquè mirificè me iuuit, tum ad tribulationum & aduerſitatum vitæ huius timorem diſpellendũ, tum ad me animandum, vt illas æquanimiter perferam, ſimul etiã ad gratias Domino agendas, quod (vti mihi quidẽ nunc videtur) à tam æternis, & horrendis me malis liberarit. Ex illo tempore, vti iam dixi, omnia mihi nimis quàm facilia videntur, ſi vel cum momento pœnarũ, quas illic ipſa pertuli comparentur. Vnde etiam mirabar, quod, cũ ſæpius libros, de pœnis infernalibus aliquatenus agentes, legiſſem, ipſas tamen non perhorreſcerem, neu tanti, quanti quidem oportet, illas facerem; & quomodo ego, in tali ſtatu conſtituta, aliquapiam ex re, quæ ad tam horrendum me locum tandem deducturа eſſet, voluptatem poſſem capere! Tu eſto in æternum Domine mi benedictus.

Plus S. M. de inferni pœnis ſenſit quam de ijſdem ſcribitur.

Fruſtra de vita huius doloribus conqueri-mur.

Ex quo tormẽtum hoc pertulit omnia illi viſa facilia.

Quam liquidò patuit, Domine, quod tu multò plus me amaſti quam ego me amem! Quoties tu meà tam tetro carcere liberaſti, & quoties ipſa me è contra te inuito in eundem retruſi! Inde quoque grauiſſimus ille in me oriebatur dolor, quem ſentio ex eo quod tam multæ

hæreticorum animæ damnationi addicantur, præsertim quia iam per Sanctissimum Baptismi Sacramentum membra facti erant Ecclesiæ. Hinc quoque ortum in me habebat intensum illud animas perituras iuuandi desiderium & impetus: nam reuera videor mihi, vel ad vnam animam è grauissimis illis tormentis liberandam, sæpius mortem velle quam libentissimè oppetere. Ita porrò mecum cogitabam: si, dum aliquem præsertim quem amicum habemus, aliqua calamitate aut dolore oppressum videmus, ipsa nos natura nostra ad compassionem quodammodo videtur excitare; &, si quidem illa magna sit, ipsimet etiam dolemus & cõtristamur: quando ergo quis animam in calamitate omnium calamitosissima, & miseria miserrima, eaque perpetuò duratura constitutam videat, & non intrinsecus concitetur? fieri non potest, vt quis id sine graui doloris sensu perferat. Si enim etiam pœna temporalis, quam tandem vnà cum vita terminandam, & aliquando finem habituram scimus, ad tantam nos compassionem commoueat, nescio quomodo fieri possit, vt alterius sæculi pœna quæ omni prorsus fine caret, nos non moueat, cum tot quotidie animas cacodæmonem in casses suos pertrahere & ad inferos abripere videamus. Atque hoc quoque in causa est, cur velim vt in tanti momenti negotio satis esse non putemus paruum quid facere, sed quidquid in illo ex parte nostra possumus, facere studeamus, nihilque horum omittamus; Deumque supplex rogo, vt ad hoc gratiam nobis elargiri dignetur.

Illius in describendis virtutibus suis modestia, multa earum subtrahendo.

Cum mecum hinc perpendo, me, quamquam nequissima essem, aliquatenus tamen, vt Deo seruirem, solicitam fuisse; nec committere solitam quædam, quæ à mundanis ita parui pendi video, tamquàm si nullius omnino momenti essent; adhæc grauissimis ac frequentissimis morbis afflictam fuisse, quos insigni cum patientia, dante eam Domino, ferebam; præterea à murmurationibus, detractionibusque fuisse semper alieniissimam, cum, vt mihi quidem videtur, odio aliquem prosequi, aut animo alieniore ab eo esse non potuissem: nec vmquam auaritiæ deditam fuisse, nec (quantum memini) alicui quid ita inuidisse, vt Deum grauiter, sic inuidendo, offenderim; atque ita in alijs quibusdam rebus (tametsi enim ita nequam essem, Dei tamen timorem vtplurimum præ oculis habebam) illinc tamen video, quem mihi iam tum diaboli locum præpararant. Et sanè videor mihi, vt quidem culpæ meæ graues sunt, adhuc maiora & grauiora supplicia promerita fuisse. Nihilominus magnum & horribile tormentum hoc fuisse dico, simulq; concludo, quàm periculosissimum esse, animâ nec pacem nec quietem habente, sed ad singula momenta in peccatum mortale prolabente, nos ita securos & quietos interim esse: quare quàm possum maximè neminem non rogo ex

Si infernus huic S. Virgini præparatus erat, quid spei peccatores obdurati?

amore

amore Dei: vt quotquot sumus, peccandi occasiones declinemus : & spondeo fore, vt Dominus nos adiuuet, vti me adiuuit. Complaceat diuinę eius Maiestati sua semper manu me continere, ne relabar: iam enim vidi locum cui destinata eram. Maiestatem eius precor, vt pro sua id bonitate auertere & non permittere dignetur. Amen.

Postquam ergo hæc aliaq; magna secreta, quæ Dominus mihi ex sua misericordia ostendere dignatus est, gloriam inquam quæ beatos, & supplicia quæ damnatos & improbos manent, vidissem; modū rationēq; aliquam exquirens, tum pœnitētiæ faciendæ ne tantum malū incurrerē, tum aliquid boni faciendi quò tātum bonum promererer, magnā in me, ad me ab hominibus subducendā & mundum penitus deserendum, inclinationem sensi. Nullam spirirus meus quietē habebat; hęc tamen nō molesta aut affligens, sed dulcis quædam erat inquietudo; facile vt appareret, hoc à Deo solo venire, ac Maiestatem eius calorem animæ indere, ad alios cibos rudiores, quam quos ordinariè comedebat, digerendos. Cogitabam ergo ipsa mecum, quidnam potissimum ad amorem Dei possem facere, putabamque inter hęc primum esse, si vocationem Maiestatis eius, qua me ad Religionem vocarat, sequerer, regulam meam quam poteram maxima perfectione seruando. Et licet in monasterio, in quo agebam, multæ Dei ancillæ essent, ipsiq; ibi satis bene seruiretur: ipsæ tamen Moniales ob necessitatem, qua tum opprimebātur, sæpè ad ea loca foras cōcedebant, in quibus in summa honestate & Dei obsequio agere poteramus: neque enim in primæuo rigore regulæ, locus hic fundatus erat, sed ita ea ibi seruabatur, sicuti per totum ordinem passim tunc seruabatur, nimirum iuxta priuilegia & bullas relaxationis; vt taceam & alia inconuenientia, inter quæ vnum erat, quod plus æquo commodè ibi me agere, & commoditates corporis habere putabam. Sed illa foras egressio, quāuis ipsam frequenter vsurparem, valde mihi noxia erat: quod inde fiebat, quod multi me penes se habere satagerent, quibus id Superiores mei negare non audebant: atque ideo mihi iniungebant, vt illis hac in re, ad omnem à se auertendam molestiam, morem gererem. Hac ergo consuetudine semel inducta, rarò domi, & in monasterio esse potui : crediderim & cacodæmonem aliquo modo ad hoc collaborare debuisse, vt foris, & extra Conuentum agerem. Tamen vt verum fatear, quod traderem alijs ea quæ mei me directores docebant, hinc non parum inde boni sequebatur. Contigit verò quadā die, quemdā tum mihi, tū alijs præsentibus dicere, si discalceatarum Clarissarū ritu & modo viuere vellemus, non defore fortasse, ad tale nobis monasterium erigendū, facultates. Cumq; hoc votum ac desiderium identidem animo agitarem, cum nobili illa vidua, sodali mea, quam dixi, hacce de re agere cœpi; cui idem desiderium iam du-

Dulcis inē quietudo eius ex eo quod penitus mundum deseret.

In illius monasterio non seruabatur regula in primo rigore.

dum inſederat. Cogitare exinde illa cœpit, quo id pacto redditibus perpetuis ſtabilire poſſet. Sed, vti iam video, bonam ambæ viam non inibamus, eſto id, tum quidem, pro noſtro erga hanc rē deſiderio, nobis ſecus videretur, ſed ex alia parte, quod in monaſterio in quo agebam, magnam quietem & iucunditatē ſentirē (erat id quippe ad guſtum & mētem meā, & cella quā incolebam, ſatis mihi commoda erat) hinc me quietam tenebam, & adhuc ſuſpenſam: inter nos tamen conuenit, vt rē ſerio per preces Deo commendaremus. Quadam die poſt ſumptam ſacram Communionem, diuina mihi Maieſtas iniunxit, vt huius monaſterij erectionē maxima quàm poteram contentione vrgerem, pollicitus, fore, vt ea feliciter, ad exitum perduceretur, ac bene ſibi in eo loco ſeruiretur, eiq; à S. Ioſepho nomen imponerem: & addebat, S. Ioſephū ad vnum portæ latus, ac Deiparam matrem ad alterum, velut cuſtodes futuros, & Chriſtum Dominū in omnibus nobiſcum fore: ad hæc locum hunc velut ſtellam fore, quæ lucis ſuæ radios quaqua verſus eſſet diffuſura. Addebat, quāuis Religiones à primæuo flore & vigore recidiſſent, non propterea cogitarem, parum ſe ex ijs obſequij & cultus recipere; quid enim de mundo eſſet, ſi Religioſi nulli in eo eſſent? Quare Cōfeſſario meo indicarem hoc quodcumque ipſe mihi hic iniungeret, ſeque illum rogare, ne rei huic illo modo aut impedimento foret. Erat hæc viſio ita efficax, & hæc Domini allocutio qua me alloquebatur, huiuſmodi, planè vt dubitare non poſſem, quin ipſemet eſſet qui me alloquebatur. Ego vero non parum angebar & affligebar; tum quod mihi ex parte ante oculos verſabantur ingentes inquietudines, moleſtiæ ac labores, quibus mihi res hæc conſtitura eſſet; tum quod in Conuentu illo libenter habitabam: etſi enim iam antea de re illa egiſſem, tamen non ita reſolutè & certò, tanquam ſi res certò futura eſſet. Hic autem aliquod præmium & mercedem recipere mihi videbar; quod autem me viderem, negotium quod multarum moleſtiarum ſeminarium futurum eſſet, ſuſcipere, quid tandem aggrederer, anxia dubitabam. Porro Dominus idipſum diuerſis vicibus identidem mihi repetebat, tam euidentibus mihi cauſis, rationibus & demonſtrationibus propoſitis, planè vt appareret, id eius voluntatem eſſe: vnde non audebam id Confeſſario meo non aperire, illi totum rei ſucceſſum in ſcripto tradens. Hic quidem planè & reſolutè mihi dicere non audebat, vt ab hoc propoſito deſiſterem; aperrè tamen videbat, rē naturaliter loquendo, prorſus impoſſibilem eſſe; eò quod ſocia mea quā oportebat id exequi, valde exiguas, imò propè nullas facultates ad hoc exequendum haberet. Is autem dicebat, vt cum Superiore meo hac de re agerem, & quodcunque ille ſuaderet faciendum, id exequi ſatagarem. Viſiones quidem has Superiori non indicabam; at Domina illa, hoc ſeſe mona-

Iniungit ei Dominus, vt diſcalceatarum Carmelitarum Monaſterij fundationem vrgeat.

Dominus identidem illi de monaſterij erectione loquitur.

monaſterium conſtruere velle, ei dicebat. Placuit ea res Prouinciali mirum in modum, vtpotè qui erga omne quod Dei obſequium & cultum concernit, mirè afficitur; hinc quam poterat, ei opem & fauorem ſpondebat, id ſe monaſterium, ſi quando paratum eſſet, admiſſurum aſſerens. Agi quoque inter eos cœpit de neceſſario ad annuos ſumptus & alimoniam cenſu: nos autem non plures quam tredecim in id admitti Moniales volebamus, idque ob varias rationes. Antequam vero de hoc negotio quidquam tractare inciperemus, F. Petro de Alcantara, quidquid in eius tractatione fieret, perſcribebamus. Is porro ſuadebat, vt cœptum negotium acriter vrgeremus, ſuamque de omnibus ſententiam nobis reſcribebat. Mox vero vt in vrbe ſciri res cæpta eſt, & omniũ ad aures peruenit, grauis in nos aduerſantium & obloquentiũ tempeſtas inſurrexit, vt omnes oblocutiones, ludibria, ſcommata, & irriſiones paucis perſtringere non poſſem. Me, aiebant, meo in cœnobio bene ac quietè eſſe, ac proinde non niſi ex leuitate aliò tranſire velle; ſocia porro mea ita exagitabatur, vt quò ſe verteret ignoraret: ego quid agerem neſciebam, & ex parte illos meritò ſic loqui, & bene fundatos videri cenſebam. Hac in anguſtia agens, Dei opem implorans, qui me ſtatim conſolatus eſt, & animum addidit: dixitque iam viderem, quæ obloquia & perſecutiones illi paſſi ſunt Sancti, qui primùm Religionem aliquam fundarũt: addebat, plures mihi perſecutiones ſubeundas, quã poſſem mente concipere, at flocci eas faceremus. Indicabat & quædam, quæ ſodali meæ declararẽ. Maximè porro mirabat, tum quod ſtatim, quid ad ea quæ iam præterierant, magnam in nobis ipſis conſolationẽ ſentiremus, tum quod egregiè, ad omnibus obſiſtentibus reſiſtendum, animatæ eſſemus. Et ſanè vix erat ex omnibus orationem exercẽtibus, & propemodum in vniuerſa ciuitate vllus, quin nobis tunc aduerſaretur, noſtrumq; inceptum, velut ſummè inſanum, exploderet, quinimò ipſius monaſterij mei tanta erat oblocutio & turbatio, vt Prouinciali noſtro nimis quã difficillimũ & grauiſſimũ videretur, omniũ menti ac voluntati velle refragari. Vnde factum eſt, vt & alterius opinionis fieret, & iã monaſteriũ nollet admittere: aiebat namq; & cenſum incertũ eſſe ac nimis quã tenuẽ, & oblocutionẽ multam. Et ſanè non malè cenſere is videbatur; ſumma, vt rẽ cæptam intermitteret, & admittere monaſteriũ penitus nollet. Erat hoc nobis, quæ iã primos ictus recepiſſe videbamur, ac mihi imprimis permoleſtum, q̃ ipſe Prouincialis nobis aduerſaretur: illo enim id volente & vrgẽte, ègo omnis apud vniuerſos culpæ expers habebar: ſodali quoq; meæ Confeſſarij non ante abſolutionẽ ſacramẽtalem dare volebant, quam cæptum negotium vrgere deſineret: quod eam ad ſcandali occaſionem auferẽdam teneri dicerent. Adibat ea doctum quendam ex Ord. S. Dominici virum inſignem Dei ſeruum, vt cum

Perſecutiones patitur ob monaſterium.

Prouincialis viſa omnium oblocutione monaſterium admittere detrectat.

cum illo de re hac vniuerſa communicaret; idque antequam Prouincialis hoc negotium iam ſepoſuiſſet; in vniuerſa quippe ciuitate neminem inueniebamus, qui hac in re nobis conſulere, & quid facto opus eſſet, indicare vellet: atque hæc erat cauſa cur hoc nos è cerebro noſtro comminiſci dicerent. Domicella hæc, ſecretò illi viro rationem de omnibus reddebat, ſimul indicabat cenſum quem de patrimonio ſuo habebat, enixèque eum rogabat, nobis vt adeſſet; erat is quippe illa tempeſtate, totius ciuitatis doctiſſimus, & erant illo quam pauciſſimi in vniuerſo ipſius Ordine doctiores. Quidquid facere decreueramus illi ſignificabam, addebã & quaſdam facti mei rationes: nullam porro apud eum viſionem aut reuelationem diuinam, ſed dumtaxat naturales, quæ ad id faciendum me mouebant, rationes proferebam; & vt ſecundum illas, & non alia, nobis mentem & opinionem iſtam, & quid opus facto eſſet, indicaret, eum rogabam. Octiduum ille ad deliberandum & reſpondendum petijt: ſimulque quærebat, num facere paratæ eſſemus, quidquid ille nobis conſuleret. Pacatas nos fore ſpondebam: ſed, eſto id ſponderem, &, prout mihi videtur, etiam feciſſem, ſemper tamen quædam in me certitudo manſit, nec eam vnquàm depoſui, rem hauddubiè ad exitum perducendam. Maiorem porro ſodalis mea fidem habebat; nam, quodcunque demum illi dicebatur, nunquam rem planè abijcere volebat: ego vero, etſi mihi impoſſibile videretur, rem planè non poſſe confici; in tantum tamẽ reuelationem veram eſſe credo, in quantum in Sacra Scriptura traditis, aut Eccleſiæ præceptis, quæ ſeruare obligati ſumus, non aduerſatur. Nã, eſto planè & verè mihi videretur, rem hanc à Deo venire, nihilominus, ſi doctus ille vir id nos ſine Dei offenſione, & peccati reatu facere non poſſe aſſeruiſſet, quàm primum (vt mihi quidem videtur) id de manibus abieciſſem, & aliam eius exequendi rationem excogitaſſem: verùm aliam, quam hanc ipſam, mihi Dominus non ſuggerebat. Hic porro Dei famulus poſtea mihi retulit, firmiter ſe apud ſemetipſum ſtatuiſſe, omnimodis nos ab iſthoc propoſito & cœpto dehortari (iam enim ad aures eius vox & obloquia populi peruenerant; quin etiam ipſi, vti & alijs omnibus, ſtultum omnino id eſſe videbatur: & vir quidam nobilis, audito nos ad illum conſulendi ergò abijſſe, illi ſignificarat, videret etiam atque etiam, quidnam ageret, nec nos aliqua in re audiret vel iuuaret.) Nihilominus cum ſecum cogitare, quid nobis reſponderet, & rem ipſam, intentionemque ac ſcopum noſtrum, quin & viuendi modum, ac religionis genus, quod illi propoſueramus, examinare apud ſe inciperet, viſum id ſibi ad honorem Dei mirificè futurum, & certiſſimè ad exitum perductum iri: vnde & nobis in reſponſione ſuaſit, vt in illo perficiendo vrgendoque feſtinaremus, ſimul & modum rationemque, quam in eius execu-

Qualiter reuelationibus fidẽ adhiberet.

Iubentur rem ærius vrgere & perficere.

executione nos seruare oporteret, aperuit. Censum autem tenuiæ non debere in causa esse, car res omitteretur, sed debere nos Deo in aliquo fidere: si quis autem refragari aut resistere nobis vellet, ad illum hunc mitteremus, se illius argumentis & obiectionibus facturum satis. Atque ita ille nos in omnibus, ac semper, adiuuit, vti postea suo loco commemorabo. Hoc autem nos mirificè recreauit, vti etiam quod quidam viri sancti, quos hactenus aduersarios senseramus, iam pro nobis ex parte sentirent, nonnulli quoque nos re auxilioque suo adiuuarent: inter quos non postremus fuit sanctus ille Nobilis, de quo ante paulò locuta sum; qui cum cœptum hoc commodissimam ad tantam perfectionem viam esse (vt etiam reuera est; nam omne nostrum fundamentũ oratione nititur) cerneret, cessit, dicens fieri posse, rem hanc à Deo esse, etsi media & viæ ad eam perficiendam, perdifficiles ei & incommodæ viderentur. Dominus haud dubiè cor eius mouerat, vti & magni illi⁹ Doctoris, famuli Dei ac Sacerdotis, quem, sicut dixi, primo sum allocuta, qui vniuersæ ciuitati instar speculi est, quemque illic Dominus ad multarum animarum bonum ac iuuamen commorari voluit; atque is iam tum negotium nostrum iuuare & promouere incipiebat. Rebus ergo ita constitutis, nos identidem orationi insistentes, domum loco satis commodo emimus, esto paruam (sed parum id curabam; Dominus quippe mihi dixerat, vt, quomodocumque possem, eam ingrederer; visurã quippe me postea, quid Maiestas eius factura esset. Et sanè quomodo id vidi & experta sum?) Ac tametsi viderem, reditum tenuem esse, ipsa tamen mihi firmiter persuadebam, fore vt Dominus alia rem via & medijs promoueret, nosque adiuuaret.

Multi nd- uersantiũ illi fauere incipiunt.

Caput XXXIII.

COEPTAM DE FVNDATIONE MONASTERII S. IOSEPHI narrationem prosequitur; refert, quomodo iussa sit à cœpto desistere, quo tempore rem intermiserit; quas in ea passa sit difficultates; quo ipsam denique modo Dominus in illis consolatus sit.

CVm hoc in statu res versaretur, & ita propè iam confecta esset, vt postera die litteræ censuum conficiendæ & confirmandæ essent, mentẽ suã mox Prouincialis noster mutauit. Diuino illũ nutu, vt postea liquidò patuit, permotum fuisse, mihi verisimile fit: quod enim orationes intensæ essent & frequentes, placuit Domino, rem paulatim, & alio longè modo, ad exitum perduci. Cũ ergo is monasterium nollet admittere, statim Cõfessarius meus mihi inhibuit, ne de hoc negotio vlterius agerem, tametsi, quas me, vt ad hũc statũ & hactenus id perducerem, Dominus pertulisse nouit,

nouit, moleſtiæ & difficultates ingentes eſſent. Quod ergo res intermitteretur, nec vlterius promoueretur, hinc longè magis homines in ea opinione, quæ id nonniſi mulierum inuentum & cõmentum eſſe dixerant, confirmabantur, & creſcebat aduerſum me oblocutio & murmuratio, etſi quidquid vſq; ad illud tempus factum eſſet, Prouincialis iuſſu & venia factum eſſet. Non rectis oculis ſorores omnes me aſpiciebant, maleq; erga me animatæ erant, eò quod aliud monaſterium cuius clauſura eſſet arctior, fundare molirer: dicebant namque me ipſis hoc pacto infamiæ notam inurere, & æque me ibi, atque alio in loco Deo ſeruire poſſe, cum in eo eſſent aliæ, longè me meliores; non videri me bene erga monaſterium in quo hactenus egeram, affectam; denique longe ſatius eſſe huic reditum annuum, quam cuilibet alteri procurare. Vnde conſulebant nonnullæ, vt in carcerem compingerer; aliæ verò (quæ perpaucæ erant) meam cauſam propugnabant. Videbam multis quidem in rebus, iure meritoque illas de me conqueri (hinc etiam ſubinde me apud illas purgabam) quia tamen, quod in hoc negotio præcipuum erat (nimirum id me nonniſi Domino iubente ſuſcipere) dici nõ oportebat, hinc neſciebam quid agerem; atq; ideo tacebam. Alio tempore illam mihi Dominus gratiam præſtabat, quod hæc me remora nihil omnino grauaret, ac cœptum negotium non minori facilitate & lubentia intermitterẽ, quam ſi nullo prorſus labore aut moleſtia mihi conſtitiſſet. Sed hoc vt crederẽt, vix vllus in animum inducere poterat, ne quidem pij illi orationiſque amantes viri quos aſſiduè tractabam: quin imò magnopere me propterea dolere & non parum indignari putabant. Ipſe quoque Confeſſarius meus non aliter ſibi perſuadere poterat. Sed quia feceram quidquid à parte mea potueram (vti quidem mihi videbatur) hinc me vlterius ad Domini iuſſa adimplenda, teneri non putabam: atque ita domi me continui, contenta & quieta, mihi tamen planè perſuadere non poteram, ipſum adimpletum non iri, &, licet nullam eius adimplendi rationem aut modum viderem, aut quomodo, aut quando id foret, ſcirem, firmiſſimè tamen ipſum perfectum iri credebam. Nihil vero magis me mouit, quam miſſa quædam à Confeſſario meo epiſtola, tanquam ſi aliquid illo inuito, & præter voluntatem eius, egiſſem (voluit fortaſſis Dominus, ab illa etiam parte mihi moleſtiam creari, à qua illa veniens me maximè affligeret) qua ille me in hac multiplici afflictione & perſecutione mea, adeò non eſt conſolatus (vti quidem exſpectabam) vt etiam ſcriberet, me iam facile ex ijs quæ contigerant poſſe videre, omnia nonniſi mera eſſe ſomnia, quare viderem ne poſthac amplius inanẽ operam & laborem ſumerem, & hac de re non amplius agerem, cum ſcandalum, quod inde ſecutum erat, iam liquido perſpicerem. addebat & alia, ſed quæ

aliorſum

Non erat accepta ſuis ſororibus.

Etiam à ſuo Confeſſario quoad monaſterij erectionem affligitur.

aliorsum nõ tendebant, quam ad me affligendam & contristandã. Vnum hoc grauius me affligebat, quã omnia alia etiam simul iuncta; examinabamque, num aliqua forsan in re occasionem dedissem, aut in culpa fuissem, cur Deus offenderetur; & cogitabam, si hæ visiones diabolicæ fuissent illusiones, fieri posse vt etiam omnis oratio mea mera impostura esset, itaque turpissimè deciperer, & in pereundi periculo versarer. Ita autem vehementer & extremè hoc me affecit, vt tota essem turbata, & grauissima in angustia versarer: sed Dominus (qui me in omnibus illis, quæ narraui, grauaminibus & afflictionibus nunquam dereliquit, sed sæpè me solabatur, & animum suggerebat, quod commemorare hic longum nimis foret) tunc mihi dixit, non esse quod propterea deijciar, aut me contristem; etenim Deo magnum me in hoc negotio obsequium præstitisse, nullo autem modo ipsum offendisse; ad vnguem autem & præcisè exequerer, quod mihi Confessarius iniungeret, scil. modò & in præsens de hoc negotio penitus tacerem, quoadusque commodum de eo denuò agendi tempus foret. Ita porro hocce dicto contenta fui, & consolatione perfusa, vt omnis, quam eius causa experta eram, persecutio & molestia nihil omnino esse videretur.

Metuit, ne omnis oratio sua diabolica sit illusio.

Quantum sit bonum persecutiones Domini causa pati.

Hic simul mihi Dominus ostendit, quam singulare bonum sit, molestias, difficultates, & persecutiones illius nomine perferre: amor quippe Dei tantum in anima mea ex hoc incrementum fecit, sicut & alia multa, vt non parum obstupescerem: atque hæc est causa, cur non possim non semper tribulationes & aduersitates postulare. Alij vero putabant, me propterea maximopere indignari; & reuera indignata fuissem, nisi Dominus tanta me gratia in tantum præueniisset. Tunc temporis autem ingruere in me cœperunt maiores illi amoris diuini impetus, quos dixi, & sublimiores raptus, etsi eos ipsa tacerem, & nullum de spirituali hoc lucro apud vllum, verbum facerem. Sanctus quoque ille Dominicanus tam certus erat, rem hanc confectum iri, quam ego, & quamuis ego de ea agere intermitterem, ne videlicet Confessarij mei præcepto aduersarer, ipse tamen vna cum sodali mea rem acerrimè perurgebat: hinc Romam litteras scribebant, atque inter se quid facto opus esset, deliberabant & consultabant. Diabolo quoque cooperante & se intromittente, factum est, vt vnus ex alio sciuerit, hac in re me reuelationem aliquam habuisse? vnde magno cum tremore & anxietate ad me veniebant, dicentes, & periculosa esse tempora in quibus ageremus, & fieri posse vt apud Inquisitores me quis deferret & insimularet. Ineptum planè & ridiculum id mihi videbatur (nunquam enim hac in re aliquid timui; sciebam quippe, me, in rebus ad fidem spectantibus, potius millies, etiam

Impetus amoris & raptus denuo in illã ingruunt.

pro minima S. Eccleſiæ cerimonia aut aliqua S. Scripturæ veritate, mortem ſubituram fuiſſe, quàm me ſi quis contra eam peccantem aut delinquentem vidiſſet) vnde dicebam non eſſe quod quo ad hanc partem de me metuerent. Verè quippe miſerum animæ meæ fuiſſet, ſi quid in ea fuiſſet, ob quod, ne in Inquiſitorum manus inciderem, timere debuiſſem: nam ſi quid tale in me deprehendiſſem, vltro ad eos ipſa conceſſiſſem, & ſi quid mihi falſo imponeretur, confidebam fore, vt Dominus non ſolum me ab illa calumnia eriperet, verum etiam prouentum ex illa concederet. Rem hanc cum Patre illo Dominicano conferebam: quod enim tam doctus eſſet, vti dixi, hinc ijs quę dicturus eſſet, tuto niti, conſiliaque eius indubitatè ſequi poteram: ſimul etiam viſiones meas & modum orandi quem ſeruabam, nec non ingentes quas mihi Dominus faceret gratias, quam poteram clariſſimè liquidiſſimeque ei tunc patefeci, illum rogans, vt exactè ſingula excuteret, &, num quid in ijs ſacræ Scripturę repugnans aduerteret, ſimul etiam ſuum de ſingulis iudicium opinionemque declararet. Is me certam ſecuramque eſſe iubebat, &, quantum quidem iudico, non parum hoc pacto illi profui: eſto enim valdè bonus eſſet, ex eo tamen tempore multò magis ſe ſtudio orationis dedit, intraque aliud ſui Ordinis monaſterium, in quo maior erat quies & ſolitudo, ſeſe abdidit, quo ſe ibi in ea melius commodiuſque exerceret: in quo duos ipſos annos egit, donec eum Superiores (quod illi graue fuit) aliò commigrare iuberent, quod enim tantus ac talis vir eſſet, eius operâ alio in loco indigebant. Mihi ſanè illius hinc diſceſſus etiam ex parte obfuit; eum tamen, etſi inſigni eius operâ iam carere deberem, impedire nolui, vtpote ſciens hunc in vtilitatem eius ceſſurum. Mihi ergo ob eius diſceſſum vehementer afflictæ, dixit Dominus, triſtitiam & angorem deponerem, ac mentem ad quietem componerem, eo quod bene comitatus abiret. Anima enim illius ita meliorata & profectu ſpirituali aucta inde redijt, vt iam reuerſus mihi diceret, nihil ſibi hoc diſceſſu eſſe carius & nullam præ eo rem malle. Idem quoque ego è parte mea dicere poſſem: nam, cum antea ſolum ſuâ doctrinâ ſecuram me redderet & ſolaretur, iam reuerſus, etiam per ſpiritus experientiam, vtpote quam iam ſibi ſat magnam rerum ſupernaturalium compararat, me ſolabatur. Eò autem tempore eum Deus Opt. Max. huc redire fecit, quo eum Maieſtas ipſius requiri, & opus eſſe ſciebat, ad huic ſuo operi (monaſterij inquam huius promotioni) quod Maieſtas eadem perfici & ad exitum perduci volebat, oportunè cooperandum.

Orationē ſuam & reuelationes iudicio Doctoris alicuius ſubmittit.

Quinque igitur aut ſex menſibus ſic tacui, de hoc negotio nec tractans, nec verbum vllum faciens, neque etiam Dominus ipſe aliquid mihi quoad illud, amplius imperabat: quamuis autem ignorarem, nec intellige-

telligerem, quænam huius rei eſſet cauſa, in animum tamen meum inducere planè non poteram, ipſum non perficiendum. Ad finem huius temporis, cum Collegij Societatis Ieſu Rector hincalio iam diſceſſiſſet, aliũ eius loco diuina Maieſtas huc adduxit, virum mirè ſpiritualem, magno animo & ingenio præditum, ſimul & inſigniter doctum; idque eo tempore quo in magna anxietate conſtituta eram: etenim quod is, quo tunc Confeſſario vtebar, ſub Rectore eſſet, & Societatis hominibus ſancta & inuiolata ea virtus ſit, nihil omnino vt agant, quam prout vult ipſorum Superior, tametſi ille ſpiritum meum optimè intelligeret, ſummèque vt rem perficerem expeteret, in nonnullis tamen rebus nihil certi determinare audebat, idque ob plurimas quibus ad id mouebatur rationes. Porro ſpiritus meus tunc temporis, tanto impetu propellebatur, vt permoleſtum mihi eſſet, eum ita vinctum tenere; attamen ne latum quidem vnguem ab eius iuſſis declinabam. Quadam die cum in ſumma anguſtia verſarer, eò quod Confeſſarium minimè mihi credere putabam, dixit mihi Dominus, ne me affligerem, aut torquerem, hanc quippe anguſtiam & preſſuram breui finem habituram. Vnde mirè fui exhilarata, quod per hoc breui me morituram, ſignificari putarem, &, quoties hoc mihi in mentem veniebat, magnam in anima mea lætitiam ſentiebam: ſed poſteà liquidò perſpexi, de illius Rectoris, quem dixi, aduentu Dominum loqui voluiſſe: exinde enim nulla mihi amplius huius afflictionis ſentiendæ data fuit occaſio, quòd nuperus & nouus ille Rector, Patri Miniſtro, qui meus Confeſſarius erat, neutiquã refragaretur, ſed ei, vt me conſolaretur iniungeret, nullum hic periculum metuſue occaſionem dicens ſubeſſe, nec me tam anguſtâ arctâue viâ duceret, ſpiritum denique Domini prout vellet operari ſineret: interdum quippe, ob vehementes illos ſpiritus impetus, nec halitui attrahendo anima ſufficiens futura videbatur. Rector hic me venit inuiſum; Confeſſarius autem meus mihi iniunxit, vt omni libertate & claritate cum eo de rebus meis communicarem: & quanquàm magnam in huiuſmodi rebus diuulgandis repugnantiam ſentire ſolebam, vbi tamen tunc Confeſſionalem ſedem intraui, neſcio quid in ſpiritu meo ſenſi, quod nec antè nec poſtea vnquam apud vllum alium ſenſiſſe me memini; quod quale & quid fuerit, dicere non poſſem, imò nec per ſimilitudinem aliquam exprimere: erat namq; ſpirituale quoddam gaudium, & occulta quædam notitia atque intelligentia, qua ſe anima mea à Rectoris anima intelligendam, meque ei conformem eſſe intelligebat, eſto quomodo id fieret, vti dixi, non intelligerem; nam ſi illum antea allocuta fuiſſem, aut mira quædam de illo ab alijs inaudiſſem, non fuiſſet mirum, me gauiſam fuiſſe, quòd me ab illo intelligendam ſcirem; ſed nullum is mihi, nec

Dominus eam in afflictione conſolatur.

Quod ſpiritus gaudium, & interiorem notitiam animæ eius ſentiret, cum quodam Societatis Patre cõmunicando.

ego illi hactenus verbum locuta eram, nec erat is cuius antea aliquam habere potueram notitiam. Exinde porro liquidò percepi, ſpiritum meum in illo minimè deceptum fuiſſe: ſiquidem omnimodis, & mihi, & animæ meæ profuit, cum illo communicare & loqui: illius namq; communicatio maximè conducibilis eſt ijs quos Dominus iam longiùs prouexiſſe videtur, ipſe enim eis ſtimulos ſubdit, vt celeriter currant, & non pedetentim incedant; atque id potiſſimum ſpectat, vt eos ab omnibus rebus creatis abſtrahat, & mortificet: ad hoc quippe ei Dominus, vti & ad alia plurima, ſingularem gratiam ac talentum dedit. Vt cum eo agere cæpi, modum eius agendi, ſpiritum, & genium ſtatim perſpexi, ac illum puram & ſanctam animam eſſe, & ad diſcernendos ſpiritus miram quandam à Deo gratiam vidi accepiſſe: ipſeque mihi magnam conſolationem attulit.

Denuo eã Dominus ad monaſterij fundationem ſollicitat.

Non multò poſtquàm cũ illo agere cœperam, inſtare denuo & vrgere Dominus me cœpit, vt monaſterii negotium rurſus in manus ſumerem, & Confeſſario meo, & Rectori huic multis rationibus & argumentis oſtenderem, ne quod mihi in hoc impedimentum adferrent: quorum ea erat vis, vt etiam nonnulla ipſis metum incuterent: Rector hic quippe nunquam dubitauit, quin eſſet Spiritus Dei, nam omnes eius effectus ſolicitè admodum & maturè ſecum examinando expendebat. Itaque poſtquam alia permulta interueniſſent, nullum mihi ſunt auſi impedimentum in hocce negotio aut remoram obijcere; ſed ipſe Confeſſarius meus iterum plenam mihi poteſtatem fecit, omni quâ poſſem contentione & ſtudio in id connitendi. Videbam equidem, quantam moleſtiarum molem in caput meum accerſerem, tum quòd prorſus ſola eſſem, tum quòd valdè parum poſſem. Inter nos ergo conuenit, vt rem quàm fieri poſſet ſecretiſſimè ageremus; vnde dedi operam, vt vna de ſororibus meis, quæ alio in loco commorabatur, domum coëmeret, & eam tanquam ſi ipſius vſibus ceſſura eſſet adaptaret, idque ea pecunia, quam DOMINVS certis quibuſdam medijs ad eam coëmendam procurabat. Nimis quippe longum foret referre, quibus eam Dominus vijs modisue nobis procuraret: maximè namque cauebam, ne qua in re contra obedientiam peccarem; ſciebam tamen, me ſi Superioribus meis rem aperuiſſem, omnem, vti aliàs, operam perditurum fuiſſe; imò etiam peiore loco negotium futurum, quam antea. Sæpè verò magnam in pecunia procuranda, in domo comparanda, diſponenda, ac concinnanda moleſtiam & laborem pertuli; & quidem interdum ſola, eſto ſocia mea faceret id quod poterat: ſed parum in eo poterat; imò tam parum vt propè nihil eſſet, & ſolum, quod id illius nomine, & illâ annuente, fieret: reliquum vero laboris in me

Dominus ei de pecunia neceſſaria proſpicit.

tam

tam diuersimodè ingruebat, vt iam non parum mirer, quomodo illi ferendo par esse potuerim. Vnde interdum afflicta & mœrens dicebam: Quomodo fieri potest, Domine mi, vt talia mihi tute præcipias, quę prorsus impossibilia videntur? Si essem libera, quamuis sim mulier, bene quidem, sed cùm vndiquaque diuersis vinculis constricta sim, & sine vlla pecunia, ac nesciam etiam vndenam eam comparem, tum ad litterarum expeditionis Româ mittendarum, tum ad alios sumptus necessarios sustinendos necessariam, quomodo aliquid præstem aut exequar? *Quos in pecunia colligenda labores sustinuerit.*

Cum semel in magna necessitate constituta essem, nesciremq; quid agerem, vel vndenam operarijs nonnullis mercedem persoluerem; sanctus Ioseph, verus meus pater & Dominus, mihi apparuit, spondes, pecuniam mihi nequaquam defuturam, ac proinde cum operis de stipendio conuenirem: quod & feci, ne obolum quidem in promptu habens. Dominus porro ijs mihi modis de pecunia necessaria prouidit, vt, quicũque audirent, sumopere obstupescerent. Domus mihi nimis quàm parua videbatur, & erat reuera ita parua, vt, quò monasteriũ fieret, prorsus inepta videretur. Volebam quidem & aliam domum coëmere, sed non suppetebant nummi, nec vlla eius emendæ apparebat ratio, vt, quò me verterem nescirem: vicina quippe ei erat alia domuncula, templo concinnando idonea. Cum autem quodam tempore à sacra communione surgerem, ait Dominus ad me, *Dixi tibi vt in illam te conferas, quomodocumque possis.* Et velut per modum exclamationis addebat: *O generis humani cupiditas, etiam times ne tibi etiam terra desit! Quoties ego sub die, quod tecto & domo carerem, dormiui?* His auditis valde consternata mansi, ac vidi illum iure de nobis queri. Concessi itaque in domunculam illam, eamque in certas partes dispertiens, comperi perfectum quoddam monasteriũ esse, tametsi perexiguum & angustum, nec exinde de maiore area aut fundo coëmendo laboraui; operam tantum dedi, vt in eo quem iam habebam, ædificium habitationi commodum adaptaretur, idque rudi modo, & sine vlla arte, & ornatu, nihil aliud ei addendo quàm quantum, ne sanitas inhabitantium detrimentum pateretur, necessarium erat: etenim semper primò sanitatis ratio habenda est. *S. Ioseph ei apparet, eamque cũ operarijs conuenire iubet, etsi pecuniã nõ haberet.* *Dominus iubet eam intrare domum quomodocũq; posset.*

Cũ in festo S. Claræ ad sacram communionem accederem; magno cum splendore Diua ipsa mihi apparuit, bono me animo esse & opere cœpto progredi iubens, suamq; mihi in eo opem & fauorem pollicens. Magnum exinde erga eam deuotionis affectum concepi, & quòd mihi tũ dixit, ita comperi verum esse, vt quoddã Ordinis illius monasteriũ, quod non procul hinc distat, nos suo tenui censu aliquatenus sustentet. Et, quod maius fuit, meum hoc desiderium ad tantam ipsa perfectionem paula- *Paupertas Clarissarum in hoc S. Ioseph monasterio seruatur.*

paulatim perduxit, vt paupertas, quam Sancta illa virgo ſuo in Cœnobio ſeruabat, etiam hoc in loco ſeruetur, & ex eleemoſynis viuamus: quod ſanè mihi non paruo labore conſtitit, vt videlicet cum omni firmitate, & ſummi Pontificis auctoritate fieret; ac nihil illi aduerſum contrariumúe committeretur, neue vllus vmquam cenſus admitteretur. Quin & plura Dominus præſtat (forſan benedictæ huius virginis precibus & interceſſione) quod nobis, etiam non petentibus, Maieſtas eius abundè de omni eo quod nobis neceſſarium eſt, prouidet. Sit ipſe de omnibus in ſæcula ſæculorum benedictus. Amen.

Inſignis viſio quã habuit in feſto Aſſũptionis B. Mariæ virginis, in qua Deiparam & S. Ioſephum vidit.

Cum eodem penè tempore, in feſto videlicet Aſſumptionis Deiparæ Matris, in Dominicanorum templo agerem, mecumq; perpenderem peccata illa numero plurima, quæ olim eo in loco confeſſa eſſem, nec non alia quæ ad vitam meam improbam ſpectabant; tam vehemens me raptus occupauit, vt propè in mentis deliquium inciderim. Subſidebam in terra; &, quod maius eſt, non poteram (vt mihi quidem videtur) videre corpus Domini in Sacro eleuatum, aut Miſſam audire; adeò vt hoc poſtea mihi ſcrupulum mouerit. Hoc quidem in ſtatu conſtituta, videbar albâ & ſplendidâ valde quadam veſte indui. Initio non videbam, quis mihi illam inijceret; at poſtea, ad latus meum dextrum vidi adſtantem Sanctiſſimam virginem Mariam, & ad ſiniſtrum, patrem ac tutorem meum Ioſephum, qui hanc mihi veſtem circumdarent, ſimul quoque mihi dabatur intelligi, iam me à peccatis meis mundatam eſſe. Poſtquam vero iam induta eſſem, magnaque iucunditate & gloria perfuſa, ſtatim mihi viſum eſt, quod Deipara Mater, manibus meis apprehenſis, mihi diceret, rem me ſibi gratiſſimam facere, quòd glorioſi Confeſſoris Ioſephi cultrix eſſem, certò proinde mihi perſuaderẽ, illud ipſum quod quoad monaſterij erectionem, conceperam, perfectum iri: addebat quoque Dominum Ieſum, & ſe, vna cum ſponſo ſuo Ioſepho, maximè in eo colendos; ne metuerem, fore vt id decretum vmquam immutaretur (etſi obedientia, quã præſtabam, ad guſtum meum non eſſet) quod ambo nos cuſtodirent, iam enim filium ſuum nobis pollicitum eſſe, ſe in medio noſtrum fore, ſeque, in huius rei veritatis ſignum, hoc mihi monile tradere. Atque hoc dicto, torquem ex auro pulcherrimo, de quo pretioſiſſima quædam crux depẽdebat, collo meo videbatur inijcere, ſed aurum & gemmæ illius, ita ab auro & gemmis terrenis differunt, vt nulla inter vtrumqùe ſit ſimilitudo; pulchritudo quippe eius longè diſcrepat ab omni eo quod hic imaginari poſſumus; imò nec intellectus concipere vllatenus poteſt, ex qua materia veſtis illa confecta eſſet, vti nec albedinem, quam in ea relucere Dominus vult, imaginari; nam quidquid hic videtur, cum eo collatum, nonniſi rudis quædam delineatio carbone expreſſa, vt ita dicam, eſſe videtur.

B. Virgo certã eam de monaſterio redit.

Pulchri-

Pulchritudo autem, quam in ſanctiſſima Matre notabam, eminentiſſima erat & ſumma, & eſto in figuris varijs ea ſita eſſet, nullam tamen ſingillatim, ſed vniuerſa faciei forma, & efformationē ſimul aſpiciebā. Candida veſte amicta erat, fulgoremque emittebat quam maximum, qui tamen oculos rutilantia ſua non præſtingueret, ſed ſuauitate fulgidum. Glorioſum Ioſephum non ita clarè aperteque vidi, eo tamen viſionum modo ibi illum adeſſe vidi, quas dixi non videri: videbatur verò mihi virgo Mater valdè iuuenis. Cum ſic aliquantiſper mihi adfuiſſent, & ego in maxima gloria ac iucunditate eſſem, qua (vt quidem mihi apparet) maiorem nunquam ſenſi, & quæ ita ſingularis erat, vt nunquam ea carere veſſem; videbar illos cum magno Angelorum comitatu in cœlos aſcendentes videre. Ceterùm ego valdè deſerta & ſola manſi, nihilominus ita recreata, eleuata, & in orationem recollecta, & interius commota, vt ad aliquod tempus mouere me, nec loqui poſſem, imò propemodum extra meipſam eſſem. Manſit exinde mihi tantus impetus ad meipſam pro Dei nomine annihilandam & conſumendam, nec non tales effectus, omniaque eo fiebant modo, prorſus vt dubitare non poſſem (eſto ad id ipſa non mediocriter conniterer) quin à Deo viſio illa veniret. Cælorum Regina valdè me conſolatum & mire contentam reliquit, ob ea quæ mihi de obedientia dixerat. Graue ſcilicet mihi erat, eam Ordinis Superioribus non præſtare: dixerat autem mihi Dominus, conſultum non eſſe illam ipſis præſtare, & rationes, ob quas id me facere nullatenus expediret, adferebat; at Romam certâ quadam viâ aliquem mitterem, effecturum ſe dicens, vt omnia illic felicem ſucceſſum haberent: quod & factum eſt. Poſtquam enim eâ, quam mihi Dominus ſuggeſſerat, via litteras Romam miſiſſemus, lętum optatumq; reſpōſum inde tranſmiſſum eſt, cum antea nunquam expeditionem aliquam accipere potuiſſemus. Porro ob ea quę poſtea facta ſunt, conuenientiſſimum maximeque expediens fuit, vt Epiſcopo obedientia præſtaretur; eſto tum quidem eum minimè noſſem, nec qualis Prælatus futurus eſſet, ſcirem. Domino autem volente factum eſt, vt eum nobis ita propitium, domuique huic ita fauentem ſenſerimus, ac quidem ob magnam illam, quæ contra eam poſtea inſurrexit, contradictionem oportuit (vti poſtea referam) & vt illam eo in ſtatu in quo modo eſt, conſtitueret. Benedictus ſit ipſe, qui ſic omnia promouit ac direxit. Amen.

Graue eſt fuit obedientiam monaſterij noui. Ordinis ſui Superioribus non præſtari.

CAPVT XXXIV.

REFERT, CONVENIENS TVNC TEMPORIS FVISSE, VT EX vrbe diſcederet, & qua de cauſa: & quomodo Prælatus ipſius eam ad illuſtrem quandam mulierem valdè afflictam miſerit, vt ipſam conſolaretur. Narrare incipit, quid ſibi illic contigerit, nec non magnam gratiam, quam ſibi Dominus fecerit, quòd cauſa fuerit cur illius Maieſtas virum quendam nobilem excitaret, ad illi ex toto corde ſeruiendum: cuius ope auxilioque ipſa poſtmodum mirificè adiuuaretur: eſt id imprimis notatu dignum.

QVanquam ſummo ſtudio conniterer, vt res hæc clam omnibus fieret; ita tamen ſecretò eam peragere non potui, quin ad multorum notitiam perueniret, quorum aliqui eam credebant, aliqui minimè. Maximè verò timebam, ne cum Prouincialis noſter veniſſet, & ex alijs aliquid de iſthoc negotio inaudiſſet, in eodem me progredi vetaret; illo enim iubente, penitus id de manibus depoſuiſſem, nec in eo quidquàm egiſſem: ſed huic timori aliâ Deus viâ proſpexit; quod ſcilicet, in ciuitate quadam illuſtri, pluſquam viginti leucis hinc diſtante, nobilis quædam matrona, ob mariti ſui mortem ita contriſtabatur & afflicta erat, vt, ne mortem ei dolor hic afferret, omnes metuerent. Contigit porro, illam in peccatriculæ huius notitiam venire; Deo enim diſponente factum eſt, vt varij varia de me apud illam loquerentur, idque ob alia quæ hinc conſecuta ſunt, bona. Magnam Matrona hæc cum Prouinciali noſtro notitiam ac familiaritatem habebat: quod autem illuſtri eſſet familiâ oriunda, & tali me in monaſterio agere ſciret, vnde egredi foras licebat; hinc magnum illi mei videndæ deſiderium Dominus iniecit (vtpote quæ perſuaſum habebat, mea me præſentia conſolationem aliquam afferre ſibi poſſe) quod aliter fieri non poterat, niſi me quamprimum ad ſe euocando, omnem quã poterat ad hoc induſtriam & media adhiberet. Hanc ergo ob rem litteras ad Prouincialem longius diſtantem ſcripſit: qui mihi ſub præcepto obedientiæ iniunxit, vt quamprimum me cum alia quadã ſocia ad ipſam conferrem. Nocte Natalis Domini nuntium hoc accepi: quod ſanè me aliquantulum turbauit, & valdè afflixit, quod videre ideo illos me euocare, quod aliquod in me bonũ eſſe crederent: quia enim me ita improbam & nequam videbam, hinc malè me habebat, talem de me vulgò opinionem haberi. Cum ergo me ſeriò Deo per preces commendarem, contigit me in exſtaſin rapi, quæ toto matutinarum horarum tempore, aut magna ſaltẽ earum parte durauit. Monuit me Dominus, vt illuc concedere non negligerem, nullis autẽ aliorum conſilijs opinionibuſque

Iniũgitur ei vt ad nobilem matronã ſe conferat.

busque auscultarem, quia penè omnes temere mihi consulturi erãt; &, licet aliquam in hoc difficultatem & laborem sentirem, fore tamen, vt idin magnum Dei obsequium cederet, & ad monasterij erigendi bonum progressumque, expedire & necesse esse, vt ad tempus hinc discederem, quoadusque bulla Româ mitteretur; Dæmonẽ quippe magnas mihi in Prouincialis aduẽtum, insidias præparasse, ego verò constanter agerem, nec vllatenus timerem, se enim illo in loco mihi adfuturum. Ego his verbis egregiè animata & excitata, Rectorem Collegij Societatis Iesu de omnibus certiorẽ reddidi. Is monuit me, ne vllam ob causam perfectionem hanc omitterem; alij verò illã penitus dissuadebãt, dæmonis astu & dolo eam adornari dicentes, vt aliquod inde mihi malum & periculum crearetur; quapropter Prouinciali mentem meã in contrariũ rescribere. Verum P. Rectori obediui, & ijs quæ in oratione cælitus inaudieram animata, sine vllo prorsus timore, in viam me dedi; sed non sine magna cõfusione & pudore, dũ videbã ecquo titulo & prætextu illuc euocarer, & quàm grauiter me aduocantes in hoc deciperentur. Atque hoc in causa erat, cur solicitius & instãtius ad Dominũ clamarem, ne me ipse desereret. Mirum in modum tamen me consolabatur, quod in ciuitate ad quam me conferebam, Collegiũ Societatis Iesu esset, quòd verò essem in omnibus, quæ mihi iniungerẽt, vti & hic erã, parere paratissima; hinc aliquo modo secura futura mihi videbar. Placuit autem Domino, nobilem illã matronã per consolationes ita paulatim dolorẽ suũ pellere, vt euidenter statim melius habere inciperet, & dolore pulso, quotidie magis & magis consolationem admitteret. Magni porro hoc omnes faciebant; quia, vti dixi, tristitia & dolor, quam maximè eam lancinabant. Et sanè verisimile est, Dominum plurimorum bonorum, quos noui, precibus, quas pro me, vt benè mihi res hæc succederet, fundebant, permotum hoc ei beneficium contuliisse. Adhæc, Deum ipsa quam maximè timebat, tantæque erat pietatis, vt magna illius pietas & virtus suppleret id quod mihi deerat. Magno ipsa erga me amore affici cœpit, vti & ego erga illam, quod magnam in ea bonitatem notarẽ. Sed omnia penè ibi me cruciabant: nã quod lautè splendideque ab ea alerer, valdè me affligebat; &, quod tanto in pretio haberer, in magno me timore continebat, & ita meticulosa anima mea erat, vt se ipsa negligere non auderet. Ipse quoq; Dominus me nõ negligebat: nã toto illo tẽpore quo illic egi, perinsignes mihi gratias cõtulit, quæ & tantam mihi libertatẽ dabant, & quidquid videbam, ita me contẽnere faciebãt (ac quo plura videbam, eo magis omnia parui faciebam) vt cum id genus nobilibus matronis identidẽ ea libertate agerẽ, ac si ijs æqualis exstitissẽ, quibus tamẽ seruire sumo mihi honori ducere potuissẽ. Porro nõ contẽnendũ ibi lucrũ feci, quod etiã ipsi indicare nõ dubitaui. Videbã

Dolet & erubescit quod bonã opinionẽ de se vulgò haberent.

Consolationem huius Matronæ aliorũ precibus ex humilitate ascribit.

Lautè eã ibi haberi, crux illi erat.

illam tametsi tam potentem, infirmitatibus & passionibus non minùs subiectam esse quam ego, quamque omnis potentia parui facienda sit, & quo illa maior est, quo etiam plus sollicitudinum & laborum includat. Magnates namque semper soliciti sunt, vt se iuxta statum suum in omnibus gerant, & quomodo auctoritatem suam tueantur, quod nullam ipsis quietem indulget; adhæc extra tempus & præscriptã regulam prandent & cœnãt (omnia namque pro status ratione fiant oportet, non verò prout naturæ complexio & indoles exposcit) sæpe etiam cibos magis statui suo conformes, quàm qui appetitui faciant satis, debent comedere.

Magnatũ seruitus quoad famulas.

Vnde factum, vt ille domicellaris & nobilium status planè mihi nauseam mouerit: Dominus me ab omni dissolutione liberet & protegat. Licet autem hæc de illustrissimis regni huius sit, ita tamen humilis est, & ita teres ac rotunda, vt paucas esse credam, quæ hac in parte eam anteeant: quare sortem eius miserabar, vti etiamnum miseror, quod illam sæpè, contra quam naturalis inclinatio dictat & suadet, quo statum & auctoritatem sitam tueatur, agere videam. Vt taceam interim, quam parum famulis & ancillis fidere oporteat, etsi, quotquot ipsa haberet, boni & probi essent: non plus vni, quam alteri, loquendum est, imò is quem cariorem habes, odio quodammodo exterius est prosequendus. Talis autem hæc seruitus & subiectio est, vt hoc vnum de mendacijs sit, quæ mundus loquitur, dum id genus homines Dominos vocat, cum reuera, (vti mihi quidem videtur) sex centarum rerum sint mancipia. Placuit Domino, vt toto illo, quo illic egi tempore, domestici omnes mirè in Dei obsequio & cultu proficerent; efficere tamen non potui, vt non aliquæ me difficultates exciperent, quæ è nonnullorum matronam illã nobilem mirifice erga me affici videntium, odio & inuidia ortum habebant. Putabant fortasse, lucellum me aliquod captare: & forsan Domino permittente factum vt nonnullæ mihi molestiæ, tam hac in re, quam alijs id genus exhiberentur, nec à lautæ illius tractationis, quam ibi alia ex parte experiebar, illicijs in profundum voluptatum demergerer. Placuit autem Domino, me ex omnibus, cum animæ meæ lucro & emendatione, educere. Interea dum ibi agerem, venit illac forte fortuna honestus ac pius quidam Religiosus, quicum ante aliquot annos interdum egeram. Cum ergo in Ordinis, cuius ipse erat, monasterio, quod non procul à domo in qua agebam, distabat, sacrum audirem, quoddã mihi venit desiderium sciendi quis esset animæ hominis illius (quem magnum Dei seruum esse cupiebam) status: quare surrexi de loco, vt eum allocutum pergerem. Sed quod in oratione iam recollecta essem, hinc postea id mihi visum est, merum temporis dispendium fore, & quam ob causam huic me

Desiderat scire quis esset status animæ cuiusdam Religiosi

negotio

negotio immiſcere vellem. Vnde iterum ad orandum me compoſui. Quantum memini, tertio ſic reſedi, & ſurrexi: ſed tãdem plus bonus Angelus potuit, quam malus. Illum ergo iuſſi aduocari, qui me in quadã ſece Confeſſionali eſt allocutus. Interrogare nos mutuo de vitæ noſtræ ratione cæpimus: iam enim multum temporis effluxerat, ex quo inuicem non videramus. Referre illi incipiebam, vitam meam miſerijs ac ærumnis pleniſſimam fuiſſe: illi verò inſtanter à me petenti, vt, quænam hæ afflictiones eſſent, illi aperirem, reſpondi; eas neſciri à quoquàm nec dici à me oportere. Tum ille, cum Dominicanus, de quo apud eum mentionem feceram, illas ſciret; ſe, quia illo amico vtebatur, haud difficulter ex illo ſcire eas poſſe; quare nullam me in illis ſibi aperiendis difficultatem facere debere. Tam parùm verò in poteſtate eius fuit, id inſtanter ex me non petere, quàm in mea fuit (vt mihi quidem apparet) id ei non aperire: nam etſi ſemper tum cum ipſo, tum cum Rectore quem dixi, non niſi ſumma cum repugnantia & rubore, hiſce de rebus tractarem; tunc tamen nullam omnino in hoc difficultatẽ, quin imò magnam vice verſa conſolationẽ ſenſi. Retuli id ei ſub ſigillo Confeſſionis: atq; is tum quidẽ, diſcretior & prudentior mihi eſſe videbatur, q̃ vnquã ante fuerat, eſto eum ſemper vt magni ingenij prudentiæq; virum ſuſpexerim: reſpiciebã ad præclara eius talenta & dona naturæ, quorum ope, ſi ſe penitus Dei obſequio dedicaſſet, magnum in virtutũ ſtudio profectum facere potuiſſet. Hoc enim, iam abhinc aliquot annis mihi perfamiliare eſt, nimirum, q̃ neminem, qui mihi ob dona naturæ maximè placeat, videam, quin ſtatim videre vellẽ, vt is ſe totum ad Dei obſequium applicaret; idq; tam ardẽti deſiderio & impetu, vt interdũ me retinere nequeã: & quanquã omnes quotquot ſunt homines ei ſeruire optẽ; cum tamen illos, qui mihi pr̃ alijs placent, ei ſeruire deſiderio hinc hocce deſiderium ſumo in me impetu ingruit, vnde quã inſtantiſſimè & feruentiſſimè pro ijs ad Dñm clamo. Ita prorſus cum hoc quẽ dico Religioſo, mihi factũ eſt: orabat quippe is me, vt Deum pro ipſo feruenter rogarem (q̃ tamen non opus erat mihi dicere: nam ita iam tum diſpoſita eram, vt non poſſem pro eo non orare) vnde ad locum, in quo orationi ſola in quiete inſiſtere conſueueram, me conferens, incepi cum Dño, in ſumma mentis recollectione modo quodã ſimplici & puerili (q̃ mihi valdè frequens eſt, vt quid dicam, prorſus neſciam) agere: amor quippe loquitur, & anima ita alienata, & quodãmodo extra ſe eſt, vt non aduertat quantum ſit inter ipſam & Deum diſcrimẽ: nam amor, quo ſe ab illius Maieſtate diligi nouit, in cauſa eſt cur ipſa ſui obliuiſcatur; imò verò putat, ſe in illo eſſe, &, tanquam ſi Deus quoddam proprium & indiuiſum illius bonum eſſet, ſtolida quædã proloquitur. Hoc illi tum temporis dixiſſe memini, poſtquã multis cum lachrymis

Ærũnas & miſerias ſuas Religioſo eidem refert.

Eius orandi modus.

ab eo quam enixissimè postulassem, vt animam hanc totaliter ac reuera inter seruios suos cooptaret. Nam esto eum vt bonum virum existimarem, satis tamen id mihi non erat; sed volebam vt perfectus & optimus esset, vnde sic ad Dominum clamaui: Hanc mihi gratiam negare non debes Domine; respice illum, obsecro; aptus est enim & conueniens, vt inter amicos cooptetur. O ingentem Dei bonitatem & humanitatem, qui non tam verba, quam desideria & voluntatem qua illa proferuntur, intuetur; quique non indignatur aut succenset, quod talis, qualis ego sum, Maiestatem eius tam audacter alloquitur: sit ipse in æternum benedictus.

Magna eius afflictio orta ex eo quod dubitaret nũ esset in Dei gratia.

Memini me ea ipsa hora, qua noctu illam orationem fundebam, magna angustia & pressura spiritus oppressam fuisse, inde orta quod cogitarem, num in Dei amicitia essem, quod autem certo scire non possem, num in eius gratia essem nec ne (nõ quod hoc scire volebam; mori quippe maluissem quã talem vitam ducere; in qua non poterã certa esse, mortuane essem an non: nulla quippe mors tam mihi grauis esse poterat, quã reputare num fortè Deum offendissem) & me hoc non parũ angeret, rogabam ipsum, ne hoc vlla ratione permitteret, idque magna quadam cũ suauitate & lachrymarum copia. Tum verò intellexi, non esse quod me propterea torquerem, sed posse confidere, me in illius gratia esse: fieri enim non potest, vt anima quæ tali Deum amore prosequitur, tales quoque ab eo gratias & experientias recipit, sibi persuadeat, se in lethalis peccati statu existere. Certa me spes & fiducia exinde tenuit, Dominum mihi id indubitatè concessurum, quod illi homini ab eo postulabam. Aiebat, vt quædam illi verba dicerem: sed hoc mihi permolestum erat, quod quomodo ea illi dicerem, nescirem. Hoc quippe, aliquid videlicet alicui tertio significare, præsertim ignorante me, quam in partem is hocà me accepturus esset, & num forsitan nec explosurus, mihi semper durissimum & grauissimum videtur. Valdè quidem quoad hoc anxia erã, nihilominus tandem ita apud me firmiter resolui, vt (prout mihi quidè videtur) Deo pollicita sim, omnimodis illi me ea dicturã; sed quia valdè erubescebã, scripto verba illa comisi, eique tradidi. Liquido apparebat, hanc rẽ à Deo venire, ex eo quod in eo operabatur: valdè enim is seriò apud se proposuit, totum se orationi dedicare; id ipse propositum quam primum executioni non mandaret. Sed cum Dominus eum ad se attrahere cuperet, quasdã ei veritates per me significari voluit, quæ &, etiam inicià me ita conducibiles fuere, vt ipsemet nõ parũ miraretur. Crediderim Dominũ eũ sic paulatim disposuisse, vt hoc pacto is sibi persuaderet, has ab ipsius Maiestate prouenire: &, esto ego miserrima essẽ, ardentissimè tamen Dominũ rogabã, vt eũ penitus ad se attrahere, eiq; voluptatũ, atque omnium vitæ huius rerũ contemptũ indere dignaretur: quod ille ita re ipsa

est

est executus (quo nomine sit Dominus in æternum benedictus) vt, quotiescunque me alloquitur, velut perculsa obstupescam; &, nisi oculis ipsa meis vidissem, credere vix possem, Dominum sic ei suas tam breui tempore gratias adauxisse, & sic eum ad se attraxisse, vt iam ad nullam omnino mundi huius rem viuere videatur. Dominus eum corroboret: si enim hoc pacto pergat (vt eum perrecturum in Domino spero; nam in sui ipsius cognitione insigniter & solidè fundatus est) haud dubiè de selectissimis ipsius famulis, & ad multarum animarum vtilitatem futurus est. Breuissimo enim tempore permagnam rerum ad Spiritum spectantium experientiam est consecutus: hæc quippe sunt dona, quæ Dominus, & cum vult, & quomodocumque vult, dare solet: neque hoc in ipsa temporis diuturnitate, aut obsequiorum præstitorum magnitudine situm est. Non tamen dico, hæc nihil omnino ad hoc conferre; sed Dominum subinde his post viginti annos contemplationi iugiter impensos non dare, quod alijs dat in vno. Nouit scilicet Maiestas eius, quare id ita faciat; vnde grauiter erramus, cum credimus, nos ob plurimos annos contemplationi impensos ad cognitionem eius debere venire, quod sine experientia nullo modo haberi potest: & hinc est, quod, vti dixi, plurimi errent, quod cum Spiritum non habeant, eum nihilominus habere velint. Non dico autem, eum, qui spiritu caret tamen doctrinâ valet, nõ debere dirigere illos qui spiritum habent: sed, illum tam quoad exteriora, quam interiora, in rebus naturalibus quidem, iuxta rationis & intellectus dictamen, in supernaturalibus verò iuxta sacræ scripturæ normam sese conformare debere. In reliquis autem nec caput suum torqueat nec intelligere se putet quod minimè intelligit, nec spiritus suffocet: nam hi quantum ad hoc, iam tum ab alio maiore Domino gubernantur; neq; enim Domino vel superiore carent. Non ergo plus nimio hoc miretur, aut hæc impossibilia esse putet (Domino namq; omnia possibilia sunt) sed fidem corroborare, seque humiliare studeat, cum videat, Dominũ fortasse vetulam quandam hac in scientia peritiorem versatioremq; facere, quã se, esto bene doctus & sapiens sit: hacque humilitate, tum alijs animabus, tum sibi plus proderit, quam se contemplatiuum venditando, cum tamen talis non sit. Nam iterum dico, nisi experientiam habeat & maximam humilitatem; quâ sibi persuadeat, se nihil hic intelligere, non propterea tamen id impossibile esse, & ipse valde parum lucrabitur, & etiam faciet vt is quẽ dirigendũ habet, minus proficiat: at si humilis sit, certò sibi promittere potest, non permissurum Dominum, vt aut ipse, aut alius decipiatur.

Errãt qui se per longitudinem temporis intellecturos sperant quod non nisi per experientiã intelligitur.

Hic ergo Religiosus, hacce humilitatis virtute à Domino multis in rebus accepta, in hac se, quãtũ sibi possibile fuit, materia perficere studuit, quia

Bonum est nõ alio inquirere quod ipse non intelligit.

quia doctrina valet, & quod non habet per experientiam, hoc discit ab illam habentibus; Dominus quoque eum iuuat, magnam illi fidem dando, itaque tam sibi, quam alijs nonnullis (inter quos & ego sum) mirificè profuit. Cum enim Dominus nosset, quæ mihi difficultates instarent, & aliquos ex illis qui me regerent ad se rapere vellet, prouidit (vt quidem apparet) alij vt reliqui essent, qui me in multis difficultatibus adiuuare, & mirificè profuerunt. Dominus penitus eum immutauit, adeò vt se ipse quodammodo vix norit, & ei corporale robur, quo antè caruit, ad austeritates subeundas dedit, cumque antea debilis esset, ad omne quod bonũ est, vegetus & animatus factus est, vt alia plurima taceam. Vnde liquidò patet, hanc valdè singularem Dei vocationem fuisse: sit ipse in æternum benedictus. Omne porro bonum hoc ei, crediderim promanare à donis, quæ Dominus illi in oratione contulit, quòd hæc ei non leuiter ac velut in summa cute adhæreant: nam aliquibus in rebus Dominus id ad oculum videri iam voluit: etenim ipse, velut vi facta, omnia perrumpit, tanquam qui iam penitus & intimè cognouit, quantum meriti in persecutionum tolerantia situm sit. Ipsa (quæ Dei potentia est) confido fore, eius vt ope ingens, tum nonnulli fratres Ordinis cuius ipse est, tum etiam Ordo vniuersus bonum consequatur. Hoc iam tum ad oculum apparere incipit. Ego quippe notabiles quasdam visiones habui, in quibus mihi Dominus nonnulla tam de ipso, quam de Rectore illo, quem dixi Societatis Iesu declarauit, quæ sanè admirationem merentur; nec non de alijs duobus Ordinis Prædicatorij viris, ac singillatim de vno, cui Dominus iam in suo progressu etiam quædam aperuit, quæ antè de eo è Domino intellexeram. At de illo, quo de in præsens loquor, plurima mihi in visione reuelata sunt. Vnam rem modò referre hic volo: cum quodam tempore cum eo, certo quodam in loco locutioni destinato, agerem, animam amorem æstuare sensit, vt propè à me ipsa deficerem: nam Dei potentiam considerabam, videns, quomodo in tam breui tempore animam quamdam ad tam sublimem statum euexisset. Magnum sanè is mihi tum pudorem incussit: quod viderem illum, magna cum humilitate, me de rebus nonnullis ad orationem spectantibus agentem, audire: sed quia illa in me perexigua erat, quod nempè ita liberè cum id genus hominibus agerem, hanc sanè libertatem meam Dominus benignè tolerasse debuit, ob ardens meum, quo illum magnos in rebus spiritus progressus facere cupiebam, desiderium. Ita porro illius mihi conuersatio & cõmercium profuit, vt is nouum quemdam in anima mea ignem indidisse videatur, qui me inflammaret, ad Domino velut de nouo seruiendum.

Reuelationes quas de Patribus nonnullis habuit.

Quid non agit, ô bone Iesu, anima tuo amore inardescens! quanti sanè eam nos facere oporteret, & quam Dominum seriò rogare, vt illam diu in

diu in vita hac conseruare dignetur! Imò quisquis eundem amorem in se sentit, id genus animabus semper adhærere, & quocunque locorum, si fieri posset, sequi eas deberet.

Ingens sanè ægroti felicitas est, in alium quempiam incidere, qui ex eodem morbo decumbit; estque illi non mediocre solamen, quòd suo in malo socium habeat: hi namque inuicem non parùm, tum in patiendo, tũ etiam in merendo prosunt. Etenim, qui parati sunt mille pro Dei amore vitas exponere, mirè inuicem iuuant & suffulciunt, imò occasiones sibi dari peroptant, in quibus sæpè vitam pro amico exponant. In quo militibus persimiles sunt, ideo bella oriri optantibus, vt spolia ex hoste referant, itaque ditescant; norunt quippe aliâ se via ad opes peruenire non posse. Horum munus & partes sunt, strenuè laborare. Quàm porro magnum id sit oportet, in quo Dominus lumen dat, quo quis videat & intelligat, quantum sibi meritorum & fructuum, quid pro eo patiendo, cõparet! non ante bene id intelligitur, quam omnia propter illum deserantur, qui enim alicui rei adhæret, satis is indicat, illam se aliquo modo magnifacere; si autem aliquomodo magni faciat, graue illi & molestum sit necesse est, illam deserere: imò, quidquid facit, id & imperfectum est, & velut perditum: atq; bene hic locum habet commune illud prouerbium, perditum illum esse, qui perditum sequitur. Quænam autem maior dari fingique perditio, cæcitas, aut miseria potest, quam magni æstimare id quòd in se nihil est.

Ille perditus est qui perditum sequitur.

Sed vt ad propositum meum reuertar, ingens sanè in animo meo gaudium sensi cum animam illam viderem; nam videbatur Dominus velle, vt ego ingentes illos thesauros, quos ei communicauerat, cernerem; deinde cum viderem gratiam quam mihi contulerat, quod nimirum id adminiculo & ope mea fieri voluerit, ad quod me prorsus indignam agnoscebam: atque hoc in causa erat cur datas ei à Deo Opt. Max. gratias maiori ipsa in pretio haberem, ac plus ob eas ei me debere crederem, quam si mihi factæ essent, maximasque Domino agerem gratias, videns, Maiestatem eius voto & desiderio meo iam tum incipere satisfacere, & preces meas exaudisse, quibus nimirum ab eo petieram, vt huiusmodi viros excitaret. Cum ergo anima mea sic constituta esset, & tantum in se gaudium amplius ferre non posset, extra seipsam egrediebatur, seque perdebat vt amplius lucraretur; illas item considerationes amittebat, nec non diuinæ illius linguæ, qua Spiritus sanctus loqui videbatur, auditum; statim vero magna me exstasis & raptus, qui mihi omnem penè sensum adimebat, etsi id diu non duraret, occupauit. Videbam namque Redemptorem nostrum Christum in maxima Maiestate & gloria, magna gestientis & gaudentis animi, ob id quod ibi cõtingebat, signa

Videt Redemptorẽ nostrum Christum.

dantem; & hoc ipſe mihi etiam indicabat, volebatque me ad oculum videre, ſe in huiuſmodi colloquijs & conuerſationibus ſemper præſentem adeſſe, quamque ſibi gratum ſit, quod homines ita de ipſo loqui gaudeant.

Alia viſio.

Alio tempore videbam, quomodo hunc ipſum Angeli magna in gloria eleuarent, etſi tunc temporis longè à loco, in quo ipſe ageret, diſſita eſſem: è qua viſione collegi, animam eius inſignes progreſſus facere. Et reuera ita erat: nam cum illi quidam, cui ipſe antè beneficium inſigne contulerat (eius quippe honori & animæ quam maximè conſuluerat) enorme crimen, ob quod eius honor non parum periclitabatur, etiam productis teſtibus affingeret; hanc ipſe tamen calumniam grauiter lætoque animo ſuſtinuerat. Vt taceam quod & alia bona opera ad Dei honorem fecerit, & adhuc alias iniurias & perſecutiones æquanimiter tulerit. At plura referre minime mihi in præſens conuenire videtur; nihilominus ſi R. V.ª ſecus videatur (quandoquidem ea nouit) poſtea illa, ad Dei honorem & gloriam referri poterunt.

Prophetiæ omnes quas prædixit ad impletæ ſunt.

Omnes porro quas hactenus retuli, de iſthoc monaſterio prædictiones, nec non & eæ quas adhuc tam de illo, quam de alijs rebus ſum commemoratura, exactè adimpletæ ſunt; inter quas mihi nonnullæ triennio antè, aliæ amplius, aliæ etiam minus, quam vulgò innoteſcerent, à Domino dictæ ſunt. Semper autem eas Confeſſario meo, nec non amicæ illi meæ viduæ, qua cum loqui poteram (vti dixi) declaraui; hanc autem ſciebam eas alijs aperire ſolitam; & hi norunt me neutiquam mentiri. Et Deum venerans precor, ne me vmquam de vlla re, nedum de tanti momenti negotijs aliter, quam ipſa veritas loquendum ſuadeat, loqui ſinat.

Reuelatur ei ſororem ſuam repentina morte morituram.

Cum de ſororijs meis quidam ſubita morte ſublatus eſſet, quod valdè me angebat, eo quod Confeſſionem inſtituendi tempus ei non fuiſſet, interorandum mihi reuelatum fuit, etiam ſororem meam repentina morte morituram; vtq; me ad illam conferrem, ac qua poteram opera darem, vt ad mortem ſe diſponeret. Dixi id Confeſſario meo; ſed quod ille me abire vetaret, idcirco idem mihi & denuò ſignificatum fuit: quod ille audiens ſuaſit eo me conferrem, nullum quippe inde mihi damnum ſecuturum. Illa tum quidem in pago commorabatur. Illuc ergo cum veniſſem, nec itineris tamen mei cauſam ei aperirem, qua potui illam in omnibus edocere & illuſtrare conata ſum, & auctor ei fui vt ſæpiùs confiteretur, exactamq; animæ ſuæ rationem haberet: quod etiam præſtitit, quia per ſe bona & pia erat. Quatuor autem vel quinque annis poſtquam illam ſæpius confitendi, & ſuper conſcientiam ſuam ſeriò aduigilandi conſuetudinem aſſumpſit, nemine præſente, nec etiam

etiam confessione institutâ, ex hac vita abrepta est. Bene ei cecidit, quod (quia id ita iam consueuerat) nonnisi octiduum aut circiter, ab vltima eius confessione elapsum esset. Mirum in modum gauisa sum, audiens illam ex hac vita decessisse. Ceterum valdè paruo tempore in purgatorio fuit. Vix enim octiduum præterierat (vt mihi videtur) cum mihi, statim à sumpta communione, Dominus apparuit, meque videre voluit, quomodo eam ad cælos deduceret. *Dominus ei apparet sororē eius ad cælos deducens.*

Iam inde ab eo tempore, quo mihi Dominus id declarauit, vsque dum ipsa moreretur, nunquam, quod mihi dictum erat, oblita sum, vti nec sodalis mea, quæ mox vt illam obijsse comperit, ad me venit, mirata cum omnia quæ dicta erant, ita exactè adimpleta vidit. Sit Dominus in æternum benedictus, qui tantam animarum, ne pereant, curam gerit. Amen.

Caput XXXV.

COEPTAM DE FVNDATIONE MONASTERII GLORIOSI P. Sancti Ioſephi narrationem proſequitur: ſimulque declarat, quibus Deus modis ſanctam in eo paupertatem ſeruari iuſſerit: ac quæ de cauſa à nobili illa matrona receſſerit; necnon alia quæ ſibi contigerunt.

Interim verò cum apud eam quam dixi mulierem agerem (egi autem plus quam medio anno) Domino faciente contigit, quamdam Ordinis nostri monialem, quæ plusquam septuaginta leucas ab hac ciuitate distabat, mei notitiam accipere; vnde non dubitauit huc ad me excurrere, non verita aliquantulum de via deflectere, quo in mei colloquium veniret. Mouerat illam Dominus, vt aliud quoddam Ordinis nostri monasterium erigeret, idque eodem anno & mense, quo me ad hoc ipsum faciendum excitarat: hoc autem desiderio & proposito concepto, vendidit cuncta quæ possidebat, & nudipes Romam, quò confirmatorias litteras impetraret, abijt. Mulier est austeræ vitæ & orationis studio mirè addicta, quin & Dominus insignes ei gratias præstitit: Deipara quoque Virgo ei apparens, iussit vt rem quam meditabatur, executioni mandaret: tanto porro me in Dei famulatu antecurrebat interuallo, vt coram illa comparere erubescerem. Ostendit mihi litteras confirmatorias, quas Româ attulerat, & quindecim dierum illorum quibus apud me fuit, spatio inter nos deliberauimus, quomodo hæc monasteria nostra conderemus. Antequā autē illam cōueniſſem, nunquā hactenus inaudierā, regulâ nostra, priusquam relaxata esset, vetari, ne quid propriū Moniales haberent: hinc etiam intentio mea nō fuerat, vt isthæc *S. M. Humilitas.*

monasteria sine vllo censu fundarentur; hoc enim spectabam, vt nulla rerum ad vitã ducendam necessariarum solicitudine distineremur; at non aduertebam, quantum solicitudinis curarumque hæc bonorum temporalium possessio ac proprietas secum traheret. Sed sancta illa mulier, vtpote à Domino edocta, id valdè benè intelligebat (esto legendi artem non calleret) quod ego lectis & relectis toties Constitutionibus nostris, adhuc ignorabam. Quod cum illa mihi dixisset, mirè id mihi placuit; licet aliquantulum metuerem, Superiores id mihi non permitterent, sed stultè inepteque me agere dicturi essent, ac vetaturi, ne quid aggrederer, quo alijs occasio scandali, & crucis essem. Etenim si ego sola fuissem, rem statim sine mora executioni mandassem; quin imò magnæ voluptati mihi erat, de Domini nostri Iesu Christi consilijs exactè seruandis cogitare: eius quippe Maiestas ingens paupertatis seruandæ desiderium iam tum mihi inspirarat; adeò vt (quantum quidem ad me spectabat) minimè dubitarem, quin hoc longè optimum esset ac consultissimum. Iam enim abhinc multò tempore desideraueram, vt meus mihi status permitteret, victum, & omnia necessaria, ostiatim propter Dei nomen mendicare, imo nec domum aut aliud quid habere: sed verebar, ne reliquæ, si fortè Dominus hæc illis desideria non inspiraret, propterea turbarentur, & hoc distractionis alicuius illis occasio foret. Videbam namque etiam nonnulla monasteria censu carentia, parum recollecta & quieta esse; at non considerabam, paupertatem ipsam in causa non esse cur inquieta essent; sed vice versa, inquietudinem in causa esse, cur necessarijs destituerentur, & in paupertate viuerent: nam nec per inquietudinem ditescunt, nec vmquam deserit Deus eum qui se seriò & ex corde diligit. Demum fides mea exigua & debilis erat, & illius famulæ Dei ingens & valida. Sed licet ipsa, in omni re semper diuersorum sententias audirem & inquirerem, nullum tamen inueni, qui huius opinionis foret, nec Confessarium nec vllum è viris doctis quos identidem consulebam: etenim tot hi mihi rationes adducebant, vt, quid actura essem penitus nescirem: nam cognito iam, paupertatem ab ipsamet regula præscribi, eamque seruare maioris perfectionis esse, planè inducere in animum meum non poteram, vt annuos census assumerem. Et licet subinde suis me argumentis conuincerent, mox tamen vt ad orandum me conferebam & Christum in cruce positum ita pauperem & nudum intuebar, diuitiarum possessionem æqua mente admittere nõ poteram: multis ergo cum lachrymis illum identidem rogabam, ita rem disponeret, vt simul cum ipso me pauperem & egenam viderem. Tantæ autem in redituum possessione difficultates & incommoda mihi occurrebant, quin imò tantam inquietudinum, nec non distractionum causam eos es-

Paupertatis bona.

Paupertatis seruandæ desiderium habet.

Ad annuos cẽsus percipiẽdos perduci nequit.

eos esse videbam, vt assiduè cum viris doctis de illorum admissione concertando disputarem. Vnde super hoc negotio ad Dominicanum illum scripsi, qui rem nostram agebat; qui litteris meis respondēs, suam de hoc negotio opinionem, qua meam refutabat, aperuit, eamq; argumentis & rationibus Theologicis confirmauit, quibus duo chartæ folia repleuit; & quò mihi melius eam persuaderet, seriò se rem hanc excussisse, & maturo iudicio aiebat expendisse. Cui rursus respondi, me, ad vocationem meā, & votum paupertatis, quod professa erā, nec non ad Christi Domini consilia, ea qua oportet perfectione, non sequenda, nolle Theologicā scientiā vti, nec petere vt hoc in casu per doctrinam suam mihi gratificetur & iuuet. Summopere vero gaudebam, si quem inuenirem, qui mihi hac in causa patrocinaretur. In quo peregregiam mihi operam præstitit nobilis illa matrona apud quam commorabar. Multi quidem initio opinioni meæ suffragabantur, meque bene facturam aiebant; at postea, cum eam penitus examinarent, tanta in ea notabant incommoda, vt eam iam dissuadere, & cōtrarium suadere omnimodis conniterentur. Quibus ego replicabam, cum ipsi eam circò à sua sententia discederent, & aliam iam propugnarent, me priori velle adhærere.

F. Petrus de Alcantara suadet ei vt paupertatē amplectatur.

Hoc ipso tempore, disponente scilicet Domino, factum vt Petrus de Alcantara, sanctus ille vir, rogatu meo ad ædes matronæ huius veniret (nunquam quippe ipsa sanctum virum viderat) quod autem hic, vtpote insignis paupertatis amator, & ad multos annos indefessus cultor, quantus in ea thesaurus lateret, perspectissimum habebat, non parum me isthoc in negotio iuuit, & quàm potuit enixissimè præcepit, vt in paupertatis patrocinio & causa tuenda animosè pergerem, nec vnquam deficerem. Hac auditâ sententiâ & patrocinio, puta eius, qui, quod magnam rei huius habebat experientiam, optimè eam nosse poterat, mecum statui nullius exinde amplius super opinionem sciscitari. Cùm autem die quadam hocce negotium Domino in oratione mea enixè commendarem, ipse mihi apparens mandauit, nullatenus vt omitterem, monasterium sine omni censu & in paupertate fundare, hanc nempe & Patris sui cælestis & suam voluntatem esse, seque mihi auxilio suo ad futurum: factum hoc est in raptu, tantis tamque potentibus cum effectibus, vt ambigere neutiquam possem, quin hoc à Deo proueniret. Alio tempore mihi dicebat, in reditibus annuis sitam esse cōfusionem; nec non alia multa in paupertatis laudem afferebat, & certò mihi confirmabat, ei, qui ipsi ex toto corde seruiret, rerum ad vitam necessariarū nihil vmquam defuturum; vnde & ipsa (vti dixi) nunquam veritus sum, ne quid mihi deesset. Quin & postea præsentati illius, Dominicani inquā illius, quem antè mihi, ne sine censibus certis monasterium fundarem,

Dominus dicit esse voluntatē suam vt monasterium cēsu careat.

dixi scripsisse, cor Dominus immutauit. His ergo auditis, nec non talium virorum in hoc negotio opinionibus mihi suffragantibus, ita iam tum in animo meo gestij, vt omnes totius mundi opes sola possidere mihi viderer tum, cum eleemosynis & mendicato viuere in animum induxi.

Hoc ipso tempore Prouincialis meus me relaxauit à præcepto & obedientia, quo me apud Domicellam illam ad tempus esse iusserat, liberumque mihi reliquit, aut inde abire si vellē, aut ad certum adhuc spatium ibidem manere. Hoc autem intra tempus, in cœnobio meo nouæ Præpositæ facienda erat electio, intellexi autem, multas mihi hoc onus imponere statuisse. Adeò porro, vel de eo cogitare erat mihi graue, vt omnigena tormenta & martyria propter Deum quàm libentissimè perferre haud difficulter in animum meum inducerem, vt autem isthoc munus susciperem, nullatenus à me ipsa impetrare possem. Nam vt nihil de onere & labore, quem munus hoc secum afferebat (erant enim multæ moniales) dicam, & alia multa ob quæ nunquam dignitatem aut munus aliquod desideraui, sed semper qua potui subterfugi, omittam; euidens in eo mihi conscientiæ offendendæ periculum contineri videbatur: vnde Deo gratias egi, quod ibi tunc præsens non adessem. Scripsi adhæc sodalibus & charissimis meis, ne quod pro me suffragium, in hac electione darent.

Graue ei est vel de præpositura suscipienda cogitare.

Cum itaque mihimetipsi congratulans, gauderem, quod extra illum strepitum iam in tuto essem, ait mihi Dominus, nullatenus omitterem illuc me conferre; &, cum crucem desiderarem, insignem mihi illic parari; hanc proinde ex humeris non excuterem, sed animose illuc pergerem, & quidem quam citissimè; se vero mihi præstò & subsidio futurum. His ego auditis, valdè me afflixi, lacrymis identidem me conficiens; per crucem siquidem hanc regimen ac præposituram putabam denotari: quam vti iam dixi, nullo modo mihi persuadere poteram, animæ meæ vtilem aut consentaneam fore, nec aliquod argumentum inuenire, quo ad eam suscipiendam possem induci. Confessario proinde meo rem totam aperui, qui, vt quantocyus illuc abirem, mihi iniunxit. liquido enim patere, maiorem in hoc perfectionem cōtineri. Sed, quod intensi per eos dies calores essent, & satis tempestiuè adessem, si adessem cum facienda esset electio, suasit vt ad aliquot dies iter adhuc differrem, ne quod valetudini meæ damnum profectio hæc adferret. Sed quia Dominus rem aliter ordinauerat, hinc eam executioni mandari oportebat: nam inquietudo, quam in anima sentiebam, tanta erat, vt orationi vacare non possem; quin imò refragari & reluctari mihi videbar rei quam mihi Dominus tam manifestè iniunxerat, & nolle, quod ibi quietè agerem, lauteque haberer, labori me offerre: adhæc omnia mea cum Deo,

Dominus iubet illā redire & magnam ei prædicit crucem.

non nisi

nó niſi verba eſſe: deinde, cur, cum in loco eſſe poſſim, vbi maioris perfectionis habendæ eſſet occaſio, eo me conferre negligerem; &, ſi ibi mori me contingat, parum id referre. Inſuper grauiſſimam in anima anguſtiam ſentiebam; Dominus quoque mihi omnem, quam inter orandum ſenrire ſolebam, ſuauitatem guſtumque ademerat. Denique ita conſtituta eram, tantumque introrſum tormentum ſenſi, vt Dominam illam rogarem, bona vt illius cum venia mihi domum abire liceret: quia iam etiam Confeſſarius meus, viſa mea amaritudine, vt abirem me monuerat: eodem enim modo eum Deus interne mouebat, quo me. Ceterum Matrona illa audito, me abitum adornare velle, ita propterea eſt contriſtata, vt hoc ei velut tormentum & crux fuerit: nam magno illæ hæc mea apud ipſam commoratio labore & importunis apud Prouincialem precibus conſtiterat. Equidem vt ſingulare beneficium ſum interpretata (ita diſceſſum meum ægrè ferebat) quod diſcedendi mihi copiam faceret: ſed, quia Deum timebat, ac diſceſſum meum ad magnam eius gloriam tendere poſſe dicebam, nec non alia id genus, ſpemq; illi faciebam fieri forſan poſſe vt denuò ipſam inuiſerem, tandem in abitum, licet non ſine magna difficultate, conſenſit. At ego nullam prorſus, ab ea diſcedendo, ſenſi; etenim maioris id perfectionis opus & ad Dei honorem tendens, eſſe cum viderem (eò quod ei placere, eiuſque voluntatem, per omnia facere mihi longe gratiſſimum ſit) illam quæ à parte mea in Matrona hac (quam abitum meum tam moleſtè ferre videbam) nec non alijs plurimis, quibus permultis nominibus obſtricta eram, ac præſertim Confeſſario meo, qui de Societate Iesv, & ad genium & guſtum meum erat, deſerendo, eſſe poterat, acerbitatem ac moleſtiam facilè ſuperaui. Sed quo plus conſolationis propter Dominum me videbam dimittere, eo plus gaudij ex eius dimiſſione ſentiebam. Hoc quomodo fieret, intelligere planè non poteram; etenim manifeſtè duo hæc contrariantia in me notabam, gaudium inquam*, ſolatium & iucunditatem ex eo quod me in anima torquebat & cruciabat: eram quippe apud Domicellam bene ac quieta, inſignemque ad multas horas orationem meam extendendi commoditatem habebam: inde autem deſcendendo, velut in ignem accenſum vltro prorueré mihi videbar: iam antè enim mihi dixerat Dominus, me ad crucem ingentem abire (eſto eam tantam fore nunquam putaui, quantam poſtea fuiſſe comperi) Nihilominus hilariter iter ſuſcepi, indoluique quod etiam tam diu certamen ac crux differretur, cum tamen ad hanc à Domino euocarer: atque idcircò Maieſtas eius mihi vires & robur ſuggerebat, meamque infirmitatem corroborabat. Hoc, inquam, qui fieret, penitus intelligere non valebam,

Volupe illi erat conſolationem relinquere.

bam, sed hæc similitudo mihi hic in mentem veniebat: si videlicet, mihi pretiosum aliquod monile, aut aliud quidlibet, quod mihi gratissimum esset, possidenti diceretur, aliquem piam, quem maiore quam meipsam amore prosequerer, & cui complacere longè mihi carius esset, quam meæ ipsius recreatio ac voluptas, illud ambire ac desiderare; longè mihi haud dubiè iucundius esset iam illo carere, quam ante erat possidere, quo amico illi gratificarer: & quia hæc ei gratificandi voluptas meam in possidendo voluptatem longè excedit, hinc est, quod monili, aut alia illa re quam diligo, carere, aut quam inde percipiebam voluptatem frustrari, mihi haud graue sit. Adeò vt etsi etiam voluissem ægrè & dolenter ferre quod eos deserere debebam, quibus discessus meus tantum doloris afferebat (cum alioquin ipsa ex natura mea ita grata & beneficiorum recognoscens sim, vt hoc ipsum solum alio tempore nimis satis fuisset ad me vehementissimè deijciendam & affligendam) in præsenti tamen casu aut tristari aut affligere me prorsus non poteram. Tantum porro benedicti huius monasterij interfuit, me vel ad diem vnum iter non distulisse, vt, si diutius illic hæsissem, plane nesciam quomodo negotium hoc ex voto ac feliciter confici potuisset.

Dominus ei reuelauit se domo S. Ioseph delectari.

O singularem Dei magnificentiam! Sæpe mecum ipsa maior, quando eam considero, & video quam me singulari quodam modo illius Maiestas adiuuare dignata sit, quo hic Dei angellus tandem fundaretur & perficeretur: verè enim Angellum & domum Dei esse mihi persuadeo, in qua videlicet Maiestati eius bene complacet, vti ipsi mihi semel interorandum reuelare ac dicere dignatus est, scilicet, domum hanc sibi velut paradisum deliciarum esse, vnde & animas, quas huc adduxit, illius Maiestas, peculari modo selegisse videtur, inter quas ego magna cum meipsius confusione, viuo; nam tales, quales tanta vitæ austeritas, paupertas & orandi studium, quæ nobis proposita sunt, & hic obseruantur, requirebat, ne optare quidem potuissem; & hæc ipsæ onera tam hilariter & iucundè perferunt vt nulla non se indignam reputet, quæ ad talem ab eo vocari locum meruerit; ac præsertim illæ, quas de vanitatum pomparum mundi (in quo, prout leges ferunt, deliciis affluere, & commoditatibus corporeis redundare poterant) medio Dominus euocauit: sed has eis hîc delicias Dominus ita duplices reddidit, vt ad oculum videant, centuplum ipsis à Domino redditum esse pro vno quod reliquerunt, vnde Maiestati eius infinitas agere gratias nunquam desinunt. Alias porro ad altiorem perfectionis gradum euexit, & è bonis reddidit meliores. Iunioribus verò robur dat, & intelligentiam, tum ne quid aliud desiderare possint, tum vt liquide perspiciant, longè, etiam quoad vitam hanc temporalem & terrestrem, quietius ac tranquillius esse, ab omnibus vitæ

huius

huius rebus sequestrati ac diuelli, quam ipsas possidere. Senioribus denique ac morbidis dat vires; & quidem tales ipsis dedit, vt omnem austeritatem & rigorem pœnitentiæ non minus quam iuniores & valentiores ferre queant.

Quam, ô Deus meus, euidenter ostendis potentem te esse! non est autem quod rationes conquiramus ad id, quod tute vis: quippe supra omnem rationem naturalem res quaslibet ita possibiles & factibiles reddis, satis vt ostendas, nihil, quo omnia facilia reddas, amplius desiderari, quam vt te seriò sincereque diligamus, & propter nomen tuum vere omnia relinquamus. Vnde bene apteque hic dicere possumus Domine, te laborem in lege tua fingere; nullum enim ipsa in eo video; & nescio, quomodo, quæ ad te conducit via, arcta & angusta dici possit: imò verò, video esse regiam viam ac latam, non autem semitam; & quidem talem, vt qui ex animo & prout oportet eam ineunt, longè ambulent securius: nulla quippe in ea occurrunt præcipitia, nulli scopuli qui ambulantem cespitare faciant, cum procul ab ea absint peccandi occasiones. Semitam autem, & scabrosam quidem & arctam, illam voco viam, quæ hinc quidem profundissimam habet vallem, in quam viator prolabatur, illinc verò præruptum & saxosum præcipitium, è quo, si quis vel modicum sui obliuiscatur & obdormiscat, quamprimum præceps ruit, & fracta ceruice disperit. At qui te, Domine, bonum meum, sincerè amat, velut per amplam & regiam viam, secure incedit, longeque ab omni abest præcipitio; & si vel paululum cespitauerit, tu ei labenti quamprimum benignissimè dexteram porrigis: vnus atque alter lapsus satis non sunt, ad totale ei exitium afferendum, si modo te, & non ea quæ mundi huius sunt, diligat; quod per vallem humilitatis incedat. Nescio quid sit, quod perfectionis viam inire, multi ita reformident: Dominus Deus pro ea qua est bonitate, declarare nobis dignetur, quam infida & noxia, in tam apertis & manifestis periculis (qualia sunt, communem hominum in viuendo consuetudinē sequi) sit securitas; & è contra quomodo vera & sincera securitas, in seria ad insignes in via Domini progressus faciendos contentione sita sit. Quocirca in ipsum oculos nostros conijciamus, & non erit cur timeamus, vt nobis Sol iste iustitiæ occidat, nosque in tenebris & densa nocte ambulare sinat, quo interitum ruamus, nisi ipsi eum primo relinquamus. Non verentur in medio leonum, qui aliud (vt quidem videtur) non quærunt, quam vt suam quisque raptantes partem, nos frustratim discerpant (quales sunt honores, voluptates, & aliæ id genus deliciæ, prout quidem eas mundus appellat, atque hîc quidem per telas aranearum cacodæmon timorem videtur incutere) ambulare. Millies mecum ipsa miror, & decies

Vt omnia facilia sint solum Deus amandus est.

Vnus aut alter lapsus satis non sunt vt pereat qui Deum amat.

Honores & voluptates feræ belluæ sunt.

decies millies lacrymis me ipſa exſatiare, & omnibus hominibus inclinare vellem, ad ingentem cæcitatem & nequitiam meam illis declarandam; viſura, an forte hoc aliquatenus prodeſſe poſſit, vt ſuos ipſi oculos aperiant. Is, quæſo, qui ex ſua id bonitate poteſt, illos aperiat nec meos denuo cæcutire & obſcurari patiatur. Amen.

CAPVT XXXVI.

EANDEM PROSEQVITVR MATERIAM, ET REFERT QVOmodo tandem monaſterium glorioſi Confeſſoris Ioſephi perfectum & fundatum ſit; quanta quoque, poſtquam Religioſæ habitum aſſumpſiſſent, orta ſint obloquia & perſecutiones; quantas item ipſa paſſa ſit moleſtias & tentationes; quomodo denique eam Dominus omnibus ſuperiorem & victricem, ad laudem & gloriam nominis ſui fecerit.

CVM iam ex illa vrbe diſceſſiſſem, magnam per totum hoc iter lætitiam ſenſi, firmiter apud memetipſam ſtatuens, quidquid tandem mihi Dominus imponere decreuiſſet, gratanter & ſumma cum animi lubentia, ſuſcipere. Ea ipſa veſpera, qua ciuitatē hanc ſum ingreſſa, redditæ mihi ſunt litteræ & breue Apoſtolicū, quibus monaſterij fundatio ampla cum poteſtate concedebatur. Vnde tum ego, tum omnes qui quantopere me Dominus ad iter hoc ſuſcipiendum vriſſet, nouerant, nō mediocriter ſunt mirati; videntes, quam tunc me neceſſe fuerit in viam dare, & quam etiam oportuno commodoque tempore Dominus huc me duxiſſet. Illic quippe reperi Epiſcopum loci & Sanctum virum F. Petrum de Alcantara, nec non Equitem illum nobilem, egregium Dei famulum, in cuius ædibus ſanctus ille vir hoſpitabatur; erat is namque communis hominum Sanctorum curator, patronus & hoſpes. Vterq; ita ſeriò apud Epiſcopum pro monaſterij admiſſione inſtiterunt, vt is tandem facultatem dederit: quod ſane parui momenti non eſt, eo quod ſine cenſu vllo id fundandum erat. Sed ipſe erga homines, quos ad Deo ſeruiendum ita animatos videbat, tantopere afficiebatur, vt illis ſubſidio ſuo adeſſe, & patrocinium illorum ſuſcipere, in animum ſtatim induceret. qui autem omnia fecit, & in cauſa fuit, ipſum vt admitteretur, fuit ſanctus ille ſenex F. Petrus de Alcantara, qui modo hunc modo illum compellabat, nobis & auxilium & fauorem præſtarent. Et ſanè, niſi eo, quo dixi, tempore oportuno adueniſſem, neſcio quo tem modo conficere potuiſſem: nam ſanctus ille vir quam minimo tempore hîc ſubſtitit (erenim vix ad octiduum hic eum hæſiſſe, & quidem valetudine parum firma, exiſtimo) & paucis exinde poſt diebus Dominus eum ex hoc mortali

Epiſcopus monaſterium admittit, vt omni cenſu careat.

corpore

corpore ad se euocauit. Eatenus sanè eum illius Maiestas in vita conseruasse videtur, quoadusque negotium hoc plane conficeretur : iam dudum enim (nescio certè an plus biennio) satis debili & languida fuit valetudine. Omnia porro quam fieri poterat secretissimè peragebantur; nam alioquin; prout quidem populus propterea commotus est (vti quidem postea apparuit) nunquam res confici potuisset.

Disponente verò Domino factum, vt quidam de sororijs meis, vxore peregrè profecta, in morbum inciderit; qui ad eas, præ morbi vi, redactus est angustias, vt apud eum manendi copia mihi facta sit : hincque factum, vt res non ita innotuerit; quamquam non deerant, qui aliquid suspicando subolfacerent, sed planè vt id crederent, in animum inducere non poterant. Admiratione sanè non caret, quod diutius non ægrotauerit, quam quantum huic negotio conficiendo expediens erat; statim verò ac necesse fuit, illum sanitati restitui, quo & ego ab eo curando liberarer, & ipse domo illa excederet, sanitatem illi Dominus restituit, adeò vt & ipse miraretur. Ego autem interim modo hos, modo illos adibam idque magno cum labore, vt domus admissionem efflagitarem; adibam & ægrotum Sororium, etiam operas & fabros, apud illos solicitè instans, vt quam citissimè eatenus domus aptaretur, vt monasterii formam habere posset; multum quippe adhuc in ea faciendum restabat, socia quoque mea tum temporis vrbe aberat: expedientius enim esse nobis videbatur, quo res secretius & occultius perageretur, vt illa tantisper vrbe excederet. Et videbam planè, rem quam celerrimè, summaque cum festinatione peragi oportere idque ob varias rationes; inter quas hæc vna erat, quod singulis horis metuerem, ne eo reuerti vnde veneram iuberer. Ita porro vndevndique molestiis atque angustiis circumdata & oppressa eram, vt cogitare inciperem, hæccine crux illa esset quam mihi Dominus indicarat; quamquam hoc mihi nimis quam paruum videbatur, vt per magnam illam intelligi crucem posset, quam Dominus mihi impendere præmonuerat.

Quo die & anno monasterium dedicatum fuerit.

Rebus itaque omnibus vtcumque dispositis & constitutis, placuit Domino, vt ipso S. Bartholomæi festo, nonnullæ habitum sacrum assumerent, & Vener. Sacramentum Eucharistiæ summa cum auctoritate & magnificentia in altari collocaretur; itaque anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, glorioßissimi Patris nostri S. Ioßephi monasterium perfectum est. Cum autem illæ vestem sacram assumerent, ego, simul & aliæ duæ conuentus nostri proprii moniales, quæ tum fortè fortuna foras egressæ erant, illam iis dedimus. Quod verò monasterium in sororij mei domo pararetur

Omnia facit consul tos, cauzene in obedientiã impinge ret.

(nam, vti ſupra dictum eſt, ipſe eam, quò res occultior foret, coëmerat) hinc facultatem à Superioribus meis acceperam illic agendi: nihil porro faciebam non conſultis antè viris doctis, ne vel in minimo contra obedientiam delinquerem; & quia id vniuerſo Ordini, varias ob cauſas, mirum in modum videbant prodeſſe, hinc id mihi licitum eſſe dicebant, eſto id non niſi quam occultiſſimè perageretem, daremque operam ne ad Prælatorum meorum aures res deueniret. Si enim vel minimam hac in re imperfectionẽ latere dixiſſent, ne ob mille quidem monaſteria, nedum ob vnum, eam, meo iudicio, facere voluiſſem. Certiſſimum hoc eſt; etſi enim omni re creata magis me ſequeſtrare & profeſſionem ac orationem meam maiore perfectione & clauſura ſeruare firmiſſimè mihi propoſitum eſſet; taliter tamen id volebam, vt, ſi intellexiſſem gratius DEO fore ſi ipſum penitus intermitterem, id (quod & alias feceram) quam libentiſſimè, & maxima animi ſerenitate ac quiete feciſſem. Itaque ſumma quadam in gloria mihi eſſe videbar, cum Vener. Sacramentum in altari collocari, & quatuor pauperculas filias parentibus orbas (ſine vlla enim dote admittebantur) ſed inſignes DEI ancillas, iuuari & in monaſterium admitti viderem. (nam in principio maximè propoſitum fuit, vt tales admitterentur, quæ bono ſuo exemplo tanquam fundamentum eſſent, in quo, qui nobis propoſitus erat, magnæ perfectionis, & frequentis orationis finis ac ſcopus effectum habere poſſet,) tum verò quod adimpletum iam viderem opus, quod ad obſequium Domini, & Ordinis à glorioſiſſima eius Matre cognominati honorem (hoc quippe ſolum ipſa ſpectabam) tendere videbam. Præterea magnæ mihi conſolationi fuit, adimpleſſe id quod tam inſtanter mihi DOMINVS iniunxerat, & quod hac in vrbe iam vnum templum amplius eſſet, quàm hactenus fuerat, idque in glorioſi Patris mei Ioſephi honorem erectum. Non quod mihi aliquid in hoc à parte mea feciſſe viderer (nunquam enim id mihi viſum fuit, vti nec modo videtur) ſemper quippe agnoſco & profiteor, Dominum eſſe, qui hoc faceret; & quidquid à parte mea erat, tantis ſcatebat imperfectionibus, vt culpari me propterea potiùs debere & reprehendi, quàm vt gratiæ mihi ab alijs agantur, videam. Magnam tamen inde voluptatem ſentiebam, quòd me, eſto ita ineptã & miſerã, Maieſtas illius, ad opus hoc adeò præſtans peragendum, vti voluiſſe cernam: tanta porro hæc mea voluptas fuit, vt velut extra meipſam, per profundam orationem, abrepta eſſem.

Illius gaudium in monaſterij initio.

Rebus omnibus iam peractis, tres circiter aut quatuor poſt horas peracre mihi diabolus quoad ſpiritum certamen mouit, vti iam dicam. Dubi-

Dubitationem mihi mouit, qua dubitare cœpi, rectene factum esset id quod iam factum erat, & annon in obedientiam peccassem, quòd, Prouinciali non iubente, rem hanc aggressa & executa essem (nam non dubitabam quin ille aliquatenus ægrè ferret, quòd monasterium, illo non prænonito, nec consulto, ordinario loci suppositissem; quia tamen id ipse admittere noluerat, meq; illius obediétiæ ac subiectioni nõ omnino subtrahebam, hinc videbatur ipse mihi è contra hoc parum amaturus) num item filiæ illæ, quæ hic admissæ erant, in tanta vita austeritate & rigore contentæ essent viuere; an item victus, & res ad vitam necessariæ illis non essent defuturæ; ad hæc, annon rem stultam aggressa essem, & quid ad illam suscipiendam me mouisset, cùm proprium monasterium haberem. Cæterùm, omnia quæ mihi Dominus iniunxerat, omnes sententiæ aliorum quas audiueram, orationes quas ipsa fuderam (nam plus biennio rem hanc per preces Deo pene assiduè commendaram) ita è memoria mea effugerant, velut obliuioni insepultâ, ac si nihil horum vnquam circa me factum esset; sola meipsius opinio memorię obuersabatur; omnes quoque, imò ipsa etiam fides, tum temporis sic in me suspensæ erant, vt ne vel vnam quidé earum opere exercere, aut earum alicuius ope hosce aduersariorum impetus possem retundere. Suggerebat mihi præterea diabolus, curtã angustæ me domunculæ vellé includere, & quidem tot morbis oppressam; quo item pacto tantam austeritatem perferre possem, & cur domum ita amplam & amœnam, in qua hactenus ita contenta & hilaris vixissem, & tot habebam amicas, desererem; forsitan fore, vt quæ hic essent moniales, mihi displicerent, nec ad genium meum essent. Denique, paucis vt complectar, nimis graue me in humeros onus deuocasse, quod in causa esse posset, cur in desperationis abyssum præceps ruerem; & dæmonem ideo forsitan ad hoc me impulisse, vt mihi pacem & quietem mentis eriperet: vt sic, ob hanc inquietem, orationi insistere non possem, itaque fore vt animam meam perderem. Hæc aliaque eiusmodi confertim conglobatimque mihi ob oculos ponebat, prorsus vt mihi impossibile foret, de vlla re quàm hac cogitationem suscipere; idque ea mentis angustia, caligine atque obscuritate, vt verbis id eloqui nequeam. Vnde me ita constitutam aduertens, coram Ven. altaris Sacramento in genua me abieci; sed orationem aliquam instituere neutiquam valebam: quantum coniecturando assequi possum, tali tum in angore versabar, in quali agonizantes, & morti iam proximi: nemini quoque eum patefacere ausa fueram, quòd nondum certum aliquem Confessarium delegissem.

Quæ illi dæmon incommoda obiiceret.

Virtutes in ea velut suspensæ fuere.

Deus bone! Quam ærumnosa & misera est hæc vita! nulla secura hic voluptas datur, & nihil est, quod non varium aut inconstans sit. Paulò antè

lò antè, meum ego gaudium cum vllo mundi gaudio non videbar commutatura, & modò ob eandem omnino causam ita cruciabar & angebar, vt quid mihi factura essem, planè ignorarem. Si attentè vitæ nostræ res expenderemus, nemo non per experientiam videret, quàm parui omnis, quam hîc habere possimus, voluptas aut molestia dolorúe facienda sit. Nullum sanè mihi toto quo vixi tempore, vehementius certamen aut impetum aduersarij, quàm hoc fuit, tulisse videor; & videtur mihi mens grauem illam, quæ mihi adhuc restabat, passionem præsagijsse, quamquam illa nõ tam grauis fuit, atque hęc, si quidem diuturnior fuisset. Sed miseram ancillam suam Dominus pati non patiebatur: semper enim is mihi in tribulationibus adfuit; sic & in hac mihi est auxiliatus: quia pauxillum mihi lucis aspirauit, vt viderem, dæmonem esse qui me affligebat, & veritatem intueri possem, & perspicerẽ nil aliud illum quærere, quàm vt mendacijs quibusdam me perterreret. Vnde firmorum meorum, quæ aliàs conceperam, Deo seruiendi propositorum, nec non intensorũ, quæ habueram, pro illo patiendi desideriorũ recordari cœpi; mecum reputãs, non esse mihi, siquidẽ illa adimplere vellẽ, vllatenus quietem quærendã, &, si quæ mihi interdum aduersitates occurrerent, in ijs meritum situm esse, & si Dei ad honorem patienter illas ferrem, purgatorij loco id mihi fore: proinde non esse quod timerem: nam quandoquidem molestias & grauamina desiderabam, iam me ijs oblatis debere gaudere, quòd hæc nimis quàm magna & grauia essent: etenim in maxima oppugnatione & contradictione lucrum consistere. Petebam ergo à meipsa, cur mihi ad ei, cui tantum debebam, seruiendum animus deesset? His, & alijs id genus, considerationibus magnam mihimetipsi vim faciens, coram Ven. Sacramento spopondi, me omni qua poteram contentione allaboraturam, vt in illo Monasterio habitatum veniendi, clausuræque, si quando saluâ cõscientiâ id facere possem, vouendæ facultatem impetrarem. Hoc dicto, in momento diabolus à me recessit, meque quietam & in pace mentis reliquit, itaque quieta mansi, & semper exinde quieta fui: & quidquid in hac domo, quoad clausuram, austeritatem, & reliqua, obseruatur, mihi quàm suauissimum, & nimis quàm exiguum videtur: & quam sentio voluptatem, tam eminenter magna est, vt subinde mecum ipsa cogitem, ecquid in terra seligere & optare possem dulcius. Nescio sanè, an hoc ex parte in causa sit, cur meliore iam sim valetudine quàm fuerim hactenus; vel an ideo hoc mihi Dominus dare solatiũ velit, vt, quod aliæ omnes implent, ego quoq; implere possim; cũ ita me facere & oporteat, & rationi sit cõsentaneũ, esto id mihi quam molestissimum sit: nihilominus omnes quibus mea inualetudo nota est, id præstare me posse mirantur. Ille sit benedictus, qui omnia dat, & cuius potentiâ omnia possumus.

Vita huius dolor aut latitia parui faciendæ.

Illius quies in austeritate.

Hoc

Hoc me certamen valdè attriuit & deiecit; interim tamen dæmonẽ risi; nam manifestè videbam, illius has technas & molimina esse: credo equidẽ, Domino permittente, hæc omnia facta esse (duodetriginta enim annis & ampliùs, quibus vitam monasticam egi, nunquã, ne ad momentum quidem, experta eram, quid esset ob vitam monasticam assumptam contristari) vt scil. intelligerem, quantum ipse mihi in hoc beneficiũ contulisset, & quanto me tormento eripuisset, simul etiam si quam hac in angustia constitutam cernerem non mirarer, sed ei compaterer & consolari possem. His iã transactis, cùm post prandium quietis aliquid capere vellem (nam tota superiore nocte vix quietem habueram, quin & alijs quibusdam præcedentibus noctibus à labore & cura nunquam vacaram, vt taceam quòd quotidie per diem summopere defatigarer) ecce quod tum in ciuitate, tum in Monasterio meo, quid factum esset, iam innotuisset, magnæ in hoc turbæ & concitatio, ob eas quas suprà commemoraui rationes, quæ aliquam verisimilitudinis vmbram habere videbantur, exorta est. Statim ergo me Præposita ad se euocauit, vt, nullâ datâ morâ, sibi me sisterem. Ego autem mox vt illius mandatum vidi, illuc quamprimùm me, nouas Moniales meas tristes admodum & afflictas relinquẽs, contuli. Permultum mihi molestiæ impendere, facilè perspexi; sed, quoniam opus iam peractum & confectum erat, hinc me res ea non magnopere mouit. Orationi ergo me dedi, Dominum precata, mihi vt adesset; & gloriosum patrem meum Iosephum, vt ad suum me Monasterium reduceret, eique quæ passura eram obtuli. Gaudens autem & exultans, aliquam mihi pro eius nomine patiendi, & in quo ei seruire possem, occasionem dari, illuc alij, credens fore vt quamprimum in carcerem compingeret: sed fuisset hoc (vt quidem apparet) mihi longè gratissimũ, quòd hoc pacto nullius alloquendi, & in solitudine aliquantisper requiescendi (quod mihi sanè imprimis necessarium erat; eram quippe ob assiduam cum hominibus conuersationem propè exhausta & molita) occasionem haberem. Vt igitur in Præpositæ conspectum veni, & facti mei rationes apud eam deposui, aliquantum placata mitiùs agere cœpit: omnes autem ad Prouincialem causam hanc amandarũt, ea tunc indecisa mansit, vt ab eo iudicaretur: qui vt aduenit, illius iudicio me stiti, gaudẽs quòd aliquid pro Dei nomine me pati cernerem: non enim comperiebam, hoc in facto me aut cõtra illius Maiestatẽ, aut contra regulã peccasse, sed omni studio cõtendere, vt Ordinẽ adaugerẽ, quin & libentissimè vitã meã huius causa obtulissẽ; nã id vnũ cupiebã, vt q̃ maxima fieri poterat perfectione regula adimpleretur. Venit hic mihi in mentẽ iudicij illius, quo Redẽptor noster Christus diiudicatus est; videbãq; q̃ meũ, illius respectu, nihil esset. Culpã hic agnoscebam, tanquam si valdè culpabilis fuissem; & certè talis videbar ijs

Moniales aduersus S. M. concitantur.

Carcer illi solatio fuisset.

bat ijs qui omnes facti mei rationes non sciebant. Postquam ergo is me acriter reprehendisset (esto non eo cum rigore quo delictum coargui merebatur, & coargui debuisse multi Prouinciali dicebant) penitus me purgare noluissem (hoc quippe planè apud me statueram:) vnde eum rogaui, vt mihi peccanti ignosceret, & citra iracundiam pœnam infligeret. In nonnullis quidem immeritò me videbam damnari; dicebant enim, ideo id me feeisse, vt aliquod mihi nomen & famam acquirerem, & alia id genus: at in alijs clarissimè videbam eas verum dicere, quòd videlicet alijs omnibus essem deterior, &, cùm bonam religiosam disciplinam, quæ apud se seruabatur, prout oportet seruare non potuerim, quomodo alio in loco maiori cum rigore seruare me eam posse crederem? adhæc, me populo scandalum creare, & nouitates quasdam introducere. Nihil horum me turbabat, aut angebat, esto me & turbari & angi propterea ostenderem, ne, quę mihi dicebantur & obijciebantur, parui facere & explodere viderer. Demũ Prouincialis mihi iniunxit, vt coram Monialibus me defenderẽ, ac facti mei rationem redderem: quod & facere me oportuit: quòd autem & interiùs quieta essem, & Dominus me iuuaret, ita meam causam egi, vt nec Prouincialis, nec quæ aderant Moniales, vllam me damnandi causam inuenirent. Postea verò cùm apud illum solum essem, multò sum clarius locuta: quibus ipse auditis mitiorem se præbuit, itaque totus in partes meas concessit, vt, si res progressum haberet, & ciuitatis oblocutio iam cessaret, mihi se facultatem daturum promitteret in Monasterium illud ingrediendi. Nam, vti iam referam, magnas ea res in ciuitate turbas excitauit. Duobus enim aut tribus pòst diebus, nonnulli de Rectoribus ciuitatis, vnà cum Prætore, & quidam de Capitulo, in vnum conuenientes, nullatenus rem hanc à se tolerari debere dixerunt (euidens enim detrimentum Rempublicam inde accipere) Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum inde auferendum, ac nulla ratione se toleraturos, ea vt res progressum haberet. Omnes proinde Religiosos Ordines conuenire iusserunt, duos è singulis viros doctos euocantes, vt suam de Monasterij huius erectione sententiam dicerent. Quorum alij tacebant, alij ipsum damnabant: demum in id plerique conuenerunt, quam primum vt dissolueretur: sed vnus dum taxat Præsentatus Ordinis S. Dominici (esto ei displiceret, non tam Monasterium, quàm quòd certo censu careret) se opponens, non videri sibi dixit hanc rem eiusmodi, quæ tam citò dissolueretur; sed maturè eam expendendam discutiẽdamque, & satis ad hoc temporis esse, ne festinato opus videri, quod ad Episcopum negotium hoc spectaret; aut alia eius generis argumenta afferendo, adeò vt hoc dicendo multum profuerit: alioquin enim parum aberat (ita vehemens erat concitatio & furor) quin quod subitò decretũ erat, ilicò

Voluisset se non excusare.

Obiectis calumnijs non turbatur.

Causam suam propugnat.

Magna turba in ciuitate ob Monasterium S. Iosephi.

Vnus Religiosus impedit, quo minùs Ven. Sacramentũ inde auferretur.

erat, ilicò executioni mandaretur. Sed ita id fieri oportebat, Dominus enim sic volebat: neque omnes simul iuncti, potentes satis erant ad eius voluntatem impediendam. Suas ipsi rationes depromebant: &, quia bono eos zelo agi videbam, hinc & me sine Dei offensa pati faciebant, & omnes illos qui negotio huic patrocinabantur, qui vtcumque multi erant, & persecutionibus varijs exagitabantur. Populus autem omnis ita concitatus & turbatus erat, vt de nulla re quàm hac, passim in vrbe sermo esset, & nemo non mihi eam vitio & culpæ verteret, plurimique ad Prouincialem ac Conuentum nostrum venirent. Quidquid de me spargebant & causabantur, non magis me mouebat, quàm si dictum non esset; sed solùm timor quem habebam, ne fortè Monasterium cœptum dissolueretur, me summopere lancinabat; tum verò magis, quòd videre fore vt illi qui mei patrocinium susceperant, auctoritate sua exciderent, & quòd magnis hi molestijs ac persecutionibus exagitatentur: nam ex ijs quæ de me spargebantur calumnijs gaudij mihi plus, quã doloris hausisse videor; & sanè, si vel aliquid fidei habuissem, nullam omnino perturbationem motumúe passa essem: sed, vel vnius virtutis defectus plus quàm satis est, vt etiam cæteræ, veluti sopore oppressæ, vim suam non exerant. Vnde biduo illo, quo duplex illa congregatio in populo habebatur, valdè turbata & anxia fui: sed maximopere me afflictam Dominus hisce verbis est allocutus: *An me potentem esse ignoras? quid ergo metuis?* mihiq; certo certiùs asseuerabat, monasterium hoc minimè dissolutum iri: quod mihi maximæ consolationi fuit.

Non curat quidquid de ipsa spargitur, sed propterea gaudet.

Dominus ipsam consolatur.

Interim illi informationem rei totius ad Concilium Regium transmisere; quod, quomodo ipsum erectum & constitutum esset, exactè à capite ad calcem scripto committi, rescribendo petijt. Iam ecce magna cœpta erat lis: à parte enim ciuitatis quidam delecti, ad Concilium abibant; vnde & à parte Monasterij quosdam delegari oportebat; deerat tamen ad sumptus tolerandos pecunia, & ipsa quò me verterem nesciebam. Ita porro Dominus rem est moderatus, vt nunquam me Prouincialis monasterij tractationem de manu iusserit deponere: tantus enim ipse, virtutum omnium est cultor, vt, esto causæ meæ non omnino patrocinaretur, illi tamen se totaliter nollet opponere vel refragari: nec antè facultat mihi facere volebat huc redeundi, q̃ appareret quis rei futurus esset exitus. Hæ Dei ancillæ, solæ & desertæ erant, plusque suis illæ precibus, quàm ego omni meâ instantiâ, efficiebant; etsi alioqui summa ad negotium hoc contentione opus esset. Interdum videbatur res tota penitus concidere; præsertim pridiè quàm Prouincialis appelleret: tunc enim Præposita mihi imperabat, ne me vllatenus huic negotio immiscerem: & hoc erat, conceptum hunc penitus euanescere. Ergo

Monasterij promotioni vacare vetitus ad Deũ confugit.

ad Deum me contuli, dicens: Domus hæc, DOMINE, non est mea, propter te constructa & parata est: cum ergo iam nullus sit, qui curã eius gerat, æquum est Maiestatem tuam illam in se suscipere. His dictis ita illustrata & curarum expers mansi, tanquam si omnes qui in mundo sunt homines mihi patrocinari & fauere volentes habuissem; atque adeò negotium, velut iam confectum reputabam. Sacerdos quidam, egregius Dei famulus, omnisque perfectionis cultor, quem semper mihi fauentem & auxiliatorem senseram, ad aulam concessit, rem auctoritate sua promoturus; & sane impigrè in ea laborauit: sic & vir ille nobilis cuius ante sæpius memini, tota in eam contentione & studio incubuit, eique omnimodis fauebat, multumque laboris & graues persecutiones in ea promouenda subijt: quem proinde semper vt patrem habui, & etiamnum habeo. Tantum porro omnibus rei huius promotoribus & auxiliatoribus feruorem DOMINVS inspirabat, vt eam quisque ita cordi haberet, tanquam si propria fuisset, & vitæ honorisue proprij periculum in ea verteretur; cum tamen non alio ad eos titulo spectaret, quàm quòd Dei cultum & honorem eâ promotum iri crederent. Nemo non facilè videbat, illius Maiestatem Sacerdoti, quem dixi, ope sua adesse (qui etiam de illis fuit, qui me insigniter adiuuerunt) quem etiam dein Episcopus iussit magno cuidam conuentui, qui monasterij causa indictus erat, suo nomine interesse; in quo ipse solus vniuersis se opponens, ipsis tandem iam aliquanto mitioribus certa quædam media, quibus confici res posset, proposuit: quod sanè tum quidem satis fuit, ad iudicium suspendendum, & vlterius non procedendum; sed nullius tanta dicendi vis fuit, qui impedire eos potuerit, quò minus post paulò vitam (vt dicitur) exponere cuperent, vt posset Monasterium destrui. Hic, de quo loquor, Dei famulus erat ipse, qui Monialibus Sacrum habitum dederat, & Venerab. Sacramentum in altari statuerat: quo nomine multorum inuidiam incurrit, & multa passus est. Semianno ferè hæcce durauit persecutio: cæterùm, si omnes & singulas quibus iactabamur, molestias & difficultates graues singillatim vellem commemorare, æquo essem diffusior. Porrò mirabar, quid esset quòd diabolus tantam aduersus mulierculas aliquot vim exereret; & cur aduersarij omnes intolerabile quoddam Reipublicæ damnum à duodecim dumtaxat mulieribus cum sua Præposita (plures enim numero esse non possunt) crederent imminere (de illis autem loquor, quibus illi sese tum opponebant) quæque tam austerã vitam ducunt, vt, si qua in eo iactura aut error sita essent, hæc in illarum met caput recidant. Dicere autem, ciuitati ingens inde damnum accessurum, prorsus verisimile non est, & cum ratione videtur pugnare; plures tamen hîc inuenire erat, qui

Causa Monasterij vexilatur.

bona

bona cum conſcientia huic negotio aduerſabantur. Porro eò tandem venerunt, vt tunc monaſterium ſe admiſſuros, & eius erectioni ſuffragaturos dicerent, cum cenſum ſtabilem aſſumeret. Ita verò me grauabat, quòd amicos & patronos meos traduci ac pati videbam, (imò plus quàm meipſius afflictio & oppreſſio) vt malum non fore putarem, ſi tamdiu monaſterium admitteret reditus, quoadúſq; populus tumultuans placaretur; atq; illo placato, eos rurſus poſſe dimitti: imò etiam mihi, vtpote improbæ & imperfectæ aliquando videbatur, Dominum forſitan id ita velle, quòd cenſu non admiſſo monaſterij admiſſionem nullatenus impetrare poſſemus; & iam ipſa in hanc propendere partem, & ad contractum hunc ineundum incipiebam. Sed cùm nocte illa, quæ contractus illius, iã initi cœpti, firmãdi diẽ præceſſit, in oratione agerẽ; apparuit mihi Dominus, eũq; meminire voluit: ſi enim ſemel reditus poſſidere inciperemus, fore vt eos relinquere non permitteremur; addebat his & alia nonnulla. Eadem quoq; nocte apparuit mihi S. F. Petrus de Alcantara, qui iã ex hac vita deceſſerat; qui etiã, antequã ad Dominũ abiret, magnâ oblocutione & perſecutione quã patiebamur, intellecta, ſumopere gaudere ſe, mihi per epiſtolã ſcripſit, quòd, tã inuitis & obluctantibus omnibus, huius fundatio monaſterij fieret: hanc quippe ſignũ eſſe, Dominũ inſigniter in eo honorandũ & colendũ, cum tanta opũ vi diabolus ipſam impedire ſatageret. Præterea monuit, nullatenus vt permitterem, cenſum ſtabilem illuc induci; quin imò hoc ipſum monitũ ſecundò, aut tertiò hiſce in litteris iterauit, omnia mihi ex voto in eius fundatione ceſſura aſſerens, ſi hoc ipſius conſilium de cenſu tollendo ſequerer. Iam antè adhuc bis ipſum, à morte, in magna illa gloria quam habebat, conſpexeram; atque ita nequaquam, illo cõſpecto, perterrita fui, ſed mirè recreata: ſemper quippe ſe velut in corpore glorioſo, magna gloria amicto, ſpectandum dabat, quæ etiam in me, ex illius cõſpectu, quàm abundantiſſime redundabat. Primâ vice quâ mihi apparuit, memini illum, cũ mihi de magna, qua fruebatur, gloria multa referret, inter alia dixiſſe, pœnitentiam & auſteritatẽ quàm in vita egerat, quã feliciſſimã fuiſſe, vtpote quæ tanto iã donata eſſet præmio: ſed quia, (vti puto) iam ante aliquid hac de re dixi, hinc ab ea repetenda hîc abſtineo; hoc tantum addens, illum in hac viſione auſterum vultum prætuliſſe, & aliud non dixiſſe, quàm ne vllatenus cenſum admitterem, & quamobrem illius conſilium ſequi abnuerem. Et his dictis mox diſparuit. His viſis & auditis, non mediocriter obſtupui; cumque iam dies illuxiſſet, viro illi nobili (omnia quippe ad eum referebãtur, velut ad eũ qui rẽ maximè vrgebat) narraui quidquid mihi cõtigiſſet; planè me nolle dicẽs, vt de cẽſu firmando ageretur, ſed in lite vrgẽda procederetur. Erat autem ipſe hoc in genere longè me animoſior & fortior, ac

Contradictio monaſterij ſignum erat Dominum ſingulariter in eo colendum.

proinde hæc audiens, magnopere gauisus est, postea verò mihi retulit, quàm inuitè & illubenter ad conuentionem aliquam ineundam descenderet. Re porro iam ad optatiorem statum perducta, surrexit alius quidã insignis Dei seruus, qui bono quodam zelo actus, suadebat vt doctorum virorũ iudicio res cõmitteretur. Magnæ sanè inquietudinis hoc mihi fuit occasio: nonnulli quippe de fautoribus meis non omnino ab hoc erant alieni; atq; hæc ex omnibus, quas mihi diabolus vnquã posuit insidijs ac technis, longè fuit ad digerendum durissima. In omnibus tamen me Dominus adiuuit. Hæc quidem summatim dicta sint; neque enim ita paucis satis potest declarari, quidquid biennij spatio, iam inde ab monasterij initio ad vsque eius perfectionem, indies contingebat. Duo verò medii anni, videlicet hic postremus & primus, nobis fuere grauissimi & pœnosissimi.

Ciuitate ergo iam nonnihil pacatã & quietã, Pater ille præsentatus Ordinis S. Dominici ita rem cordi habuit, vt, etiam absens, suo nobis patrocinio & subsidio adesset eo tali in tempore, & tam oportunè eum Dominus huc adduxit, vt nobis ope sua maximè profuerit: neque enim alium ob finem huc eum illius Maiestas euocasse mihi visa est: etenim ipsemet mihi postea retulit, nullam omnino se huc veniendi causam habuisse, sed casu id tãtùm intellexisse. Tamdiu porro hic mansit, quamdiu opus fuit; etiam reuersus, ita quibusdam viis & rationibus apud Prouincialem rem egit, vt hic mihi absolutam, cum alijs quibusdam, ad hoccce monasterium transeundi facultatem daret; cùm tamen propè impossibile mihi videretur, vt is hanc tam citò concederet.

In Monasterium veniens videt Christum, qui capiti eius coronam imponebat.

Eo ipso die, quo huc ad sacra officia celebranda, & eas quæ hic erant instituendas, venimus, summa me sensi in animo voluptate perfundi. Cum, priusquàm monasterium ingrederer, in templo orarem, vidi penè in raptu constituta, Saluatorẽ nostrum Iesum, qui me magno cũ affectu videbatur suscipere, coronamque capiti meo imponere, gratias mihi velut agens pro eo quod in matris suæ gratiam præstiteram. Alio tempore, cum simul omnes in choro, post Completorium, orationi insisteremus, Deiparam Virginem summa in gloria, & eyelade alba, sub qua nos omnes continere & velut protegere videbatur, amictam vidi; simul etiam agnoui, quàm Dominus sublimem gloriæ gradum monasterij huius monialibus daturus esset. Statim autem ac sacra Missarum officia hic celebrari cœpere, mirè erga domum hanc populus affici cœpit; plures quoque moniales admittebantur; quin & Dominus animos illorum permouere incipiebat, qui priùs nobis maximè aduersati erant, quò & nobis fauerent, & eleemosynis suis succurrerent; itaque probare se ostendebant id, quod antè adeò erant auersati, ac paulatim à lite prosequenda

sequenda cessabant,iam se ad oculum videre dicentes, opus id esse dextræ Excelsi,cùm Maiestas illius id per tantas oblocutiones ac repugnantias promoueri ac perfici voluerit : adeò vt hoc tempore nullus sit, qui consultius putet,ipsum non fuisse constructum: vnde ita vniuersi nobis de eleemosynis prospiciunt, vt Dominus ad illas,nobis non rogantibus, aut quidquam ab aliquo efflagitantibus,submittendas eos excitet, & ita bene simus,vt rerum necessariarum prorsus nulla nobis desit : id quod semper futurum,in Domino confido:quòd enim sorores numero paucæ sint, si quod debent faciant, (sicuti per Dei gratiam iam faciunt) certa sum fore vt nihil illis vnquam desit, aut ipsa cuiquam petendo importunæ sint aut molestæ ; at Dominus ipsarum curam geret, sicut hactenus gessit.Itaque summæ mihi consolationi est,inter animas ita ab omnibus rebus denudatas & sequestratas degere. Omne illarum exercitium est, sedulò curare , quomodo in Dei famulatu semper aliquem progressum faciant:solitudo porro vnicum earum solatium est; de aliquo autem homine videndo cogitare,nisi forte vt sic ad sponsum suum magis amandum excitentur,summa illis crux & molestia est, esto is etiam sit sanguine coniunctissimus.Hinc etiam nullus huc venit,qui isthoc intentum nō habeat:&,qui quid aliud spectant,nec satisfactionem ipsis adferunt,nec etiam in ipsis inueniunt. Adhæc non alia illarum est lingua, quàm vt de Deo loquantur; hinc est quòd neminem intelligunt, nec ab vllo intelliguntur , quam ab illo qui hac lingua loquatur. Seruamus & profitemur regulam B.Virginis de monte Carmelo,ab * Alberto Patriarcha Ierosolymitano datam,eamque puram,primæuam, & sine vlla relaxatione, & qualem eam confirmauit & approbauit Innocentius IV. anno Pontificatus sui V. post Christum natum MCCXLVIII.

Res necessaria dantur non petentibus monialibus.

** Alia editio hoc asscribit F. Hugoni Card. tit. S. Sabinæ.*

Omnes porro quos subijmus labores & molestiæ amplum mihi operæpretium futuri videntur,& licet regula iam aliquantulum stricta sit (numquam enim vescimur carnibus, nisi id suadeat necessitas, & octimestre ieiunium seruamus, nec non alia id genus,vti in primæua regula videre est) multis tamen sororibus rigor hic nimis quàm paruus & tolerabilis videtur; hinc etiam alia non pauca obseruantur, quæ, quo prima regula maiore cum perfectione & sinceritate seruetur, nobis visa sunt esse necessaria; & in Domino futurum confido,vt,quod cœptum est opus, insignem habeat progressum & augmentum , quemadmodum mihi Maiestas illius significauit.

Prædixit ei Dominus, id quod cœptum erat, auctu iri.

Aliud verò illud monasterium, quod spiritualis illa mulier,de qua supra mentionem feci,cōdere moliebatur,etiam est.Dño fauente & propitio,in ciuitate Complutensi fundatum:etiam huic sua non defuit contradictio,&magnas,antequam perfectum esset subijt molestias.Scio au-

tem puram putam religiosam disciplinam, iuxta hanc primam nostram regulam, in eo obseruari. Porro faxit Deus, vt omnia ad gloriam & laudem, tum suam, tum glorioſiſſimæ Virginis Mariæ, cuius habitum geſtamus, cedant. Amen.

Non dubito, quin aliquam R. V^a. nauſeam longior hæc, quam feci de hocce monaſterio, relatio ſit allatura: verùm illa, adhuc nimis quàm breuis eſt, reſpectu plurimarum moleſtiarum quibus eius conſtructio conſtitit, & mirabilium, quæ Dominus in eo dignatus eſt operari: quarum rerum multi adhuc teſtes viuunt, qui ipſum iurare poterunt: vnde R. V^am ex amore Dei rogo, vt, ſi illi conſultum videatur omnia reliqua quæ hîc conſcripta ſunt, dilacerare, ea ſaltem quæ monaſterij huius fundationem ſpectant, ſarta integraque conſeruet, &, me mortuâ, monialibus, quæ ibidem futuræ ſunt, conſignet. Non parum namque hæc, eas quæ ſuo tempore illud ingredientur, ad Deo feruenter ſeruiendum, & vt quæ cœpta ſunt nõ cõcidãt, ſed ſemper vlteriùs promoueãtur, procurãdũ, animabunt, cum ſcilicet videbunt, quãtum Dñus, ad illud, mulieris, adeò improbæ & inutilis, qualis ego ſum, operâ & adminiculo conſtituendum fecerit. Cũq; Dominus in eo identidẽ adiuuando tã ſingularẽ & potentẽ ſe oſtenderit, grauiſſimè illa mihi peccatura, & à Deo acriter caſtigãda videtur, quæ primum relaxabit aut diſſoluet eam quam Dominus hîc cœpit perfectionem, & vt hac tanta cum ſuauitate ſeruetur, dedit: facile vt appareat, illam & tolerabilem eſſe, & cum quiete ferri poſſe, quæ ſanè numquam hîc deerit iis, quæ ſponſo ſuo Ieſu Chriſto in ſolitudine frui cupient: quod numquam non ipſas quærere oportet, ſcilicet vt ſolæ cum eo ſolo loquantur, & non plures ſint numero quàm tredecim: ita namque id expedire, vnanimi variorum iudicio ac ſententia noui; plures autem vt ſint, longâ experientiâ didici, nullatenus conuenire, vt nimirum ſpiritus qui hîc obſeruatur, continuetur, & eleemoſynis, ijſque non petitis, facilius viuatur: ſemper verò potiùs credant ei quæ per multos labores, & plurimas diuerſorum preces, quod optimum eſſet, procurauit: ex magna autem illa ſatisfactione & gaudio, & exiguo labore, quem omnibus illis annis, quibus hic viximus, in omnibus Monialibus expertæ ſumus, & quòd iam meliore ſint valetudine quàm ſoleant, clarè colligere poſſumus, hoc ipſum eſſe quod nobis conuenientiſſimum ſit: ſi quibus autem id durum, aſperum ac difficile videatur, ſuæ id in ſpiritu imbecillitati & defectui, non autem regulæ quæ hîc obſeruatur attribuant; cùm etiam quæ teneræ & morbidæ ſunt, eò quòd ſpiritum habeant, tanta cum ſuauitate hæc ſeruare queant; ac proinde aliud illæ monaſterium ingrediantur, in quo ſuam pro ſpiritu quem habent, ſalutem operabuntur.

Comminatur ijs quæ relaxationem regulæ in monaſterium S. Iosephi inducent.

CAP.

Caput XXXVII.

Loquitur de effectibus sibi adhaerere solitis, cùm aliquam ei gratiam Dominus dedisset, salutaria hinc inde intermiscens documenta: docetque, quomodo procurandum, quantique faciendum sit, ad aliquem altiorem gloriæ sit gradum ascendere: dandamque operam, ne, ob vllum omnino laborem, bona quæ æterna sunt deseramus.

VIx in animum inducere possum, vt præter eas, quas iam commemoraui, gratias à Deo acceptas, alias & plures referam; cum etiam iam narrare nimis quàm multæ visuræ sint ijs, qui credere non poterunt, illas mihi adeò improbæ factas esse: attamen vt & Domino qui hoc mihi iniunxit, & R. V^a^ obediam, adhuc alia quædam ad illius gloriam commemorabo: fecit autem illius Maiestas, vt id in animæ alicuius vtilitatem & commodum cedat: si enim erga creaturam adeò vilem & abiectam ita se benignum & liberalem exhibuerit, quàm igitur se liberalem ostendet ei qui fidum obsequium ei semper impenderit, ac sincerè seruierit? tum vt Maiestati eius placere omnes omnino allaborent, cum etiam in hac vita talia det pignora.

Iussit Dominus vt acceptas gratias euulgaret.

Inprimis ergo nouerimus oportet, hisce in gratijs quas Dominus animæ elargitur, & maiorem, & minorem gloriam esse: imò vnæ visiones ita alias quoad gloriam, dulcedinem, & consolationem, quam secum trahunt, antecellunt, valdè vt mirer, tantum, etiam in hac vita, spiritualium quibus anima perfunditur, gaudiorum discrimen esse. Fit enim nonnunquam, vt quam Dominus in visione aut raptu aliquo dat, dulcedo & delectatio tam intensa & vehemens sit, vt nihil amplius quod hic desideremus, dari posse videatur; atque hinc est quod anima nec maius gaudium cupiat, nec cupere possit: etsi, postquam me Dominus intelligere fecit, quanta sit in cœlo inter id quo beatus vnus, & id quo alius fruitur, differentia, iam videam, etiam hic in terra, non esse certum inter dona Dei terminum & mensuram, cùm ipse ea dare voluerit: vnde etiam vellem, vt in eius Maiestati seruiendo nullum ipsa limitem aut modum adhiberem, sed omnem vitam, vires & valetudinem totam illius obsequio impenderem, & ne vel minimam maioris & vberioris fruitionis portionem, meâ culpâ, vellem amittere. Imò dicere audeo, si optio mihi daretur, vt vel omnia mundi huius tormenta ad diem iudicij vsque perferrẽ, ac deinde ad vel paulò maiorem gloriam eueherer, vel, vt sine vllius tormenti passione ad vel paululò minorem gloriam transirem; me omnia illa tormenta, quò vel paulò maiore cognitione magnitudinis Dei frui possem,

Discrimen inter consolationes quas Deus dat.

Mallet omnia mundi tormenta pati, quo maiore gloria donaretur, quàm minus pati, & minore gloriæ donari.

poſſem, paratiſſimam fore ſubire. Video ergo, illum qui plus eum intelligit & cognoſcit, etiam magis eum amare & laudare. Non dico, quòd eſſem non contenta, aut me feliciſſimam non reputarem, ſi in cœlo eſſem; eſto loco omnium infimo ac nouiſſimo: magnam quippe mihi quoad hoc miſericordiam Dominus præſtaret; cùm profundiſſimum & imum in inferno locum promeruerim. Vnde Maieſtatem eius ſupplex rogo, illuc vt me perducere dignetur, nec ad peccata mea reſpiciat. Sed hoc dico ſi poſſem, (eſto mihi magno conſtaret) & Dominus mihi ſua ad magnos labores ſubeundos gratiam daret, nolle me culpâ meâ vel minimum gloriæ punctum amittere. Ah me miſeram, quæ per tot culpas & peccata, iam omnia perdideram!

Quod cõmodum ei Chriſti aſpectus adferret.

Notandum quoque venit, animam meam ex omnibus quas mihi Dominus conferebat gratijs, tam viſionum, quàm reuelationum, ſemper ſingulare bonum & commodum ſibi comparaſſe; imò è nonnullis viſionibus, non vnum tantùm, ſed varia emolumenta collegiſſe. Ex Chriſti autem aſpectu, eximia illius pulchritudo mihi impreſſa manſit, eaque etiamnum hodie viua & integra memoriæ meæ inhæret; ad hoc enim ſatis eſt, eũ vel ſemel conſpexiſſe, quanto verò magis, cũ toties hanc mihi gratiam Dominus facere dignatus ſit. Ingens porro inde mihi manſit cõmodũ, quod iã referam. Eram grauiſſimo cuidã errori, è quo non parua mihi dãna ſequebãtur, obnoxia; quòd, ſcilicet, mox vt me ab aliquo vel aliqua, qui mirè ad guſtum meum faceret, diligi videbã, quamprimũ ita ergà ipſum afficerer, vt memoria mea mirabili quodã modo ad de eo cogitandũ compelleretur, ac velut traheretur, eſto nullam per hoc Deum offendendi intentionem haberem; attamen libẽter eum aſpiciebam, ac de illo, deque bonis quæ in eo notabam, cogitare mihi quàm erat ſuauiſſimum. Erat hoc adeò mihi damnoſum, vt anima mea propterea in præſentiſſimo pereundi periculo verſaretur. Sed, poſtquam indicibilem Domini pulchritudinem aſpexi, neminem omnino exinde vidi, qui, cum illo collatus, mihi pulcher videretur, vel memoriam meam occupatam teneret, ita enim quoad hoc iam reddita ſum libera, vt, cum vel ſolùm mentis & conſiderationis oculos in imaginem quam animæ inſculptam gero, conijcio, ex eo tempore, cuncta quæ video, mihi abominabilia & faſtidio eſſe videantur, cum excellentijs & gratijs quas in Domino hoc conſpexi, comparata. Nulla quoque eſt ſcientia, nullum item voluptatum genus, quod illius comparatione, hoc eſt, cũ vel vnici verbi à diuino illo ore prolati auditu cõparatum, aliquo apud me ſit loco, quanto verò magis, cùm toties eum loquentem audiuerim? Immò, niſi ob peccata mea DOMINVS faciat vt ſui ipſius memoriam penitus amittam, minimè poſſe fieri puto, vt quis ita memoriam meam occupet, ſi modò vel paululùm de Do-

de Domino hoc cogitem, ſtatim ab illius imagine atque impreſſione eſſe libera.

Confeſſarijs quomodo amicum vultum exhiberet.

Quod iam dicã, ad Confeſſarios meos ſpectat: qua in re notandũ eſt, me ſemper animæ meæ directores ac moderatores inſigni amore ſolitã proſequi: cum enim non aliter eos intuear, quàm Dei Vicarios, hinc mea voluntas ſemper in eos potiſſimum ferri ac propendere videtur. Contigit ergo, me, ſine vllo ſcrupulo & planè ſecura conſcientia, amicum illis vultum exhibere; ſed illi, velut timoroſi & fidi Dei famuli, veriti fortaſſe ne ſibi, etiam ſancto quodam amore, aliquo modo ſecius quàm oporteret adhæreſcerem, ſe à me auerſos & alieniores oſtendebant: id erat poſtquam iam illis, ita obedire, & penitus ſubijci cœpiſſem; antea enim tanta tamque vehementi in eos dilectione non ferebar. Ridebam ipſa apud me, videns quantopere errarent: &, quamuis non ſemper clarè cuilibet aperirem, quàm parùm cor meum in aliquo figerem, ſed id tacerem; ipſos tamen ante omnia ſemper quoad hoc ſecuros eſſe iubebam, ne quid ſibi de me timerent: & quo ſæpiùs ac frequentius ipſi mecum agerent, eo magis agnoſcebant, quantum Domino deberem; quas autem de me habebant ſuſpiciones, ſemper in principio erant.

Amor illius erga Deum & fiducia poſtquam eum vidiſſet.

Maiorem erga hunc Dominum amorem & fiduciam concipiebam, poſtquã illum vidiſſem, vtpote quæ tantam cum eo familiaritatẽ habebã, & tã aſſiduò cum eo conuerſabar. Videbam, illum, etſi eſſet Deus, etiam hominem eſſe, illumque hominum imbecillitatem non mirari, vtpote qui fragilem ac miſeram noſtram conditionem, quæ per primum peccatum, (quod ipſe curaturus in mundum venit) ad lapſum valdè prona eſt & facilis, probè perſpectã habet. Eſto meus ſit Dominus, poſſum nihilominus cum illo agere tanquam cum amico. Satis namque intelligo, eum non eſſe ſicut ij, quos hic in terra pro dominis habemus, qui omnem dominatum & magnificẽtiam ſuam in affectata & aſcititia quadam auctoritate conſtituunt: quos non niſi certa quadam hora, idq; per aliorum ad hoc deputatorum intromiſſionẽ & introductionem alloqui datur: ſi pauper & obſcurus ſit, qui in eorum aula negotium tractandum habet, eo maiore hoc illi labore, curſu, diſcurſuque conſtabit, ſi vero Rex ipſe conueniendus ſit, pauperes & ignobiles perſonas ad eum nefas erit accedere, ſed antè inquirere oportebit, quinam regis intimi & familiariſſimi ſint: certi autem eſſe poſſumus, non eſſe hos tales qui mundum ſub pedibus premant & conculcent: qui enim huiuſmodi ſunt, dicunt verum, qui nec timent, nec timere debent; vnde nec conueniunt aulæ; horum enim ibi nullus eſt vſus, ſed omne quod illis malum videtur, ſilentio ibi diſſimulandum eſt; immò verò de vero dicendo ne cogitare quidem auderent, ne gratia excidant regia.

Discrimen Regni Christi & regnorum mundi huius.

Quantum verò, ô Rex gloriæ, & omnium Dominantium Domine, inter regnum tuum & regna sæculi huius discrimen est! Tuum, non est arundineis & fragilibus bacillis suffultum, cum nullum habeat finē, nullis ad te adeundū opus est intercessoribus aut mediatoribus: si quis tantummodo faciem tuam videt, statim agnoscit, te solum esse qui Domini nomine vocari merearis. Prout quidem Maiestatem præfers, facilè appareat, non esse tibi satellitibus, stipatoribus aut custodibus opus, vt hinc te Regem esse colligatur. Longè aliter atque in terrenis Regibus, in te se res habet: nam Rex terrenus, si solus sit, vix seipso agnosci possit; imò,

Reges terreni ex se non possunt videri potentes.

quantumcunq; vt Rex haberi & coli volet, fides ei non habebitur, cùm plus quàm cæteri hominum exteriùs non præferat; vt ergo fides ei habeatur, aliquod regiæ maiestatis insigne in eo appareat necesse est: vnde illas ascititias & exteriores auctoritates ac magnificentias adhibeat oportet, hæ enim si deessent, nullo apud suos esset loco: quòd enim potens appareat, non habet à semetipso, hinc aliunde ei auctoritatem accedere eit necesse. Quis, ô Domine & Rex meus, Maiestatem, quam ipse præfers, iam dignè & ad viuum verbis exprimat! Impossibile foret, vt quis te videns non statim agnosceret, te per temetipsum summum ac potentissimum Imperatorem esse: nam percellitur & consternatur, qui hancce Maiestatem intuetur: multò autem magis, cùm tuam, Domine mi, Maiestati huic mixtam humilitatem, & amorem quem tali, qualis ego sum, ostendis, simul cōsideret. De quacunque & omni re tecum agere & loqui possumus, prout lubet, postquam prima illa cōsternatio & formido, è Maiestatis tuæ aspectu orta, iam præterijt; esto interim maior quidam, ne te vllatenus offendamus, timor maneat; sed non ex metu pœnarum; nihil quippe hæ sunt, si cum tui amissione & carentia conferantur.

Visio à Deo veniens. ex effectibus intelligitur.

Hi sunt visionis huius fructus, vt alios longè maiores, quos in anima relinquit, hic omittam: ex effectibus enim facilè videre est, num illa à Deo sit, præsertim cum anima in luce est: nam, sicut iam sæpè dixi, vult Dominus eam subinde in tenebris agere, & obscuratam esse, nec hanc lucem videre; vnde mirum non est eam timere, quæ ita improbam se esse videt, vti ego sim. Iam nuperrime contigit, me octo integros dies taliter

Dominus sæpe sinit animam in tenebris agere.

constitutam fuisse, vt quantum & quid Deo deberem, mihi nec agnoscere, nec agnoscere posse, nec misericordiarum ac gratiarum illius meminisse omnino viderer; sed animam prorsus stupidam & obtusam, &, nescio quarum rerum cogitatione, aut quomodo occupatam haberem; non quòd mali quid cogitaret, sed quòd ad aliquid boni cogitandum ita inepta & torpida esset, vt mecum ipsa riderem, & voluptati mihi esset, videre quàm parùm anima per se possit, & quàm iaceat, cùm Deus in ea continuò non operatur: facilè vt perspiciat, se in hoc statu sine ipso nō esse:

esse: neque enim ita se res hic habet, atque in magnis illis afflictionibus, quas aliquando me habere dixi: sed tunc anima ita constituta est, vt, esto ligna & materiam apponat, & paruam illam, quam à parte sua potest, opellam adhibeat, amoris tamen diuini ignis in ipsa nequeat accendi: quin imò adhuc sat magna illius misericordia est, quòd fumus etiam appareat, vt sciatur eum non esse penitus extinctum, quoadusque eum Dominus denuo accendat: quo enim tunc anima magis insufflando, ligniſque componendis se cruciat, & cerebrum affligit, eo se ipsa magis videtur suffocare: crediderim equidem, longè tunc esse consultius, vt se totaliter in eius brachia resignet, ingenuè confitens, se nihil omnino se solâ posse, & alijs meritorijs operibus, vti ante dixi, exercendis incumbat. Ideo enim fortasse tunc orationem ei Dominus eripit, quò in illis sese exerceat, simulque per experientiam discat, quàm parum ex se ipsa efficere possit. Hoc certum est, hodie me cum Domino animum oblectasse, & de eius Maiestate conquerendi audaciam sumpsisse, eique confidenter dicendi: Quid hoc est Domine? annon plus satis est, quòd in hac ærumnosa & misera vita me detineas, & ego hanc propter te sustineam, & viuere in terra cupiam, cum tamen in ea nihil sit aliud, quàm multiplicia tui non habendi aut fruendi impedimenta: necesse quippe est me comedere, dormire, cum omnibus agere & tractare: & hæc omnia tui causa, æquissima mente perfero, quanquam non ignoras, Domine, id mihi maximum ac grauissimum tormentum esse.

Quid facere anima debeat cum à Deo sibi relicta est.

Téne tamen interea, in paruo illo, quod mihi ad te fruendum suppetit, tempore faciem tuam à me abscondere? quomodo hoc cum immensa tua consistat misericordia? quomodo id ferat amor, quo me ipse prosequeris? Putem equidem & credidero, fore, vt, si me à te possem abscondere, vt tute faciem tuam à me abscondis, propter amorem eum quo erga me ferris id minimè patereris: sed ipse mecum es ac semper me intueris; vnde non est quòd hoc tolerem. Obsecro, Domine, vt consideres magnum hoc pacto grauamen irrogari ei, quæ te ita diligit. Hæc aliaque id genus subinde dixi, cùm priùs optimè intellexissem, quam tolerabilis mihi in inferno paratus esset locus, cum tamen alium longè profundiorem peccata mea promeruissent: sed amor hominem ita sui impotem reddit, vt meipsa non sentiam, nisi quòd pleno cum sensu & intellectu has querelas depromam: & Dominus omnia à me in bonam partem accipit. Benedictus sit tam bonus ac benignus Rex.

Quid porrò nobis fieret, si Reges terrenos tam audacter & confidenter alloqueremur? esto mihi mirum non videatur, quòd Regem nemo alloqui audeat: par quippe est, eum, vti & alios Dominos, qui se aliorum capita esse ostendunt, timeri. Sed mundus iam eò deuenit, vt ho-

Vita hominum deberet esse longior vt omnes ritus in conuersatione seruandos addiscerent

mum vita multò esse deberet diuturnior, quò, quæ hodie in vsu sunt, cerimonias, nouitates, ritus & modos magnatum compellandorum, addiscerent, si aliquantulum temporis, ad Deo seruiendum, vitæ subtrahere cuperent. Obstupesco, cùm video quid rerum in mundo agatur: adeò vt, cum magnates alloquendi mihi essent, planè nescirem quomodo viuerem: si quis enim, sui oblitus, non tantum hominibus honorem defert, quantum merentur, non id in bonam partem & velut ioco factum accipitur; sed ita studio id & ad contumeliam factum esse arbitrantur, vt intentionem tuam, si fortè, vti dico, tui oblitus sis, excusare tenearis; & faxit Deus, vt etiam tunc tibi credere in animum inducant. Iterum dico, nescisse me quomodo viuerem: misella quippe anima vndique se hic angustiatam & perplexam comperit. Videt enim, hinc iniungi sibi, vt cogitationem semper Deo occupatam habeat, & necesse sibi esse, illum semper & vbique præ oculis habere, quò multis periculis eripiatur; illinc verò, nefas sibi esse, vel latum vnguem à mundi punctulis declinare, aut ea vel in minimo negligere, ne quam illis qui suum in hisce punctulis honorem collocarunt, offensionis indignationisúe occasionem præbeat. Maximè, inquam, hoc me torquebat: hinc semper in me apud illos excusanda, inciuilitateque mea purganda eram occupata: esto enim quàm maxime aduigilarem, necubi impingerem euitare tamen non poteram, quin plurimos errores committerem; qui (vti modo ostendi) in mundo vt non parui reputantur. Religiosos saltem, hac in re impingentes & errantes par esset excusationem non adferre: sed eheu! etiam illos hic se excusare oportet: dicunt enim sæculares, monasteria morum omnisque ciuilitatis; & eius sciendæ, esse debere velut aulã, & quomodo cũ veritate stet, esse debere velut aulã, prorsus sanè nequeo percipere; vnde cogitare mecũ cœpi, nũ fortè aliquis Sanctorũ aliquando dixerit, Religionẽ velut aulã esse debere, in qua instituerentur & efformarentur ij qui regni cœlorum aulici & palatini esse vellent, & illos hoc, contrario sensu accipere & vsurpare. Nescio enim, quomodo fieri possit, vt in rebus quas toties mutari videmus, mundani homines tanta, vt complaceant, cura incumbant, cùm vice versa æquum esset, vt, quò Deo placerent, & mundum abnegarent, talem solicitudinem semper & continuo præferrent.

Sugillantur qui dicunt Religiones esse aulas vrbanitatis.

Vanitas quæ in litterarũ superscriptione seruatur.

Aliquatenus saltem tolerabile esset, si simul & semel hi ritus addiscipossent: sed iam necesse penè esset quendam, vt ita dicam, institui ludum, in quo aliud non traderetur & doceretur, quàm quæ in litterarum superscriptione seruandæ sint formulæ & modi: modò enim ab hac, modò ab illa parte, vacuus margo relinquitur; & is qui antè ne *magnificus* quidem appellari solebat, iam vocatur *Illustris*: vt nesciam, quonam tandem res deuentura sit: nondum enim ego quinquagenaria sum, & breui eo quo vixi

tempore

tempore, tantam rituum mutationem vidi, vt, quomodo viuendum sit, nesciam: quid agent ergo, qui iam recens in mundum veniunt, & multis annis victuri sunt? Miseret me certè Religiosorum & Religiosarum, qui ob sanctas quasdam rationes & fines in mundo & inter mundanos agere tenentur: magna enim & intolerabilis crux est, quam hoc in genere pati debent: qui si omnes inter se conuenire, seque in hisce scientiis ignaros & imperitos ostendere possent, & in his vt tales haberi etiam vellent, à magno se haud dubiè onere & cruce liberarent; sed, hem, ad quas ineptias deuoluta sum; de Dei magnalibus me loqui oportebat, & ecce ad mundi sordes & nugas delapsa sum: sed quia me Dominus, pro sua misericordia iam inde eripuit, hinc iisdem iam egredi volo. Illi porro iis se dedant, qui hasce fatuitates tam operosè & laboriosè obseruant; faxit autem Deus, vt in alia vita, quæ constans & immutabilis est, easdem non luamus.

Caput XXXVIII.

INSIGNES QVASDAM NARRAT GRATIAS, QVAS EI Dominus, tum in arcanis nonnullis cœli ei patefaciendis, tum in alijs illustribus visionibus & reuelationibus ipsi exhibitis, præstitit: simul refert, quinam inde in se effectus manerent, quantumque inde animæ ipsius profecerit.

CVm quadam vespera ita malè haberem, vt consuetam orationem omittere vellem, rosarium in manus sumpsi, vt, quò intellectus requiesceret, oratione vocali aliquantulum me occuparem, esto exterius satis quieta essem, eò quòd in oratorium sola concesseram. Verum omnes hæ diligentiæ parum iuuant, cùm suam Dominus gratiam vult ostendere. Iam aliquantulum hoc in statu fueram, cum quidam mentis raptus tanto in me impetu ingruit, vt eum nullatenus impedire aut resistere possem. Videbar hic mihi in cælo constituta & primi quos illic vidi, erant pater & mater mea: videbã præterea alia quædã tam magna (idq; tam breui tẽporis spatio, vt eo salutatio Angelica decurri vix posset) vt illorum me visio valde extra meipsam raperet: reputabamq; hoc vt singularẽ quandã Dei gratiã. Porro quantũ ad breue illud tẽpus, fieri potest, vt id fuerit longius; sed, talia videntibus solet id nimis q̃ breue videri. Timebam, ne qua hic fortè illusio subesset; sed, quia mihi nulla subesse videbatur, hinc nesciebã quid agerem: pudebat me quippe non parum, huiusmodi ad Confessarium meum referre; idque non ex humilitate (vt mihi quidem videtur) sed quod putarem illum me derisurum, ac dicturum: Hui nouũ Paulum,

Visio quædam cœlestis.

qui cæleſtia & quæ in cælo fiunt, videat! Hui nouum Hieronymum! Et, quia glorioſi hi Sancti huiuſmodi res viderant, hinc etiam magis timere incipiebam, & lachrymis me identidem conficiebam: nullo namque mihi veritatis fundamento niti videbantur. Tandem, non obſtante magnâ illâ difficultate quam ſentiebam, Confeſſarium meum adij: numquam enim aliquid, quantumuis mihi id graue fuiſſet, eum celare audebam: quod maximopere timerem, ne mihi vſquam diabolus illuderet ac deciperet. Cum ergo is me ita afflictam & anxiam videret, non parum me eſt conſolatus, multa ad hoc bona verba adducendo, quo me ab hac anxietate liberaret. Poſtea contigit, (quin etiam modò aliquando contigit) vt etiam maiora mihi Dominus ſecreta reuelarit; nõ eſt enim in animæ poteſtate, vt id etiam non poſſibile eſt, plura vt videat quam ei repræſentetur: hinc in ſingulis viſionibus plura non videbam, quàm Dominus mihi oſtendere dignabatur. Quod ſanè tam multum erat, vt vel minima illius pars ſatis eſſet ad animam ſumma admiratione complendam, & inducendam vt quidquid in mundo eſt parui faciat & contemnat. Vellem, poſſem aliquid declarare ex minimo eorum quæ intelligebam: at cogitans mecum, quo id modo fieri poſſet, ipſum prorſus impoſſibile eſſe comperio: nam ſi vel ſolùm illam differentiam, quæ inter lumen quod hic videmus, & id quod ibi apparet, eſt; (nam ibi nihil eſt aliud, quàm lumen) conſideremus, ea ſanè tanta eſt, vt nulla omnino inter vtrumque hoc lumen comparatio ſit aut ſimilitudo: imò ipſe ſolis ſplendor & iubar, cum eo collatus, nonniſi vile quid & abominabile eſſe videtur. Ipſa denique imaginatio, quantumuis ea acuta & perſpicax ſit, luminis huius, aut alterius cuiuslibet rei, quam tanta mihi Dominus cum voluptate declarabat, vt verbis exponi omnino non queat, formam deſcribere, aut rudi quodam modo delineare planè non poteſt: omnes quippe ſenſus in tam ſublimi gradu & ſuauitate recreantur, vt id ſatis exponi aut declarari non valeat: quocirca ſatius eſt, vt de eo pluribus agere ſuperſedeam.

Dominus magna illi ſecreta oſtendit.

Lumen quod in cælo videtur exprimi verbis non poteſt.

Alio quodam tempore, pluſquam horæ ſpatio continuò, mirabilia quædam Dominus mihi oſtendebat, & à latere meo nuſquam diſcedere videbatur, ac tandem dicebat, *Vide, filia, quantum amittant qui contra me ſunt; quocirca tu hoc eis indicare ne negligas.* Ah Domine mi, quam parum meum dicere prodeſt apud eos quos ſua ipſorum opera in cæcitate detinent, niſi illos Maieſtas tua illuminet! Nonnullis quidem, quos illuminare dignatus es, profuit magnalia & potentiam tuam cognouiſſe: at vident, Domine, te hæc tam improbæ & miſeræ creaturæ oſtendiſſe, adeò vt pro magno reputem, fuiſſe vel aliquem qui fidem mihi adhibere voluerit. Sit nomen & miſericordia tua in æternum benedicta. Ego ſaltem notabilem quamdam in anima mea progreſſum ſenſi: & hæc

abeo

ab eo tempore semper ibi manere & esse, nec amplius ad vitam reuerti voluisset: omnium quippe rerum inferiorum contemptus ac fastidium quod in me remansit, permagnum erat, adeò vt illę mihi non nisi sordes & peripsema esse viderentur; & ad oculum videam quàm abiectè & viliter nos occupemus, cùm illis inhæremus & immanemus.

Cùm apud nobilem illam matronam, quam dixi, commorarer, quodam tempore me cordis deliquium corripuit; quod, vti supra dixi, satis vehemens habere solebam, esto id iam ita intensum non sit. Quòd autem illa charitatis ac beneuolentiæ plena esset; pretiosa quædam quæ habebat, tum ex aurea, tum è gemmis varijs, ac præsertim vnum ex adamantibus, quod magni pretij censebatur, monilia proferri iubebat, existimãs horum conspectu mè mihi restitui ac recreari posse: sed me cum ipsa ridebam, miserebatque me hominum, videns quid illi æstiment, &, quid nobis Dominus præparauerat, considerans: simul apud memetipsam cogitabam, quàm difficulter & ægrè animum ipsa meum possem inducere, vt hæc aliquo in pretio habeam, esto etiam summa adhoc contentione conniterer, nisi aliarum rerum mihi memoriam DOMINVS auferret. *Anima dominiũ.*

Est hoc excellens quoddam animæ dominium, imò tam magnum, vt nesciam vtrum id quisquam alius sit intellecturus, quàm qui de facto ipsum possideat: nam hæc, est germana & naturalis derelictio & abnegatio, eò quòd nullo omnino nostro cum labore fiat, Deo faciente omnia, quia hasce veritates ita repręsentat, & nobis impressas relinquit, vt manifestè videre sit, id nos non aliter quam sic, tali modo, ac tam breui tempore, posse acquirere. Exinde etiam perexiguus in me mortis timor remansit: antea quidem eam valdè timere solebam, at iam ei qui Deum timet & seruit, ea mihi facillimum quid esse mihi videtur: in momento quippe, se anima ab hoc carcere solutam, & in quiete constitutam videt. Quòd enim Deus spiritum ita sustollat, eique in hisce raptibus tam singularia & eximia repræsentet, hoc magnam mihi cum animæ à corpore hoc mortali separatione habere videtur similitudinem: tunc namque se in momento, in omni hoc bono constitutam cernit. Nihil autem hic dico de pœna quam in hac separatione & digressione ipsa sentit; etenim illa parui momenti est, & verisimile est eos, qui antè dum viuerent, Deum sincerè dilexerunt, & ea quæ vitæ huius sunt, iam dudum mente deseruerunt, multo suauiùs mori. Credo etiam hoc non parum mihi, ad veram nostram patriam agnoscendam, intelligendumque nos hic nonnisi peregrinos esse, profuisse. Et sanè magnum quid est, agnoscere quid in patria illa sit, & nosse, vbinam nobis viuendum sit. Nam si quis in aliquam regionem, illic perpetuò commoraturus, proficisci velit, magno illi ad *Mors Deũ timenti facilis est.* *Patriam veram nosse, magnum quid est.*

viæ la-

viæ labores non sentiẽdos leuamini & subsidio est, antè cõsideraſſe & vidiſſe, terrã ad quã tẽdit esſe huiusmodi, vt in ea quã cõmodiſſimè & quietiſſimè victurus sit. Conducit hæc consideratio præterea, ad facilioré rerum cœlestium cogitationem habendam, vtque sine vlla moleſtia aut labore conuersationem in cœlestibus habere assueſcamus. Quod sanè nõ contemnendum est commodum: nam vel solus cœli aſpectus animam in se facit deſcẽdere; quod enim Dominus aliquod eorum, quæ illic sint, ſpecimen ei oſtendere dignatus sit, hinc continuò de eo cogitat. Hinc fit interdum, vt me eorum quos illic habitare ſcio, conſortio putem intereſſe, cum ijſque me recreare; & hi ipſi, ſoli verè mihi videntur viuere & viui; homines autem in terra agentes, ita mortui, vt etiam totus orbis, & vniuerſi qui in eo sunt, nullum mihi conſortium adferre poſſe videantur, præſertim cum vehementer illos impetus in me ſentio. Omnia namque mihi nonniſi merum vidẽtur esſe ſomniũ, & quidquid corporeis oculis intueor, nonniſi meræ nugæ, & ludicrum quid: quod autem oculis ſpiritus & animæ aſpexi, hoc est quod ipſa ambire deſiderat; & mors quodammodo illi est, quòd adhuc procul ab eo diſſitam ſe esſe videat. Demũ, ſingularis quædam gratia est, quam illi Deus facit, cui id genus viſiones communicat; hæc enim mirum in modum eum iuuat, præſertim in graui quadam cruce ferenda: ſiquidem nihil omnino illi placet, & quidquid demum conſpicit, faſtidio illi est. Et niſi Dominus permitteret, vt viſorum quædam aliquando ſequeretur obliuio (quamquam viſæ ſpecies poſtea rurſus memoriæ recurrant) neſcio ſanè, quomodo vitam trahere poſſemus: ſit ipſe in ſecula ſeculorum benedictus & laudatus.

Faxit Deus, per pretioſum quem dilectus eius filius pro me effudit ſanguinem, ne, cum iam aliquid de tantis bonis me intelligere, & his ipſis, aliquatenus frui incipere voluerit, id mihi contingat quod olim ſuperbo Lucifero, qui, culpâ ſuâ, omnibus quo acceperat bonis & chariſmatibus excidit. Eum ergo pro eo quod est, ſupplex rogo, ne hoc vmquam permittat: nam ſubinde non parum mihi timeo; quamquam ex alia parte, (idque vt plurimum & propè ſemper) diuina me miſericordia ſecũram esſe iubeat, ipſum, cum tot me peccatis eduxerit, auxiliatricem manũm ſuam, quam hactenus porrexit, mihi neutiquam ſubtracturum, vt peream. Hoc, ſumma animi demiſſione R.V.am rogo, vt idem mihi ab eo efflagitet. Quas autem hactenus commemoraui gratias, non sunt (vt mihi quidem videtur) tam magnæ ac ſingulares, atque illa quam modò narrabo; idque varias ob cauſas, ac præſertim ob ingentia, quæ inde mihi prouenerunt bona, & maximè ob ſingularem quamdam quam inde anima hauſit, fortitudinem: eſto ſingula, ſi ſeparatim & per ſe conſiderentur, tam magna sint, nihil vt illis comparari poſſe videatur.

Cum

Cum quodam tempore, in vigilia Pentecostes, post sacra Missæ officio peracta, in valdè abditum quemdam locum, in quo sæpè aliquid legere solebam, me abdidissem, in libro à Carthusiano quodam composito, legere cœpi, ea quæ ad festum hoc pertinebant: cum autem signa è quibus Incipientes, Proficientes; & Perfecti perspicere queunt, num Spiritum Sanctum in se habitantem habeant, legerem, & tres hosce hominum status iam percurrissem; sensi in me, per Dei bonitatem, prout quidem ego intelligere poteram, illum mihi præsentem adesse. Itaque cum ei hoc nomine gratias agerem, simul recordata sum, aliàs, cum hæc ipsa legerem, hæc omnia mihi maximè defuisse (quia tam clarè & liquido id tũ videbam, sicut iam contrarium in me sentio & experior) vnde satis intelligens, id singularem quamdam Domini gratiam esse, considerare apud memetipsam incepi locum, quem ob peccata mea in inferno promeueram, Deoque quam potui maximas gratias egi: videbar namque animam meam non amplius agnoscere, prout quidem eam immutatam videbam. Hæc igitur me considerantem ingens impetus spiritus corripuit; cuius quænam esset occasio vel causa, prorsus intelligere non poteram, tanta autem eius erat vis, vt anima violenter è corpore erumpere velle videretur, quod se ipsa non caperet, imparemque tanto bono admittendo & exspectando agnosceret. Ea autem impetus erat vehementia, vt me ipsa retinere aut regere non possem, & longè diuersa ab ea, quam aliàs in me senseram. Non sciebam quid animæ esset, aut deesset, vel quid vellet: vsq; adeò commota & mutata erat. Quamobrem parieti annitebar; nam, esto sederem, non tamen subsistere in loco poteram, quod omnes naturæ vires me penitus deficerent. Hoc in statu constituta, video columbam quamdam capiti meo desuper imminentem, longè diuersam ab illis, quas hic in terra conspicimus; neque enim tales, vt illæ, habebat pennas, sed alas velut è conchulis quibusdam, magnum ex se splendorem emittentibus, contextas. Erat hæc communibus nostris columbis maior: videbarque strepitum quem alis suis volaturiendo excitabat, inaudire; volaturiuit autem tam diu ac posset Angelica salutatio recitari. Ita quidem tum anima mea constituta erat, vt seipsam perdens, etiam columbæ aspectum ex oculis perderet. Spiritus porrò, tam bono hospite intra se admisso, prorsus tranquillatus est: & certè quantum mihi quidem videbatur, tam mirabilis gratia eum & tranquillauit, & consternauit; qua vt iam frui cœpit, timore paulatim emigrante, succesit quies & serenitas mentis, itaque mansit in raptu. Huius autem raptus gloria tam admirabilis & excellens fuit, vt penè omnibus sequentibus festis ita extra me ipsam essem, meiq; impos, vt quid mihi agerem, aut quomodo tanta in me gratia & fauor diuinus caderet, prorsus nescirem. Nihil omnino (vt ita dicam) audiebam aut vi-

Ludolphus in vita Iesu Christi c. 74. p. 4.

Videt columbam capiti suo imminentem.

aut videbam, idq; ob intensissimum quod interius sentiebam gaudium. Intellexi, me ex eo die summum in sublimiore quodam Dei amore, virtutibusq; magis heroicis & fortibus, profectam fecisse, & promotam esse: sit ille in æternum benedictus & laudatus. Amen.

Eandem etiam columbã vidi aliàs capiti cuiusdam Dominicani impendere, excepto quod radij & fulgores alarũ ipsius lõgius se iã distẽdere viderentur: simul intellexi fore, vt multas hic Deo animas lucraretur.

Alio tempore vidi, quomodo Beata Virgo Patri illi præsentato eiusdẽ Ordinis, de quo iã supra aliquoties memini, candidissimam cappã circumdaret; atq; mihi se in illius, quod sibi præstitisset, obsequij, dũ scilicet strenuè allaborauit, vt domus hæc fundaretur, cõpensationẽ ei hanc cãdidã vestẽ dare, idq; in signũ quod illius animã ipsa post hac mundam seruaret, & ab omni peccato mortali immunẽ. Id quin ita factum sit, minimè dubito, paucis enim exinde post annis demortuus est; reliquo autẽ vitæ tẽpore & in morte, tantã austeritatem & sanctitatem prætulit, vt, quantũ è coniecturis assequi possum, nullus sit de eo ambigendi locus. Quidam autem Monachus, qui eum morientẽ viderat, certò mihi affirmauit, se ex eo, paulò antequam spiritũ in Dei manus traderet, audisse, S. Thom. sibi visum assistere: mortuus est autem summo cum gaudio, & ardentissimo ex hoc ærumnoso exilij loco emigrandi desiderio. Postea subinde mihi magna in gloria apparuit, & nonnulla secreta aperuit. Orationi porro ita addictus erat, vt etiam in mortis hora, cum ob nimiam corporis debilitatem ab ea abstinere vellet, planè non potuerit, ob frequentes quos tũ patiebatur raptus. Paulò antequã ex hac vita decederet, litteras mihi misit, in quibus me cõsuluit, quomodo se in raptibus, qui ei statim post Missę celebrationẽ incidebant, ac satis diu durabant, ita vt eos ipse impedire nõ posset, gereret: sed Deus tandem ei omnium, quos toto vitæ tempore sat multos subijt, laborum atque obsequiorum præmium reddidit.

Reuelatio circa Rectorem cuiusdã Collegij Soc. Iesu.

Quoad Rectorem Collegij Soc. Iesu, cuius antea aliquoties memini, quædam etiam vidi, quantum ad magnas gratias, quas ei Dominus faciebat, quas prolixitatis vitandæ causa, hic referre superfedeo. Quodã tempore grauis ei superuenit difficultas, quæ magnarum ei persecutionũ & afflictionum fuit occasio: cum ergo quadam die sacrum audirem, vidi, dũ sacrosancta hostia eleuaretur, Christum Iesum in cruce fixum; qui mihi quædam consolationis verba, ei denuntianda, dixit; nec non alia, quibus eũ & de futuris præmonebat & quid ipse illius nomine passus esset, declarabat, simul significans, vt & se ad patiendum disponeret. Magnæ hoc ei fuit consolationi, & ad fortiter certandum animos addidit: omnia autem prout Dominus mihi indicarat, postea ex ordine facta sunt.

Magna quoq; mihi de Religiosis certi cuiusdã ordinis, atq; adeò de vniuer-

vniuerſo illo ordine ſimul indicata ſunt: vidi quippè eos in cælo, & quidē ſæpiùs, alba in manibus vexilla geſtantes, nec non alia mirabilia, vti dico. Vnde Ordinem hunc ſumma veneratione proſequor, frequenter namq; cū eius ſectatoribus tractaui & egi: &, quantū video, vitam agunt conformē ac reſpondentem per omnia eis, quæ mihi Dominus de ipſis ſignificauit.

Quadā nocte mihi in oratione agenti, Dominus quædam verba incepit dicere, quibus mihi in mētē reuocabat, quā improba & nequā prior mea vita fuiſſet; quæ mihi & pudorē incutiebāt, & nō parū affligebāt: eſto enim nullā ea acredinē præferant, talē tamen in homine ſenſum & dolorem cient, vt eū penè conficiant & conſumant; & plus in noſtri ipſorū cognitione per vnicum horum verborum proficimus, quam aſſiduè etiā ad multos dies noſtram ipſi miſeriam ac vilitatē cōſideramus: verba quippe hæc tam expreſſam & euidentē veritatē continent, vt eā negare nequeamus. Ponebat autem mihi ob oculos, eam quam olim habuerā, ad magnas vanitates propenſionē ac voluntatem, dicens, vt magni facerē, quod ipſe voluntatem, quæ aliàs tā malè impenſa & occupata fuerat, vti mea, in ipſo collocari ac ſtatui vellet, & quod ipſe eā etiā admitteret. Alio tēpore dicebat, vt meminiſſē, quoties viſa fuerim id vt honorē æſtimare & honorificū, quod cōtra eius honorē pugnabat. Aliquando, vt mecū ipſa perpenderē quantū ei deberē, eò quod, cū grauiſſimè eū offenderē, & alapā diriſſimā ei infligerem, tunc ipſe me beneficijs oneraret: ſi quas haberē imperfectiones (quæ ſane paucę nō ſunt) ita mihi eas Dominus repræſentat, vt me ipſa tota deſtruere & conſumere videar; & quia eæ permultæ ſunt, hinc ſæpe hoc mihi contingit. Euenit nonnunquā, vt, cū me, à Confeſſario meo reprehenſa, per orationem cōſolari vellem, in ea demum verè & prout oportebat, à Domino reprehēderer. Vt ergò ad id quod dicere cæperā reuertar, cū vitā meā improbam mihi Dominus in mentē ac memoriā reuocare inciperet, ego multis lachrymis effuſis, videns me (vt quidem exiſtimo) nihil omnino hactenus egiſſe, cogitare mecum cæpi, num fortè aliquam mihi facere gratiam vellet. Id namq; iā lōgo vſu obſeruaui, non aliàs ſolere me ſingularem aliquam gratiam à Domino recipere, quam cū antè me penitus annihilaui, vt liquidius ſic perſpiciam quam illæ ſupra & citra omne meū meritum ſint, atque ideò nonniſi à Domino illas prouenire mihi perſuadeo. Nō multò poſt, ſpiritus meus ita clauabatur, vt ferè extra corpus migraſſe mihi videretur: hoc autem cum fit, homo ſaltē non ſentit ſe in corpore viuere. Vidi hic Sacratiſſimam Chriſti humanitatem, multò glorioſiorem & ſplendidiorē, quam eam hactenus vmquā viderā. Per admirabilē & perſpicuā quamdā notitiā mihi repræſentatū eſt, quomodo ipſe ſit in ſinu Patris; etſi, quomodo ibi ſit, exprimere non poſſem; nam, etiā meipſam nō intuendo, me corā diuinitate illa præſentē cernere vide-

Priores vanitates & peccata Dominus ei in memoriā reuocat.

Cū ſe annihilabat tunagratias à Deo recipere ſolebat.

Videt filiū Dei in ſinu Patris.

videbar. Adeò porro inde conſternata & conſtituta manſi, vt aliquot mihi elapſi fuiſſe videantur dies, antequam mihimetipſi poſſem reſtitui, ſemperque illam filij Dei Maieſtatem mihi præſentem, etſi non talem, qualem antè videram, habere viderer. Hoc porro ſatis intelligebam; ſed ita id imaginationi inſculptum manet, vt, etſi id nonniſi quam breuiſſimo tempore durarit, ipſa tamen hoc ad ſatis longum tempus à ſe dimouere nequeat; quod & magnam homini adfert conſolationem, nec non in ſpiritu profectum. Hanc ipſam viſionem etiam alijs tribus vicibus vidi: & eſt (vt mihi quidem videtur) omnium, quas mihi Dominus exhibere dignatus eſt, viſionum eminentiſſima & altiſſima, inſigneſque ſecum adfert fructus. Vnde etiam animam ſingulari quodam modo purgare, & ſenſualitati hinc noſtræ omnes propè vires eripere videtur: eſt præterea vehemens quædam flamma, quæ (vt quidem apparet) omnia vitæ deſideria exurit, & in nihilum redigit: nam etſi deſideria mea (Deo laus) ad res vanas non ferrentur, hîc tamen apertiſſimè mihi declaratum eſt, omnia terrena imperia & dominatus inania ſint. Eſt hoc quoque illuſtre documentum, è quo diſcamus deſideria noſtra ſurſum ad puram veritatem ſuſtollere: manet quoque hîc animæ tanta erga Deum reuerentia impreſſa, vt quomodo id fiat, exprimere non valeam; ſaltem nimis quam multum differt ab ea quam in terra conſequi poſſumus. Non poteſt anima non magnopere mirari, cum conſiderat, quomodo tantam Maieſtatem vmquam offendere auſa ſit, aut aliquis audere poſſit. Hoſce viſionum effectus, nec non alia huc ſpectantia non dubito quin aliàs expoſuerim; at iam ante dixi, ex illarum vna maius, ex alia minus commodum ſequi; at ex hac ſolet quam maximum ſequi. Cum autem ſacram communionem adibam, & ſublimis huius Maieſtatis, quam videram, recordarer, conſiderareḿque eumdem Dominum eſſe, qui in Sacratiſſimo Sacramento eſt (imò ſæpè ſe mihi in ſancta hoſtia ſpectandum dare dignatur) omnes mihi comæ arrigebantur, & planè in nihilum redigi videbar.

Viſionis Chriſti qui ſint fructus.

Sed niſi tuam, Domine mi, magnitudinem velares, quis toties rem ita abominabilem, & abiectam tanta cum Maieſtate coniungere & vnire auderet? Benedictus ſis tu Domine, teque omnes Angeli & vniuerſæ creaturæ dilaudent, quod ita res pro imbecillitatis noſtræ ratione attemperes, vt etſi tantis tamq; excellentibus donis fruamur, tamen per magnam tuam potentiam ita non percellamur, vt præ metu (quod nimirum imbecilles, fragiles, & miſeri ſimus) ijs frui negligamus. Idem namque contingere nobis poſſet, quod alias ruſtico cuidam contigit, (rem autem quam narro, verè contigiſſe mihi certò conſtat) hic enim cum theſaurum, maior erat quam illius erat animus (qui nimis quam paruus erat)

Quidam inuentum ob theſaurum emoritur.

erat) inueniſſet, eum apud ſe detinens, in tantam melancholiam & triſtitiam incidit, vt paulatim præ angore & nimia ſolicitudine, quòd, quid de illo faceret, neſciret, contabeſcens tandem exſpirauerit. Verum ſi illum non ſimul inueniſſet, ſed hunc illi paulatim aliquis per partes dediſſet, itaque eum cum familia ſuſtentaſſet, longè haud dubiè lætior, quam cũ pauper erat, vixiſſet, nec præ angore vitam amiſiſſet. Quam, ô opulentia pauperum, mirabili quodam modo animas ſuſtentare noſti, tam ingentes illis opes non ſimul, ſed nonniſi paulatim, vt penè eas non videant, oſtendendo! Cum tantam tamque infinitam Maieſtatem, tantillo in ſubiecto, quale eſt hoſtia, abſconditam conſidero, non poſſum ex illo tempore tantam apud memetipſam ſapientiam non ſummoperè demirari, vt neſciam, quomodo mihi Dominus & animum & robur det, vt ad illum accedam. Sanè niſi is ipſe qui tam eminentes mihi gratias dedit, & etiam num dat, me corroboraret, non eſſet poſſibile, me tanta mirabilia tacendo poſſe diſſimulare, aut plenis vocibus paſſim non diuulgare. Quid ergò ſentire debet miſera quædam creatura, qualis ego ſum, multis abominationibus onuſta, & quæ vitæ ſuæ dies in tam paruo, ac propè nullo, Dei timore traduxit, cum ſe ad hunc tantæ Maieſtatis Dominum ire conſiderat, præſertim cum ipſe inſuper vult vt anima mea ipſum videat? quomodo os tuum, quod tot aduerſus hunc ipſum Dominum verba pertulit, glorioſiſſimo huic corpori puritati & pietati pleniſſimo coniungere poterit? nam magis animam (quòd ſcilicet ei prout oportet non ſeruierit) cruciat & affligit amor, quem pulcherrima illa facies, ſingulari cum teneritate, affectu, & affabilitate præfert, quam eam timere faciat ac perterreat Maieſtas, quã in illo conſpicit. Quis porro mihi ſenſus fuerit oportet duabus illis vicibus, quibus hoc quod dixi, videre mihi datum eſt? Parum certè abeſt, quin ô Domine mi, & vnica gloria mea, dicam, me magnis illis afflictionibus, quas anima mea ſentit, durantibus ſaltem aliquid ad tuum honorem feciſſe: (ſed, eheu! neſcio quid dicam; nam hæc ſcribo vix verbum vllum loquens, ſentio quippe me turbatum, & meipſius quodammodo impotem, mox vt hæc ipſa ad memoriam reuocaui) ſi quidé, Domine, hic ſenſus à me proueniret, bene dicerem, me aliquid ad tuum honorem præſtitiſſe; ſed quia ne vnam quidem bonam cogitationem habere poſſumus, niſi tu illam dederis, hinc id mihi aſcribi aut laudi duci non debet. Ego Domine ſum debitrix, & tu ille quem peccaui & offendi.

Sacerdos impurus nihil derogat Maieſtati Chriſti.

Cum quodam tempore ſacram communionem accederem, oculis animæ multò clarius, quam corporeis, duos vidi dæmones, & quidem aſpectu horrendo deformes. Videbantur hi mihi cornibus ſuis miſeri illius Sacerdotis fauces velut circumdare; Dominum autem meum ea in

Maiestate quam descripsi, inter Sacerdotis huius manus, in hostia quam mihi iam porrecturus erat, videbam constitutum; vt ad oculum pateret manus illas in eum peccasse: vnde facile agnoui, animam illam in lethalis peccati statu constitutam esse. Quam mirum debebat esse spectaculum, tuam, Domine, pulchritudinem inter monstrosas illas laruas & dæmones videre! Illi coram te, velut pauidi & conterriti, tremebant, & libenter (vt quidem videbatur) inde se subduxissent, si liberam inde abeundi copiam tu ijs facere voluisses. Equidem introrsus adeò conturbabar, vt, quomodo ven. Sacramentum susciperem, nescio, & non modicus me timor occupauit: cogitabam namque apud memetipsam, si quidem hæc visio à Deo venisset, Maiestatem illius minimè permissuram fuisse, vt quod in anima illa erat malum, ad oculum ego viderem: sed ipsemet Dominus mihi dicebat, vt pro illo orarem, seque hoc permisisse, vt intelligerem & scirem, quantam verba consecrationis vim habeant, Deúque non ideò desinere illic præsentem adesse, quamuis qui illa profert sacerdos nequam & sceleatus sit, vtque etiam summam eius bonitatem, qua se in illas inimici sui manus sistere non grauatur, idque tam ad meam, quam aliorum vtilitatem notarem. Satis hinc intelligebam, quanto maior sit Sacerdotum, vt vitam honestam & ab omni scelere putam agant, quam reliquorum hominum obligatio; quamque & graue & horrendum piaculum sit, sanctissimum hoc Sacramentum indignè susciperе; adhæc quam plenum diabolus in animam mortalis sceleris ream dominium habeat. Denique mirè hoc mihi profuit, & satis hinc collegi, quantum ipsa Deo obstricta essem. Sit ipse in sæcula sæculorum benedictus.

Dæmonũ in Domini conspectu terror.

Sacerdotes quãtopere ad vitam bona obligentur.

Horribilis visio de quodã sine confessione mortuo.

Simile quid mihi etiam alio tempore contigit, quod me mirum in modum consternauit. Quodam in loco cum essem, contigit quemdam, qui ad multos annos satis scelerate (vt quidem intellexi) vixerat, ibidem demorari: hunc morbus plusquam biennio detinuerat, & iam nõnullis in rebus sese emendasse videbatur. Mortuus quidem est sine peccatorum Confessione, non propterea tamen mihi videbatur inferno addicendus. Interim dum cadauer loculo imponitur, plurimos dæmones illud arripere, & velut ludibundos ac plaudentes, diris id modis tractare vidi: Hoc mè non parum perterruit, ingentibus namque vncis id huc & illuc raptabant. Cum autem eâ, quâ aliorum corpora solent, pompâ & ritu ipsum ad sepulchrum deferri viderem, mecum Dei bonitatem cœpi perpendere; quod scilicet omnibus passim patere nollet, hanc animam sibi inimicam esse, ne quod inde illi probrum & infamia accederet. Quod autem videram, ita me affecerat, vt penè mentis impos essem, Iam quam diu funebre sacrum durabat, nullos spectabam dœmones; at

Dæmones nõ apparẽt interim dũ sacrificatur.

cum

cum corpus iam sepulchro inijciendum esset, tanta in eum dæmonum multitudo ad ipsum excipiendum parata aderat, vt hoc videndo extra meipsam essem: imò non paruo mihi opus erat animo, ad hunc dolorem meum deforis non prodendum. Cogitabam porro, quam diris in animam sæuire modis deberent, cum tale in miserum corpus dominium exercerent. Vtinam qui in malo statu sunt, viderent, quod ego tunc vidi; quod vsq; adeò horrendum erat, vt mirè id, ad illos à vitæ sceleratæ consuetudine reuocandos profuturum existimé. Omnia hæc magis in me agnoscere faciunt, quid Deo debeam, & à quibus malis ac periculis me liberauerit. Non sine magno timore eram, quoadusq; Confessario meo rem aperui, verebar enim, ne aliqua diaboli hic subesset, illusio, ad animam illam infamandam, esto ipsa non vsq; adeò bona & timorata vulgò haberetur. Certè quoties rei huius memini, quamuis etiam illusio diabolica non esset, non possum non timere.

Varia vi-siones de animabus defuncto-rum.

Sed quia de visionibus quo ad defunctos loqui iam cœpi, referre hic quædam volo, quæ mihi hoc in genere Dominus de nonnullis animabus reuelare dignatus est; non quidem de omnibus, sed de admodum paucis, vt & breuis sim, & quia minimè id necessarium est, id est, quia nulla hinc ad aliquem manatura est vtilitas. Dictum mihi est, ex hac vita decessisse, quemdam, qui olim Prouincialem nostrum egerat; sed, cum demortuus est, alteri prouinciæ præerat: hic mecum olim egerat, eique ob quædam quæ mihi ostenderat beneficia, aliquot nominibus deuincta eram: vitæ autem eius ratio honesta inprimis erat ac proba. Vt ergo eum demortuum audiui, mirum in modum turbata sum, quia de saluatione eius timebam: viginti quippe annis superiorem egerat: quam ego rem certè valdè timeo: nam mihi perquam periculosum videtur, animarum regimen habere. Itaque magno cum pauore me intra quoddam oratorium abdidi, omniaque bona opera, quæ toto vitæ tempore vmquam egeram, (quæ sanè parua admodum fuerunt) in illum transtuli; vnde Dominum rogabam, vt per sua merita adimplere dignaretur, quod animæ illi, vt purgatorijs flammis posset egredi, deesset. Me ergo Dominum, quam poteram enixissimè rogante, videbatur is de profundo terræ ad dextrum latus meum prodire; & mox illum, magna cum lætitia & gaudio, in cælos ferri conspexi. Fuerat is, dum viueret, grandæuus & multorum annorum; sed iam mihi apparens, quasi trigenarius, aut etiam iunioris ætatis esse videbatur, facies autem illius miro fulgore radiabat. Pauco tempore hæc visio durabat; sed ita ex ea affecta & consolata mansi, vt illius me exinde mors nunquam amplius contristare potuerit, tametsi eam plurimi peracerbè ferrent, quod omnibus percarus esset. Consolatio porro,

Merita sua dat pro redemptione cuiusdã animæ è purgatorio.

quam

quam anima mea hinc ſenſit, tam erat magna; nihil vt aliorum luctum curarem, & dubitare nullatenus poſſem quin bona hæc eſſet viſio, nulla inquam in ea illuſio ſubeſſet. Vix duæ tunc elapſæ erant hebdomades, poſtquam ex hac vita migraſſet; nihilominus omni qua poteram cõtentione procurabam, vt pro animæ eius refrigerio, & alij & ego Deum rogaremus; excepto quod ipſa eo ardore & contentione eum non commẽdarem, quo quidem commendaſſem, ſi quæ ante dixi non vidiſſem; dum enim Dominus tale quid mihi circa aliquam animam oſtendit, & ego dein pro eadem intercedere volo, planè perinde mihi facere videor (ita vt impedire id nequeam) ac ſi quis diuiti & non egenti eleemoſynam daret. Poſtea vero comperi (procul enim hinc mortuus eſt) ecquod mortis genus ei Dominus immiſiſſet, vtpote quæ ita circumſtantes omnes ædificauit, vt non maximopere admirari, viſo, quanto cum dolore, pœnitẽtia, lachrymis, & animi humilitate, è vita migraret.

Videt animam purgatorio exire.

Contigit in domo noſtra, etiam Monialem quamdam, feruentem Dei ancillam, ex hac vita migrare: vix ſeſquidies effluxerat, cum, interim dum in choro officia pro eius anima peragerentur, & quædam de ſororibus ad vnius è lectionibus illo in officio legi ſolitis medium iam peruenisſet, ego illi adſtans, vt eam in verſiculo recitando adiuuarem, animam defunctæ vidi, quæ ab illa qua priorem illam videram parte exſurgens recta in cælum aſcendere videbatur. Non erat hæc viſio imaginaria ſicuti ſuperior illa; ſed talis, quales illæ quas ſuprà retuli; non minor tamen ei fides debetur, quam illis quæ corporeis videntur.

Item Aliam.

Aliam etiam Monialem octodecim circiter aut viginti annorum, in eodem noſtro conuentu emori contigit: ſemper illa, quoad vixit, debili infirmaque fuit valetudine, pietatis ſtudioſiſſima, chori amantiſſima, & indefeſſa virtutum omnium cultrix. Hinc putabam, illam ad purgatorium non deſcenſuram, ſed merita plurima illi ſupetfututa; plurimis enim cum morbis in vita luctata erat. Interim verò cum exequiæ celebrãtur, antequam ſepulturæ traderetur, quatuor poſt mortem horis, percipiebam illam purgatorio tempore exire, & in cælum abire.

Quemdã de Soc. Ieſu in cælis aſcendere videt.

Quodam tempore in templo cuiuſdam Collegij Societatis Ieſu agens, illamque, quam aliquãdo me habuiſſe dixi, & etiamnum habeo, animæ & corporis anguſtiam ſentiens, ita me introrſum conſtitutam & affectam inueni, vt ne vnam quidem cogitationem bonam habere mihi poſſe viderer. Hac ipſa nocte quemdam de fratribus Coadiutoribus Collegij illius emori contigit: pro cuius anima cum prout poteram orarem, & ſacerdotis cuiuſdam de hocce Collegio ſacrum pro eo audirem, intimè ad meipſam introuerſa, magna illum in gloria, & DOMINVM vnà cum ipſo, in cælos aſcendentem conſpexi. Intellexi autem, è ſin-

è singulari fauore fieri ; quod Maiestas illius vnà cum illo ascenderet.

Quidam Ordinis nostri Monachus, vir admodum pius & religiosus, grauiter ægrotabat: cum autem ipsa sacro interessem, magna me recollectio mentis occupauit, vidique in ea illum iam exspirasse, & rectà ad cælum, non transito purgatorio, tendere. Eadem omnino hora, vti pòst intellexi, mortuus est, qua illum in cælum abeuntem vidi. Mirabar magnopere, quod purgatorio non adiudicaretur: sed intellexi, mirè illi, quominus eo abiret, bullas Ordinis profuisse, eò quòd Religiosus fuisset, qui suæ professionis regulam & votum quam exactissimè seruasset. Nescio sanè, cur mihi hoc indicatum fuerit: sed (quantum intelligo) hæc ratio fuisse debuit, vt scilicet scirem, quod monachum esse, non in sola veste situm sit, sed in eo vt in illa quis ad maioris perfectionis statum, qui solus monachum facit, tendat. *Item aliũ Carmelitam.*

Plura de his loqui nolo; neque enim (vti dixi) id necesse est, quamuis multarum animarum statum mihi Dominus reuelare dignatus est: sed ex omnibus quas vidi animabus, nescio an vlla purgatorium euaserit, præterquam Religiosi illius, de quo antè paulò locuta sum; item sancti P.F. Petri de Alcantara, nec non illius Dominicani, cuius antè memini. Quoad aliquos vero, placuit Domino viderem, ad quem gloriæ gradum euecti essent; illis ipsos in locis spectandos exhibens, quæ in cælis obtinent: magna autem est inter hunc & illum, & vnum & alium, differentia.

Caput XXXIX.

EANDEM PROSEQVITVR MATERIAM, ET EXIMIAS SIBI à Domino præstitas gratias recensет: refert promisisse sibi Dominum be, ne se facturum illis, pro quibus ipsa eum rogaret: & singularia quædam narrat exempla, in quibus factum sibi promissum Maiestas eius præstitit.

Cvm quadam die Dominum importunis precibus rogarem, vt cuidam cui multum ipsa debebam, oculorum lumen, quod penitus amiserat, & cuius ipsa proinde vicem miserabar, restitueret; vererer autem, vt ob peccata mea me orantem Dominus non exaudiret; apparuit mihi prout & aliàs mihi apparuerat, sinistreque manus suæ vulnus mihi ostendere incepit; dextrâ autem clauum magnum, qui eidem infixus erat, educebat: illum autem extrahendo, videbatur simul & carnis frustilla extrahere: vt facilè colligere esset, summo sine dolore id non fieri, qui sanè magnam in me erga eum commiserationem excitauit; simul etiã mihi dixit, quan- *Quomodo ei Dominus apparuerit.*

quandoquidem tanta tamque atrocia pro me passus erat, certò & indubitatè crederem, se multò etiam libentius præstiturum id quod ab se peterem; etenim promittere se mihi, nihil me vnquam à se postulaturam, quod mihi non esset præstiturus; quòd iam tum nosset, nihil omnino me postulaturam, nisi quod ad maiorem suam gloriam foret; itaque se facturum & concessurum id, quod in præsens à se poscebam: si enim, etiam cum nondum ei seruirem, nihil vnquam se rogaui quod non præstiterit, & quidem melius & perfectius, quam id ipsa postulare potuerim: minimè igitur dubitarem, quin id multò præstiturus esset libentius iam, cum se sciret à me diligi. Vix octo ab eo tempore effluxisse putem dies, cum oculorum vsum illi homini Dominus reddidit: statim verò id Confessarius meus resciuit. Fieri autem potest, vt preces meæ nihil omnino huc contulerint; sed, quia visionem illam videram, hinc ita eius rei certa mansi, vt Maiestati eius gratias, tanquam pro gratia & beneficio mihi concesso egerim.

Cæcolumẽ recuperat.

Morbido precibus sanitatem impetrat.

Alius quidam morbo graui, sed mihi incognito (quem etiam propterea hic non exprimo) laborabat: qui quomodo ipsum bimestri spatio afflixerit, incredibile & intolerabile videatur; adeò quidem vehemens eius cruciatus erat, vt suam ipse carnem discerperet. Confessarius meus, Rector, inquam, Collegij Societatis Iesu, quem dixi, eum inuisit, qui sortem eius & dolores miseratus, mihi iniunxit, vt, quomodocunque possem, eum adirem; etenim esse eum talem, cui id haud dubiè præstare poteram: erat namq; de consanguineis meis. Iui ergo, & hominem vidēs, ita vicem eius sum miserata, vt valdè importunis Dominum precibus fatigarem, huic vt sanitatem redderet. In hoc porro (vt quidem penitus mihi videtur) euidentissimè gratiam, quā mihi fecit, perspexi, quod ipse statim postridie, à dolore penitus liber, lecto surrexerit.

Precibus suis impedit, ne quis conceptum scelus exequeretur.

Quodam tempore grauissima in angustia versabar, quod scirem aliquē, cui multis nominibus obstricta eram, aliquid, quo tū Dei, tum prium honorem maximopere læderet, moliri: & eò vsque venerat, vt iam ipsum exequi omnimodis decreuisset. Ita autē ego inde angustiata fui, vt quomodo propositum hoc eius subuerterem nescirem, imò nec vlla eius impediendi, & à proposito reuocandi ratio subesse videbatur. Igitur Dominum quam potui studiosissimè precata sum, remedium vt adhiberet; verum non ante meus cessare aut alleuiari poterat dolor, quā ipsum à cōcepto facinore cessare viderem. Hoc ergo in statu constituta, intra quoddam eremitoriolum, longè à turba sequestratum, (qualia in hoc monasterio nonnulla sunt) in quo Saluatoris Iesu ad columnā ligati imago cōspicitur, me abdidi, eumq; rogaui, hanc vt mihi gratiam faceret. Hīc ergo vox quædā admodū lenis, tāquam si per fistulā aut tubam proueniret, ad

aures

aures meas delapsa est: quæ me horrore simul & timore magno compleuit. Intelligere quidem voluissem quod mihi illa dicebat, sed non poteram, quia id in momento fiebat & præteribat. Postquam autem timor meus (quod statim fiebat) iam transisset, tantam interius quietem, voluptatem & recreationem sensi, vt non parũ mirarer, vel vnicum vocis cuiusdam auditum (nam corporalibus auribus eam percepi & audiui) esto nullum audirem verbum, tantam in anima operationẽ facere. Hinc manifestè colligebam, concessum mihi iri, quod postulabam (& ita etiam factum est) nam dolor & pœna in re quæ nondum erat, ita penitus me reliquere, tanquam si eam ita confectam vidissem, vti postea confecta est. Aperui id Confessarijs meis, quos tunc temporis duos habebam, tum doctrina, tum virtutibus eminentes.

Item vt alius ad id quod reliquerat, reuertretur.

Vt cognoui quendam, qui firmiter apud se proposuerat Deo ex toto corde seruire, & iam diebus aliquot orationis studium sectatus erat, in quo ei Maiestas illius etiam multas gratias concesserat; ob quasdam ei oblatas occasiones à quibus etiam tum non abstinebat, quæque admodum noxiæ & periculosæ erant, illius exercitium sepositisse, magnam interius angustiam & amaritudinem animi sensi, quod esset quem diligebam, & cui permultum debebam. Mensem & amplius me credo pro ea Domino identidem supplicasse, vt hanc ad se animam à via erroris reuocaret. Cum ergo quodam tempore orationi insisterem, dæmonem quendam mihi adstantem vidi, qui chartas quasdam, quas manu tenebat, magna indignatione dilacerabat. Hoc viso magna sum consolatione perfusa; per hoc quippe intellexi, id quod postulabam, adimpletum esse. Et ita reuera erat: postea enim cognoui, illum insigni cum dolore & contritione confessionem instituisse, & tam seriò ad Deum conuersum esse, vt, quę Dei bonitas est, sperem illum semper in melius profecturum. Vnde sit ipse in sempiternum benedictus. Amen.

Animabus diuersè modè profuit.

Sæpè autem contigit, quod Dominus ad meam petitionem, & orationem animas, has quidem ex enormium peccatorum statu euocauerit: illas verò ad maiorem perfectionem perduxerit; toties autem me rogãte ipsas è purgatorio liberauit, aliosque singulares ijs, in mei gratiã, fauores præstitit, vt, si eos referre velĕ, & meipsam scribendo, & lectorẽ legendo defatigarẽ, idq; potius in sanitate animabus, quam corporibus restituenda. Res autem hæc nimis quam notissima fuit, & plurimos illius proferre possem testes. Quãprimum verò ingens mihi scrupulus suboriebatur, ex eo quod nõ possem non credere, quin id ad meam Dñs petitionem faceret (vt taceam, eum potissimum id ob solam suam bonitatem dare) sed hæc ita iam frequentia, & alijs passim nota sunt, vt iam nullam omnino in illa re credenda difficultatem inueniam; vnde Maiestas eius

hoc nomine laudo & benedico, ſimul etiam confundor, quod hanc ob cauſam pluribus illi nominibus obſtrictam me eſſe videam; adauget hoc præterea (prout mihi quidem videtur) meum illi ſeruiendi deſiderium, amorem denique accendit, & redanimat. Nihil porro magis admiror, quàm quod ea, quæ Dominus videt minimè expedire, ab eo flagitare, quamuis velim, non poſſim, niſi fortè tam frigidè & tam parua cum inſtantia & ſolicitudine, vt, quantumlibet ad hoc me ipſa excitem & cogã, planè nequeam, eſto alijs in rebus, quas Maieſtas eius conceſſura eſt, id faciam: video enim me ſæpius, ac magna cum importunitate eas poſſe rogare; imò eſto de illis ſic ſolicita non ſim, ſponte tamen illæ mihi occurrere & repræſentari videntur. Tanta porro eſt inter hoſce duos petendi modos differentia, vt, quomodo eam exponam, ignorem: nam, etſi vnum petam (neque enim id ſumma cum contentione Dominum rogare omitto, tametſi eum in me feruorem non ſentiam, quem in alijs rebus quantumlibet etiam propè aliquid ad me ſpectet) perinde tamen in hoc me habeo, atque is cui lingua vincta eſt, qui eſto loqui velit, nequaquam loqui poteſt; ſi autem loquatur, ita loquitur impeditè, vt facile videat, ſe ab audiente non intelligi; in alio autem perinde atque is qui clarè & expeditè loquitur ei, à quo ſe libentiſſimè percipit audiri. Vnum petitur, vt ita dicam, per modum orationis vocalis; alterum verò per contemplationem ita ſublimem & eleuatam, vt taliter ſe Dominus repræſentet, facile vt intelligamus non ab ipſo intelligi, & gaudere Maieſtatem ipſius, quod iſthoc ab ea petamus, & nobis beneficium conferre poſſit: ſit ipſe in perpetuas æternitates benedictus, qui tam ampla & multa dat, cum à parte mea ego tam eidem parum. Quid enim, Domine, obſecro, facit is, qui ſe tui cauſa non penitus conſumit & in nihilum redigit? Et quantum, quantum, quantum, inquam (& millies dicere poſſum, quantum) hac in parte mihi deeſt! Hac de cauſa non deberem velle viuere (quamquam mihi & aliæ ſint ad hoc volendum cauſæ) neque enim viuo, prout me viuere iubet id quod tibi debeo. Quantam in me in tibi ſeruiendo imperfectionem, quantum torporem & tarditatem video! Ita me, fateor, Domine, ſubinde comparatam ſentire videor vt omni prorſus ſenſu carere vellem, ne tantum in me malum viderem. Qui afferre ſolus remedium poteſt, medeatur.

Non poterat Demiũ rogare ea quæ nõ expediebant, niſi valdè frigidè.

Cũ in nobilis illius fœminæ, de qua ſuperius locuta ſum, ædibus agerem, valdè circũſpectè & cautè apud eam ambulare, & identidem vanitatem, quam omnes vitæ huius res ſecum trahunt, intueri, me oportebat; illic quippe magno in pretio habebar, & nunquam non laudabar, ac multa occurrebant, quibus, ſi quidem ad meipſam reſpectum habuiſſem, affectum applicare potuiſſem; ſed ad illum reſpectum habebam, qui verum vi-

rum visum & intuitum habet, ad me nunquam deserendam: iam, cum de vero visu iã loquẽdi data sit occasio, memini quàmilli quẽ Dñs ad veritatis cognitionẽ perduxit, graue & onerosum sit, cum hominibus mundanis, de rebus huius mũdi, in quib⁹ veritas vsq; adeò tecta est vt vix videatur, tractare; vti Dominus ipse semel mihi significauit. Etenim multa quę hîc scribo, è meo capite & horto nata non sunt, sed Magister ille meus cęlestis ea mihi declarabat ac velut dictabat. Et, quia in ijs, de quibus apertè & clarè dico, *Hoc intellexi*, vel, *Hoc Dominus mihi dixit*, scrupulus mihi non paruus est, vel vnam syllabam addere vel demere; hinc, cum vsquequaque exactè circumstantiarum omnium non recordor, id accipiendum est velut à me dictum, vel, quia quædam etiam de meo addita sunt. Meũ autem non voco, quod bonum est, quia iam tum scio, nihil in me boni esse, nisi quod mihi adeo immerenti Dominus contulit: sed id à me dictũ voco, quod per reuelationem à Domino non accepi: sed quoties, eheu, Domine, etiam in spiritualibus rebus fit, vt eas iuxtà proprium cerebrum & iudicium, longè à veritate deuiando, sicut etiam in rebus mundanis fit, intelligere velimus? & profectum nos nostrum, pro ratione ac numero annorum, quibus aliquo nos modo in oratione exercuimus, metiri debere putamus; imò verò taxam & terminum præscribere velle videmur ei, qui sine vlla taxa & mensura, quoties & quando ei libuerit dona sua confert, & huic plus medij anni spatio dare potest, quam illi per multos annos. Et est hoc huiusmodi, quod etiam in plurimis longo vsu obseruaui, vt non possim non obstupescere, quomodo hoc in dubium reuocare possimus. Eum sanè qui spirituum dignoscendorum talentum habuerit, & cui veram Dominus humilitatem dederit, hoc in errore minimè existimo versaturum: talis quippe periudicat prout videt effectus, firma proposita & amorem; & Dominus ei dat lumen, cuius adminiculo id intimè perspiciat; & iuxta illud de animarum profectu & progressu, non autem iuxta rationem annorum, iudicat: nam semianno quis plus profeciisse & lucrifeciisse potest, quam alius quislibet per viginti: nam (vti iam dixi) dat Dominus ijs quibus voluerit, & etiam melius se disponentibus. Video enim iam aliquot ad monasterium hoc venire filias, vtcumque ætate iuuenes, quæ à Deo tactæ & paulum luminis & amoris ab eo adeptæ (idque breui admodum tempore, quo aliquid eis suauitatis dedit) non amplius eum exspectarunt, nec de vlla re alia anxię fuerunt; imò sine vlla, quomodo res ad victum necessariæ ipsis suppeterent, solicitudine, hoc se in monasterium quod reditibus caret, pro toto quo victuræ sunt tempore recludunt; & ceu personæ, quæ vitam pro eo, à quo se diligi sciunt, contemnunt, omnia relinquunt propriamq; abnegant voluntem; & nõ cogitantes, vllã se in tanta clausuræ & loci arctitudine difficultatem

E quare de animarũ profectu iudicãdũ.

Primarũ discalceatarum feruor.

tatem reperturas, pariter omnes in sacrificium propter amorem Dei sese offerunt. O quam libenter illis hac in re potiores partes cedo! imo erubescere me coram Deo hîc oporteret: nam quo me Maiestas eius, tot annorum, ex quo incepi orationem colere, & ipse mihi gratias præstare cæpit, spatio non perduxit, illuc ipsas trimestri spatio, quin etiam nonnullas triduo perducit: esto illarum plurimis minus boni præstet, quam mihi præstitit, etsi alioquin Maiestas ipsius quam abundantissimè illis satisfaciat: hoc saltem certò scio, non dolere ipsas aut contristari ob id quod pro eo fecere. Idcirco vellem, nos religiosos recordari, à quot iam annis professionem & vota emiserimus; alios autem à quot annis orationem iam colere cœperint; non quidem vt illos qui paruo tempore talem progressum fecerunt, vt longo nos interuallo præcedant, crucient aut vexent, quo illos & retrocedere, & suum nostro gressui accommodare cogant, dum eos, qui aquilarum adinstar, per gratias quas Deus ipsis dat euolant, volunt compellere, vt in morem torpidarum gallinarum incedant: sed oculos in Maiestatem eius nos coniicere oportet, & liberas ipsis habenas permittere, siquidem eos humilitatem habere cernimus. Dominus enim, qui tam insignes eis dat gratias, non sinet eos præcipites ruere. Hi quippe seipsos Deo credunt (ad hoc enim iuuat eos veritas quã per fidem agnoscunt) & ipsi nos Deo credere dubitamus: sed, vt video, ad nostram eos mensuram, & ad pusillanimitatis nostræ modulũ metiri volumus. At non sic faciendum est: verum, si incensos illorum affectus, ardores & sublimia proposita comprehendere non valeamus (sine experientia namque difficillimum id intelligere est) humiliemus nosipsos, illos autem minime dijudicemus: nam per speciem ipsorum vtilitati consulendi, nostram ipsorum negligimus, &, quam nobis nostri humiliandorum, simulque intelligendi quid nobis desit, & quam animæ hæ magis à creaturis sequestratæ, & ad Deum conuersæ esse debeant quam nostræ, cũ ipsius Maiestas ita se erga ipsas benignè conuertat & propitiam reddat: Dominus occasionẽ dat, è manibus elabi sinimus. Aliud nõ intelligo nec etiam intelligere vellem, quam malle me parui temporis orationem sed quæ insignes operetur effectus (hi statim patescunt; impossibilè quippe est, illos in tanta rerum omnium solum propter Deũ derelictione sine magna amoris vehementia inueniri) quam aliam multorum annorũ quæ non maiore, ad quid ex amore Dei efficiẽdum, vi polleat in fine quã in principio; sed dumtaxat parua quædam habet, quæ velut granula salis, & pondere & pretio carent; & ita sunt tenuia, vt etiam ab auicula rostro auferri posse videantur. Non numero hoc inter insignes effectus & mortificationem; nam quædã, quæ propter Deũ facimus, magni æstimamus, quæ tamen in se eiusmodi sunt, vt dolendum sit nos ea intelligere quantumuis

Non sunt alij ad nostrum modulum metiendi.

tumuis etiam multa eiusmodi opera faceremus. Talis ego sum; & gratias ac misericordias, quas mihi Dominus confert, singulis vicibus obliuiscor. Non dico, Maiestatem eius, prout quidem bonus est, magni illa non facturam, sed vellem ea parui ducerem, & non considerarem, quod ego ea faciam, quia nihil omnino sunt. Sed ignoscas mihi, Domine, nec id mihi in culpam ascribas: nam aliqua me re consoler oportet, cum in nulla tibi seruiam: si enim tibi magnis in rebus seruirem, nihilitates tanti non ducerem. Beati illi, qui tibi magnis seruiunt operibus: porro si per hoc illis inuideam, & potius mihi dari optem, mihi hoc pro bono opere, & merito annumeraretur, non illi multum me in tibi placendo præcederent: sed nihil prorsus valeo, Domine; tu eum, qui mihi deest, valorem supple, cum me tanto opere diligas.

Iam nuperrimè contigit, vt cum litteræ quibus concedebatur, vt sine certo censu monasterium hoc erigi & fundari posset, Româ allatæ essent, ipsum plenè perfectum sit: aliquo mihi labore (vt quidem oportet) constitit. Ergo cum de eius perfectione apud me ipsam gauderem, nec non mecum reuoluerem, quantum laborum hac de causa subijssem, Dominoque gratias agerem, quod aliqua saltem in re operâ meâ vti voluisset, recogitare mecum cœpi; ecquæ pro ipso hic passa essem. In singulis autem quæ feceram (quæ aliquid esse videbantur) plurimos defectus & imperfectiones, & subinde etiam pusillanimitatem, sæpè etiam valdè paruam fidem inueniebam. Nam ad hoc vsque tempus, quo iam omnia adimpleta & perfecta esse video, nunquam plenè & perfectè credere potui, quidquid de monasterio hoc perficiendo Dominus mihi diceret; nihilominus non poteram de eo dubitare: quod quomodo fieret, nescio; vt sepè id mihi ex vna parte sua penitus videretur impossibile, ex alia verò nullatenus de eo possem ambigere, id est, planè crederem ipsum ad exitum perducendum. Repetiebam tandem, Dominum à parte sua omne bonum, & me à mea omne malum feciisse: itaque de re illa cogitare destiti, & amplius illius recordari nolui, ne, ob tantam defectuum & imperfectionum mearum copiam vsquam impingerem: sit ipse benedictus, qui, cum libuerit, etiam ex omnibus vtilitatem nouit elicere. Amen.

Dico ergo, periculosum esse, annos, quibus orationem exercuimus, numerare: nam etsi hic nullus humilitatis sit defectus, aliquid tamen, nescio quid, hic subesse potest; quale est, quod quis ob id, quod præstitit, obsequium aliqua se re dignum esse existimet. Non dico illos ea dignos non esse, & abundè illis satisfactum non iri: sed hoc vt certum & indubitatum teneo, quemcumq; hominem spiritualem, qui hisce spiritualibus suauitatibus ideo dignũ se putat, quod multos annos in oratione se exer-

Periculosũ est annos obsequij numerare, & præsumere aliquid nos mereri.

exercuerit, nunquam ad ſpiritus perfectionem peruenturum. Annon ſatis eſt, quod à Deo ab illis præſeruari meruerit peccatis, in quæ, antequam orationem coleret, labi conſueuerat, niſi ei etiam ob propriam pecuniam (vti dicitur) litem intentet? Non videtur mihi hoc profunda humilitas eſſe: fieri quidem poteſt, vt ſit humilitas, ego tamen id magnam eſſe cenſeo audaciam; cum ego, quæ ita parum humilis ſum, nunquam id (meo quidem iudicio) auſa fuerim præſumere: fieri autem poteſt, vt ſicut nunquam ſeruiui, ita nec vmquam tale quid petierim: fortaſſe ſi ſeruijſſem, maiorem mihi mercedem pro eo perſolui à Domino, quam alij omnes, cuperem. Non dico, animam non creſcere aut proficere, aut Deum hoc ei non daturum, ſi quidem oratio humilis fuerit; ſed illos annos obliuiſci debere. Quidquid enim facere poſſumus, velut abominatio eſt, etiam cum vnica ſanguinis gutta earum, quas tam multas pro nobis Dominus fudit, comparatum: &, ſi eo debemus plura, quo plus ſeruimus, quid eſt quod petimus, cum, ſi vel obolum de debito noſtro perſoluamus, mille ducati pro eo nobis reddantur? Omittantur, ex amore rogo, hæc iudicia, quæ ei ſoli conueniunt. Tales comparationes, etiam in temporalibus, ſemper malæ ſunt; quanto ergo magis in ijs quæ ſolus nouit Deus? Quod Maieſtas illius ſatis oſtendit, cum tantum nouiſſimè ad vineam venientibus perſoluit, quantum primis.

Viſio eius admirabilis, in qua ei inimicorum copiæ, oſtenſa ſunt, qui figura ſunt mundi.

Iam multis vicibus & diebus tria hæc folia ſcribere aggreſſa ſum (nam tam parum habui, & etiamnum habeo, ad hoc faciendum, vti dixi, temporis, vt quod dicere iam cœperam, oblita fuerim, hanc ſcilicet quæ ſequitur viſionem.) Cũ ergo orationi inſiſterem, ſolam me patenti quodam in campo, circum me autem magnam hominum diuerſis moribus præditorum multitudinem, à qua vndiquaque circumcingebar, conſtitutam vidi: omnes autem arma manibus præferre, ad me lædendam, videbantur; hi quidem lanceas, illi gladios, alij pugiones, alij ſicas admodũ longas: vnde nulla parte perrumpere valebam, niſi me in certiſſimum vitæ periculum conijcerem; ego autem eram ſola, nullus vt ad opem mihi ferendam adeſſet. Spiritu itaq; meo hac in afflictione conſtituto, vt quid factura mihi eſſem, neſcirem, oculos ad cælum ſuſtuli, vidique Redemptorem Chriſtum (non quidem in ipſo cælo, ſed longè ſublimem à me, in aere) manum ſuam verſus me extendentem, indeque ita mihi auxiliantem, vt iam ex omni illa inimicorum multitudine neminem omnino timerem, & ipſi, quantumuis percuperent, nullam mihi adferre noxam poſſent. Viſio hæc, quamuis inutilis & infructuoſa videatur, magnum tamen mihi fructum attulit: poſtea namque declaratum mihi eſt quid per illam repreſentaretur; & pòſt paulò, in pari propè diſcrimine & conflictu me con-

me constitutam vidi, intellexique, visionem hanc mundi huius typum & figuram esse: quidquid enim in illo est, arma præferre ad animam afflictam & desolatam offendendam videtur. Vt enim nihil loquar de ijs, qui non multum Domino seruiunt; nihil de honoribus, diuitijs, delitijs, alijsque id genus rebus, quibus anima, cum non caute & diligenter aduigilat, haud dubiè irretitur atque intricatur; aut quæ omnia eam saltem irretire conantur; ipsi amici, consanguinei, & (quod maximè miror) etiam viri boni, bellum illi mouent. Ab omnibus his ergo ita me postea oppugnatam vidi, cum interim ipsi bene se & laudabiliter in hoc agere putarent, vt, quomodo me tuerer, aut quid agerem, ignorarem. Si dicerem, Domine mi, quam multiplices & varios toto illo tempore labores subierim (etiam post illa quæ supra retuli) quam insigne id documentum & monitio foret, ad omnia quæ sunt penitus deserenda? fuit hæc omnium quam vmquam passa sum, vt mihi apparet, persecutionum grauissima & maxima. Ita inquam me subinde vndiquaque ab inimicis angustiatam & oppugnatam vidi, nullum vt aliqua in re mihi affulgeret remedium, quam in oculos ad cælum sustollendo, Deique opem implorando; simulque mihi in mentem veniebat, quid in hac visione vidissem, quod me salubriter velut monuit, ne multum in hominibus fiduciæ collocarem; etenim nullus constans & stabilis est præterquam Deus. In omnibus his afflictionibus & pressuris semper mihi Dominus (vt etiam mihi præsignificauit) aliquem à parte sua submisit, qui mihi auxiliarem manum præberet (vti mihi in visione illa superiori ostenderat) vt scilicet nullare niterer, sed soli Domino placere satagerem; quod ad paruam & exiguam hanc virtutem, quam in tibi seruire cupiendo habebam, alendam & sustentandam satis fuit.

Cum quadam die valdè inquieta & turbata essem, vsque adeò vt ad mentis attentionem nullatenus possem peruenire, & in conflictu & in quiete tota constituta gemerem, videremque ita me improbam & nequam, vt ad ea quæ perfectionem non saperent, cogitationes meæ tenderent; atque adeò nec eam, quam solebam, habere viderer totalem denudationem; timere mecum ipsa incipiebam, annon fortè gratiæ, quas mihi Dominus præstiterat, diabolicæ illusiones forent. Demum spissis in tenebris, & tetra caligine, anima mea versabatur. Hoc ergo pacto afflictam & oppressam me, Dominus alloqui cœpit, monens ne meipsa incassum ita torquerem: ex hoc quippe præsenti animæ meæ statu intelligere me posse, quanta mea miseria foret, si ipse me derelinqueret; & nullam nos habere securitatem posse, quam diu in carne hac mortali viuimus. Simul etiam mihi indica-

batur, quam operæ pretium hocce certamen & conflictus esset, quod tali corona & præmio postea compensatur. Videbaturque mihi Dominus nostri ipsorum, qui in hoc mundo viuimus, commiseratione tangi. Nolebat autem me cogitare, quod me ex memoria sua deposuisset (nunquam enim fore vt me desereret) sed oportere me facere quodcunque possem. Magna cum benignitate & suauitate Dominus hoc mihi dicebat; addebat & alia verba, in quibus insignem mihi gratiam ostendebat, quæque minime opus est hic declarare. Hoc autem sæpè Maiestas eius mihi, magnum in hoc mihi amorem & affectum patefaciens, dicit: *Iam tota mea es, & ego totus tuus.* Verba autem, quæ identidem dicere, & quidem verissimè (prout mihi quidem videtur) soleo, sunt hæc: *Quid de meipsa solicita sum, præterquam de te Domine?* Tanto autem pudore & confusione verba hæc & deliciæ me complent, præsertim cum qualis sim, mecum ipse recordor, vt, quemadmodum & supra me dixisse puto, & nonnunquam etiamnum Confessario meo declaro, maiori ad hasce gratias recipiendas, quam ad grauissimas afflictiones & pressuras tolerandas opus esse robore existimem. Hoc cum fit, operum meorum priorum nulla propè mihi remanet memoria; hoc solum memoriæ sine vllo intellectus discursu obuersatur, esse me improbam, quod etiam subinde mihi supernaturale esse videtur.

Oportet nos facere quodcunque possumus.

Aliquando tam ardens mihi sacræ communionis adeundæ ingruit desiderium & appetitus, vt nescíam an id satis verbis possim exprimere. Contigit quodam manè ita pluuium tempus esse, vt nullatenus egredi domo posse viderer: nihilominus domo egressa, ita præ vehementia desiderij extra meipsam iam eram, vt, etiamsi per hastas obuersas mihi currendum, eas (vtquidem mihi videbatur) nihil morata perrupissem, quanto ergo magis per aquam transire. Templum ingressa mihi ingens incidit raptus, videbarque cælos totos aperiri videre, & in eis non iam vnum solum ingressum fieri, vti iam aliàs videram, sed plures. Ibi mihi spectandus obijciebatur thronus, quem etiam aliàs, vti Reuerentiæ Vestræ retuli, conspexeram; & supra eum etiam alium, in quo per notitiam quandam, quam declarare nequeo, ipsam Deitatem (etiamsi illam non viderem) consistere intellexi. Videbatur ille mihi à quibusdam animalibus (quæ cogitabam an fortè quatuor Euangelistæ essent) sustentari, sed qualis thronus, aut quid in eo esset, prorsus non videbam, sed tantum ingentem quamdam Angelorum multitudinem, qui longè mihi esse videbantur pulchriores, quam quos aliàs in cœlo videram. Cogitabam apud me metipsam, an forte Seraphini aut Cherubini essent; nã hi ab

Mirabilis visio de thronis cælestibus.

alijs

alijs Angelis in gloria valdè diuersi sunt, & planè accensi esse videbantur. Ceterum, vti dixi, magna inter eos est diuersitas ac discrimen. Non possem describere, nedum verbis eloqui, gloriam quam tunc temporis in me sensi, & nemo nisi expertus id valet concipere. Agnoscebam, ibi simul esse quidquid desiderare homo posset; nihil tamen videbam. Dicebatur mihi, nescio tamē à quo, quidquid quo ad hoc possem facere, situ esse in intelligendo, nihil omnino hîc me posse intelligere; & in concipiendo, omnia nihil prorsus esse collata cum eo quod ibi est. Inde secutum quod anima mea postea velut erubescceret, cum ad aliquid creatum se dimittere, nedum affectu eidem adhærere se posse videret: omnia namque creata mihi nonnisi formicariæ cellæ esse videbantur. Sacram ergo communionem sumpsi, & sacrum, nescio quomodo me habens, audiebam; nam tempus mihi quam breuissimum fuisse videbatur; cumque horæ signum daretur, non parum mirabar, & duas horas in raptu illo & gloria fuisse me vidi. Exinde summopere sum mirata, videns, quomodo hic veri amoris Dei ignis (qui desursum venire videtur; nō enim vel scintillam eius habere possem, quantumlibet eam optarem, & ad hoc conniterer, imo esto me propterea etiam consumerem, nisi Maiestas eius illam dare voluerit, vti etiam alio in loco dixi) quomodo inquam ignis hic veterem hominem, qui per imperfectiones, teporem, tarditatem in miseriam inueterauit, consumat. Et quemadmodū nouus phœnix (vti de eo legi) ex alterius iam in fauillas redacti cineribus exsurgit; ita etiam anima, per alia lōge desideria & magnum robur, tanquā prorsus alia, & noua, penitus immutatur. Etenim non videtur esse ea, quæ fuit antè, sed iam noua quadam puritate per viam Domini ambulare incipere. Rogabam itaque Maiestatem eius, vt ita id esset, eiq; de nouo seruire incipere possem; qui mihi tum ait: *Bonam similitudinem excogitasti; vide ne eius vnquam obliuiscaris, quo te semper renouare & melior euadere studeas.*

Omnia Deo collata nihil sunt.

Magnus ipsius effectus.

Simili in dubitatione, qualis fuit ea, de qua iam paulo ante locuta sum, num scilicet hæ visiones à Deo venirēt, versanti mihi apparuit Dominus, aspera me voce in hæc verba compellans: *O Filij hominum vsque quo duri cordis eritis?* Addebat præterea, vt me circa vnam rem bene examinarem, num scilicet eam ipsi penitus tradidissem; quam si veram deprehenderem, firmissime mihi persuaderem ac crederem nunquam fore vt ipse me perire sineret. Sed quoniam per hanc eius exclamationem valde turbata fui, iterum me voce blandissima & leniissima alloquens, ne me affligerem aut fatigarem monuit; quod iam tum sciret, me à parte mea nullatenus neglecturam applicare me ad omne id, quod ad eius obsequium quoquo modo spectaret; hinc omne quod petitura essem mihi concessum iri: vnde etiam facta sum compos

Dominus non sinit decipi eos qui totos se ei dant.

eius, quod tum temporis ab eo efflagitabam. Dicebat enim, vt aduerterē, quomodo amor, ad ipsum diligendum, indies in me maior & maior fieret: atque inde me facile posse colligere, dæmone auctore hæc non fieri: adhæc, minimè cogitarem, permissurum vmquam Deum, tantam vt in famulorum & clientum suorum animas diabolus potestatem haberet; aut tantam mihi ingenij perspicacitatem, ac quietem, quam in me sentirem, dare posse. Monebat quoque haud dubiè malè facturam me esse, si tot, tamque insignibus viris, id à Deo venire dicentibus, adhuc id ipsa non crederem.

SS. Trinitatis mysteriū percipit.

Cum quadam vice Symbolum S. Athanasij: *Quicumque vult saluus esse*, legerem, tam mihi apertè significatum fuit, nonnisi vnum esse Deum, eumque trinum in personis, vt summopere & mirarer & lætarer. Mirè hoc mihi profuit, ad magnitudinem ac mirabilia Dei magis ac melius agnoscenda: hinc, quoties de Sanctissima Trinitate vel cogito, vel alios loquentes audio, mihi, quo id modo fieri possit, intelligere videor, quod magni mihi voluptatis & gaudij causa est.

Assumptio B. Virginis ei repræsentatur.

Quodam in festo Assumptionis Reginę Angelorum, dignatus mihi est Dominus in raptu, illius in cęlum subuectionem nec non gaudium, & gloriam ac pompam qua illuc suscepta est, & ad quem ibi locum euecta sit, repræsentare. Quomodo hoc esset, prorsus exponere non possem: gloria autem, quam mens mea è tantæ eius gloriæ conspectu accipiebat, nimium quantum magna erat. Magni quoque inde in me manserunt affectus, atque inde secutum, vt quod ad magnas aduersitates & molestias ferendas habebam desiderium, fieret ardentius; insigniusque mihi ad Deiparam hanc matrem colendam manserit affectus & voluntas, tanta illam promeritam fuisse videns.

In templo Collegij cuiusdam Societatis Iesu agens, interim dum fratres Collegij illius ad sacram Communionem accederent, videbam pulcherrimum & pretiosissimum quoddam velamentum capitibus eorum desuper imminere; & quidem secundò hoc vidi: cum tamen alij communionis sacræ participes fierent, minimè id videbam.

CAPVT

Caput XL.

In illvstribvs gratiis, qvas ei Dominvs praestitit, recensendis pergit, è quarum nonnullis illustria capi possunt documenta, nam, secundum & post obedientiam, primaria eius intentio semper fuit (vti antè dixit) eas hic gratias referre, quæ ad animarum salutem & vtilitatem spectant. Hoc in capite vitæ eius, quam descripsit, discursus & narratio finitur. Ad Domini gloriam sint omnia. Amen.

QVODAM tempore orationi incumbens, tam intensam in metipsa voluptatem sensi, vt tali bono me indignam existimans, cogitare cœperim, quanto magis & potius promeruissem in eo loco agere, quem in inferno præparatum mihi esse videram: nam vti alias dixisse memini, numquam mihi memoriâ excidit, quo ibi me modo viderim. Hac consideratione factum est, vt anima mea magis inflammaretur, & quidam mihi spiritus raptus superuenerat, quo tamen is modo contigerit, nesciam depromere. Videbar mihi in illa Maiestate, quam aliàs intellexi, posita, & ab eadem plena & imbibita esse. Hacce in Maiestate quædam mihi declarata veritas est, quæ omnium veritatum est complementum: quod quomodo fieret, dicere prorsus nequeo, nihil quippe videbam: aliquid quoque mihi dicebatur, ita tamen vt non viderem à quo, sed facile colligebam, id ab ipsamet Veritate prouenire: *Quod tui causa facio, perexiguum non est, imò de numero illarum rerum, ob quas multum mihi debes: omne enim damnum, quod mundo accidit, inde prouenit, quod scripturæ veritates in clara veritate non intelligantur: cum tamen ne vel minimus illarum apex præteriturus sit.* Quod ad me, equidem semper id me putabam credidisse, & omnes etiam fideles id credere existimabam. Addidit autem Dominus: *Quam pauci sunt ô filia, qui me verè diligunt! si enim me diligerent, mea illos secreta non celarem: nostin, quid me sit verè diligere? intelligere videlicet, id omne falsitatem esse, quod mihi non placet: quod modo non intelligis, id ex commodo quod animæ tuæ affert, clarè perspicies.* Et ita id esse (Deo laus) comperi: nam ex eo tempore, tanta mihi videtur esse vanitas & falsitas, quidquid ad Dei obsequium non spectat aut dirigitur, vt, pro eo atque id intelligo, non possem exprimere; nec non quantopere me misereat illorum, quos in ijs quæ huius veritatis sunt, nec non in alijs commodis, quæ hic commemorabo, multa autem illorum dicere non potero, ignaros & caligantes video. Dixit Dominus tum mihi singulare quoddam verbum, insignem fauorem redolens, quod quomodo esset, ignoro, ni-

In raptu quodam se Deo plenã esse putat.

Quid sit verè Deũ amare.

ro, nihil enim vidi: ſed ita ex eo comparata manſi, vt ne hoc quidem poſſim exprimere; at mirè me corroboratam & optimè veriſſimèque animatam ſenſi, ad totis viribus meis, etiam minimam Scripturæ diuinæ partem adimplendam. Nihil omnino mihi, meo iudicio, proponeretur, quod non euincerem & perrumperem. Diuinæ huius veritatis, quæ mihi repræſentabatur (neſcio tamen quomodo, aut quæ) talis mihi inſculpta manſit veritas, vt nouam in DEVM reuerentiam in me excitet: talem namque maieſtatis & potentiæ diuinæ mihi notitiam dat, vt ea quidem explicatu perdifficilis ſit, intelligam tamen illam magnum quid eſſe. Adhæſit hinc quoque mihi lubentia quædam non alia loquendi, quam quæ veriſſima ſunt, & longiſſimè omne id, de quo in mundo paſſim ſermo eſt, excedunt: itaque tædere me cœpit in hoc mundo viuere. Adhæc magna quædam animi teneritudo, gaudium ſpiritus, & humilitas. Eſto autem non intelligerem, quomodo tam multa tunc DOMINVS mihi chariſmata daret, tamen ne vel minimam quidem ſuſpicionem in me ſenſi, quod hoc diabolica eſſet illuſio. Nihil quidem videbam, at facile intelligebam, quantum in eo ſitum ſit boni, vt, quidquid ad nos DEO viciniores reddendos non conducit flocci faciamus: itaque intellexi, quam magnum animæ bonum ſit, vt ea in veritate, coram ipſiſſima veritate, ambulet. Quod autem intellexi & cognoui, ipſum & quod DOMINVS, qui ipſamet veritas eſt, mihi cognoſcendum dedit. Quidquid verò dixi, intellexi partim eum loquentem audiendo, partim etiam eum non audiendo, quorum nonnulla, etiam clariùs longè percepi, quam alia, quæ mihi verbis apertis dicebantur. Circa hanc veritatem maximas alias veritates intellexi, idque longè apertiùs, quam ſi multi magni Theologi id mihi declaraſſent. Qui ſanè mihi mundi huius vanitatem, nec tam intimè imprimere, nec tam manifeſtè declarare, vt mihi quidem apparet, potuiſſent. Oſtenſum mihi fuit, hanc quam dico, veritatem, ipſiſſimam in ſe veritatem eſſe, ac nec principium, nec finem habere, atque adeò omnes omnino veritates ab hac veritate dependere, vti cæteri omnes amores ab hoc amore, cæteræ magnitudines ab hac magnitudine dependent: eſto nimis quàm obſcurè loquar hîc reſpectu claritatis & perſpicacitatis illius qua illam mihi DOMINVS ſignificari dignatus eſt. Quam porro euidenter huius Maieſtatis poteſtas hic relucet, vtpotè quæ tam breui tempore tantum animæ lucrum adfert, taliaque ei & tam grandia relinquit impreſſa! O mea magnitudo & Maieſtas! quid agis, DOMINE mi Omnipotens! Reſpice, obſecro, in quam tam inſignes gratias conferas: an

Quod robur acceperit ad diuinam ſcripturã adimplendam.

Quantum in eo boni ſitum, vt omnia quæ ad Deum non ducũt, negligantur.

Quam S. M veritatem intellexerit.

ras.an non recordaris, animam hanc meam abyſſum fuiſſe mendaciorum,falſitatumque,& profundum quoddam vanitatum pelagus?idque meâ vnius culpâ & negligentiâ,nam,tametſi,te donante, natura mea ab omni mendacio ſit aliena, in multis tamen rebus mendax videri & comprobari volui. Quid hoc eſt,Domine? quomodo conſentaneum & par eſt, tantus vt fauor & gratia conferantur ei quæ id apud te tam parum promeruerit?

Cum quodam tempore vna cũ ſororibus diuino officio intereſſẽ, anima mea in momento intra ſe recolligebatur, vnde ipſa mihi tota pellucidi inſtar ſpeculi eſſe,atq; tã retro & ad latera,quàm ſupra & infra, clariſſimè refulgere videbatur;in illius autem centro Redemptor noſter Chriſtus Ieſus ea quâ mihi plerumq; conſpici ſolet formâ, ſpectandum ſe exhibebat. Videbar mihi illum in omnibus animæ meæ partibus,tanquam in ſpeculo,clariſſimè videre; hoc autem ſpeculum (quomodo tamen hoc fieret neſcio)etiam totum in eodem Redemptore exſculpebatur,idque amoroſiſſima quadam, quam exprimere non valerem,communione. Hoc ſcio, viſionem hanc mirum in modum mihi profuiſſe, quoties illam in memoriam reuocaui,ac præſertim poſtquam iam ſacrã Euchariſtiæ communionem accepiſſem. Indicatum porro mihi fuit,cum anima in letalis peccati ſtatu eſt,tunc ſpeculum hoc velut ſpiſſa quadam nebula inobſcurari,& valdè nigreſcere; adeò vt Dominus hic in eo nec repræſentari,nec videri valeat, tametſi ſemper præſens adſit, ipſum eſſe nobis dans:per hæreſes autem ſpeculum hoc velut frangi & comminui; quod peius longè eſt, quàm ipſum inobſcurari. Magnopere eſt inter videre, & dicere quomodo id fiat,differentia: difficillimum quippe hoc explicatu eſt. Sed commodo mihi fuit,vti & commiſerationi, conſiderare, quoties meis ego culpis animam obſcurarim, quo Dominum non viderem. Hæc porro viſio prodeſſe videtur ijs, qui mentem recollectam habent, vt in intimiſſimo animæ ſuæ penetrali Dominum intueri addiſcant: etenim conſideratio eſt, quæ maximè adhæret, & longè fructuoſior quam ipſum extra nos videre (ſicut aliàs docui) & apertè in libris quibuſdam ſpiritualibus, docentibus, vbi nam Deum quærere oporteat, traditur. Hac de re ſpecialiter tractat glorioſus Doctor Sanctus Auguſtinus,ſe nec in locis publicis, nec in recreationibus, nec alijs quibuſque rebus, in quibus Deum quærebat, ita commodè inuenire eum potuiſſe dicens,atque intra ſemetipſum. Et eſt certiſſimum,id longè optimum eſſe: etenim neceſſe non eſt,in cœlum quis conſcendat,aut vlterius,quam intra ipſum,tendat:nihil namque illud eſt aliud, quam ſpiritum ſuum defatigare,& animam diſtrahere; minorem quoque fructum adfert.

Videt animam ſpeculi inſtar reluscentem.

Quantum hæreſes ſpeculum animæ deſtruant.

Deus intra nos eſt.

Vnum

Vnum dumtaxat hic commonere volo, si fortasse id alicui contingat: subindè videlicet in magno raptu fieri, vt, postquam paruum illud tempus, quo anima in vnione illa est, quæ potentias illius absorptas tenet (quod satis parum, sicuti docui, durat) iam præterijt, anima adhuc ad seipsam introuersa & recollecta maneat, &, ne quidem in rebus exterioribus, ad seipsam redire non queat; sed duæ potentiæ, memoria nempe & intellectus interim propemodum insaniant ac desipiant. Hoc, inquam, interdum contingit, præsertim in principiis: forsitan id eo fit (vt quidem mihi persuadeo) quod tantam spiritus vim naturæ nostræ imbecillitas ferre non valeat, & imaginatio debilitetur & minuatur. Scio, id quibusdam vsu venire: vnde eis consulerem, vt orationem tum quidem intermittere procurent, &, quod modo in ea amittunt, alio tempore reciperent, at non consequenter, & continuâ serie: quod alioqui graue inde sequi damnum posset. Patet hoc experientiâ; simul etiam quam consultum sit colligere & considerare, quid valetudo nostra ferre queat. In omnibus namque opus est experientia & directore: nam animæ quæ eatenus peruenit, multa occurrunt, quæ eam necessario cum aliquo oporteat conferre: at si post seriam viri talis indagationem, eum non reperiat, DOMINVS sanè ipsam non destituet, cum etiam me, cum essem quæ eram, non destituerit: paucos enim esse credo, qui ad tam multarum rerum experientiam peruenerint, sine qua tamen, huiusmodi anima iuuari non poterit, sed ad inquietudinem, crucem, & afflictionem potius perducetur: Dominus tamen etiam hoc ei velut in solutionem acceptabit. ideoque consultius est, cum aliquo communicare, quod etiam alias dixisse me memini, vti & nunc dico, sed non bene quid dixerim recordor. Et video permagni referre, præsertim si mulieres sint, vt cum Confessario suo agant, & is talis sit, qualem descripsi. Et plures reperire mulieres est, quam viros, quibus hasce Dominus gratias impertit; quod tunc è F. Petro de Alcantara intellexi, tum etiam per me obseruaui: ille enim aiebat, mulieres ad in hac via progrediendum aptiores esse quam viros, & hoc ipsum multis præclaris rationibus quas hic minimè opus est referre, omnibus ad feminarum laudem spectantibus, confirmabat.

Quid faciendum cum intellectus & memoria officio suo non bene funguntur.

Quantum necesse sit habere aliquem qui cum communicetur maximè fœminas.

Quadam die mihi in oratione agenti, subito repræsentatum est, nulla specie vel imagine oblata (repræsentatio autem maxima cum claritate & splendore fiebat) quomodo vniuersa quæ sunt, in Deo videantur, & hæc omnia ipse in se contineat. Hoc non possem describere, animæ tamen meæ valdè impressum hæsit; & est hæc vna de magnis quas Dominus mihi præstitit, & ex iis quæ maiore me rubore suffu-

Omnia in Deo sunt.

derunt,

derunt, gratijs, cum peccatorum quæ alias patrasse me dixi, mihi in mentem venit. Credo equidem, si Domino placuisset, vt id viderent illi qui eum peccando offendunt, ipsis nec animum nec cor ad amplius peccandum fore. Dixi, id mihi sic visum esse, vt tamen affirmare non possim quid viderim: tametsi aliquid videri debeat, cum similitudine id aliqua possim declarare; at tam subtili & delicato modo id fit, vt intellectus id nequeat concipere; vel ipsa me in hisce visionibus, quæ imaginariæ esse non videntur, intelligere non possum. In nonnullis saltem illarum tale quid esse debere verisimile est, sed, quia potentiæ tunc in raptu occupantur, inde fit, vt hoc postea ita efformare & exprimere ea nesciant, sicut id Dominvs ibi repræsentat, & ipsos eo frui vult. Dicamus ergo, Deitatem adinstar rutilantissimi adamantis qui vniuerso terrarum orbe maior sit, aut speculi esse cui in præcedente visione animam dixi similem esse (præterquam quod tam sublimi & eminenti modo res fiat, vt nullis id possem verbis complecti) & quidquid demum agimus, in hoc adamante videri, cum vniuersa in se contineat; nihil quippe est, quod non intra hanc magnitudinem comprehensum sit. Mirabile sanè fuit, me, tantillo tempore, tam multa simul, in fulgido hoc adamante videre; nec non maximè deplorandum est, quotiescumque huius rei recordor, videre, quod in tanta clarissimi luminis puritate & nitore, tam fœda & abominabilia (talia namque peccata mea erant) repræsentarentur. Et sanè nescio, quomodo, quoties huius mihi rei in mentem venit, ferre queam: vnde tanto tunc rubore suffusa mansi, vt, quo me subducerem (vti mihi iam videtur) prorsus nescirem. Vtinam hoc persuadere & declarare possem ijs, qui inhonestissima & fœdissima scelera patrant, vt sic meminissent se nec esse occultos, & Devm merito ad iracundiam prouocare, cum in præsentia & velut in proximo, ipsius Maiestatis hæc committantur, nosque in eius conspectu & oculis tam inhonestè & irreuerenter geramus! Ibi præterea videbam, quam meritò, etiam ob vnum peccatum mortale, inferni supplicia promereantur: satis quippe intelligi nequit, quam illud in tantæ Maiestatis conspectu patrare, graue sit, & quantum, quæ huiusmodi sunt, ab eo quod ipse est, remota sint & distent. Vnde etiam infinitam eius misericordiam apertius colligere possumus, cum nos etiam hæc omnia scientes, tam benignè tolerer.

Merito peccatum mortale infernum meretur.

Si ergo tale quid hominem ita modò percellat & consternet, cogitare mecum cœpi, ecquid in die iudicij futurum sit, quando suam

Maiestas hæc nobis claritatem manifestè exhibebit, & nos nostra quæ admisimus, peccata clarissimè perspecturi sumus? Ah, quanta hæc cæcitas est, Domine, in qua tam diu hæsi! Sæpenumerò sanè mirata sum, & me percelluit id quod quoad hoc scripsi: sed R. V^a. aliud non miretur, quam, quomodo adhuc viuam, & hæc videns, & meipsam considerans. Sit ipse benedictus in æternum, qui tam diu me tolerauit.

Videt se cinctam Angelis.

Quadam die magna cum attentione, dulcedine, & quiete in oratione agens, ab Angelis mihi vndiquaque circumdata Deoque quam proxima esse videbar. Incipiebam ergo illius Maiestati pro Ecclesiæ incolumitate supplicare. Dicebatur porro mihi, qualem in nouissimis temporibus Ordo quidam Religiosus fructum esset facturus, & quo ardore & generositate eiusdem sectatores fidem propugnaturi.

Aliàs, cum coram Ven. Sacramento Altaris preces meas funderem, quidam Sanctus, cuius Ordo aliquatenus iam conciderat, mihi apparuit, manu librum præferens; quem ipse aperiens, aliqua me verba, literis magnis & valde legibilibus in eo exarata, legere iubebat; erant autem hæc: *Futuris temporibus hic Ordo florebit, & multos habebit Martyres.*

Alio die, dum Matutinarum horarum tempore in choro agerem, apparuere mihi coram me stantes, sex aut septem (tot enim mihi esse videbantur) eiusdem Ordinis viri, gladios manibus præferentes: quo signo designari existimo, illos fidem propugnaturos; cum enim alio tempore orationi instarem, rapta in spiritu me vasto quodam in campo putabam constitutam, in quo multos inuicem certantes & pugnantes vidi; qui autem huius, quem dico Ordinis erant, magna contentione & feruore præliabantur; facies autem eorum mirè radiabant, & velut flammis inardescebant, alios quidem ad terram prosternebant, alios necabant: hic porro conflictus contra hæreticos mihi iniri videbatur. Glorioſum hunc Sanctum adhuc aliquoties conspexi, qui quædam occulta mihi declarauit, & gratias pro ea quam pro Ordine eius fundo oratione egit, simul pollicitus se me Domino commendaturum. Ordinem porro hunc non nomino (si Dominus eum innotescere velit, ipsemet eum indicabit) ne reliquos Ordines offendam. Singuli autem Ordines eniti & procurari deberent (vti & singula eorum membra) vt Dominus, meritis ipsorum prouocatus, ipsorum Ordinem ita felicem redderet, vt in summa necessitate, in qua modo Ecclesia versatur, aliquam ipsi opem & operam præstare possent. Næ illæ vitæ felices forent, quæ hoc in opere ponerentur.

Cur Ordines de quibus loquitur non exprimat.

Quidam

Quidam me rogabat, vt Dominum orarem, vt illi declaratet, num placitum sibi rem facturus is esset, si Episcopatum assumeret. Ergo me à communione surgentem DOMINVS sic est allocutus : *Cum omni veritate & claritate intellexerit, id demum verum dominium esse, nihil omnino possidere, tunc demum eum poterit suscipere* : insinuans, eum qui ad Prælaturam eligitur, ipsum nec desiderare nec quærere, saltem non procurare debere.

Respondet Dominus rogatus, num expediret alicui ad Episcopatū promoueri.

Has aliasque plurimas gratias fecit, & etiamnum satis continuò facit, huic peccatrici, quas mihi opus non videtur hoc loco referre : cum ex ijs quæ hactenus dicta sunt, animæ meæ statu, & spiritus quem mihi Dominus dedit, satis superque intelligi queant : sit ipse in æternum benedictus, quod tantam mei curam gesserit.

Quodam tempore signanter mihi Dominus, magno me cum amore consolatus, ait ac monuit, ne me ipsa affligerem, quod hac in vita in eodem statu & esse semper manere non possimus; interdum quippe me feruentem, interdum tepidam fore; aliquando inquietam; aliquando quietam, mox iterum à tentationibus impetendam: at semper in ipso sperarem, nullatenus autem timerem.

Hac in vita nō semper in eodē statu esse possumus.

Cogitabam quadam vice apud memetipsam, an non immortificationem redoleret, quod libentissime apud illos, quibuscum de rebus ad animam spectantibus communico, esse vellem, & hos ipsos amore prosequerer; &, quod ex illorum, quos insignes Dei famulos esse noui, commercio & conuersatione voluptatem caperem. Respondebat mihi, virtutem non fore, si ægrotus iam ad extrema redactus diligere & gratias agere medico illi negligeret, à quo se sanitati restitutum iri credit. Cogitarem, quid factura fuissem, si huiusmodi viros non inuenissem? commercium bonorum non posse obesse, sed verba mea semper grauia ac sancta esse debere : denique semper cum talibus agere perseuerarem : maius quippe mihi inde compendium, quam dispendium secuturum. Permagnæ id mihi consolationi fuit : aliquando enim apud me decreueram non amplius cum ipsis communicare, id imperfectionem & immortificationem esse rata. Dominus itaque omnibus in rebus, quid facto opus esset, mihi consulebat, etiam in paruis, adeo vt etiam diceret, quomodo apud imbecilles & infirmos, & alios quosdam in particulari, me gerere deberem. Paucis vt complectar, semper mei curam gerit, subinde verò me ipsa torqueo & vexo, cum me tam parum in illius obsequio præstare video, quodque necessario tantum temporis impendere debeam corpori ita debili & misero, quale meum est, curando.

Bonorū cōsortium nō obest.

Quodam tempore in oratione agebam, tempusque cubitum concedendi instabat; eram autem plena doloribus, & ordinarius meus vomitus iam mihi vicinus erat: videns ergo ita me corpori meo alligatam & obnoxiam esse, & ex alia parte spiritum etiam sibi tempus deposcere, vsque adeò introrsum angustiabar, vt amarè flere, meque grauiter affligere inciperem (& non est hoc vnius vel alterius diei, sed, vt dixi, frequens admodum) adeò vt mihimet esse grauis & iratsci viderer, itaque comparata, vt, tum quidem mihimetipsi abominabilis essem; sed ordinariè ita me constitutam scio, vt me nec abhorream, nec accipere negligam id quod mihi opus esse sciam. Det autem Deus, vt non plura sæpius accipiam, quam mihi necessarium sit; sed id me facere verisimile est. Hac ergo in afflictione constitutæ apparuit mihi Dominus, meque mirificè est consolatus, monens vt hæc eius causâ facerem & paterer; vitam namque meam in hoc rerum statu necessariam esse. Vnde ex quo tempore firmiter apud me constitui ex totis viribus meis, huic Domino & consolatori meo seruire, nullam mihi iam molestiam & pressuram sentire videor: nam quamuis me nonnihil mœroris & malorum subire pateretur, ita me tamen consolabatur, vt labores & aduersa identidem desiderarem: itaque modò comparata sum, vt ad aliud me viuere debere non existimem, quam vt aduersi quid patiar, & hoc est quod ex totis viscenibus meis maximè à Deo aflagito. Vnde subinde ex toto corde meo ad Dominum dico: *Aut mori, Domine, aut pati: aliud mihi dari à te nolo.* simul etiam dum horæ signum dari audio, præ gaudio gestio, quod paulò reddita Deo vicinior ad eum videndum, horâ illâ vitæ meæ elapsâ videar.

Voluit Deus gratias ei factas innotescere.

Aliàs ita comparata sum, vt nec vllum vitæ meæ sensum, nec moriendi desiderium (vt mihi quidem videtur) habeam, sed me torpore & caligine in omnibus rebus obingentes, quas sæpe (vti dixi) patior, afflictiones, obsessam comperiam. Et quamuis Domino visum, vt hæ gratiæ quas illius Maiestas mihi identidem confert, in lucem prodierint (vt & eas prodituras esse ipse mihi iam ab hinc annis aliquot prædixerat; quod mirè me afflixit, vti etiam exinde non parum, prout Reuer. Vestra conscia est, omnimodis exagitata fui; quisque enim pro eo ac vult eas interpretatur) hoc tamen mihi consolationi fuit, quod rei huius si quæ sit culpa, mihi non sit asscribenda, vt quæ sempet sedulò caui, & omnem quam potui, operam dedi, ne cui illas præterquam Confessoribus meis, aut ijs, quos ex illis easdem intellexisse nossem, aperirem, idque non ex humilitate, sed quod permolestum mihi esset, etiam Confessarijs meis (vti iam aliàs dixi) illas patefacere. Quanquam eo iam res deuenit (Deo laus) vt nulla iam ampliùs obloquia hominum curem, esto quamplurimi, & quidem magno cum zelo & studio, aduersum me murmurent; alij vero mecum

cum conferre, quin etiam confessionem meam excipere, vereantur; alij denique mirabilia quædam mihi dicant; cum (sicut intellexi) multas hac viâ animas Deus in viam salutis reuocare voluerit: manifestè enim vidi, simul etiam memini, quantum vel pro vna dumtaxat anima Dominus laborum subijsset. Nescio certè, an rei huius ex parte causa sit, quod me Maiestas eius in hunc adeò arctum angellum, & in quo nullam amplius mei, velut rei emortuæ, memoriam fore putabam, compegerit: at tanta mei non fuit obliuio, quantam quidem voluissem; cogor enim necessario cum quibusdam hominibus agere: sed, quia adhuc sum, vbi adhuc video, hinc in talem me Dominus portum compellere voluisse videtur, in quo (quæ eius misericordia) tutam me futuram spero, eò quod iam extra mundum sim, & in paruo & sancto contubernio agam. Equidem velut desursum, infernè despicio, &, quidquid alij dicant aut sciant, hilum non facio: pluris sanè facerem, si aliqua anima vel paulò amplius in virtutum & perfectionis via proficeret, quàm quodcumque demum dici de me potest: &, ex quo tempore hic ago, placuit Domino, vt omnia mea desideria hac in re terminarentur. Imò verò mihi quasi vigilantem quendam somnum in hac vita concessit: nam quidquid video, semper velut somniare videor, nec vllam magnam aut notabilem recreationem afflictionemue in me sentio: si qua verò sint, quæ hanc in me causentur, ea ipsa tam citò præterit, vt non possim non admirari, nec alium ea in me sensum operatur, quam res aliqua quam somnio. Quod autem dico, verissimum est: nam tametsi postea aut ob illam voluptatem lætari, aut ob illam afflictionem contristari volo, nullatenus tamen id in mea potestate est, perinde ac viro cordato & graui impossibile esset, dolorem aut gloriam aliquam capere ex eo quod in somnis somniasset: Dominus quippe animam meam iam expergefecit ab eo quod antea me, quod rebus mundanis nondum mortua, aut mortificata essem, sensum habere & sentire faciebat; non cupit autem Maiestas eius, denuo vt cæcutiat.

Multis per eas animabus prodesse voluit.

Quale ei Dominus somnium daret.

Hoc modo iam viuo, Reuer. Dom. & Pater. Deum ergo supplicitèr roga, alterutrum mihi vt concedat, videlicet vel vt me ad se ex hac vita tollat, vel aliquam sibi seruiendi rationem & modum suggerat. Hoc mihi Maiestas eius concedere dignetur. Vtinam vero quod hîc scripsi, aliquem R. Vestræ fructum adferat, quod sanè non sine magno labore scriptum est, eò quod temporis laborarim angustia. Nihilominus nimis quam felix labor hic meus futurus esset, si quid ita scripserim, aut dixerim, vt Dominus propterea vel semel ab aliquo laudetur: hoc quippe si fieret, mihi quam abundantissimè satisfactum putarem, esto Reu. Vestra omnia quæ scripta sunt, quam primum flammis traderet. Ea tamen non ante igni vellem traderes, quam tres illi viri, quod R. V. nouit, ea legissent,

Conclusio libri.

sent, cum fuerint, & etiamnum modò sint, Confessarij mei. Si enim nullius momenti hæc sint, æquum est bonam illam quam de me habent, opinionem deponere; sin momenti alicuius, si modò sint probi & docti, facile eos vituros scio, vndenam ea veniant, & laudaturos illum, qui per me illa dixit. Tuam illius Maiestas Reuerentiam semper tueatur, itaque sanctam faciat, vt per Spiritum & lumen tuam miseram hanc creaturam, tam parum humilem, & valdè præsumptuosam, vtpote quæ tam sublimia describere præsumpserim, cum propositum & intentio mea sit, non errare, sed obedire, & vt mediante me Dominus aliqua ex parte laudetur (hoc quippe est, quod iam abhinc annis multis illum rogaui) & quia ad hoc ipsa me desticuant opera, hinc causa sum inordinatam hanc vitam meam scripto digerere: quanquam non plus ad hoc diligentiæ & temporis impenderim, quam quantum, ad eam scribendā, me impendere oportuit; sed quam potui simplicissimè & verissimè dicendo quidquid circa & in me factum est. Det Dominus, quoniam & potens est, &, si modò velit, valet, vt in omnibus sanctam ipsius voluntatem adimplere nouerim; & animam illam, quam tot artibus & modis, actoties maiestas ipsius inferno eripuit, sibique vindicauit, perire non sinat. Amen.

Qua ei⁹ fuerit intentio scribendi vitam suam.

SPIRITVS SANCTVS SIT CVM REV. V.ra semper. Amen.

NON abs re foret, si, quem in hoc scriptionis officio laborem suscepi, verbis apud Reu. Vestram exaggerarem, vt hac te ratione obstringerem. Et meritò sanè hoc facere possem: cum vita hæc mei delineatio & descriptio, ac tot miseriarum mearum in memoriam reuocatio, mihi perdifficilis fuerit, & multarum pressurarum occasio. Quanquam (vt ingenuè confitear) longè mihi fuerit grauius, gratias quas à Domino recepi, quam quas aduersus illius Maiestatem admisi offensas describere. Feci, quod R. Vestra inuenxit, scilicet quod hac conditione me in scribendo diffuderim, vt tu vicissim à parte tua præstes, quod mihi spopondisti, laceres, inquam, quod tibi displicebit. Nondum totum quod scripseram relegeram, cum id R. V. sibi mitti postulauit. Occurrent hic fortassis quædam non satis declarata, alia etiam bis posita: tempus enim quod habui, ita breue & angustū fuit, vt scripta relegere ac reuidere non potuerim. Rogo R. V.ⁿ, illa emendet & corrigat, simul & transcribi iubeat, si ad R. P. M. Auilam ea mittēda sint: aliquis namq; manum meam & characterem agnoscet. Vellem sanè omnimodis hæc ipse videret, cum hac intentione primùm ea scribere cœperim. Permagnæ quippe mihi consolationi futurum est, si ipse me bonam ambulare viam iudicarit, cum aliud mihi iam faciendum non supersit, quantum in me, R. Vestra in omnibus faciat, prout ipsi expedire videbitur, & obligatam se norit ei, quæ animam suam ipsi tot aliter concedit. Tuam autem, quoad

quoad viuam, Domino idem commendabo: quare illius Maiestati quantocyus seruire conare, quo mihi auxilio esse possis. Ex ijs ergo quæ his refero, facili negotio R. V. aduertet, quam suam quis laudabiliter & bene operam impendat, cum se (vti R. V. iam capit) totum offert ei, qui ita sine mensura ac modo se nobis dat: sit ipse in æternum benedictus, spero nanq; nos (quæ eius misericordia) simul futuros, vbi R. Vestra, & ego clarius magnas illas, quas fecit nobiscum gratias, visuri, eumq; in perpetuas æternitates laudaturi simus. Amen.

FINIS.

Liber hic absolutus est anno Dom. M. D. LXII. mense Iunio, videlicet cum illum primùm sine vlla capitum distinctione conscripsit. Nam exinde ipsum denuò rescribens, per capita distinxit, multaque quæ post primam scriptionem contigerunt, vti est monasterii S. Iosephi de Auila fundatio, in secunda adiunxit.

MAGISTER F. LVISIVS LEGIONENSIS Lectori Salutem.

VNA cum libri huius antographo venerunt ad manus meas schedæ quædam ipsius S. Matris Teresæ de Iesu manu exaratæ; in quas vel ad memoriæ propriæ vsum, vel vt omnia ad Confessarios suos referret, aliæ quædam quæ Deus ei dixerat, nec non gratias quas ab ipso acceperat, præter eas quæ hocce libro continentur, retulerat: quæ mihi prioribus illis visum est adiungere, quod ad animarum ædificationem non mediocriter facere videantur. Vnde etiam eas ad litteram, & prout à S. Matre scriptæ sunt, huc adfero. Ita autem ait:

QVADAM die Dominus mihi ait: Putasne, filia, meritum in fruitione & gaudio situm esse? minimè: nam nonnisi in operando, patiendo & amando situm est. Non audisti Apostolum Paulum amplius quam semel gaudio cœlesti fruitum, at sæpius passum esse: vitá quoque meam passione plenam fuisse vides, & nonnisi semel, in monte Thabor,

Thabor, in gaudio me fuisse audis. Noli putare, cum matrem meam, me suis in vlnis continentem vides, illam sine magna amaritudine, & tormento illo gaudio fruitam fuisse; iam inde enim ab eo tempore, quo Simeon illam doloris gladio transfigendam dixit, clarum ei Pater meus lumen infudit, quo illustrata videret, quid mihi patiendum esset. Egregij quoque Sancti, qui in deserto vixerunt, quoniam à Deo dirigebantur & impellebantur, hinc magnis sese affligebant austeritatibus, graue adhæc tum à Dæmone, tum à semetipsis certamen patiebantur; propterea in his omnibus, longo tempore, omni consolatione spirituali destituti erant. Hoc ergo velut certum crede, filia; quē Pater meus maximè diligit, huic plus laborum & afflictionum submittere; & labori amorem conformem esse. Quanam in re melius tibi illum possum ostendere, quam hoc ipsum tibi volendo, quod volui mihimetipsi? Intuere hæc vulnera; nam horum doloribus nunquam dolores tui pares erunt. Hæc est via veritatis. Hæc igitur cum audias, ipsa me in hominum mundanorum perditione & iactura deploranda adiuuabis; vtpote quorum omne studium, desiderium, cura & cogitatio in ijs, quæ hisce contraria sunt, conferendis impēditur. Cum ergo me illa die orationi dare cæpissem, ita caput mihi doluit, vt impossibile mihi videretur, orationem tenere. Tum ait mihi Dominus: Hinc passionis & afflictionis mercedem colliges: quod enim inepta & indispositа esses, ad mecum loquendum, hinc ego tecum locutus sum, teque consolatus. Et sanè, penè sesquihoræ spatio in recollectione mentis fui, & interim illa quæ dixi verba nec non reliqua omnia mihi dixit. Nihil penitus hic distracta fui, & nesciebam vbinam essem; sed tantam in me voluptatem & gaudium sensi, vt eam eloqui non possem, & iam ipsa capitis grauedo (quod sanè mirabar) abierat, sed contra ardens quoddam patiendi mihi mansit desiderium. Monebat insuper sæpiùs vt verborum illorum, quæ suis olim Apostolis edixerat, recordarer, videlicet non debere seruum maiorem esse Domino suo.

Qua via veritatis.

Premium passionis.

Quadam Dominica Palmarum, statim à communione percepta, ita in spiritu rapta fui, vt ne sacram hostiam quidem deglutire possem: sed, cum eam adhuc linguâ continerem, & iam nonnihil mihi reddita essem, verè mihi videbar os sanguine repletum habere, nec non faciem; quin & totum corpus meum eo penitus perfusum videbatur; & is adhuc calescere, tanquam si eum Dominus recenter effudisset: quam autem tunc sentiebam, dulcedo nimis quam magna erat: & ait Dominus ad me: Volo, filia, sanguinem meum tibi prodesse, & noli timere ne mea tibi defutura sit misericordia: hunc ego tanto cum dolore effudi, & tu tanto cum gaudio, vti vides, eo frueris. Voluptatem quam mihi hoc die attulisti, nimis quam satis tibi rependo. Hoc dicebat, quia iam plus quam à triginta annis, con-

Os illius in communione plenum fuit sanguine.

nis, consuetudinem habeo hoc die, si quo modo possim, sacræ communionis adeundæ, & animam pro modulo meo ad Dominum hospitio recipiendum disponendi: semper enim nimis quam magna mihi visa sunt inhumanitas & immanitas, quam erga ipsum tunc Iudæi ostenderunt, quod, postquam eum tam honorificè in vrbem introduxissent, tam procul ab ea foris cænatum abire sinerent. ego autem fingebam, illum apud me diuersari & manere; sed erat id, vt quidem video, satis incommodum diuersorium. Itaque stupidissimas quasdam & simplices considerationum imagines mihi fingebam; eas tamen Dominus admittere in bonum voluisse videtur: hæc quippe vna de visionibus est, quas vt certissimas habeo; itaq; mirè mihi ad communionem sumendam profuit.

Quodam in libro legeram, imperfectionem quamdam esse, prætiosas & ornatas habere imagines; vnde quamdam talem, quam in cella habebam, à me abdicare cupiebam. Quin etiam antequam in libro illo legissem, paupertati mihi conforme & conueniens videbatur, non alias, quã chartaceas, imagines habere; &, postquam id iam legeram, alterius generis eas habere planè noluissem. Sed dixit mihi Dominus, quomodo referam, idq; cum minimè de eo cogitarem; nimirum non esse eam, bonam mortificationem; & vtram censerem meliorem, paupertatem an dilectionem? itaq; cum amor longè sit melior, nequaquam omne id quod me ad eum excitare posset, relinquendum aut fororibus meis auferendum videri; librum verò non de ipsis imaginibus, sed de nimio ac superfluo illarum ornatu ac pretiositate loqui. Atque hoc esse, quod cum hæreticis diabolus facit, quod videlicet omnia ipsis eripiat media, quibus ad rectè de Deo sentiendum possent excitari, atque ideo eos pessum ire & perire. fideles autem meos, filia, hoc tempore magis quam vllo alio contraria ijs, quæ ipsi faciunt, facere oportet.

Quam sit bonum habere imagines: sed tollenda curiositas.

Cum quodam tempore mecum perpenderem, quanto maiore cum puritate viuamus tum, cum nullis distinemur negotijs, & quantis ipsa scatere deberem imperfectionibus, ac quoties labi, cum iis me implico; Dominum mihi dicentem audiui: Non potest esse minus, filia; vnde da operam, vt in omnibus bonam habeas intentionem & denudationem, ac respice me, vt, quæ tute facis, conformia esse possint ijs quæ ego feci.

Negotia sunt distractionis causa.

Cogitans apud memetipsam, quid causa esse posset, quod iam penè nunquam publicè in extasin sublime raperer, eum mihi dicentem audiri: Iam id non conuenit, satis quippe iam auctoritatis habes ad id, ad quod te destino: ad imbecillitatem malitiosorum hominum respicimus.

Cur iam publicè in extasin non raperetur.

Quadam die anxiè solicita & dubitans cum essem: num in Dei gratia existerem, nec ne: dicebat mihi: Magna est, filia, inter lumen & tene-

bras differentia: ego ſum fidelis &, nemo peribit, quin hoc intellecturus ſit. ille ſeipſum decipiet, qui per ſpirituales dulcedines ſibi ſecuritatem ſpondebit: etenim vera ſecuritas eſt, bonæ conſcientiæ teſtimonium. Nemo autem putet, ſe ſeipſo in lumine permanere poſſe: perinde ac efficere non poteſt, vt nox naturalis non adueniat. hoc namq; à mea gratia dependet. Optima autem ad lumen retinendũ ratio eſt, ſi anima nihil ex ſeipſa poſſe, omnia autem à me ſibi prouenire, intelligat. nam, eſto quidẽ modo in lumine ſit, in momento tamen, quo me ab ipſa ſubduco, nox illi ſuperingruet. Hæc vera eſt humilitas, vt nimirum intelligat anima, quid ipſa poſſit, & quid ego. Quæ ego tibi trado documenta, noli negligere in ſcripta referre, ne quando eorum obliuiſcaris, cum quæ tibi homines dant, monita etiam ſcripto committere velis.

Quæ vera ſit humilitas.

In vigilia feſti S. Sebaſtiani, in primo anno quo ad Incarnationis monaſterium veni, cum iam inciperent, *Salue Regina*, Deiparam matrem, magna Angelorum multitudine ſtipatam, verſus Prioriſſæ ſedile, cui B. Virginis imago ſuperpoſita eſt, vidi deſcendentem; & in eo ipſa ſedere videbatur. Tum porro imaginem nullam videbam, ſed ipſam, eius loco, B. Virginem; quæ imagini, quam Comitiſſa aliàs mihi dederat, aliquo modo videbatur eſſe ſimilis; eſto id ego, nonniſi quam celerrimè, poſſem agnoſcere, quòd ſtatim ſublimis à terra ſuſtollerer. Multos autem ſupra ſedilium coronices & reclinatoria, videre mihi videbar Angelos, tametſi non in corporea ſpecie; erat enim intellectualis viſio. Atque hoc in ſtatu manſi, quoadusque Laudes finirentur: illa autem dicebat mihi: Optimè feciſti quod hoc in loco me collocaſti: nam Laudibus quæ filio meo hic cantabuntur, interero, eaſque illi repræſentabo.

B. Virgo ſibi fieri putat, quod eius imagini fit.

Cum ſe Confeſſarius meus quadam veſpera magna cum feſtinatione aliorum, à quibus premebatur, negotiorum cauſa euocatus, à me ſubduxiſſet, aliquantulum temporis in dolore & preſſura hæſi: & quod nulli prorſus terrenæ creaturæ affectu mihi videar adhærere, hinc augere me mea cæpit conſcientia, ne hãc forte libertatẽ iam amittere incepiſſem. Contigerat hoc veſperi; poſtridie autem mane, ſuper hac re Dominus mihi reſpondens ait, ne mirarer: ſicut enim mortales aliquã ſuorũ ſocietatem & contubernia ambiunt, vt voluptates ſuas ſenſuales cũ ipſis cõmunicent, ſic etiam anima gaudia & dolores quos habet cõmunicare geſtit, ſi quando aliquẽ horũ intelligentẽ reperit, contriſtatur autem cũ neminem, quorum communicet inuenit. Quod autem aliquantiſper Dominus apud me hæreret, venit mihi in mentem, aliquando me Confeſſario meo dixiſſe, haſce viſiones quantocyus præterire: Dicebat autem Dominus, inter huiuſmodi viſiones & imaginarias diſcrimen eſſe, nec poſſe in gratijs, quas nobis ipſe facit, certam aliquam dari regulam,

Anima gaudia & dolores ſuos cum aliquo communicare geſtit.

par

par enim & expediens esse, vt modò huius, aliàs alterius generis essent.

Quadam die, post communionem perceptam, apertissimè vidi, Dominum se ad latus meum collocare, qui me quam suauissimè cœpit consolari, inter alia dicens: *Viden' me hic, filia, quod ego sim: profer manus tuas.* Has autem ipse accipere & ad latus suum applicare videbatur, dicens: *Vide mea vulnera, non es sine me: perage breuem vitæ huius cursum.* Porro ex aliquibus rebus quas dixit, facile intellexi, illum, postquam in cælos iam ascendit, nunquam amplius in terram descendisse, vt cum aliquo communicaret, quam in SS. Altaris Sacramento. Addebat, se statim à resurrectione sanctissimam matrem suam adijsse, quod iam in magna necessitate esset; adeò autem doloris gladius animam eius transfixerat, vt statim ad se ipsa redire non posset, ad gaudio hoc fruendum, seque diu apud illam fuisse, quod id maximè necessarium esset.

Non hic dicit S. Mater (vti eam intellexerit nonnulli, sed errantes) quod Christi humanitas hîc cœlo descenderit ad cum illa loquendũ, quod iam inde ab ascensione nulli hactenus hãc gratiam fecit. Nam vti hinc videre & colligere est, recentèr tunc à Sacra Cõmunione S. M. veniebat, vnde in ipsis SS. Sacramenti speciebus Christum intra se & suam in multis non quod viderens

Mane quodam mihi in oratione agenti magnus incidit raptus, videbaturque Dominus spiritum meum sublatum, iuxta Patrem suum cælestem collocare, eique dicere: *Quam tu mihi dedisti, illam tibi ego reddo*; videbaturque ipse me ad se attrahere. Non est hoc imaginarium quid, sed sed magna cum certitudine & tam spirituali cum subtilitate fit, vt nõ facile declarari possit. Quædã mihi verba dicebat, quorum non satis iã memini; quædam erant de gratijs, quas mihi facturus erat. Ad aliquod porro temporis spatium me apud se detinuit.

Cum secunda quadragesimæ feria in monasterio S. Iosephi Malagonensi à sacra communione surgerem, Saluator noster Iesus in imaginaria quadam visione (prout solebat) mihi apparuit: cumque illum aspicerem, vidi, illum loco coronæ spineæ, magni luminis coronam circum totum caput habuisse; eodẽ hauddubiè in loco, in quo fuerat à spinea vulneratus. Et quia mirè erga mysterium coronationis Domini afficior & feror, hinc magnę hoc mihi fuit consolationi; & cogitare mecum cœpi, quã graue hoc illi tormentum fuerit oportet, quod tot illi vulnera simul intulit; & cœpi contristari. sed mox Dominus mihi ait, nullatenus ei ob hæc vulnera, sed ob alia plurima, quæ sibi modo inferebantur, comparerer. Petebam ergo, ecquod his adferre remedium possem: esse enim me ad omnia paratam. Aiebat, non esse iam quiescendi tempus, sed hæcce monasteria, quam possem celerrimè, perficere contenderem: quod in moniа-

secum habebat, qui ipsa quæ hic dicit, ei significabat. Ex eo etiam quod Christum, post cœlos ascensionem non amplius in terram descendisse dicat, multò minus efficitur illum seruis suis se visibilẽ non exhibuisse, & cum illis sermonẽ non miscuisse sed id ita intelligendũ, ipsemet cœlo descenderit sed intellectus & animas illorum ad sese sustulerit, quò ipsum & audirent, quemadmodum de S. Stephano & S. Paulo in Act. Apost. legimus.

lium animabus ibi vellet quiescere; quare omnes, quæ sese mihi præsentarēt, admitterem. plurimas namq; esse, quæ sibi non seruirent, quod locum non inuenirent. volebatque monasteria, quæ paruis in opidis constructura essem, paria esse huic: quod in illis æquè multū possent, habito idem quod in alijs fit, faciendi desiderio, promereri. Adhæc operam darē, vt omnia vnius Superioris regimini subderentur; ac ne pax interior, ob ea quæ ad corporalem necessitatem, spectāt, vllatenus violaretur; etenim se facturum, nihil nobis vt ad victum necessarium deesset: singularem verò ægrotantium curam haberem; Superiorem quippe quæ ægram aliquam deserit, & delicatius non habet, similem esse amicis Iob: se namque ad animarū ipsarum commodum ipsas percutere, & illos patientiam ipsarum in discrimen adducere. Mandabat adhæc, vt horū monasteriorum fundationem describerem. Ego vero cogitare mecum cœpi, quonā modo: de Medinensis enim Conuentus fundatione nihil me intellexisse, quod scriptione dignū foret. Vnde mihi respondit Dominus: Quid amplius videre vellē, cum fundatio illius miraculosa fuisset? quasi vellet dicere, se solum illam perfecisse, quod illius peragēdæ medium nullum esse videretur, itaque quod mihi mandabat, executioni mandare decreui.

Fundationes domorū Ordinis eius miraculosæ.

Tertia septimanæ post ascensionem Domini in cælum proximæ feria, cum post communionem acceptam, aliquantulum temporis in oratione mea desolata fuissem & afflicta, quod ita distraherer, certę vt rei inhærere non possem; de misera natura apud Dominum conqueſta sum. Anima autem mea mox accendi & inflammari cœpit: totam namq; mihi sanctissimam Trinitatem coram me præsentem cernere videbar, idque in intellectuali quadam visione; adeò vt anima mea certo quodā repræsentationis modo, quasi per quamdam veritatis figuram (quo mea id stupiditas melius intelligeret) apertè intellexerit, quomodo Deus simul trinus sit & vnus: vnde etiā mihi videbatur, quod omnes tres personæ me alloquerentur, quæ se in anima mea distinctè repræsentabant; dicētes, me ab hac die tribus in rebus in meipsa emendationem percepturā (quod harū personarū singulæ aliquā mihi gratiā facerent) videlicet in amore, in patiendo gaudenter & exultanter, deniq; in amorem hunc cum quadām in anima mea inflāmatione sentiendo. simul etiam intelligentiā illōrū accepi verborū, quibus Dñs tres personas in illa ꝓmittit anima futuras, quæ in Statu gratiæ est. Cum autem deinde, ob tam singulare donum, gratias Domino agerem, & hoc ipso me indignam reputarem, magno cum affectu & sensu Maiestatem illius alloquens, dixi, Cur, cum tam magna mecum vti vellet misericordia, me ita dimisisset, vt ad tantam nequitiam prolaberer (pridie namque mirè me ob peccata mea afflixeram, eadem mihi ab oculos ponens) vnde manifeste intelligebam ac videbam, quantum

In SS Trinitatis cōspectū producta fuit.

tum Dominus à parte sua, iam inde à prima mea pueritia, fecisset, vt efficacissimis medijs me ad se pertraheret, & quam illa omnia parum mihi profuissent. Vnde immensum Domini, quem nobis in his omnibus admittendis, cum ad ipsum iam conuerti volumus, ac mihi magis, quam vlli alij (idque ob varias causas) declarat, amorem facilè perspexi. Videntur porro mihi tres illæ personæ quas vidi, quæ nonnisi vnus sunt Deus, ita animæ meæ impressæ mansisse, vt me tam diuino consortio, siquidem id diutius durasset, non vnitam manere, impossibile fuisset.

Videt columbam cum Sacrã Communionem adit.

Alio tempore, paulò antequam illud quod iam dixi, cõtingeret, Sacram iam Communionem aditura, priùs quàm hostiam quæ adhuc ciborio continebatur, susciperem, vidi velut columbam, quæ alas suas cum strepitu quodam adinuicem concuteret: quod me visum ita perterruit & suspendit, vt magnam mihimet ipsi vim ad Ven. Sacramentum suscipiendum facere oportuerit.

Omnia hæc in S. Iosephi templo facta sunt Abulæ, in quo etiã olim hæc mihi verba dicta sunt: Tempus veniet, cum ist hoc in templo multa miracula contingent, vnde ipsum, templum Sanctum appellabitur. Illud ego in templo Sancti Iosephi Abulæ intellexi, anno Domini M.D.LXI.

Plus proficitur voluntatem Dei faciẽdo, quam semper fruendo Deo.

Cum aliquando apud me cogitarem, an non meritò vereque me culparent, quibus displicebat, quod foras ad alia fundanda monasteria concederem, vt quibus satius videbatur, vt semper & continuò orationi insisterem; dici mihi cœlitus audiui: Quam diu vita hæc trahitur, lucrum non tam situm in eo, quod quis me frui omnimodis conniteatur, quam in voluntate mea facienda. Quod autem S. Paulus de recluſione mulierum agat (hoc quippe non ita pridem mihi dictum est, & etiam alias id inaudieram) videbatur mihi, Dominum fortasse velle, vt & ego in claustro meo manerem: sed ipse mihi dixit: Dic illis, non secundum vnam S. Scripturæ partẽ ipsos debere procedere, sed etiam alias intueri. & pete, num manus mihi vincire velint?

Cum quadam post Octauam Visitationis B. Mariæ die, in aliqua montis Carmeli cellula pro fratre meo Dominum rogarem, ei (an sola cogitatione, nescio) dicere memini: quare frater meus tali in loco est, in quo ei salutis amittẽdæ discrimen impẽdet? si quem tuorũ, Dñe, fratrum tali in periculo constitutum cernerem, quid non ad illum eo eripiẽdum facerem? nihil, quod quidem in potestate mea fuisset facere, illius causa omissura fuisse videbar. Tum Dominus ad me: sorores Incarnationis, ô filia, filia, meæ sorores sunt: & tu quiescis? sume igitur animum, cõfidera me id cupere; non est tam graue quam ipsa putas. Et quod in causa

futurum esse credis, vt aliæ domus iactutam faciãt, inde tam huic quam illi lucrum accedet. Noli hoc impedire; nam ingens mea est potentia.

Consideranti mihi, & mente agitanti, austeritatem & pœnitentiã, quam spiritualis quædam mulier agebat; & quod ego, pro desiderijs quæ mihi illius agendæ Dominus aliquando dederat, maiorem facere potuissem, nisi, quo Confessarijs meis obedirem, eam cogitationem deposuissem; ac num satius esset in posterum, illis eam dissuadentibus, non parêre; respondit Dominus: Nequaquam, filia, per bonam & securam viam ambulas. Videsne omnem illius personæ pœnitentiam? equidem tuam obedientiam pluris facio.

Obedientiæ meritum

Quodam tempore in oratione agenti mihi, Dominus per modum intellectualis visionis ostendit, quis animæ in gratia constitutæ sit status, apud quam, & cum qua, per oculos intellectus, SS. Trinitatem agere vidi: cuius è contubernio quandam anima illa potestatem accipiebat, quæ ei in mundum vniuersum ius ac dominium dabat. Ipsi quoque intellexi sensum illorum verborum Cantici Canticorum, *Dilectus meus descendit in hortum suum.* Ostendebatur mihi quoque, quis animæ in peccato mortali agentis esset status; vtpote, quæ sine vllo robore & potentia est, & adinstar hominis vndique vincti, constricti, & oculos velati, qui, esto velit, vi-

Anima in peccato mortali agentis quis status & impotẽtia.

dere nequit, vti nec incedere, nec audire, & in densa agit caligine. Ita porro huiusmodi animabus compatiebar, nullus vt labor, quantumuis magnus, mihi non videatur quam leuissimus, ad vel vnam liberandam. Videbatur mihi impossibile, aliquem ita hoc videntem, vt id ego vidi (quod expositu perdifficile est) aut tantum velle bonum amittere, aut in tanto malo agere.

Cum in Incarnationis monasterio agerem, in secũdo Prioratus mei anno, in octaua festi S. Martini, & iam iam sacram communionem perceptura essem, F. P. Ioannes à Cruce sacram hostiam in duas partes, quarum vna mihi, altera alteri sorori cederet, diuisit. Equidem id illum, non tam quod hostiæ deficerent, quam vt me mortificaret facere putabam, quod me libenter magnas in Sacra Communione hostias accipere illi dixissem, esto scirem id nihil referre, & propterea non minus DOMINVM integrum & totum illic adesse, tametsi particula etiam minima & minutissima sit. Dixit autem mihi Maiestas eius: Noli timere, filia, vt te aliquis à me possit separare; indicans, nullius id momenti ac ponderis esse. Actum quidem imaginatiua quadam visione mihi se, vti & aliàs facere solitus erat, valdè intimè, spectandum dedit, ac dexteram suam mihi porrigens, ait: *Aspice clauum hunc, in signum quod ab hac die sponsa mea futura es: hactenus id non merueras; post hac vero honoris mei curam geres, non solum tanquam Creatoris, Regis ac Dei tui, sed & vera & germana sponsa mea:*

Dominus eã in sponsã adoptat.

honor

honor meus iam est tuus & tuus meus. Hæc gratia tales in me fecit effectus, vt illam vix caperem & velut mentis impos manerem, diceremque ad Dominum, vt vel meam abiectionem ac vilitatem propalaret, aut talē gratiam mihi non concederet: putabam namq; naturam meam illi ferendæ imparem esse. Vnde tota die ab ea velut imbibita & valdè absorpta mansi. Magnum inde postea fructum sensi, nec non maiorem mei confusionem, & animi dolorem, ex eo quod nihil tantis gratijs donisque dignum me facere viderem.

Cum in Toletano monasterio agerem, ac nonnulli mihi consulerent, ne quem, nisi nobilem, in eius templo sepeliri sinerem, ait mihi Dominus: Grauiter, ecce errabis filia, si mundi sequi leges velis: oculis in me qui pauper sum, & quem mundus contempsit, conijce. putasne mundi huius magnates etiam apud me magnos fore? vtrum vos illustres aut magnificas faciet prosapia, an virtus?

Quadam die ait mihi Dominus: semper afflictiones ambis; & cum iam ingruunt, repelliere eas satagis: ita res dispono prout te velle scio, non prout sensualitas & imbecillitas tua vult. Sume igitur animum, cum, quātum te adiuuem videas: hanc te coronam lucrari volui: Matris meæ Ordinem in vita & diebus tuis mirè propagatum ac multiplicatum videbis. Hæc mihi Dominus medio mense Februario, anno Christi M. D. LXXI. indicauit.

Cum pridie Pentecostes, in S. Iosephi domo Abulæ in eremitorio Nazaret, agerem, & insignem quandam gratiam, quam illo die, ab hinc viginti circiter plus minus annis, Dominus mihi præstiterat, in memoriā reuocarem, ingens quidam impetus & feruor spiritus subitò me occupauit, meque sublatam à terra suspendit. In magna illa recollectione, dixit mihi Dominus id quod modò referam; nimirum Patribus illis Discalceatis, ipsius nomine, denuntiarem, quatuor vt res obseruare satagerent: quam diu enim illas obseruarent, fore vt hæc Religio quotidie magis & magis cresceret; at si illas negligerent, à suo nossent principio declinare & fundamento. Prima erat, vt capita & superiores inter se consentirent. Secunda quamuis plures esseut Conuentus, in singulis tamen pauci essent monachi. Tertia; cum sæcularibus hominibus rarissimè conuersarentur idque nonnisi vt animabus ipsorum prodessent. Quarta, vt plus operibus, quam verbis, docere satagerent. Dictum hoc mihi est anno salutis M. D. LXXIX. Et quia res hæc verissima & certissima est, hinc meo illam nomine subsignaui.

Quatuor res Dominus Patribus Discalceatis præcipit.

Teresa de Iesv.

LIBER
FVNDATIONVM
MONASTERIORVM,
MONIALIVM DISCALCEATARVM,
à S.M. TERESA DE IESV
Illarum fundatrice conſcriptus.

PROLOGVS.

SAepè iam per experientiam didici, (vt taceam id quod multis in locis legi) quàm magnum animæ bonum ſit, obedientiæ præſcriptum non excedere inter bona hæc numero, in virtute progreſſum facere, & humilitatis adeptionem. Ipſa namque magna quædam, in timore & metu illo, quem hac in vita nos mortales habere par eſt, ſecuritas eſt, necubi in via ad cælos ducente erremus. In ipſa quoque illa inuenitur quies, quæ in animabus Deo placere volentibus, tantoperè requiritur: ſi enim veraciter ſe in ſanctam hanc obedientiam reſignarint, ſeque totas ei tradiderint, aliam ſententiam atq; opinionem vt ſequi nolint quàm Confeſſarij ſui; &, ſi Religioſi ſint, quàm ſui Superioris & Præpoſiti, diabolus eas per aſſiduas ſuas inquietudines & turbationes infeſtare deſinit; quòd iam tum viderit, plus ſe ibi diſpendij & damni, quàm compendij facere. Ceſſant quoque efferueſcentes & turbulenti animi noſtri motus, qui propriam ſuam voluntatem facere, quin & rationem in rebus, quæ ad guſtum noſtrum ſunt, ſubijcere gaudent; memores, ſe iam antè magna cum reſolutione, voluntatem ſuam in diuinam reſignaſſe, atque ideo ſe ſubijciunt illi quem in illius locum elegerunt. Cum ergo mihi diuina Maieſtas, (quæ eius eſt bonitas) lucem dederit, ad magnum theſaurum, qui in pretioſa hac virtute recluſus eſt, cognoſcendum; operam, quoad potui, dedi, (tametſi tenuiter & imperfectè) vt eam acquirerem: tametſi exigua, quam in me video, virtus ſæpè repugnet; video namque in nonnullis rebus quæ mihi iniunguntur, eam vſq; adeò perfectam non eſſe. Diuina Maieſtas de ſuo ſuppleat, quod in ea, quoad tractatus huius conſcriptionem deeſt.

Bona quæ ex obedientia procedunt.

Fundationē monaſterij Abulenſis litteris mandare S. M. iubetur.

Cum ergo anno MDLXII. in S. Ioſephi Monaſterio Abulenſi (quo anno & ipſum fundatum eſt) agerem; P.F. Garcias de Toleto Dominicanus (quem tunc Confeſſarium habebam) mihi iniunxit, vt illius monaſterij fundationem, cum alijs multis rebus, quas

qui illam leget (dummodo in lucem prodeat) videbit, ſcripto committerem. Iam verò, cùm anno MDLXXII. (vndecim ſcilicet poſt annis) Salmaticæ agam, & Rectori Collegij Soc. Ieſu, cui nomen Mag. Ripalda, confiteor, iſque hoc primæ fundationis ſcriptum legiſſet, mirè ad Domini Dei obſequium fore putauit, ſi & reliquorum ſeptem, quæ exinde per Dei bonitatem fundatæ ſunt Monaſteriorum, fundationem, nec non Patrum Diſcalceatorum primi huius Ordinis initia & primordia litteris mandarem. quare id vt facerem, ipſe mihi imperare non dubitauit.

Item aliorũ poſt inſtitutorum.

Quod cùm mihi à me fieri impoßibile videretur, ob plurima quæ me diſtinent negotia, tum litterarum ſcribendarum, tum aliarum occupationum neceßariò peragendarum, quòd circa res à Superioribus mihi iniunctas eæ verſentur, Deo rem per preces commendabam; cumque nonnihil in me ipſa affligerer, quòd ad tam parum ipſa eſſem vtilis & habilis, tam tenuis inſuper valetudinis. vt etiam ſine hoc, laborem aliquem ſuſtinere non poſſe viderer, prout quidem naturalis mea imbecillitas erat; dixit mihi Dominus, filia obedientia dat vires. Det Maieſtas eius, id ita ſit, mihique gratiam cõcedat, vt ad gloriam ipſius, ita vt oportet referam & proſequar gratias, quas Ordini huic in hiſce fundationibus contulit. Haberi porro vt certum poteſt, omnia quàm veriſſimè, & ſine vlla exaggeratione, (quantum quidem ipſa noui) ſed ita prout reuerarescõtigit, hic narratum iri. Nam etiam in re quæ longè minoris momenti eſt, ob quodcumque etiam mundi bonũ, non mentirer; in iisvero quæ, vt Deus per hæc ipſa laudetur, ſcribo mentiri, mihi maximum ſcrupulum faceret: mihique perſuaderem, id non ſolùm eſſe tempus perdere, ſed etiam per ea quæ ad Deum ſpectant, alijs fucum facere velle; & adeo non illum per hæc laudandum, vt etiam offenderetur. quod ſanè fœda quædam proditio foret. Vtinam Maieſtas eius ita mei non obliuiſcatur, vt hoc vnquam faciam.

Obedientia dat vires.

Veritatẽ in narrando S. M. præ oculis habet.

Vnamquamque verò fundationem in particulari proſequar; &, ſi quidem potuero, abbreuiare conabor. nam ſtylus meus ita tædioſus eſt, vt, etiamſi nolim, verear ne tum alios, tum me defatiget. Sed per amorem quo filiæ me proſequuntur (quibus hæc poſt mortem meam cedent & manebunt) fiet vt tolcretur. Faxit Dominus, vt, cum nulla in re commendum meum quæram, nec etiam cauſam tur id quæram habeam, ſed ſolùm vt ipſe laudetur & glorificetur mihi propoſitum ſit, (cum multa hic occurſura ſint, ob quæ gloria ei detur) quiſquis hæc leget, nullam omnino mihi aſcribat, (hoc namque aduerſus veritatem foret:) ſed Maieſtatem eius roget, mihi vt ignoſcere dignetur, quòd ex omnibus hiſce gratijs tam parum rem fecerim ac me iuuerim. Magis, quoad hoc, conqueri de me filiæ meæ debent, quàm gratias mihi ob aliud illud quod factum eſt, agere. Porro eas diuinæ bonitati, cariſſimæ, quotquot ſumus, ob tam ſingulares quas ipſa mihi præſtitit gratias, agamus. Quod autem labilis ſim memoriæ, multa me, quæ permagni momenti ſunt, muſſitaram, alia verò, quæ non incongruè omitti poſſent, relaturam credo. Sed quidẽ fiet id conformiter paruo ingenio, & ſtupori meo, nec non paruæ quam quoad hoc habeo quieti & otio.

S. Matris humilitas.

Iniunctum mihi præterea, vt, ſi quando ſe offeret occaſio, aliquid addam de oratione, & de fraude & illuſione, qua, quæ illam ita habent retrahi & impediri poſſent, ad vlte-

vlterius in ea non progrediendū. In omnibus porro me ſubmitto ijs quæ tradit & docet S. Eccleſia Romana, & volo vt, priuſquā in manus veſtras veniāt, ſorores & filiæ meæ, viri litterati & ſpirituales ea examinent & excutiant. Incipio igitur in nomine Domini, glorioſiſſimam eius matrem cuius ipſa habitum, (tametſi indignæ) geſto, in auxilium meum aduocans; nec non glorioſum Patrem & dominum meum S. Ioſephum, cuius in domo nunc ago (nam ab ipſo hocce Diſcalceatorum monaſterium nomen habet) cuius interceſſione & patrocinio numquam nō adiutæ ſui. Anno ſalutis M. D LXXIII. die 23. Auguſti, qui ſanctō Ludouico Galliæ Regi ſacer eſt. Ab eo autem quicumque hæc legerit Salutationem Angelicam, illius nomine, peto; vt per eā iuuer, ad Purgatorio exeundum, & Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum citò videndum, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

FVNDATIO MONASTERII in Medina del Campo.

CAPVT I.

QVA OCCASIONE DE HAC FVNDATIONE ET ALIIS ſequentibus agi cœptum ſit.

QVINQVENNIO toto poſt fundatum Conuentum S. Ioſephi Abulæ, in eodem fui commorata, quos annos (vt mihi quidem modò videtur) omnium quos in vita adhuc habebo, exiſtimo fore quietiſſimos, ad quorum quietem & tranquillitatem anima mea ſæpè adhuc aſpirat. Hoc ipſo tempore puellæ quædam pietate præſtantes, & iuuenculæ, quas iam tū mūdus (vti quidem videbatur) vt ſuas poſſidebat; prout quidē exteriùs veſte & ſplendido elegantiq; ornatu præferebant, Religionē hāc ingreſſæ ſunt: quas hiſce vanitatibus Doñs quàm citiſſimè valedicere faciens, ad ſuā domū conduxit, tanta ibi ſingulas perfectione donās, vt hoc ipſa videns non parū confunderer. Cum iā tredecim numero eſſent, qui erat is quem ſtatutum erat non tranſſcendere; ego inter animas tam ſanctas ac mūdas agēs, nō mediocrē in meipſa voluptatē ſentiebā; quarū omniū ea erat cura & ſtudiū, quomodo Domino ſeruirent & laudarēt. Ibi quoq; Maieſtas illius nobis ea quæ neceſſaria erant, etiam non petentibus ſubminiſtrauit cumque ea aliquando deeſſent (quod certè erat quam rariſſimum) tum magis lætabantur. Equidem Dominum laudabam, & gratias ei agebam, quòd tot virtutes eximias in ipſis viderem, atq; inprimis quemdā rerū omniū, præterquam quomodo ei ſeruirent, neglectum & non curantiā. Ego, quæ Superiorē ibi agebā numquā, de rebus neceſſarijs me ſollicitā fuiſſe, aut laboraſſe memini; etenim certiſſimo mihi impreſſū erat, Dñm minimè defuturū iis, quæ de nulla alia, re, quā

Primarum Diſcalceatarū ſeruor.

S. M. de diuina prouidentia fiducia.

quomodo ei placerent, ſolicitæ erant aut anxiæ. Ac ſi interdum quod datum erat, pro omnibus non ſufficiebat, ipſaque hoc diſtribuendum ac dandum iis dicerem, quæ plus opus haberent; vna quæque ſe eam non eſſe arbitrabatur; itaque ipſum intactum manebat, vſque dum Dominus ſufficientem pro omnibus eleëmoſynam ſubmitteret.

Obedientiæ qualiter prima Diſcalceatæ exercerent.

De obedientiæ virtute (erga quam ego mirè afficior, eſto eam exercere non poſſem, vſque dum hæ Dei ancillæ me eius vſum docuere, vt ſcirem, num aliquam ipſa virtutem haberem) multa poſſem dicere, quæ hic in ipſis notaui. Vnius mihi hic in mentem venit; nimirum, cum quadam die mentæ in Refectorio aſſedimus, portioque noſtra eſſent cucumeres, datus mihi cucumis fuit paruulus, at internè putris. equidem diſſimulatione vtens, quamdam è ſororibus, ex iis quæ plus ingenij & maiores naturæ dotes habere videbantur, quò obedientiæ illius periculum facerem) ad me vocaui, hunc; cucumerem in hortulo, quem habebamus, vt plantaret iniunxi. petit illa, rectum ne eum, an tranſuerſum, terræ indi oporteret. me, tranſuerſum vt plantaret, dicente, abijt, & quod iuſſum erat adimpleuit, nullatenus vt ei in mentē veniret, nō poſſe ſemē eius ſic ſiccari, ſed, ꝙ ex obedientia hoc ei iniungebatur, rationē ſuā naturalē captiuauit in obſequiū Chriſti: ꝙ id valdè deliberatè & rite ſibi iniunctū eſſe crederet. Alteri cuidā ſex aut ſeptē negotia valdè inter ſe repugnantia peragēda iniunxi; quæ tamen illa tacens, omnia ſuſcepit, quòd ſibi quàm maximè poſſibile crederet, omnia illa ſimul exequi. Erat apud nos puteus, aquam (vt dicebant, qui ipſius periculum fecerāt) ſatis inſipidam continens, & impoſſibile videbatur eam aliò deriuare, quòd admodum profundus eſſet. Vocaui ergo fabros qui rem exequutioni mandarent: qui cum me riderent, peterentque cur pecunias fruſtra prodigere vellem; petij à ſororibus, quid ipſis hac de re videretur. Quarum vna ait, Rei periculum fiat. Alia verò: Virum, inquit, nobis Dominus dabit, qui aquam adferat, & cibum vt eum alamus; igitur eam minore ſumptu Maieſtas eius nobis dabit domi, vnde non dubito quin id factura ſit. Videns ergo magnam, qua id dicebat, fidem, & reſolutionem, ipſum vt certò futurum mihi perſuaſi: &, contra aquilegis aquarū periti opinionem rem fieri iuſſi; & placuit Domino, inde nos ſatis ſufficientem, & aquæ potabilis canalem, vti eum modò habemus, educere. Ego hoc inter miracula non reputo, cum alia id genus multa dicere poſſem, ſed vt fidem, quam ſorores illæ habebant, oſtendam, cum id ita ac dixi, contigerit: quoniam primarius meus ſcopus non eſt, horum monaſteriorum monialium elogia conſcribere; eò quòd, quæ Dei bonitas eſt, omnes vſque in hunc diem eamdem viuendi rationem ſeruant; & quia de his alijſque plurimis ſcribere, longum foret, eſto id non ſine

fructu

fructu fieret; nam subinde fit, vt postea ad Ordinem accedentes, ad similia facienda animentur. at, si Domino visum fuerit hæc sciantur, & in populum innotescant, poterunt Prælati Priorissis iniungere, vt hæc scripto committant.

Earum vitæ erat angelica.

Cum ergo inter hasce Angelorum animas agerem, (veri enim Angeli mihi esse videbãtur, quòd nullam imperfectionem, tametsi interiorem, me celarent; adhæc gratiæ, & ardẽtia desideria, & à rebus creatis diuulsio, quam Dominus ipsis dabat, summa erant; omnes quoque earum deliciæ & solatia erat solitudo; vnde mihi asseuerabant, numquam se solitudine satis satiari; itaque fiebat, vt illis tormentum esset, quòd ab externis, tametsi fratribus & sororibus visitarentur; quæ verò maiorem ad in eremitorio agendum commoditatẽ habebat, sese etiam beatiorem reputabat) & magnum harum animarum valorem ac pretium considerarẽ nec non animum quem Deus ipsis ad patiendum eique seruiendum dabat, qui certè nullis non erat; sæpè mihi videbatur fore, vt quas Dominus in ipsis collocabat thesauri, ad magnum aliquem finem aliquando tenderent. non quòd id, quod postea contigit, mihi tunc in mentem veniret; tunc namque id impossibile mihi esse videbatur, quod nullum viderem principium, aut fundamentum, è quo hoc imaginari aut colligere quis potuisset. Itaque cùm vnà cum tempore desideria mea increscerent, & indies atque indies ardentius desiderarem, animæ cuipiam prodesse, eiusque bonum procurare quoquo modo posse; sæpenumerò mihi esse videbar adinstar viri magnum aliquem thesaurum possidẽtis, quem quidem is in omnes effusum & dispertitum vellet at cui manus, quo minus eũ distribuat, alligatæ sunt. Videbatur ergo mihi anima mea velut ligata, gratiæ enim, quas ei Dominus hisce annis faciebat, maximæ erant; omnia verò malè mihi & inutiliter existimabã impendi. Seruiebã quippe Domino per miseras & tenues orationes meas, & apud sorores, idem vt facerent, vtque erga animarum salutem & Zelum Ecclesiæque ipsius augmentum, atque omnium qui cum ipsis tractarent, ædificationem & bonum exemplum mirificè afficerentur, identidem procurabam; & in hoc intensa mea desideria impendere satagebam.

S. M. Cõcipit desiderium animas iuuandi.

Post quadriennium, aut certè paulo amplius (vt mihi quidem videtur) inuisit me Religiosus quidem Franciscanus, F. Alfonsus Maldonatus dictus, insignis Dei famulus, eodem animarum iuuandarum ardens desiderio, quo ego: quòd verò illud ipse executioni mandare poterat, hinc ei non parum inuidebam. Venerat is non ita pridem ex Indijs; ac commemorare mihi cæpit, quot animarum milliones ibidem defectu docentium; perierant: habitaque ad nos concione, ad pœnitentiam & austeritatem subeundam nos est adhortatus, itaque recessit.

Ego verò tot animarum pereuntium iacturam ita miserata sum, vt me ipsa vix possem retinere: vnde intra eremitorium quoddam me abdidi, ibique multis cum lacrymis ad Dominum clamaui, eum rogans mihi medium suggereret, vt vel vnam animam ad illius obsequium possem traducere, cum cacodæmon tam multa ad se traheret millia, vtque orationes meæ aliquid hac in parte efficerent, quòd amplius quid præstaret non valerem. Vnde & maximo opere inuidebam ijs, qui ex Dei amore huic rei totos se poterant impendere, etiamsi mille mortes hic eos subire oporteret. Hinc dum in vitis Sanctorum lego, illos animas Deo lucrifeciſſe, maiorem erga illos amorem & teneritudinem concipio, magisque hoc illis inuideo quam omnia qua passi sunt martyria: hanc namque inclinationē mihi Dominus dedit; quod vnam pluris eum facere putem animam, quam nostris orationibus, mediante eius misericordia, lucrifacimus, quàm quæcumque ei impendere possumus obsequia. Ergo ingentem hanc pœnam identidem in me sentienti, ac quadam nocte in oratione agenti, apparuit mihi Dominus eo modo quo solet, magnumque amorem præferens, tamquam si me consolari vellet, mihi ait: *Paulisper exspecta filia, & magna videbis.* Verba hæc ita cordi meo impressa manere, nulla vtratione eæ è cogitatione possem euellere; &, quamuis colligere & eruere non possem, (quantumlibet apud me de hoc cogitarem) quidnam hoc futurum esset, nec etiam viderem vndenam hoc possem imaginatione consequi; nihilominus non vulgarem in me consolationem sensi, simulq; spem quàm maximam concepi, verba hæc effectum certissimo habitura: at, quo id modo fieri posset, numquam mihi in mentem aut imaginationem venit. medius ergo annus interim (quantum mihi videtur) elapsus est, ac deinde id quod modò referam contigit.

Dominus mira illam vi turam spondet ei apparendo.

CAPVT II.

PATER NOSTER GENERALIS ABVLAM VENIT; QVID illius aduentu contigerit.

GEneráles nostri Romæ semper residēt, & nunquam eorum vllus in Hispaniam profectus est: vnde impossibile videbatur, eum modo illuc profectionem instituere: verum, quia ad ea quæ Deus fieri vult, nihil impossibile est, hinc Maiestas illius statuit & effecit, vt, quod hactenus factum non erat, iam fieret. Equidem cùm primum de eius aduentu cognoui, nonnihil turbata & commota fuisse videor, eò quòd (vti in S. Iosephi monasterii fundatione dixisse memini) conuentus ille, ob causam quam ibi dixi, fratribus subiectus non erat. quare hîc duo timebam: primum, ne mihi succenseret; nam quòd nesciret, quomodo res contigisset, merito id facturus videbatur: alterum, ne me ad mona-

Generalis Carmelitarum in Hispaniam venit.

Quid in illius aduētu S. M. timeret.

monasterium. Incarnationis, in quo regula mitigata & laxata seruabatur, redire iuberet: quod me varias ob causas, quas hîc referre necesse non est, non mediocriter afflixisset. Vna hęc plusquam satis erat, quod illo in conuentu primi geniæ regulę rigorem seruare non potuissem, tum quod plusquam centum quinquaginta ibi moniales essent, cum, vbi pauciores numero sunt, maior habeatur conformitas & quies;

At melius quàm putabat, Dominus rem disposuit: Generalis enim, cùm insignis Dei esset famulus, ac discretione ac scientia præstans, opus bonum esse vidit, nullamque mihi de cetero indignationem aut animi alienationem ostendit. Nomen illi F. Ioannes Baptista Rubeus Rauennas, vir admodum illustris in Ordine, & iudicio pollens. Hic cum Abulam venisset, dedi operam vt S. Iosephi domum inuiseret Episcopus porro è re nostra fore putauit, vt eisdem illum beneuolentiæ & amoris signis reciperemus, quibus ipsummet Equidem ei magna cum veritate, candore & claritate omnia aperui, ac singulorũ rationem dedi: sic namque prout naturalis mea inclinatio est, cum Prælatis tractare gaudeo, eueniat quodcumque demum euenire potest, cum ipsi Dei sint vicarij; nec non cum Confessarijs. Id nisi sic facerem, anima mea secura non fore videbatur. Quare tam huius, quam penè totius vitæ meæ, tametsi ea satis improba sit, ei rationẽ dedi. Ipse verò me non parum est solatus, certamque me reddidit fore, vt me inde digredi non iuberet. Quin & ipse à parte sua nõ parũ gauisus est, nostrũ viuẽdi modũ, nec nõ exẽplar quoddã (tãetsi imperfectũ) primæui in Ordine nostro seruari soliti vigoris vidẽs, tũ quod prima regula, ad litterã, in summo rigore, hîc seruaretur, eò quod in nullo per vniuersum Ordinẽ cõuentu ea seruabatur. Quod autẽ tenue hoc principium longiùs se diffundere & crescere desideraret, amplissimas mihi dedit litteras, quibus potestatẽ mihi fecit plura ad eãdem formã & exẽplũ monasteria erigẽdi, additis insuper cẽsuris & pœnis aduersus Prouinciales, qui mihi obstare & impedimẽto esse vellẽt. Has vero ego ab ipso nõ petij; verũ ipse è meo orãdi modo satis intellexit, ardẽtia illa mea desideria alio nõ spectare, q̃ vt adminiculũ & instrumẽtũ esse possẽ vt aliqua anima ad Deũ propius accederet, ac cõuerteretur. Hæc porro media ipsa minimè procurabam, quin imò vesania & stoliditas id mihi videbatur; quòd tã imbecillẽ, & tã paucarũ viriũ atq; ego erã, mulierculã mihi hic posse intelligerẽ. At quando huiusmodi desideria animã occupant, nõ est in illius manu illa à se repellere aut auertere: sed, quòd ipsa Deo & fidei, quam in ipsum habet, satisfacere gestiat, hinc Maiestas illius ei reddit possibile id, quod, si humanam rationem intueamur, possibile non est. Itaque insignem R. P. nostri Generalis propensionem & voluntatem, vt plura huius regulæ monasteria erigerentur, vi-

Illi rationẽ rerũ gestarum reddit sincere & aperte.

Accipit ab eo potestatẽ plura monasteria erigendi.

tur, videns, illa iam tum erecta videre videbar: & verborum, quæ mihi Dominus antea dixerat, memor, iam tum aliquod initium videbam eius quod antea quomodo effectui mandaretur, intelligere non poteram.

Videns vero, P. Generalem Romam reuersionem parare, non mediocriter contristata fui, quòd singulari eum amore prosequerer; vnde me omni ope & adiumento, per illius discessum, destituendam credebã quam ipse mihi summam ac singularem, vti & permagnum fauorẽ ostendit. Quoties verò ei per occupationes integrum erat, ad nos excurrebat de spiritualibus rebus nobiscũ acturus, vtpote cui hoc in genere magnas Dominus gratias conferre debebat; de his verò eum agẽtem audire mirificæ nobis consolationi erat. Antequam autem abiret, Abulensis Episcopus Aluarus Mendosius, pro singulari suo erga omnes, quos Deo maiore cum perfectione seruire velle videt, studio eum rogat licentiã vt daret, ad in sua diœcesi aliquot cõuentus Fratrũ Discalceatorũ primã regulam seruantiũ fundandos, quod & alij, dein ab ipso petiuere. Ipse quidem Generalis ab hoc alienus non erat, sed quòd aliquam propterea in Ordine vniuerso repugnantiam sentiret, hinc, ne prouinciam turbaret, in præsens quidem concedere noluit.

Conuentuũ pro fratribus discalceatis erigẽdorũ facultas petitur: sed modò negatur.

Paucis pòst diebus, cum mecum ipsa perpenderem, quàm necessarium esset, vt, cũ Monialiũ monasteria & congregationes erigenda essent, etiam virorum eamdẽ Regulam seruantiũ fundarentur, videremq; illos tã paucos isthac in prouincia esse, vt iã defecturi & paulatim emorituri esse viderentur; re per orationem Deo intensiùs commendata, ad Patrem N. Generalem scripsi, eum quàm potui demississimè rem hanc rogans; simul & causas, ob quas è Dei obsequio illud futurum credebam proponens; & incommoda, quæ inde sequi poterant, tanta non esse asserens, vt opus tam bonum ac salutare propterea intermitteretur; denique in mentem ei reuocans, quàm id esset honorem Beatissimæ Virginis Matris, cuius ipse perstudiosus erat, promoturum. Ipsa hauddubiè Virgo rem omnem optatum ad exitum perduxit: etenim cùm ei Valentiæ agenti litteræ meæ traditæ essent, inde mihi per epistolam potestatem fecit, duo monasteria viris fundandi, vtpote qui maiorem Ordinis religionem ac bonum desiderabat. ac, ne qua contradictio ac difficultas oriretur, rem omnem tum Prouincialis, qui tũc id munus obibat, tum eiũs qui eo nuperrimè defunctus esset, arbitrio commisit: quod sanè arduum erat & ad obtinendum difficile. At cum quod erat grauissimum, ex voto confectum vidi, spem concepi, Dominum quæ reliqua erant, effecturum. Itaque etiam factum est; nam Episcopo, qui negotium hoc plane, vt suum, cordi habebat, adiuuinte, uinciæ

S. M. proijsdẽ ad Generalẽ scribit.

ambo tandem assensum præbuerunt. Etsi verò ex hac accepta facultate mirificam in animo consolationem sentirem, mea tamen anxietas & sollicitudo magis cæpit increscere, quòd nullũ ex omnibus totius Prouinciæ fratribus, quos qui dé ipsa nossem, inuenirem, qui, vt ad nouũ hunc rigorem à mitiore transiret regula, animam vellet adiicere, nullum etiam sæcularem, qui tali operi principium dare staeret. Vnde assiduo Dominum rogabam, vt vel vnum hominem, ad hoc opus inchoandũ, excitaret. Non habebam adhæc domum, nec vndenam haberem sciebam. Ecce tibi ergo pauperculã Monialem, Discalceatam, omni humana ope destitutam, sed solius Dei auxilio nixam, litteris sui Generalis & bonis desiderijs tantum instructam, eadem tamen executioni mandare prorsus impotentem: nec tamen me vel animus vel spes deficiebant; sperabam namque, Dominum, cum dedisset vnum, daturum & alterum. vnde iam possibilia admodum videbantur; quare eadem opere exequi incepi. *Eius fiducia in Deum.*

Quomodo, ô diuina magnitudo, potentiam tuam ostendis, dum formiculæ cuidam audaciam suggeris? quomodo, ô Deus meus, per te non stat, quo minus magna & heroica opera patrent ij qui te amant; sed per nostram inertiam & pusillanimitatem, quòd nimirum firmam solidamque resolutionem non faciamus, sed identidem mille timoribus natemus, & humana prudentia nimium nitamur; atque inde est, Deus meus, quòd mirabilia & magnalia tua minimè opereris. Quis enim magis dare gaudet, quam tu, si esset qui vellet accipere? quis seruitia & obsequia ita suo sumptu admittit? Det Maiestas tua, aliquod ipsa tibi vmquam præstiterim, & non adhuc plus tibi debeam pro innumeris quæ à te accepi, beneficijs.

Caput III.

Qvibvs, de Monasterio S. Iosephi Metinæ Campi fundando modis agi cæptum sit.

CVm ergo his in anxietatibus & curis agerem, venit mihi in mentem Patrum Societatis Iesu opera vti. Erant hi Metinæ Campi ciuibus perquã accepti & grati, ipsisq; ego (vti in primi monasterij fundatione scripsisse memini) ad multos annos animæ meæ statũ & negotia crediderã, &, quoniã hæc multũ per eos boni acceperat, hinc particulari quodã erga ipsos amore & affectu semper fui. Ergo Collegij Metinẽsis Rectori perscripsi, quid P. N. Generalis mihi mandasset. Rector hic erat is quoad multos annos confessario vsa erã (vti aliàs dictũ) esto eũ non nominarim: nomen ei est Baltazar Aluarez, qui modò Prouincialẽ agit. Is ergo, & reliqui Socij dixere, facturos se hac in re quodcumque possent. & certè non segniter in eam incubuere; adtum à populo, tum

à Præsule facultatem impetrandam; quod enim monasterium mendicato victurum esset, magnæ vndiquaque in eo admittendo difficultates suboriebantur. vnde ad aliquot dies negotij persecutio dilata est. Ad hunc ergo, sacerdotem quendã insignem Dei famulum, à mundi huius rebus quàm alienissimum, & orationi mirè deditum misi. Sacellanum is agebat in monasterio in quo ipsa agebam. Eadé hinc Dominus desideria inspirabat quæ mihi, eodemque ambo collineabamus; vnde etiam insignè hac in re mihi operam (vti postea videbitur) nauauit. Vocabatur autem is Iulianus de Auila. Etsi verò fundandi facultatem haberem, domum tamen & obolum ad eam coemendam non habebam, fideiussorem verò & fidē vt in nulla omnino re fiderem nisi eam Dominus dedisset) quomodo habere posset peregrina, qualis ipsa eram? Prouidit ergo Dominus, vt virgo quædã virtutibus cumprimis ornata, cui in S. Iosephi monasterium admittendæ locus non fuerat, audito nouã domum parari, me accesserit, rogans vt in hanc ipsam admitterem. habebat hæc aliquantum pecuniæ, quæ tñ tam copiosa non erat, vt domus ex ea emi, sed cõduci tantùm posset. Vnde etiam quamdã conduximus, & reliquum argenti in viæ comeatum cedere debebat. Sine vllo igitur, præterquã hoc subsidio, Abula egressæ sumus, duæ moniales S. Iosepi, ego, & quatuor è conuentu Incarnationis, locus is est in quo regula mitigata & laxata seruabatur, & in quo ipsa agebã antequã S. Iosephi domus erigeretur) comitante nostro Sacellano Iuliano de Auila. Vt primũ ea res in ciuitate Abulensi innotuit, maxima concitata est commotio & murmuratio: alij quippe me stultam esse dicebant, alij temerarij & inepti huius cæpti finem exspectandum censebant. Episcopo verò (prout post ipsemet mihi retulit) maxima id stoliditas videbatur, esto tum quidem id mihi non dixerit, nec me impedire voluerit, (q̃ me plurimũ diligeret) neq; me contristari. Amici mei satis id mihi prædixerant. At ego parum hæc omnia morabar; quòd adeò mihi facile & expeditum videretur id, quod ipsi vt incertum & anceps habebant, vt persuadere mihi non possem fore, vt id non bene succederet. Abula priusquam digrederemur, cuidam Ordinis nostri Patri, cui nomen Antonius Heredius (qui tum in fratrum monasterio, quod ibi Ordinis Carmelitani erat, à S. Anna cognominatum, Priorem agebat) scripsi, vt domũ mihi emeret. Hac insuper emptione is cum quadam domicella sibi deuota egit, quæ domum, sed penè præ vetustate collapsam quarta parte excepta habebat, at loco commodissimo sitam tamverò ipsa facilis & bona fuit, vt eam illi se venditurã sponderet. atque etiam inter eos de pretio conuenit, nullo qui fide iuberet, aut alia certitudine, quàm ipsius promisso, exacto, & sanè, si fideiussorem sponsionemve aliquam perijsset, nullam da-

S. Matris de Deiprouidentia fiducia.

In cæptis pijs constantia & confidentia.

repo-

re potuissemus. Sed Dñs omnia ita disponebat. Domus hęc ita ruinosa & confracta erat, vt, interim dum restauratur, (erat autē ibi multæ instauranda) aliam illā nos conducere opus fuerit. Cùm ergo prima diæta vesperi, & ob incommoda quæ in via habueramus defatigati Atcualum intraremus, Sacerdos quidam, amicus noster, nobis obuiam processit, qui nobis apud deuotas aliquod mulieres hospitium pararat; dixitque mihi secretò non habere nos domum, quodquam habere putabamus Augustinensium monasterio vicina esset, & hos omnimodis obstare, ne ibi habitaremus. Vnde necesse esset, lite nos rem dirimere. Deus bone, quando tu, Domine, animum dare cupis, quam parum omnes aduersantium cōtradictiones efficere possunt! imò vero, magis hoc animasse videtur, quòd iam tum cacodæmon turbas conciere incipiebat, eò quòd Dominum monasterij huius opera vti velle videbat. Dixi tamen Sacerdoti taceret, ne socias meas turbaret, & maximè duas illas moniales è conuentu Incarnationis: reliquę enim, quicumque demum occurrerent labores, mei causa libenter subituræ fuissent. Illarum duarum altera Suppriorissam tum in Incarnationis agebat, & multimodis ei ne inde digrederetur, varij persuadere conati erant. ambæ verò primarios quosque in ciuitate sanguine & genere attingebant, illisque omnibus inuiti me secutæ erant, nullus enim non stolidè & inconsideratè eas agere censebat. Deincep verò vidi, merito illos sic sentire. Verum cum Dominus aliquod istorum monasterium, me vult fundare nihil mihi spiritus meus cogitare aut admittere posse videtur, quod me, quo minus ipsum fundem & opere exequar, impediat, nisi postquam res iam confecta est. tunc quippe omnes difficultates simul & semel sese mihi repræsentant, vti postea suo loco referam.

Metinam coloniam ducit.

Vt verò in præparatum locum veni, intellexi fratrem quemdam ex ordine D. Dominici eo in loco agere, insignem certè Dei famulum, quo Confessario vsa fueram dum in S. Iosephi Abulæ agerem: quia verò illius domus fundationem describens, multa de ipsius virtutibus locuta sum; hinc aliud de eo hic non dicam quam eius nomen, quod est P. F. Dominicus Bannez. vir est apprime doctus, singularisque discretionis, cuius è iudicio directioneq; omnia mea agebam. ipse verò id quod aggrediebar opus, non existimabat arduum atque laboriosum ac ceteri, imò facilem eius euentum spondebat. quo enim quis Deum magis cognoscit, eo etiā illius opera ei faciliora redduntur; hinc, tum ob gratias nōnullas, quas sciebat Maiestatē ipsius mihi fecisse, tū ob ea quæ in S. Iosephi fūdatione euenisse miraviderat, omnia ei quàm maximè possibilia videbantur. Vt illum ergo conueni, non parū recreata sum; illius enim iudicio directioneq; omnia quàm felicissimum mihi exitū habitura per-

Dominici Bannezalos gium.

ſuadebam. Is cum me adijſſet, quid rerum ageretur, ilico aperui: ſpem verò ipſe mihi fecit, breui ac facilè cum Auguſtinenſibus Sodalibus negotium confectum iri. At mihi mora omnis nimis quàm longa videbatur, quod neſcirem quid de tot Monialibus quas mecum duxeram, agerem. Vnde omnes magnis in anguſtijs & anxietatibus noctem illam traduximus quòd iã tum omnibus in domo ea res innotuiſſet. Ecce autem poſtridie mane Antonius Heredius Carmelitarum ibidem agentiũ Superior appulit, dicens donum illam quam coemerat; vtcumq; commodã videri, & veſtibulũ ſacello adoptãdo, additis periſtromatis nõnullis, ſatis idoneũ habere. Hoc ergo conſilium placuit omnibus mihi ſaltem quam optimum eſſe videbatur: nam, quod minimam habebat moram & minus requirebat temporis, ipſum erat quod nobis conuenientiſſimum erat; tum quòd extra monaſteria noſtra eſſemus, tum quòd iam aliqua excitata eſſet commotio & contradictio, qualem in prioris monaſterij fundatione experta eram. itaq; quàm maximè volebam, vt, priuſquam in populo res innoteſceret, poſſeſſio caperetur, & vt ea caperetur, omnes operam dedimus & voluimus; cuius opinionis quoq; fuit R.P. Dominicus Banez.

Metinam B.M. cum ſuis appulit.

Pridie feſti Aſſumptæ in cælum Virginis Metinam duodecima noctis hora appulimus, & ad monaſterium S. Annæ primum diuertimus, vt omnis ſine vllo ſtrepitu res perageretur; inde mox pedibus ad domum deſignatam perreximus. Magnum porro & euidens diuinæ miſericordiæ argumentum fuit, quod in aliquem non inciderimus eorum, qui tauros poſtridie feſti agitandos, incunabulis eadem hora incluſum ibant: nam quod rei quam moliebamur, vſque adeo intentæ eſſemus, & in eam velut abſorptæ, hinc ad nihil penè reflectebamus. at Dominus qui curam gerit eorum qui vnicum illius honorem & obſequium propoſitum habent, ab omni nos periculo liberauit; nam certè alium ſcopum & intentionem hoc in opere non habebamus. Vt ergo in deſignatum locum ventum eſt, in patentem quamdam aream admiſſæ ſumus, cuius parietes hinc inde collapſos & admodum luxatos conſpicio; etſi, cum iam illuxiſſet, longè illorum maior & vaſtior apparebat. Videtur porro Dominus voluiſſe vt bonus ille frater tum cæcutiret, dum locum illum Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento collocando admodum importunum & inconuenientem eſſe non videt. Veſtibulum namque cum vidiſſemus, comperimus ipſum terra oppletum eſſe eamque antè egerendam; dein tectum cæli iniurijs peruiunt, & parietes eius minimè incruſtatos eſſe.

Templum Metinenſis conuentus adaptat.

Breue erat quod reſtabat noctis, & nonniſi pauculos (credo fuiſſe tres) omni illi vaſtitati quam veſtibulum habebat circumcirca, conue-

conuestiendæ tapetes habebamus. qui certè velut nihil erant. Equidem quid agerem nesciebam: quòd locum illum altari erigendo minimè commodum viderem. Contigit verò (Deo, qui rem quamprimum confici cupiebat dante) domicellæ illius œconomum, multos illius tapetes in domo hac asseruare, quin & lecti stragula è serico Damasceno cæruleo; iniunxerat autem hæc illi, vt quibuscumq; opus haberemus, nobis subministraret; erat quippe admodum pia. Vt ergo tam bonum vidi apparatum Dominum dilaudaui, vti & alias comites meas eum laudasse credo; sed carebamus clauis, nec tempus ad eos emendos iam erat, vtpote nox: sed eos hinc inde per parietes conquisitos extrahebamus. Tandemque omne quod necessarium erat, magno cum labore inuentum. hinc certatim omnes operi incumbere incipiunt, viri suspendunt tapetia, nos terram egerentes locum mundamus. Adeo verò non segnes fuimus, vt, cum iam illuxisset, altare iam adornatum & instructum esset, & campanula in porticu quadam suspensa. Hoc quidem satis ad capiendam possessionem erat; sed hic non hæsimus, verum & sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum intulimus, atque per ianuę cuiusdam, quæ ex opposito erat, rimas, sacrum Missæ audiebamus, neque enim alia adhoc erat commoditas. Magnæ id mihi lætitiæ occasio erat, gaudebamque plurimum: etenim permagnæ mihi consolationi est, vnum amplius templum videre, in quo sanctissimum Eucharistiæ Sacramẽtum habeatur. Sed per breuis ea mihi fuit: etenim cum sacro iam peracto, per fenestram in aream subiectam despexissem, aliquibus in locis eius parietes penitus in terram collapsos, itaque prostratos vidi, vt nonnisi complurium dierum opera erigi posse viderentur. Ah, cum diuinissimum altaris Sacramentum atque ipsam Dei maiestatem penè subdio & in platea expositum vidi, præsertim temporibus hisce periculosis ob nefariam hæreticorum perditorum audaciam ac licentiam, qualis cor meum occupauit angustia & afflictio. His accedebant omnes illæ difficultates & contradictiones, quas ecõtra opponere poterãt illi, qui multũ operi hinc aduersati & oblocuti erant. quin adeò persuasũ habui, & liquidò intellexi, nõ sine ratione illos ad opponendum se moueri. Adhæc, penitus impossibile mihi videbatur, ea quæ iam cœpta erant, vlterius prosequi & promouere: nam sicut initio & antè, omnia mihi nimis quàm facilia & expedita videbantur, quòd propter Deum res omnis fieret; ita nunc econtra eius potentiam tentatio ita imminuebat, nullam prorsus vt ab eo gratiam recepisse viderer; & vilitas & impotentia mea solum mihi assiduè ob oculos versabantur: cumque re tam fragili & imbecilli me niti viderem, quem bonum successum sperare poteram? videbar porro mihi, si

Angustia & pressura animi quã S. M. sensit.

sola fuissem, quietior & tranquillior futura; at quòd vereor, ne sociæ meæ, ob magnam illam, quam, quòd proprio egressæ essent monasterio, ab alijs perpessæ erant, oppugnationem; retrovnde venerant reuerterentur, non mediocriter in animo sum anxiata. Videbatur quoque mihi, graui hoc subinitium errore admisso, quid quid antea, Dominú facturú intellexeram, nihil futurum, & in auras abiturum. Ex quo etiam mox ille subnascebatur timor, illusio ne esset, quidquid hactenus in oratione didicissem; quod pressurarum omnium, non dico minima, sed maxima erat: maximus enim me occupabat timor, ne suis me diabolus præstigijs & technis deciperet. Quid est, Deus meus, videre animam, quàm tute affligi & angustiari sinis? Sanè cum huius afflictionis, nec non aliarum nonnullarum, quas in horum monasteriorum fundationibus experta sum, memini, omnes pœnæ corporales (tametsi eas etiam passa sim grauissimas) nihil mihi esse videntur, si cum hisce conferantur.

Modes lamentes cur petebat.

Hanc autem pressuram, quæ certè non vulgariter me cruciabat ac lancinabat, apud sodales meas dissimulabam, ne noua hac ad priorem desolatione accedente ipsas opprimerem, & dolori adderem. Durauit autem hæc adusque vesperam, cum quidam à Rectore Collegij Societatis Iesu submissus Pater mentem prostratam verbis erexit: & animum mærentem est consolatus. Huic tamen omnes; quibus tunc premebar, angustias non aperui, sed eam tantùm, quam sentiebam inde, quòd velut in publico & pro patulo commoraremur. Petij itaque, vt laxiores, ad quas transiremus interea dum hæ restaurarentur, ædes nobis conquireret ac conduceret, de pretio nihil dum sollicitus esset. Inde verò dispelli mea nonnihil anxietas cœpit, quòd multos ad ædem nostram confluere, eorum verò nullum teneritatem & stoliditatem nostram sugillare cernerem, quod non sine singulari Dei prouidentia factũ est; nam si nobis Sanctissimum Eucharistię Sacramentum abstulissent, id iure meritoq; fecissent. Iam verò meam considero incõsiderantiam & stuporem, nec non omnium cæcitatem & inaduertentiã, quòd ipsum in ibi tolerarint. Ego autem mihi persuadebam, illo nobis ablato, omnia quodammodo in nihilũ recidere, & cœpta omnia disturbari. Magno quidem sunt studio huiusmodi ædes conductitiæ conquisitæ, sed non inuentæ: vnde me noctu & interdiu ingens sollicitudo tenebat; verebar enim, ne custoditus, qui identidem de nocte actis excubiis hierothecam custodiebant, dormitantibus quis eam surriperet. Vnde sæpiùs per noctem surgebam per fenestram exploratura num vigiles essent; quod facilè, fulgente Luna, videre poteram. Per omnes illos dies multi ad nos confluebant, quibus non solùm non malum apparebat, sed etiam ad deuotionem excitabat, quòd ist hoc in vestibulo iterum di-

Illius in Ven. Eucharistiam amor & cura.

uinissi-

uiniſſimũ Sacramẽtum collocatũ eſſet; & ſanè videbatur Maieſtas illius (vtpote qui nũquã in ſe noſtri cauſa humiliando defatigatur) inde nolle diſcedere. Iã octo tranſierant dies, cũ mercator quidã, angustias domus noſtræ videns dixit vt in ſuperiorem domus ſuæ (quam ipſe ſatis cõmodam & amplam habebat) partem tranſiremus, in ea nos vt in propria agere poſſe. Habebat hæc atrium ſpatioſum & deauratũ, quod ille nobis in templi vsũ ceſſit: & domicella quædã, cui nomen Helena de Quiroga, inſignis Dei ancilla, mihi ſe pecunias ſuppeditaturã dixit, vt ex iis quãprimũ Sacellũ ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento decenter collocando excitaretur, nec non alia domus noſtra ſic reſtauraretur, vt ab populo ſequeſtratæ eſſemus. Alij quidẽ multi ſatis abundãter eleemoſynis ſuis victui neceſſaria nobis ſuppeditabant, at nullus hac muliere in nos fuit profuſior. Tũ demum maiorẽ habere quieẽ cæpi; quòd in domo ad quã tranſieramus maiore gauderemus ſolitudine & clauſtro, & iã officiũ Horarum dicere inciperemus. In alijs autem ædibus inſtaurandis bonus Prior Heredius celeritate mira vſus eſt; at, licet rem aſſiduè laborando perurgeret, nihilominus ante bimeſtre neceſſaria inſtauratio confici non potuit. Sed ea vtrumque fuerit, talis tamen fuit, vt ad annos aliquot ſatis tolerabiliter illic ſimus commoratæ; poſtea verò, Domino ſubminiſtrante, in meliorem omnia formam redacta ſant. *In alias ædes concedit.*

Tametſi hæc tum quidem agitarem, interim tamen priorẽ illam de monaſterijs virorum excitandis cogitationem eodem animo verſabam, & quòd nullum prorſus primæ regulæ veſtigium eſſet (vti dictũ eſt) quid agerem neſciebam. Decreui ita quæ primum ſuperioribus de hac re conuenire, & explorare quidnam is in ea mihi conuleret. Quod cum feci, incredibili is perfrendi cæpit gaudio, ac primum qui inſtitutum hoc auſpicaretur, fore ſe reſpondit. Eius ego verba parui pendi, nec curaui; quamquam enim eum & bonũ virum, & religione, & ſtudio, ac ſolitudine monaſtica ſingularem hactenus fuiſſe non ignorabam; mihi tamen delicatioris naturæ, nec ad auſteritates factus, & ei ſubeundus erat rigori ſeueritatique vitæ, ad finem vſque continenter ferendæ, impar videbatur. Is econtrà mihi iam dudum ſe, Deo ſuggerente, ad vitam aſperiorem aſpiraſſe, & propterea Carthuſium inſtitutum amplecti (ad quod ab ipſis etiam admiſſus iam erat) in animo habuiſſe dixit. Verùm ſatis hæc verba mihi non erant, eſto viri generoſitas & propoſitum mirè mihi placerent. Vnde eũ rogaui, vt aliquantiſper negotiũ hoc manu deponeret, & interim priuatim, & velut in vmbra, periculum faceret eius q̃ promiſſurus erat voto. Antonius morẽ geſſit, & anno integro tirocinium illud ſubit. In quo tantis maleuolorũ calumnijs & perſecutionibus, totq; tamq; frequentibus laboribus eſt exagitatus, vt illum Dominus pro- *De monaſterijs Diſcalceatorũ fundandis tractat.* *Antonius Heredius ſeſe offert vt Diſcalceatorum Ordo per ipſum initium habeat.*

nus probare voluisse videatur. Ipse verò ita viriliter omnia sustinuit, & tantum inde in spiritu profecit, vt Dominum ipsa mirum in modum laudarim; vt iam tum illum Maiestas; ipsius adhoc disponere videretur. Non multo pòst, alium eiusdem instituti Religiosum, ætate iuuenem, Salmanticæ tum litteris operam dantem, vnà cum socio sui huc appellere contigit. Socius mihi multa de eiusdem probitate & religione narrauit: nomen verò huic erat Ioannes à Cruce. Ego Domino propterea quàm potui maximas egi gratias, cumque eum coram conuenissem mirè mihi placuit, ex eoque intellexi ipsum de Carthusiensi instituto assumendo cogitare. Ilico ego mentem meam aperui, rogauiq; non antè ad nouũ illud institutum capessendum animum adijceret, quàm nobis aliquod Dominus monasterium dedisset; longeque vtilius & ad maiorem Dei gloriam futurum ostendi, siquidem ad maiorem perfectionem aspiraret, eam in ordine exerceret ad quem primò vocatus esset. Fidem Ioannes dedit, modò æquo diutiùs istius monasterij erectio non differretur: Iam tum ego rem totam confectam habere putabam, quod duos fratres ad fundamenta iacienda & incipiendum haberem; etsi Antonius mihi vsquequaque non satisfaceret; itaque rem aliquantulum distuli, eo inprimis quod deesset locus in quo eam auspicarer.

Ioannes à Cruce B. Matrẽ conuenit, & ei placet.

Crescebat porro indies monialium apud Metinenses auctoritas & nomen, ac singularem hi in ipsas amorem & affectum ostendebant: &, prout mihi quidem videtur, merirò: neque enim aliud pro se quæque spectabant, quàm qua ratione Domino magis seruire posset. Eamdem verò viuendi rationem sequebantur, quam quæ in S. Iosephi Abulæ agebant, quòd eamdem vtræque Regulam & constitutiones haberent. Vnde etiam Dominus Virgines nonnullas ad habitum nostrũ assumendum permouit; quibus etiam tam singulares & eximias faciebat gratias, vt mecum ipsa mirarer. Sit is in æternum benedictus. Amen. Videtur quippe aliud non spectare & intendere, quàm amari vt amet.

Discalceatarum virtutes & nomen.

CAPVT IV.

AGIT DE GRATIIS NONNVLLIS, QVAS HORVM MONASTERIORUM Monialibus Dominus elargitur; simul & præpositam monet ac docet, quomodo se in illis gerere debeant.

ANtequam porro vlterius prouehar (nescio enim, quantum vitæ mihi Dominus adhuc daturus sit, aut quantum otij, cùm in præsens illud, quàm exiguum habeam) visum mihi est, monita quædam præ-

præmittere, vt Præpositæ & munus suum intelligant, & subditas suas maiore cum animarum fructu, esto non tanto suo cum gustu, conducere norint.

Notandum ergo est, eo ipso tempore quo harum fundationum seriem & historiam vt conscriberem mihi mandatum est (omissa nimirum fundatione S. Iosephi de Abula, quæ statim ac peracta est, scripto commissa est) iam tum, Deo dante, septem alia monasteria fundata fuisse, ipsum quod in Alba de Tormes erectum est, (quod omnium postremum est) annumerando. Causa verò cur plura fundata non sint, fuit, quòd Superiores me alteri rei, (vti postea videre erit) intendere iusserint & occuparint. Porrò cum ad spiritualia charismata, quæ per hosce annos his in monasterijs cælitus data sunt, reflecto, vidi certè quàm necessarium me sit scribere ea quæ iam dicere decreui. Det Dominus, vt, prout quidem id video necessarium esse, ita id possim prosequi; &, quoniam illusiones diabolicæ non sunt, non est quod spiritus quid sinistri timeant. nam quando (sicut alibi me dicere memini, in iis videlicet reculis, quas in Monialium mearum vsum scripsi) mundam habere conscientiam, & sincera cũ obedientia in omnibus procedere satagimus; num quam Dominus permittet, tantam diabolus vt habeat potentiam, vt nos sic decipiat, vt animę propterea detrimentum aliquod inferat; imò verò ipsemet decipitur, & damnum inde patitur. Quod cùm non ignoret, non tantum illum nobis mali inferre mihi persuadeo, quantum praua nostra inclinatio, & noxiæ complexiones (præsertim si quid accedat melancholiæ:) etenim natura mulierum debilis est, & amor proprius, qui in nobis dominatur, admodum subtilis. Vnde cùm multi, tam viri, quàm mulieres, nec non quædam horum monasteriorũ Moniales, consilij causa me accesserint, facilè & liquidò è verbis ipsorũ perspexi, ipsos sæpè seipsos, tametsi id nolint, decipere: crediderim equidé, diabolum his sese subinde intermiscere, vt sic nobis illudat & derideat tamen è multis illis, quos (sicuti dixi) vidi & audiui, neminem vmquam intellexi, (quæ Dei bonitas est) ab eo penitus derelictum fuisse, & decipi permissum. Forsitan verò per hosce lapsus & fragilitates exercere eos vult, vt sibi sic aliquam experientiam comparent, & inde cautiores reddantur.

Cur. B. M. plura monasteria non fundarit.

Munda conscientia non patet illusionibus.

Plus nobis nocet praua complexio, quam diabolus.

Porro ea quæ ad orationem & perfectionem spectant, (peccatis nostris id exigentibus) ita iam passim in mundo prolapsa sunt, vt hac ratione meipsam necesse sit declarem, nam si, cùm etiam prorsus nullũ in hac via homines periculum videant, illam tamen inire metuũt; quid igitur esset, si quod in ea periculum contineri dixissemus? Quamquam in omni re ac studio semper aliquod (vt verum fatear) subsit, atq; in om-

Perfectio & oratio quo modo iam exciderit.

Sæpe cum timore incedendum.

nibus, quamdiu in hoc mundo viuimus, necesse nos est cum timore & metu incedere, Dominum rogantes, nos vt doceat, neue vmquam deserat. Porro, sicuti aliàs me dixisse credo, si vllus in mundo non timere & securus esse possit, ij certè sunt, qui de Deo assiduè cogitare, vitamque suam omnimodis perficere, plus alijs procurant. Quàm, ô Deus meus, ad oculum videmus, ab ijs nos periculis per te sæpè liberari, in quæ ipsi nos cõijcimus, vt etiã directe contra te simus, vti dum credimus minimè te nos liberaturum, quæ tamen aliud non spectamus, quàm quomodo tibi placeamus, & tecum deliciemur? Numquam in animum inducere meum potui, id vt crederem; fieri quidem posset, vt per alia secreta sua iudicia, huiusmodi aliqua Deus vtcumque permitteret; at quod bonum est, numquam mali aliquid produxit. Itaque id eò dico, vt sponso nostro complacendi, citiusque eum inueniendi, viam meliùs inire procuremus, ab incedendo vero penitus non cessemus; tum vt hac ratione animemur, ad generosè & fortiter portuum tam periculosorum & durorum, vti vita hæc est, vias ineundas: non vero, vt in iis capessendis præ pusillanimitate segnescamus: Cum tandem, si modo cum humilitate incedamus (Dei mediante misericordia) ad ciuitatem illam Ierusalem cælestem peruenturi simus, vbi omnia, quæ hoc in mundo passi fuerimus, mala & incommoda, exiguum quid, aut potius nihil, esse videbuntur in comparatione eorum quibus ibi fruimur.

Primis Excalceatu qua dona calitus conscssa.

Cùm ergo hæc Beatissimæ Virginis Mariæ colũbariola multiplicari & crescere inciperent, incepit quoque diuina eius Maiestas magnalia sua commonstrare in imbecillibus hisce mulierculis, tametsi in desiderijs suis, & in omnium creaturarum abnegatione fortibus: hæc quippe est quæ animam Creatori suo magis quàm aliud quidlibet coniungit & vnit, quando nimirum mundam habere conscientiam studet. Non erat necesse hanc particulam me adiungere, cùm ipsa abnegatio vera sit, impossibile mihi videatur esse, vt qui eam habent, Dominum offendant, cùm omnia eorum opera & verba ab illo ne vel minimùm discedant, vnde etiam Maiestas ipsius ab ijs se subtrahere nolle videtur.

Hoc quidem est, quod iam hic video, & quod etiam in veritate dicere possum: timeant vero sibi illæ, quæ posteà venturæ sunt, & isthæc legent: &, si non videant tunc idem quod modò obseruamus, id temporibus ne adscribant: semper quippe tempus est, vt magnas Deus ei impendat gratias qui iincerè & in veritate ipsi seruit: videantq;, num in hoc aliquod irrepserit relaxamentum & defectus, ipsumque pro viribus emendare studeant & reparare.

Primis ordinum fundamentis sur magna sint gratia collata.

Audio interdũ, cùm de primis Ordinũ initijs sermo fit, Dñm sãctis illis priscis nostris antecessoribus (qui velut eorũ fundamenta erant) maio-

res

res gratias contuliſſe. Et verè ita id eſt. At, hi hauddubiè ſemper cõſiderabant, ſe fundamẽta & primordia eſſe illorũ, qui pòſt ſecuturi ſunt: &, ſi nos, qui iã viuimus, nõ excidiſſemus ac defeciſſemus ab eo q̃ illi præſtitere, &, qui poſt nos venturi ſunt, tantumdẽ & idipsũ nõ facerẽt, ædificiũ ſemper firmũ & inconcuſſum maneret. Quid enim mihi profuerit, præteritos & ſuperiores ſanctos, tales fuiſſe; ſi ego poſtea adeò ſim improba, vt malis meis moribus, malaq; quã induco conſuetudine, ædificium luxatum & diſſolutum relinquam? certum eſt enim, poſteros, & pòſt ſequentes non tam reſpicere & ante oculos gerere eos qui iam dudum præceſſerunt, quàm eos quos iam præſentes & viuentes vident. Ridiculum ſanè eſt, quòd imperfectionis meæ cauſam conijciã in id, quod inter primas nõ fuerim, & nõ perpendam, quantum ſit inter meam vitã ac virtutem, & illorum quibus Deus gratias tam excellentes faciebat, diſcrimen. Quàm ſunt, Deus bone, excuſationes hæ friuolæ & contortæ! quam manifeſtæ & euidentes hæ ſunt illuſiones! pœnitet ac tædet me, Deus meus, eſſe me tam ſceleratam, & obſequio tuo, tam parum addictam. Sed noui, Domine, me in culpa eſſe, quominùs mihi facias gratias, quas prædeceſſoribus meis contuliſti: miſeret me vitæ meæ, Domine, dum illam cum ipſorum vitæ compono; quod certè ſine lacrymis dicere non valeo. Perdidiſſe & diſſipaſſe me video, quod ſuo illi labore compararunt, ac nulla me ratione de te poſſe conqueri. Nefas quippe eſt quampiam cõqueri: at ſi ordinem ſuum in aliqua re prolabi, diſſolui, & relaxari videat, det operam, talis vt lapis ipſa ſit, ſuo vt adminiculo ædificium prolapſum reſtauretur & reſurgat: ad quod ei Dominus hauddubiè auxilio erit.

Primis ordinũ fundamentis eum magna ſine gratia collata.

Vt autem ad id quod dicere propoſueram reuertar (multùm enim de via quam inire cæperam deflexi) tam multas ac tam ſingulares Dominus hiſce in domibus gratias monialibus præſtat, vt omnes eas ad meditationem euehat; nonnullæ porro ad perfectam pertingant contemplationẽ, aliæ vero vſque eò euehãtur, vt & raptus & ecſtaſes patiantur; alijs quoque alio modo gratias Dominus elargiatur, nec non reuelationes & viſiones, & quas à Deo prouenire quàm manifeſtiſſimum eſt. Nullum namque hodie monaſterium eſt, in quo non duæ aut tres, quibus huiuſmodi gratiæ fiant, reperiantur: quamquam norim in hoc ſanctitatem nequaquam conſiſtere, vti neque propoſitum mihi eſt, ſolùm eas dilaudare ac celebrare; ſed ideo hæc dico, vt ea quæ hic præſcribere volo monita appareat non eſſe præter rem aut extra propoſitum.

Monialium Diſcalceatorum primariũ perfectio.

CAPVT V.

NONNVLLA QVOAD ORATIONEM MONITA PROponuntur: est hoc caput ijs qui in rebus actiuis sese occupant, cumprimis vtile.

NOlo, neque etiam persuasum mihi est, vt quæ hic dictura sum, ita certa habeantur, vt ea ceu regulam & normam infallibilem omnes sequantur; quod certè in rebus adeò difficilibus velle, nimis quam absurdum & ineptum foret. Nam, quod in hac via spirituali permultæ sunt semitæ, fieri posset, vt de vna ipsarum aliquid, quod quadret atque ad propositum sit dicendo afferam; vnde si per eam non incedentes me non intelligant, id non aliam ob causam fiet, quàm quòd per aliam ipsi incedant; si autem nulli omnino per hoc prosim, Dominus saltem bonam suam voluntatem benignè admittat; cum norit me, tametsi omnia & singula in me experta non sim, in alijs tamen animabus eadem perspexisse & notasse.

In quo perfecta orationis substantia sita sit.

Primò autem ostendere & docere (pro ingenij mei tenuitate) volo, in quo perfectæ orationis substantia consistat. Incidi quippe in nonnullos, quibus omne negotium in sola cogitatione situm videtur, quam si in Deo valdè defixam habere possint, tametsi sibi quam maximam vim inferentes, statim sese spirituales esse existimant; si verò eam aliorsum diuertant (quod id impedire nequeant) esto ob res valdè bonas, quamprimum contristantur & anguntur, seque perditos esse arbitrantur. Qui verò docti sunt, huiusmodi ignorantia & inscitia non laborabunt, tametsi etiam inciderim in aliquem, qui crassa hac ignorantia detinebatur; at nos mulieres omnium rerum commonefieri oportet.

Bonum est cogitationē semper Deo occupatam habere.

Non dico, insignem Dei gratiam non esse, cogitationem semper in ipsum defixam & occupatam habere, deque eius operibus assiduè meditari posse: imò verò bonum est id ipsum nos facere conniti. At sciendum est, imaginationes omnes naturaliter ad hoc habiles & aptas non esse, animas tamen omnes ad amandum idoneas esse. Iam alio in loco (si bene memini) causas, ob quas imaginatio nostra sic diuagetur re censui, non tamen omnes (quòd certè impossibile foret) sed nonnullas; ideòque hac de re in præsens non ago, at ostendere duntaxat vellem, animam cogitationem non esse, neue bonum esse vt voluntas ab ipsa se regi sinat, id enim si fierer, malè certè cum ipsa ageretur, vti iam supra dictū est. Ea propter animæ profectus & fructus non tam in multum cogitando, quam multum amando consistit. Si autem suscitemini,

Amor Dei quatenus acquiratur.

quomodo amor hic acquiri possit? respōdeo seriò afficaciterque, propter Deum operari æquè ac pati, tum proponendo, tum id, cum

ad hoc

ad hoc sese offeret occasio, reipsa exequendo. Quamquam verum sit, animam dum secum ipsa cogitat, quidnam Deo debeamus, & quid tum ipse, tum nos simus, resolutionem quãdam induere quod est cũprimis meritoriũ, & ad ipsa principia quã cõuenientissimũ, dũmodò per hoc, nec obedientiæ exercitium, nec proximi vtilitas, ad quam caritas nos obligat, impediãtur. Nam si vel minima harũ duarum virtutum, exercendarum occasio occurrerit, illud ipsum tempus, quo ipsæ Deo offerre tantopere cupimus, (vti nos facere putamus, dũ in solitudine de ipso cogitamus, & iis quibus nos perfundit delicijs, gaudere & iucundari gestimus) nobis subtractũ, sibi hæc deposcit. Isthoc quippe, ob quamcumque harum duarum virtutum exercitandarum occasionem relinquere, est Deum ipsum recreare ac delicijs perfundere, & illius causa facere id, quod ore suo sacrosancto, olim ipse dixit, *Quod vni ex hisce minimis feciſtis, mihi feciſtiu.* Quod autem ad obedientiam attinet, non aliam nos insistere viam vult, nam quicumque bene eum amare cupit, ipsum sequatur oportet, cum *ad mortem vsque obediens* fuerit.

Obedientia & caritas erga proximũ præferẽda cogitationibus de Deo.

Matth. 25.

Si hæc ita se habeant & vera sint, vnde igitur illud prouenit fastidium ac morositas, quod plerumque sentimus tum, cum potissima diei parte, mente recollecta & sequestrata, in Deum absorpti non fuimus, esto interea alijs illis rebus fuerimus occupati & vacauerimus? Ob duas id, (vt mihi quidem videtur) rationes prouenit. Prima, eaque potissima est amor proprius, qui hic adeò subtiliter sese insinuat & intermiscet, vix vt percipi possit, quod scilicet potiùs nobisipsis, quàm Deo placere & contentare velimus. Certum namq; est, animæ cuipiam, postquam gustare iam incipit quàm Dominus suauis sit, magis volupe & iucundum esse, vt corpus quietum & laboris expers maneat, ipsa verò interea deliciis perfruatur. O charitas eorum qui Dominũ hunc verè sincereq; amant, eiusq; conditionẽ perspectã habent! quã parũ habere quietis poterunt, si se parũ, vel aliquo modo in causa esse videant, vt vel vna tantũ anima in spiritu proficiat, Deũq; magis amet, tũ ad aliquã consolationẽ ei adferendã, tũ etiã ad aliquo eã periculo eripiendã? (nã ægrè per quietẽ hanc suã particularẽ quam sectantur, quietem inuenient.) Et quando factis, opere & reipsa nihil præstare possunt, saltem per orationes id facere procurant: Dominum identidem pro plurimis illis animabus, quarum ruinæ compatiuntur, quod eas in interitum ruere videant, importuniùs rogantes. vnde suis ipsi haud inniti delicijs carent & eas perdere gaudent, & hanc iacturam ducunt, vt lucrosam, quòd propriorum gaudiorum immemores, aliud non spectent, quàm quomodo Domini voluntatem magis & melius exequantur.

Tertio tricissimus cum de Deo cogitare veramur, & aliis rebus subamur inuidere.

Caritas in proximum suipsius obliuiscitur.

Eodem quoque modo se res habet in obediẽtia. Stupidũ certè & intolera-

Obedientia præponenda particulari deuotioni.

tolerabile foret, vt Domino nos apertè ad aliquid, quod permultum illius interesset, exequendum vocante, ipsi id aggredi detrectaremus, sed eum obtutu defixo dumtaxat intueremur, & sic melius quiete ipsi nostra fruamur. Egregius sanè hic est in Dei amore profectus & progressio. Hoc namque ei est velut manus colligare, dum ipsum vna tantum via nobis prodesse & iuuare nos posse arbitramur. Noui non nullos, quibuscum aliquando communicaui, vt prætereà id, & ipsa (vti dixi) per experientiam didici) qui hanc me veritatē intelligere fecerunt, quando minimum maiorē in modū affligebar, & me temporis laborare angustia viderem. Hinc maximopere illis cōpatiebar, quòd eos variorū negotiorum & rerum, quas ipsis præscribebat obedientia, tractatione perpetuò occupatos viderē. vnde intra memetipsam cogitabā, (quin & apertè dicebā) fieri non posse, vt tot inter turbationes & rerū strepitus spiritus ipsorum crescere, quod eum tunc temporis permodicū & exiguum haberent. Quam, ô Domine, viæ tuæ longè sunt aliæ, quàm imaginationes nostræ sibi non fingunt! & quàm ab anima, quæ iam apud se proposuit & decreuit te amare, inq; tuas manus sese resignauit, aliud nō cupis, quam vt obediat, & inquirat ecquid magis ad tuū obsequium & seruitium faciat, & hoc ipsū ex animo desideret? Alias proinde vias, vt quærat, aut sibi seligat, necesse nō est, illius quippe voluntas iā tua est. Tu, Dñe mi, illā in te curā suscipis, illuc vt illā conducas & dirigas, è quo magis proficiat. Et esto Superior ipse eam curam non habeat, eā vt conducat per vias, per quas anima maius lucrum faciat, sed tantùm, vt quæ cōmunitati necessaria esse & expedire iudicat, fiant & executioni mandentur, tu tñ. Deus meus, curam illam habes, animamq; & res agendas ita disponis & ordinas, vt animæ se & spiritum habere (nescientes tñ, & non intelligentes vnde hoc prouenerit) & magnū profectum feciſſe cōperiant, huiusmodi mandatis magna cum fidelitate obediendo, ipsæq; postmodū non parū id obstupescant. Talis certè erat persona quædam, qua cū non ita pridē egi, q̄ quindecim circiter annos obedientia varijs officijs, muneribus & præfecturis tā laboriosè detinuerat & occuparat, vt toto illo tempore ne vel vnum diē se habuisse meminisset, quo sibi vacare potuisset; tametsi aliquod ipsa per diē sufficiens spatiū tēporis, q̄ poterat, maximè satageret, quo orationi & conscientiæ purgandæ vacaret. Nullā hac vidi ad obedientiā propensiorem & inclinatiorē, vnde & eam adfricat iis, quotquot cū ipsa tractāt & agunt. Benè sanè hāc ei Dominus rependit & compensauit: etenim illā spiritus libertatē tanti æstimatam, quā habent perfecti, habere se comperit, vt tñ nesciat vnde illa sibi prouenerit, in hac porro omnis, quæ hac in vita desiderari potest, consistit felicitas ac bonum: dum enim nihil omnino desiderat, possi-

Ironia.

Obedientia quam in anima agat mutationē.

Libertatis spiritus bonum.

det

det omnia. Tales qui sunt, nihil omnino terræ huius aut timent aut desiderant; non illos turbant aut percellunt labores, non mouent gaudia: denique nihil omnino est, quod pacem mentis ipsis eripere, aut eos inquietare possit. etenim hæc à solo Deo dependet; &, sicut hunc ipsis nemo auferre aut tollere valet, ita & solus illius amittendi metus illos percellere & affligere potest: quòd reliqua omnia quæ in hoc mũdo sunt (prout quidem ipsi censent) sint quasi non essent; quòd ad ipsis satisfaciendum, nihil omnino is aut faciat, aut noceat.

O beata obedientia, ó beata, quæ illius causa contingit distractio! vtpote quæ tam multa consequi & obtinere potest. Neque is, quem dixi, solus est, qui tanta est consecutus; noui enim & alios eiusmodi, quos cum iam à multis annis non vidissem, & postea rogarem, quibus interea temporis exercitijs spiritus vacassent, intellexi solis obedientiæ & caritatis operibus eos incubuisse ac se dedidisse; ex alia verò parte, in tantum eos in rebus spiritualibus profeciſſe comperiebam, vt non parum obstupescerem. Itaque filiæ meæ, nolite hanc occasionem negligere; at, cùm vos obedientia rebus exterioribus intendere & vos totas impendere iusserit, persuasum habetote, Dñm, etiam in culina medias inter ollas & lebetes, vobis ad esse, ac tũ internè, tum externè cooperari.

Religiosi cuiusdam obedientia visio.

Venit hic mihi in mentem Religiosi cuiusdam, qui mihi narrauit, se aliquando firmiter apud seipsum statuisse & decreuisse, vt, quamcũque sibi rem Superior mandaret, quantumuis ea sibi molesta & grauis futura esset, eam exequendam gratanter susciperet. quadam verò die sibi contigisse, vt, cùm per diu laborando sudandoq; propè exhaustus esset, & vesperi, cùm vix in pedes consistere posset; ac iam vt ad quietẽ se componeret, paululùm consideret; Superior id videns, eum ligonem sumere, & ad hortum fodiendum abire iusserit. Se verò, esto ita exhaustus & defatigatus esset, vt plus laborare non posset, tacuisse, & ligonem accepisse; cum autem per transitum quendam, qui in horto erat, (quem & ego multis post annis quàm hoc ipse mihi narrauit, vidi, cum monasterium fundatura ad ciuitatem illam veniſſem) transire vellet, apparuisse sibi in eo Redemptorem nostrum Iesum crucem humeris baiulantẽ, ita fractum, exhaustum & anhelantem, satis sibi vt indicaret, defatigationem & pœnam, quam subierat nihil esse, si cum ea quam ipse olim in cruce baiulanda subierat, conferretur.

Cur diabolus obedientia ita aduersetur.

Credo equidem, dæmonem, quod videat, nullam esse viam, quæ hominem citius expeditiusque ad summam perfectionem conducat, quã obedientiam, hinc tot fastidiorum, displicentiarum ac difficultatũ genera ei in hac ipsa obijcere, idque sub boni alicuius prætextu. Hoc autẽ inprimis notari velim; & ad oculum apparebit, verum me dicere. Certũ

porro

Perfectio ſumma in quoſita.

porro eſt, ſummamque veramque perfectionem non tam in delitijs ac conſolationibus internis, nec in ſublimibus raptibus, nec in viſionibus, nec in ſpiritu propheriæ conſiſtere, quàm in tam perfecta voluntatis noſtræ cum diuina conformitate, nihil vt Deum velle intelligamus, quod non & ipſi omni noſtra voluntate velimus, & tam libenter amara & aſpera, quàm ſapida & mollia ſuſcipiamus, ſi Maieſtatem eius id velle nouerimus. Hoc certè difficillimum videtur eſſe, non quidem id facere, ſed verè nos gaudere in eo, quòd voluntas noſtra naturæ noſtræ penitus contraria velit, eique contradicat. Et verè difficile id eſt: verùm amor (ſi modò perfectus ſit) eas habet vires, vt noſtras ipſi oblectationes obliuiſcamur, quò recreemus eum quem diligimus. Porro ita reuera ſe res habet, eſto enim labores & maximi & grauiſſimi ſint, cognito tamen, Deo nos quamdam per eoſdem voluptatem adferre, dulces nobis fiunt & grati. Et hoc modo amant illi, qui huc per perſecutiones, per infamias, per iniurias peruenerunt.

Hoc porro ita certum, cognitum, & apertum eſt, vt neceſſe me non ſit hiſce declarandis diutiùs immorari: Dum taxat cauſam exponere volo, cur obedientia (meo quidem iudicio) citius hominem ad beatum hunc ſtatum peruenire faciat, & cur optimum ipſa & maximum ad illud ſit medium. eſt autem hæc. quòd enim voluntatis noſtræ domini nullatenus ſimus, ad eam purè ſincereque omnem quanta quanta eſt in Deum impendendam, quoadusque eam rationi ſubijciamus, hinc obedientia compendioſiſſima & veriſſima, ad eam illi ſubiiciendam, via eſt. Si enim exſpectemus, vt bonis rationibus & argumentis illam ei ſubiiciamus, numquam quod prætendimus effecturi ſumus, eſtque via hæc nimis quàm longa & periculoſa. Natura quippe noſtra, & amor proprius, tot tamque validas à parte ſua rationes habent, numquam vt huc peruenturi ſimus. & ſæpè fit, vt quod maximè rationi conſentaneum apparet (ſi huc tamen animo & voluntate non propendeamus) rationi diſſentaneum atque abſurdum videatur, ob exiguam, quam ad ipſum opere exequendum voluntatem & animum habemus.

Cur hominem obediẽtia cito ad perfectionẽ adducat.

Tam multa porro quoad hoc dicenda occurrerent, nunquam vt finem faceremus, ſi de conflictu hoc interiore loqui vellemus: multa quoque nobis cacodæmon, mundus ac noſtra ſenſualitas obiiciunt ac proponunt, vt inuita & reluctante ratione quid faciamus. Sed quid remedij? Quemadmodũ hic inter homines dũ lis admodũ dubia & anceps eſt, iudex aliquis & arbiter deſignatur, in cuius manus actor & defenſor, controuerſando & litigando defeſſi, iuris ſui argumenta conſignant; ſic & anima noſtra arbitrum aliquem ſibi capiat, Superiorem ſcilicet aut Confeſſarium, cum propoſito non ampliùs contendendi,

nec de

nec de lite ſuæ amplius cogitãdi, ſed verbis Domini dicẽtis, *Qui vos audit, me audit*, ſtandi ac confidendi, itaque omnem voluntatis ſuæ curam deponendi. Tanti porro hanc voluntatis redditionem reſignationemque Dominus facit (& meritò; per hanc quippe eum liberi arbitrij, quod nobis dedit, dominum conſtituimus) vt, cũ ſemel illam exercuerimus, & dein adhuc ſemel mille cum difficultatibus nos abſtrare conamur; tandẽ, abſurdum & ineptum iudicantes quidquid in cauſa noſtra iudicatur, illi rei quæ nobis iniungitur, per laborioſum hocce exercitium, nos conformare incipiamus. Et verò ſiue cũ labore, ſiue ſine vllo labore, ſaltẽ ipſum exequimur. Ipſe etiam Dominus à parte ſua ita nos hic iuuat, vt, quam ob cauſam voluntatem & rationẽ noſtrã illius cauſa alteri ſubiicimus, ob eamdẽ nos illius dominos faciat. Cùmq; iam demũ noſtri ipſarum Domini fuerimus, tunc nos ipſos quàm perfectiſſimè in Dei obſequium impendere poſſumus, voluntatem noſtram puram & ſincerã illi dando, quò eã ſuæ coniungat & vniat; petendoq;, vt amoris ipſius ignis de cælo deſcendat, & hocce ſacrificiũ noſtrum ſuccendat, auferendo ab eo quidquid illius oculis diſplicere poteſt; cum, quo minus id fiat, nos iam in cauſa nõ ſimus: etenim iam ipſum (eſto non ſine maximis laboribus) altari impoſuimus, & (quantum in nobis fuit) non iam amplius in terra iacet, nec eam tangit.

Voluntatẽ ſuã reſignare quanti momenti ſit.

Certum eſt, non poſſe quempiam dare, id quod non habet; ſed vt det, prius id habeat oportet. Quapropter mihi credatis velim, nullum eſſe ad hunc theſaurum comparandum, medium melius, quam fodere & laborare, vt is ex hac obediẽtiæ fodina eruatur. quo enim plus fodiemus, eo etiã plus inueniemus, & quo nos amplius hominibus ſubiiciemus (aliud ſcilicet non cupientes aut volentes, quàm quod noſtri volunt ſuperiores) eo magis voluntatis noſtræ domini erimus, ad eam diuinæ conformandam. Videte igitur, cariſſimæ, an non ipſa guſtus, qui inſolitudine captanda ſentitur, carentia ac derelictio vobis bene compẽſanda ſit? Equidẽ dico vobis, non ideo quòd ea careatis, minus vos diſponendas ad veram illam vnionem quam diximus obtinendam, quæ in eo ſita eſt, vt voluntas mea cum diuina conformetur & vna ſit. Hæc nempe eſt vnio, quam deſidero, quamque vos omnes habere vellem: non verò quaſdam ſapidas admodum, quales eſſe ſcio, abſorptiones, quibus vnionis nomen nonnulli dederunt. Et hæc etiam vnio erit, dummodo ſequatur poſt eam quam iam dixi. At ſi poſt ſuſpenſionem illam, modicam inuenire ſit obedientiam, & propria adhuc ſuperſit voluntas, erit hæc (vt mihi quidem videtur) cum amore ſuiipſius proprio, vt non cum diuina voluntate, vnita. Det mihi Maieſtas eius ita id opere & reipſa exequi, vt quidem id ipſa intelligo.

Voluntatẽ reſignando eius Domini reddimur.

Vnionem qualẽ ſuam habere S. M. velit.

In solitudine minor est Dei offendendi occasio, & propterea diligenda.

Altera causa, è qua (vt mihi quidem videtur) hoc fastidium & displicentia promanat, est; quòd, cùm in solitudine, minor Dei offendendi sit occasio (fieri enim non potest, vt non semper sit aliqua, cùm & dæmones vbique sint, & nos ipsos quocumque locorum circumferamus) anima . iore in puritate & munditie viuere videatur, cui, si anxiè Deum offendere metuat, maximæ consolationi est, nullam omnino, in quam impingat, peccandi occasionem habere. Hæc, vt verum fatear, ratio, ad cum hominibus non conuersandum, & res nullas tractandas, magis nos mouere debere videtur, quàm prior illa, quæ ad magnas Dei delicias & gustus sentiendos, solitudinem suadebat captari. In publico & conuersatione cum alijs, carissimæ, elucescit & parebit amor, & non in angulis & latebris, at medias inter occasiones: & mihi credite, esto plures ibi occurrant imperfectiones (quin & parui quidam lapsus & concussiones) lucrum certè nostrum incomparabiliter maius esse. Notandum verò, me semper hic præsupponere, nonnisi ex Superioris mandato, & caritate mouente, in illas nos occasiones conijcere: etenim, nisi duæ illæ virtutes intercurrant, semper dico & repeto, solitudinem multò meliorem esse, & hãc etiam, cum in exteriores quas dico occupationes nos effundimus, nos desiderare debere. Hoc sanè desiderium continuò habent animæ, quæ Deum sincerè & ex animo diligunt. Quod autem dixi, id maximè lucrosum & proficuum esse, id eò est, quòd similibus in occasionibus intelligere nobis datur, qui simus, & quousque se virtus nostra extendat. Etenim, qui semper intra cellæ suæ angulos latet, & in solitudine (quantumlibet etiã suo iudicio sit sanctus) nescit an patientiæ atq; humilitatis virtutem habeat; ac ne quidem illius sciendi occasionem vllam habet. Quomodo enim quis, qui magna corporis fortitudine & robore est, talis esse scietur, si numquam pugnam inierit, & nullo in conflictu fuerit? Multũ quid, & magnum se S. Petrus esse putabat; sed considerate, qualis data iam occasione fuerit: ex hac tamen mina & lapsu egressus, didicit nihil omnino sibi fidere, sed in Deo omnem fiduciam suam ponere; vnde etiam martyrium, quod vidimus, postea subiit.

Non immiscemus nos exterioribus, nisi ex obedientia & caritate.

Occasio offendit quales quisq; sit.

Vtinam, Deus bone, quanta miseria nostra sit, intelligeremus! omni sanè in re subest periculum, nisi ipsam perspectam habeamus. hinc perutile & salutare est, nobis quædam facienda iniungantur, vt sic nostram ipsi vilitatem & abiectionem intelligamus. Equidem maius Domini beneficium reputo, diem vnum in humili nostri ipsorum cognitione (esto multis nobis afflictionibus, & laboribus is steterit) transegisse, quàm multos in oratione, idque etiam eò magis, quòd verus ac sincerus amator in omni loco amet, & nusquam non dilecti sui memoriam sibi

præsen-

præsentem habeat. Certè durum esset, si in angulis dumtaxat ac solitudine orationem quis instituere posset. Video quidem ipsos ad multas eam horas & diu extendere non posse; sed, quas non habet apud te vires, Domine, suspirium è laborioso afflictique cordis penetralibus profectum! vt appareat, ad hoc impediendum non sufficere quòd in hoc exilij loco agamus, verùm etiam, esto ad solitudinem captandam commodus nobis locus denegetur, solos tamen nos esse posse, tecum in solitudine deliciando. Huic euidenter colligere est, esse nos seruos ipsius propria nostra voluntate ac sponte, at illius amore & causa, obedientiæ virtuti venditos, cùm propter illam ipsomet Deo quadamtenus frui & gaudere negligamus. Verùm nihil sunt hæc omnia, si ipsum è sinu Patris, ex obedientia, quò se seruum nostrum constitueret, venisse consideremus. Quid igitur huic gratiæ & dignationi dignè à nobis persolui & rependi poterit? Eapropter necesse nos est videre, ne in operibus vestris (esto ex obedientia præscriptis, & ex caritate susceptis) peragendis ita vestri immemores sitis, vt non sæpè interius ad Deum vestrum recurratis. Et mihi credite, non ex multis horis & longo tempore quod orationi impendatur, animæ ex ea lucrum accedere, quando aut Superioris iussio, aut erga proximum caritas, ad alia eam opera vocant, aut ipsam obedientiæ caritatisue operibus (vti dictum est) accuratè intendere iubent: hæc enim mirè iuuant, vt quàm breuissimo temporis spatio meliùs disposita reddatur, ad amorem suum accendendum, quàm (si illis deficientibus) multas horas multumque temporis considerationi impenderet. Omnia ab illius manu veniant necesse est, vnde sit ipse in sempiternum benedictus.

In turba sæpe esse possumus.

Christus ex obedientia homo factus est.

Caput VI.

DOCET, QVAE HOMINIBVS SPIRITVALIBVS EVENIRE possint damna ex eo, quòd non intelligant, quando spiritui resistere eos oporteat. Agit quoque de intensis quæ anima habet ad sacram communionem accedendi desiderijs; & quædam sub his latere possit illusio. Multa hic traduntur, quæ harum domorum rectrices scire multum interest.

Magna diligentia ac studio conata sum intelligere, vndenam ortum habeat, magna illa absorptio & intensio mentis, quam nonnullas personas quas miris Dñs in oratione gustibus ac suauitatibus perfundit, habere vidi: & per quas non stat, quo minùs se ad gratiam recipiendam disponant. Non loquor autem hic de animæ suspensione, aut raptu, quem Deo dante patitur, cùm de eo alibi multa scripserim; & de huiusmodi materia non est q̃ multũ loquamur. nam à parte nostra, quantũlibet resistere connitamur, nihil omnino possumus, dummodo verus

Absorptio mentis non bona vnde procedat.

sit raptus. Notandum porro est, violentiam illam, quæ nos hic violentè abripit, & impedit, quo minùs nostri ipsorum domini simus, quàm breuissimo tempore durare. Verùm sæpè fit, vt, dum quis orationem quietis per modum somni spiritualis incipit, anima ita absorbeatur, vt, si nesciamus quomodo hic nos gerere oporteat, & multum temporis amittere, & nostra culpa, at exiguo cum merito, valetudinem ac vires nostras exhaurire possimus. Vellem hic me possem declarare; ac materia ita difficilis & obscura est, vt nesciam, an, prout oporteat, eam potero explicare: hoc tamen scio, animas hac illusione detentas, si modò mihi fidem adhibere velint, facilè me intellecturas.

Noui nonnullas, & quidem virtutum cultrices egregias, quæ ad septem octone horas hac in absorptione hærebant; & toto hoc tempore verè raptum se passas arbitrabantur: quin & quodliber virtutum exercitium ita eas mox occupabat & recolligebat, vt statim à se ipsis exirent, existimantes non bene se facturas, si Domino resisterent; itaque paulatim fieri posset, vt vel emoriantur, vel mentis & cerebri impotes fiant, si remedium adferre non satagant. Quod autem hoc in casu scio & intelligo, hoc est: quando iam Dominus animam recreare & deliciis perfundere incipit, ex eo quod natura nostra ita delectatione & voluptatibus capiatur, vsque adeò se ipsa sapido huic gustui impendit & applicat, vt se nec mouere quidem vellet, nec vllam omnino ob rem ipsum perdere. Hic quippe (vt verum fatear) longè sapidior & suauior est; quàm quascumque mundus dare voluptates potest: maximè si naturâ & corpus imbecillum, & cuius ingenium (aut, vt meliùs loquar, imaginatio) naturaliter ita inuariabile sit, vt, dũ semel rem aliquam apprehenderit, in ipsa pertinaciter maneat, nec ampliùs inde se diuertat, nactus fuerit. Sicuti permulti sunt, qui dum de re quadam (tametsi de Deo illa non sit) cogitare incipiunt, in ea cogitatione velut absorpti manent; aut, dum rem aliquam intuentur, cõtinuò in eo obtutu hærent, non reflectentes ad id quod aspiciunt; qui naturæ sedatæ & quietatæ cùm sint, ex negligentia obliuisci videntur eorum, quæ dicturi sunt. Eodem planè modo hic contingit in rebus spiritualibus, quãdo natura, corpora, ac complexio debilis est: sin verò melancholica illa sit, sexcentas hæc illis illusiones & deceptiones, & quidem admodum sapidas suggeret. De isthoc humore & complexione paulò inferiùs agã; imò, quãuis hic ipse in homine non dominetur, nihilominus id quod dico cõtingit. Idem quoq; locum habet in iis qui seipsos per corporales austeritates destruxerunt. Nam, sicuti antè monui, cũ iã amor sensibiliter illos afficere incipit, vsq; eo se à gustu isthoc

Gustus sapidos quàm anima consectatur.

abripi

abripi sinunt, quousque eos abripi dixi. Vtque dicam quod sentio, malim certè, vt se fascinari & illudi non paterentur, hinc huic orationis modo benè facient si resisterent. Etenim sicut, dum corpus imbecille est, facilè in tale deliquium & virium defectum incidit, vt nec loqui, nec sese vllatenus commouere possit; eodem planè modo hic fit, nisi quis resistat: quippe, si corpus imbecille & debile sit, ipsa spiritus vehementia, ipsum occupat, arripit, & sibi subijcit.

Quanã inter verum raptum & hãc absorptionẽ sit differentia.

5. Petet à me hic quisquam, ecquæ ergo sit inter hoc & raptum differentia? videtur enim idem esse, saltem prout exteriùs apparet (& non immeritò ita censent) sed non quoad rei essentiam & in effectu. Raptus enim, vel omnium potentiarum vnio (vti aliàs dixi) paruo durat tempore, magnosque post se relinquit effectus, nec non miram quamdam in anima lucem, & alios non paucos fructus; adhæc in eo intellectus nihil omnino operatur vel discurrit, sed solus Dominus tunc in voluntate operatur. Hic verò longè aliter se res habet; nam tametsi corpus captum & alligatum velut sit, non tamen voluntas, memoria, intellectus; sed hæc operationem suam inuariabiliter, & forsitan etiam vni rei non adhærendo, facient, adeo vt hic quidem se effundant, illic verò se restringant. Equidem nullum in pœnosa hac corporis imbecillitate fructum latere comperio, nisi quòd à bono quodam nata sit principio; quare magis hæc conducat, vt hocce tempus bene impendatur, quàm vt tanto tempore quis absorptus maneat. Plus certè mereri possunt, res ab obedientia præscriptas exactè exequendo, in illis non deficiendo, & ad illas exequendas habiles sese efficiendo; quàm vt illa & tali à recollectione sese abripi patiantur, quæ ipsis & vitam destruat, & obedire iussis non sinat.

Deliquiorũ longiorũ mala.

Vnde etiam Priorissas moneo, vt, quamcumq; possunt, diligentiam adhibeant, ad longa hæc deliquia eliminanda, quæ, meo quidem iudicio, aliud non sunt, nec ad aliud quidpiam conducunt, quàm vt potentiæ sensusq; insolenter se gerant, ad non faciendum id quod anima ipsis præscribit; itaque eam illo priuant lucro, quod tum obediendo, tum Domino placere satagendo comparare solet. Vnde si Præpositæ intelligant, corporalem id debilitatem esse, dent operam, vt ei ieunia & flagellationes (eas scilicet, quæ non sunt obligationis; quin imò fieri posset, vt & omnes omnino bona & tuta cũ conscientia prohiberi possint) penitus prohibeant, & quasdam illi præscribant occupationes vt distrahatur in varia. quin imò necessarium hoc etiam est, tametsi huiusmodi mortificationes ipsa non vsurpet, dummodò imaginationem multùm occupatam & intensam habeat, esto etiam in rebus valdè sublimibus ad orationem spectantibus. Sæpè namque contin-

Corporis affectiones quando inhibenda.

git, eas non esse sui potentes, præsertim si extraordinariam quamdam à Domino acceperint gratiam, aut visionem aliquam viderint: tunc quippe anima taliter constituta manet, vt semper eam videre se putet; quod tamen non sic est, cùm nonnisi semel eam viderit. Vnde necesse erit, eum, qui in hac absorptione ad multos dies hærebit, omnimodis procurare considerationem vt mutet, aut eam distrahat; etenim (dummodo id fiat in rebus ad Deum spectantibus, ob eam quam dixi causam) inconueniens minimè est, vt modò vnum agat, modò aliud, dummodò semper in rebus ipsius occupetur & laboret. ac nonnumquam tam Deo gratum est, nos de suis creaturis, necnon de ea quam in illis creandis ostendit potentia, quàm de ipsomet Creatore cogitare.

Quomodo se Lapossit absorptio.

Prò infelicem hominum miseriam, quæ per peccatum eò deuenisti & redacta es, vt etiam in eo quod bonum est, certa quadam mensura & limitatione nos dirigi oporteat, ne nostram ipsi valetudinem destruamus, & ita profligemus, eo vt frui nequeamus! Et certè par est, permultos, atque eos præsertim qui infirmioris cerebri vel imaginationis sunt (atque hoc est, Domino magis seruire, & id cumprimis necessarium est) semetipsos intelligere Vnde si quæ videat, se, dum imaginatione sua aliquod Dominicæ passionis mysterium, aut gloriam cælestem, aut aliquid huiusce modi reuoluit, ad multos dies ita in illa cogitatione perdurare, vt (etiamsi velit) de re alia quapiam cogitationem instituere nequeat, & quo minus in hac absorpta maneat, impedire non valeat; hæc longè sibi conuenientius esse intelligat, vt, quomodocunque possit, se se in varia distrahat: sin minùs, tempus veniet, quo ad oculum videbit, quantopere hoc sibi noceat, & hoc ipsum ab alio principio non nasci, quàm eo quod dixi, puta vel à magna imbecillitate corporis, vel ab imaginatiua; quod secundum longè deterius est. Nam quemadmodum stultus, si quid imaginationi imprimat, sui ipsius potens non est, nec cogitationem inde diuertere potest, neu alia de re cogitare, vti nec vllis ad hoc faciendum argumentis rationibusque induci, eò quod rationem in manu non habeat: sic & in hac re posset contingere, esto hæc, sapida quædam & grata sit stultitia.

Quid si humorem & complexionem melancholicam habeat? maximum hæc adferre ei damnum potest. Equidem non inuenio, in quo illa prosit, aut bona sit; ob eas quas dixi causas; Præsertim verò, quòd anima capax & idonea sit, ad ipsomet Deo fruendum:

endum: qui quòd infinitus sit, hinc anima velut captiua & vincta videtur, dum vnius dumtaxat magnitudinum aut mysteriorum eius considerationi adfigitur & adhæret, cùm tam multa de eo cogitanda occurrant in quibus occupemur; quo enim plura de eo cogitare volumus, eo magis magnitudines & magnalia eius patescunt. Non id tamen eò dico, vt hora, aut die vno multa ac varia cogitentur (hoc quippe forsan esset, nullo omnino bono gaudere) quòd enim res hæ adeò subtiles & delicatæ sint, nolim cogitetis id me dicere, quod ne quidem in mentem mihi venit vt dicerem, neue vnum pro altero intelligatis. Certè tanti vestra refert, caput hoc, prout oportet, intelligere, vt, tametsi id mihi permolestum sit scribere, molestum tamen & graue non sit, nec sit vellem ei, qui ipsum semel legendo non intelliget; sæpiùs id relegere; ac præsertim Prioriſſis ac Magistris Nouitiarum, quarum est sorores in orationis exercitio instruere & formare. Nisi enim in principio circumspectè & cautè remedium adhibeant, videbunt certè quàm multò postea opus sit tempore, ad huiusmodi debilitatibus medendum & obuiandum.

Plura de Deo, non vnum, cogitanda.

Si quod hinc resultare oculis ipsa meis vidi & intellexi, recensere vellem damnum, videretis hauddubiè, non sine ratione me hoc ipsum vsq; adeò exaggerare. Vnum dumtaxat vobis exempli loco referre volo, & hinc de reliquis iudicium ferre poteritis. In quodam horum monasteriorum duæ sunt Moniales, vna monacha, altera laica; ambæ orationis exercitio deditissimæ, quâ & mortificatione & humilitate & omnigenis virtutibus condecorabant: quas adhæc suis mirificè Dominus delicijs consolationibusq; perfundit, ac quibusq; sua identidem magnalia communicat. cumprimis vero adeò sunt ab omni rerum terrenarum affectu expropriatæ, diuinoq; amori intensæ, vt (tametsi quàm studiosissimè & curiosissimè earum mores & vitam exploremus) acceptis à Deo gratijs (quantum quidem hic abiectio & vilitas nostra permittit) respondere vsquequaque, minimè negligant. Ideò autem tam multis de illarum virtute egi, quò, quæ illam non habent, magis timeant. Inde verò ingentes quidam desideriorum Domino fruendi impetus eas inuadere incipiebant, adeò quidem vehementes, vt hos ipsæ continere & inhibere non possent; solùm tum mitigari & sedari hi videbantur, cum sacram communionem adibant: vnde apud Confessarios suos instabant, sæpius eam adire vt sibi liceret. inde verò vsque adeo hæc illarum pœna increscere cæpit, vt, nisi quotidiè Sacrosanctæ Synaxeos fierent participes, sese emorituras crederent. Confessarij porro, tales animas videntes nec non intensa illarum desideria (esto horum alteruter in spiritualibus esset quàm exercitatissimus

Exemplum de duabus monialibus discalceatis.

tiſsimus)hoc vnum malo ipſarum leniendo remedium expedire & cõuenire exiſtimabant. Neque etiam hoc ſatis ipſis erat, neque hic ſiſtebant; ſed harum alteram tam vehemens occupabat anguſtia & preſſura, vt ſummo mane eã communicare oporteret, quò per diem (vt quidẽ illi videbatur) poſſet viuere. & ſane non ipſæ erant huiuſmodi, vt quid fingerent, aut ob quamcumq; mundi rem vllatenus mentirentur. Equidem tum illic non agebam; ſed Præpoſita mihi per litteras ſignificauit, quid rerum ageretur, & neſcire ſe quid circa illas quoad hoc facere poſſet, & homines ſatis magni nominis dicere, cùm aliter malo hæ ſuo mederi non poſſent, hoc illas remedio conſultò vti. Equidem ſtatim, Domino permittente, quid rei eſſet intellexi; tacui nihilo minus, vſque dum præſens adeſſem: timebam enim decipi; nec par erat, Confeſſario qui hoc ipſum probabat, contrarium me ſentire, quoadusque meas illi rationes & argumenta proponerem. Iam porro ipſe erat humilis, vt ſtatim atque illuc abij, & ipſum conueni, mihi aſſentiret & crederet Alter verò tam ſpiritualis non erat, & reſpectu alterius, propè nihil; hinc nullatenus hoc ei perſuaderi, & huc ipſe induci poterat. Sed de huius aſſenſu inductione que non vſque adeò laborabam, quod tam multis nominibus illi obſtructa non eſſem. Incepi ergo Religioſas has aggredi, & multis validis (vt mihi quidem videbatur) argumentis apud ipſas vti, quò ſibi perſuaderent, nonniſi merã imaginationẽ & illuſionẽ eſſe, cogitare, ſe, niſi hoc remedio verterẽtur, emorituras. Ipſe verò adeò mordicꝰ id tuebãtur, ſibiq; tã firmiter impreſſerant, nihil vt ad illas inde auellẽdas ſuffecerit, nec etiã ſufficeret, ſi quidẽ rationibus agẽdum eſſet. Vidi ergo tempus cum illis teri, & inanem operam ſumi: quare dixi ijs, me quoque eadem deſideria habere, &, quo magis hæc increſcerent, & maiora fierent, communione abſtinere velle; ideoque & ipſas communicare non debere, niſi cum reliquæ ſorores communicarent; itaque fore vt tres ſimul emorerentur. neque id multo magis velle, quàm vt huiuſmodi conſuetudo haſce in domos introduceretur, in quibus certè non deeſſent, quæ Deum tantum diligerent, quantum ipſæ, quæque idem etiam præſtare vellent. Certè damnum, quod iam conſuetudine, nec non diaboli opera (qui haud dubie ſeſe intermiſcebat) inualuerat, adeò extremum & notabile erat, vt reuera, cum ſacræ communionis participes ipſæ non reddebantur, emorituræ viderentur. Ego verò rigidam cum primis erga illas me præſtabam; quo enim magis videbam illas obediẽtiæ refragari, nec ſe velle ſubijcere, (quòd aliter facere non poſſent, prout quidem ipſis videbatur) eo id apertius meram vidi tentationem eſſe. Diem quidem illam non ſine magna afflictione & preſſura tranſegere; at poſtridie eadem paulo minor fuit, quæ exinde etiam quotidie ſemper magis

magis & magis minuebatur; adeò quidem, vt quamuis ego, quod ex obedientia ita iuberer sacram communionem nam alioqui, quòd eas ita debiles & infirmas viderē, minimè ad eam accessissem) adibam, ipsæ tamen propterea non conturbarentur. Non multò pòst, tum ipsæ tum reliquæ omnes, liquide id tentationem esse perspexerunt, nec non quàm benè factū esset, quòd tempestiuè huic malo esset remedium allatum: nam haud ita multò pòst, quædam isthoc in conuentu contigerunt, quæ magnam Superioribus, tametsi nulla ipsorum cum culpa; (& fieri potest, vt postea hac de re aliquid dicam) inquietudinem & molestiam causarunt, quòd eiuscemodi hi consuetudines nec approbarent, nec tolerarent.

Aliunde exemplum de monacho Cisterciensi.

Quam multa de id genus rebus exempla adferre possem! sed adhuc vnum dumtaxat dicam, quod tamen non in nostri Ordinis, sed Cistercienſis, monasterio contigit. Erat in eo Religiosa quædam, quæ quòd vitæ satis bonæ esset, crebris corpus suum atterebat flagellis & ieiuniis, vnde etiam ad tantam redacta debilitatem est, vt quotiescumque sacra illi adeunda esset communio, aut aliqua ad se se in deuotione excitandam occurreret occasio, mox solo prosterneretur, hocq; in statu octo nouemq; horis permaneret; quod tum ipsi, tum reliquis omnibus raptus esse videbatur. Hocilli adeò frequens erat, vt, nisi remedium allatum esset, multum hinc ei damni ac mali credam euenisset. Raptus hi per vniuersam ciuitatem fama celebrabantur: mihi vero permolestum id erat audire, quod mihi dedisset Dominus intelligere quidnā esset; & quem res finem & exitum habitura esset timebam. Qui eius confessiones excipiebat, mihi notus ac familiaris cumprimis erat; mihique rem omnem retulit. Ego verò quod nossem, ei aperui; esse nimirum debilitatem quamdam corporis, & aliud nihil quàm merum temporis dispendium; nec vllatenus hæc raptum redolere. Consului ergo, ieiunia & flagellationes ei vt interdiceret, eamque in alia diuerti iuberet. Ipsa, quòd obediens esset, mox ei morem gessit, atque non multò pòst viribus recuperatis, nulla exinde amplius raptum fuit memoria: si autem veri fuissent raptus, mortalium eos possibile fuisset impedire, vsque dum eos tollere Dominus voluisset. Tantæ quippe sunt vires spiritus, nostræ vt ad iis resistendum nimis quam imbecilles & infirmæ sint, & (vt alias dixi) singulares quosdam verus raptus in anima post se relinquit effectus, & in corpore defatigationem; alius ille quem dixi, non magis operatur, quàm si prorsus non euenisset.

Raptus veros nemo impedire potest.

Libertas spiritus quāti momenti

Hinc ergo ostensum maneat, quidquid nos ita occupabit & subijciet, vt id intelligamus suam rationi libertatem auferre, ipsum vt

ſuſpectum habendum eſſe, ac numquam nos hac via ad ipſam ſpiritus libertatem peruenturos. vtpote quæ hoc habet inter cetera, quòd omnibus in rebus Deum inueniat, & de eo in ijs cogitare poſſit: reliqua verò omnia aliud non ſunt; quàm mera ſpiritus ſeruitus & ſubiectio, quæ præterquam quòd corpori maximopere noceat, animam impeditet conſtringit, vt non creſcat: ſed, veluti ſe quis habet, dum in via qua incedit, in decipulam, ac occultas foueas, aut in cænoſam aliquam paludem incidit, è qua ſeſe expedire, aut vlterius progredi nequeat; ita ex parte hic cum anima agitur: quæ vt vlteriùs tendat & progrediatur non incedere tantùm debet aut ire, ſed volare.

Suſpenſio quamdiu ſine noxa durare poſſit.

Quid ergo remedii, quomodo dicent (aut potiùs illis videbitur) ſe in diuinitatis cogitatione abſorptas eſſe, &, prout quidem ſuſpenſæ erunt, nullatenus ſui potentes eſſe, neue vlla ſe ratione inde poſſe diuertere; quod certè nimis quàm frequenter accidit? Ecce, rurſum dico & moneo, non eſſe quod timeant, ſi fortè ad diem vnum, quatuor, aut etiam octo, ſuſpenſæ maneant: neque enim mirum eſt, eos qui debilis complexionis ſunt, tot diebus in ſtupore defixos & ſuſpēſos hærere. at, ſi diutius ſuſpenſio hæc duret, remedium aliquod erit adhibendū. Hoc vnum verò res hæc omnis id boni in hoc inuenire eſt quod culpa careat, nec meritum deſit, at inconuenientia quæ dixi multoque plura ſecum adfert: quod ad communiones attinet, ſat magnum abſurdum erit Confeſſario ac Prioriſſæ etiam in hoc non eſſe ſubiectam tametſi ſponſi ſolitudine angatur, non tamen extremè, ne ad extrema deueniat. Vnde neceſſe eſt, eam tam in hacre, quàm alijs mortificent, ſimulque intelligere faciant, multo eſſe ſatius ac conuenientius, propriam non facere voluntatem, quàm conſolationem priuatam ſectari. Adhæc amor proprius noſtri ipſarum hic ſeſe intermiſcere & locum habere poteſt. Sic namque mihi contigit, vt dum iam primum à ſumpta communione ſurgerem (adeò vt etiam ſacra hoſtia penè adhuc integra, nec conſumpta eſſet) ſi alias quaſdam communicantes cernerem, nollem non communicaſſe, quò de nouo communionem adirem. quòd autem id mihi toties accideret, poſtea cōtigit me percipere & aduertere (quia tunc quidem nihil eſſe videbatur, in quo poſſem quieſcere ac retineri) iſthoc deſideriū magis è propria meiipſius quæſitione, & guſtus cauſa, quàm Dei amore proficiſci. Nam quoniam, dum ad Sacram Synaxim acceditur, vt plurimum aliqua teneritudo & guſtus in anima ſentitur, hinc ego, illius ſentiendæ cauſa, ad communionem accedere geſtiebā: ſi enim fuiſſet, vt Deum in anima mea haberem, iam tum illum præſentem intra me habebam: ſi, vt præceptū Superioris, quo ad ſacrā cōmunionē accedere nobis iniungitur, adimplerē, iam tum illud adimplerā:

Amor proprius in frequentiori communione habere locū poteſt.

ſi, vt

ſi, vt gratias reciperem quæ vna cum ſanctiſsimo Sacramento conferũtur, iam tum eaſdem receperã. Adeò vt tãdem quàm liquidiſsimè perſpexerim, non alio me fine ad denuo communicandũ moueri & impelli, quàm vt rurſus ſenſibilem illam deuotionem & guſtum perciperem.

Aliud exemplum de muliere quotidiè communicante.

Memini me quodam in opido, vbi monaſterium habebamus, fuiſſe, ibiq; mulierem quamdam inſignem Dei ancillam (vt quidé populi totius de illa erat opinio) cognouiſſe. & talis hauddubiè eſſe debebat. quotidie hæc Sacras Altaris epulas frequentabat; certo aũt Confeſſario nõ vtebatur; ſed modò hac in æde, modò in illa Communionẽ adibat. Equidé id notabam, maluiſſemq; illam vni confeſſario certo parentem, quàm toties Communicantem videre. Sola ſeparatis in ædibus agebat, faciendo (vt mihi quidé videbatur) quidquid allubebat; attamẽ, vt erat bona, quidquid agebat, bonum id erat. Ego hac de re interdum apud illã agebam; ipſa verò me parũ curabat: & merito, quod me multo eſſet melior. in hoc tamen punctò falli me minimè exiſtimabã. Contigit autem, Sanctum virũ F. Petrum de Alcantara, illuc appellere: procurauí ergo, vt cum ipſo tractaret & communicaret. Mihi autem quod cum illo ipſa contulit, non vſque adeò ſatisfecit, quaſi plura diceret requirerem; & forſan non erat quod amplius referret. Verùm, adeò miſerabiles ſumus, numquam vt plenè nobis ſatisfaciant, niſi qui via qua nos, incedunt. Crediderim namque, hanc magis anno vno Domino ſeruiſſe, maioreſq; pœnitentias feciſſe, quàm ego multis. factum eſt autem, illam in mortalem ægritudinem incidere (hoc namque maximè hic dicere propono) hinc ipſa omni adhibita diligentia procurauit, vt quotidie ſuis in ædibus ſacrum celebraretur, ac Sanctiſsimo Euchariſtiæ viatico cõmuniretur. Quod autem morbus ſatis diu duraret, Sacerdos quidam, inſignis Dei famulus, qui ſæpè ſacrum apud eam tunc dicebat, minimè ferendum cenſuit, vt ipſa domi quotidie ſacra myſteria perciperet. Diabolica id in eo tentatio eſſe debebat; quòd vltimo id die, quo ipſa exſpirauit, fieri contigerit. Ipſa vt ſacro peracto, Euchariſtia ſe fruſtratam vidit, ita præ bili commota, & aduerſus Sacerdotem ſtomachata eſt, vt ſtatim exſpirarit; neſcio ſanè, an confeſsione præmiſſa: vti mihi ſacerdos ille, non parum hoc facto ſcandalizatus, ad me veniens, retulit, quod certè graue mihi fuit inaudire.

Propriã voluntatem facere noxium eſt.

Hinc ergo intellexi, quantum ſit malum, quod noſtram ipſi quacũque demum in re, ac præſertim in ea quæ tanti ſit momenti, voluntatem faciamus. Qui enim tam frequenter ad Dominum accedit, in tantum ſuam is indignitatem noſcat æquum eſt, vt ad eum non accedat, quoties & quandocunque id ipſi placuerit; ſed, quidquid nobis ad tam potenti Domino approximandum deeſt, ipſa, quæ nos ad eum

accedere iubeat, obedientia id quàm maximè ſuppleat neceſſe eſt. Magnam bona hæc mulier ſui multum humiliandæ occaſionem hic habuit (& plus forſan per hoc meruiſſet, quàm communionem percipiendo) nec non cogitandi, Sacerdotem hunc nullam quoad hoc culpam habere; ſed, Dominum (ſuam videndo miſeriam, & ad hoc indignitatem) id ita fieri decreuiſſe. vti certam quamdam perſonam feciſſe & cogitaſſe conſtat, dum eam diſcreti Confeſſarij ſæpè communione (quòd ea æquo eſſet frequentior) abſtinere iubebant. quæ, licet id quàm tenerrimè ſentiret, altera tamen ex parte magis Dei quàm ſuum honorem deſiderans, ipſum identidem dilaudabat, quòd Confeſſarium excitaſſet, ad ſui curam ſuſcipiendam, & ne Maieſtas eius tam indignum & vile hoſpitium ſubiret. His ipſa conſiderationibus ſeſe ſolans, magna cum animæ quiete ei obediebat, etſi non ſine tenera & amoroſa quadam pœna, attamen, eſto omnis ſimul mundus contrarium ei ſuaſiſſet, ab eo tamen quod iniunctum ipſi erat, ne vel latum quidem vnguem receſſiſſet.

Obedientia communionis ſacræ perceptione potior eſt.

Mihi ergo credite, Dei amorem (non eum dico, qui tantùm talis nobis eſſe videatur) qui ita paſſiones noſtras mouet, vt per eas tandem aliquo Dominum hunc offendamus peccato, aut animæ amantis pacem ita perturbet, vt quid rationi conſentaneum ſit non intelligat, verum amorem non eſſe, ſed tantùm noſtri ipſarum quęſitionem; nec diabolum domiturũ, vt nos ad anguſtias redigat, tũ, cùm plus nobis inferre ſe damni poſſe exiſtimabit, quemadmodum mulieri illi quam dixi, intulit: quam certè non poſſum non mirari; etſi verò id credam ſufficiens non fuiſſe, vt ſalutem ipſius in diſcrimen adduceret (magna quippe Dei bonitas eſt:) nihilominus tentatio hæc tempore quàm periculoſiſſimo contigit. Ideò verò hoc loco id retuli, vt Præpoſitæ ad hoc aduertant & aduigilent; Moniales verò timeant, conſiderent, ſeque examinent ita, vt tantam gratiam recipere dignæ inueniantur. An ideo cõmunicare volunt, vt Deo per hoc placeant? at iam tũ norunt, gratioſè illi obedientiam eſſe quàm v ctimam. Quod ſi ita ſit, & per hoc plus ipſa merear, quid turbor? Non dico tamen, vt humilem aliquam pœnam id circo in ſe non ſentiant: neque enim omnes eò perfectionis peruenere, vt aliquando eam non ſentiant, quò tantùm faciant id quod magis Deo placere intelligunt. Nam ſi voluntas ab omni ſuiipſius quæſitione valdè remota & aliena ſit; certum eſt, nihil omninò quietem ipſius perturbaturum, quin imò gauiſurã ipſam quòd ſibi occaſio offeratur, in qua Domino, in re tam carò ſibi cõſtante, placeat & gratificetur; nec nõ ſeſe humiliaturam, & mirè cõtentam manſuram, ſpirituali modo communicando. Sed quia ſub ipſa principia (quin etiam in fine) gra-

Diabolus commodum tempus exſpectat ad nobis nocendum.

mia

tia quædã Dei est, quòd hæc vehementia ad ipsum accedendi desideria & impetus animæ det (principia inquam, quia pluris hoc faciendũ est, estoin reliquis ad perfectionem spectantibus, quæ dixi, tam perfectæ & consummatæ non sint) hinc permittitur illis, quam vt teneritudinem & pœnam sentiant, cum hæc illis auferentur; attamen cum quadam animæ quiete, & quosdam humilitatis actus eliciendo; at, quando id cum aliqua fiet perturbatione & passione, & aduersus Præpositam aut Confessariũ stomachando & murmurando; apertam & euidentem tentationem id esse intelligant; aut si aliqua, Confessario communionẽ dissuadente, nihilominus communicare pertinaciter velit. certè meritum, quod hinc illa percipiet, habere equidem nollem. etenim huiusmodi in rebus nostri ipsarum iudices esse non debemus, sed is, qui habet claues ad ligandum & soluendum. Vtinam nobis Dominus lucem, quò nos ipsas in tanti momenti rebus intelligere possimus, dare dignetur, suoque nobis fauore adsit, ne per eas, quas nobis facit, gratias illi displiceamus & offendamus.

CAPVT. VII.

QVOMODO CVM MELANCHOLICIS MONIALIBVS sit agendum: hæc tractatio Prioribus cumprimis lectu necessaria est.

HÆ sorores meæ, Salmanticẽsis Conuentus à S. Iosepho cognominati, in quo hæc ipsa scribo, instantissimè à me petiere, quædã vt præcepta traderẽ, iuxta quæ debitè dirigi & regi possent eæ in quibus melancholicus humor prædominatur. &, quantumlibet nolimus & nõ procuremus admittere eas, quę hoc humore tenentur, ita tñ is subtilis est, vt se velut mortuũ fingat, dum necesse id erit, itaq; eum non antè percipiamus, quam dum iam ei afferri remedium nequit. Videor mihi iam antè paruo in libello aliquid hac de re dixisse, non tamen rectè memini: parum refert ac perdam, si ipsum hic rursus dicam, dummodo Domino placeat me aliquid dicere quod ad rem sit. fieri potest, vt & alias, quæ dicam, dixero: sed non curo, dicerem adhuc centies, si putarem, me semel ita posse dicere, aliquem vt dicendo fructũ causarẽ.

Melancholicorum adinuentiones ad propriã voluntatem faciẽdam.

Porro, tam variæ ac multiplices sunt, quas humor hic ad propriam suam voluntatem faciendam quæritat, adinuentiones, vt eas me necesse sit inquirere, quò ferri & regi literis possit, ne quod aliis inde damnum creetur. Notandum porro, non omnes quos humor hic occupat, æquè tetricos, morosos & phantasticos esse: cum enim in personas humiles placidiq; ingenii incidit, esto sibi ipsis tales satis molesti

& graues ſint, alijs tamen minimè nocent; præſertim ſi bonum acceſſerit ingenium. Adhæc, humor hic aliquando maior, aliquando minor eſt. Certiſſimè mihi perſuadeo, diabolum eo in nonnullis hominibus vt inſtrumento & medio vti, ad eos, ſi poſſit, intercipiendos & ſibi attrahendos; &, niſi quàm minimè ſeriò aduertant, eos haud dubiè intercipiet: nam potiſſimus humoris huius finis ac ſcopus eſt, rationem ſubijcere, vnde ipſa velut obſcurata manet. taliter ergo diſpoſitæ, quid non facient paſſiones noſtræ? vbi enim non adeſt ratio, videtur in illis habitare ſtultitia: & verè ſic eſt. At in iis, de quibus modò loquimur, ad tantum malum non pertingit: imò minus multò malum id eſſet. at intolerabilis eſt moleſtia, & graue, quòd eum qui ratione caret, vt ratione proditum habere, atque vt talem æſtimare, debeamus. etenim illi, qui planè & grauiſſimè hoc morbo laborant, commiſeratione digni ſunt, at nulli nocent; ſi quo autem remedio iuuari & expugnari queant, ſolo timore id fiet. Illi verò, in quibus adeò damnoſum hoc malum nonniſi incepit, & nondum ita inualuit, tametſi eiuſdem humoris & radicis ſit, & eadem à ſtirpe procedat, ſi alijs modis & artibus iuuari nequeant, neceæ ipſis iuuandis ſufficiant, eodem quo alij medio iuuandi ſunt; vnde conſuetas ordinis pœnitentias, auſteritateſque Præpoſitæ adhibeant, eaſque ita expugnare & ſubigere procurent, ipſæ vt intelligant ſuam ſe in omnibus, imò in aliqua omnino re voluntatem facere non poſſe. Si enim ſibi perſuadeant, ſuis ſe clamoribus & deſperationibus, quas diabolus ad eos, ſi poſſet, perdendos ipſis ſuggerit, aliquando euicisſe & obtinuiſſe, in certiſſimam ruinam tendunt: & certe vna ſola quæ huiuſmodi eſt, ad integrũ monaſterium turbandũ & inquietandum ſatis eſt. Hinc, quòd miſella in ſeipſa non habeat, qui eam iuuet, ad eſe aduerſus diaboli ſuggeſtionis tuendam ac defendendam, Superior ipſa magna cum circumſpectione in illa, non ſolùm quoad exteriora, verum etiam interiora, dirigenda gubernandaque procedat neceſſe eſt. oportet enim, vt ratio, quæ in ægra illa obſcurata eſt, in Superiore clarior & defæcatior ſit, ne huic diabolus animæ, humoris huius adminiculo & armis, prævalere incipiat. Porro id periculo non vacat: quòd humor hic certis quibuſdam temporibus ſubinde adeo hominem opprimat & anguſtiet, vt rationem ipſam expugnet. quidquid verò tum facit, non peccabit, vti nec peccant ſtulti & dementes, quæcumque demum ſtultitiæ argumenta edant. At qui ad hunc ſtatum & extremitatem nondum redacti ſunt, ſed quorum ratio infirma quidem eſt, at exercitium eius aliquatenus habent, ita vt certis quibuſdam interuallis bene ſibi conſtent & bene valeant; hos oportet non tunc in libertatem ſe aſſerere conari, cum iam male

Diabolus per melancholiã multos decipit.

malè habebunt, ne, si quando iam bene habebunt, suiipsorum domini non sint, nec sui compotes. quod certè occultum diaboli stratagema & techna est. Vnde, si animum aduertere velimus, nihil magis eos spectare videbimus, quàm voluntatem in omnibus suam posse exequi, ac dicere passim quidquid ipsis in buccam venit, alienos defectus intueri, vt hisce proprios tegant, quin & solo lætari eo quod ipsis cõsolationem adfert, denique tamquam qui nihil in se habet quod eis resistat aut obluctetur, cùm passiones immortificatas habeant, & vnaquæq; illarum facere vellet quod ei lubet, quid ergo erit si nullus sit qui ipsis resistat? Vnde iterum dico (vtpote quæ cum pluribus hocce malo laborantibus personis egerim) nullum aliud eis iuuandis superesse remedium, quàm ipsos quibuscũq; licebit modis & mediis expugnare, &, si verba non sufficient, castigationes adhibere; si non sufficiant paruæ, maiores etiã & rigidas; &, si satis nõ sit eos ad vnũ mensem in carcere detinere, ad quatuor detineãtur, quòd animabus ipsorum maius præstari bonum nequeat. Nã (sicuti iam antè dixi, & rursus dico, per magni enim Monialium nostrarũ refert ipsum nosse) esto aliquando aut etiã sæpe, magis & plura præstare in sibi praualendo nequeant? tamen, cum hæc non sit plena & absoluta stultitia, ita vt ipsos à culpa excuset (nã etsi aliquãdo quidẽ talis sit, non tamen semper) anima hic in grauissimo versatur periculo, nisi, (quemadmodum iam dixi) rationis vsus ita ipsi ablatus sit, vt facere eam cogat id quod, cum sui compos non erat, faciebat ac dicebat.

Melancholici quomodo subigẽdi.

Magna sanè Dei misericordia est, quòd iis qui huiusmodi malo affecti sunt, inspiret vt se subiiciant alicui à quo dirigantur: nã ob periculum, in quo eos versari dixi, in hoc omne ipsorum bonum consistit. Et si quæ hoc legerit, per amorem Dei illam rogo, bene ipsum consideret, quia forsitan ad salutem ipsius hoc referet. Equidem quosdam noui, etiam eò redactas, parum vt absit, vt non penitus omnem iudicij vsum amiserint; at animam interim ita habent humilem, Deiq; timentem, vt, quamuis intra semetipsas lacrymis penè conficiantur, plura tamen & alia non præstent, quàm ipsis iniungatur, suamque pœnam & infirmitatem, vti aliæ, perferant. est hoc quidem summum quoddam martyrij genus, verùm postea maiore gloria donabuntur; & suum hic habent Purgatorium, vt in altera vita ab eo sint immunes. Porro iterum repeto, eas quæ hoc libenter non facient, à Superioribus ad hoc cogendas, neu seipsas per indiscretas quosdã pietates decipere debere, ne quot-quot, in domo sunt, per impertinentias suas perturbent. Hinc namq; & aliud grauissimum damnum sequitur, vt omittam periculũ de quo iam antè actũ est: quòd scilicet, dum aliæ eam bene valere (vt quidẽ exteriùs apparet) vident, & nesciunt quantopere ei malũ hoc interiùs noceat,

Nos bonũ est superioribus suis se subiicere.

natura

natura noſtra ita miſera & infortunata ſit, vt vnaquæque ſe potius melancholicam eſſe æſtimatura ſit, quò illam vnam tolerent: & certè à parte rei verè hoc ipſis diabolus perſuadere conabitur: itaque magnam is ſtragem edet, ac damnum creabit, cui, cùm rei iam veritas ad oculũ patebit, difficile erit, remedium afferre. Tanti porro hoc refert, nullatenus vt in eo aliquam negligentiam committi ferendum ſit; ſed ſi, quæ melancholica eſt, Præpoſitæ ſuæ reſiſtat aut obluctetur, eam ipſa viciſſim tractet vt non melancholicam, & nulla in re ipſi parcat; ſi conſororem illa ſuam proteruè alloquatur, idem illi faciat Superior. Itaque in alijs omnibus id genus rebus.

Nullatenus ipſis parcendum.

At, Iniuſtitiæ quædam ſpecies videtur, non ſanam impedire id ſi nequeat) eodem tractare & caſtigare modo, quo ſanam. Sic ego viciſsim petam, iniuſtitiane ſit ſtultos & dementes vincire & flagellis cædere, an non potius eos ſinere omnibus paſsim mortem inferre? Mihi credatis velim, quia id reipſa probaui, & (prout mihi quidem videtur) varia adhibui remedia; nullum porro hoc conuenientius inueni. Ipſa quoque Præpoſita, quæ pietatis quodam prætextu hiſce melancholicis aliquam libertatem concedere incipiet, ipſas tandẽ ferre non poterit: & eũ poſtea malo adferre remedium volet, videbit tum id adhiberi poſtquam iam alijs plurimùm nocuit. Si autem bonũ & pium opus ſit ſtultos (eſto in ipſorum manu non ſit non ſtulteſcere, & malum non inferre) vinculis & verberibus cõercere; quanto potiori iure videndum & curandum, ne quod per hanc libertatem ſuam damnum melancholici animabus inferant? Porro vt certum credo, malum hoc (prout iam dixi) à natura quadam libera, parum humili, & contumaci ſæpè ortum habere; nec humorem illum melancholicũ tantum ipſis nocere & vim inferre, quãtum praui hi habitus. Quod intelligendum de quibuſdam: vidi enim, cùm habent aliquem quem timeant, eas cedere, & aliquid poſſe; cur id ergo non poterunt propter Deum? Timeo certè, ne huius prætextu paſſionis, multas diabolus animas ad ruinam & interitũ pertrahere velit. Hodie namque Paſsio hæc plus quam ſoler, apud homines locum habet, & vſurpatur: idque eo, quòd omnis voluntas propria iam melancholiæ dicatur nomine. Vnde putaui, tam in hiſce, quàm in reliquis omnibus religioſis domibus, nomẽ hoc ne vſurpari quidem debere: quòd aliquam ſecum id ferre & includere libertatem videatur, ſed grauis infirmitatibus potiùs nomine ipſa dicenda eſt. Et quanta profectò infirmitas eſt, & quomodo, vt talis, etiam curari debet? Subinde namque cumprimis neceſſarium eſt, humor hic aliqua adhibita medicina diſsipetur ac molle fiat, quò tolerabilis ſit, idq; in infirmaria & valetudinario. Sed ipſa ægra noſcat oportet, ſe, dum ea egredietur, vt

Propria voluntas iam dicitur melancholia.

inter & cum reliquis ſororibus agat, humilem & morigeram, vt illæ ſunt, eſſe debere; &, vbi id non faciet, ipſum humorem ei adhoc minimè profuturum. ita enim ob eas quas dixi, & alias, quas dicere poſſem, rationes fieri expedit.

Blandè habendi melancholici.

Præpoſitarum eſt, illas (vt tamen id non percipiant) magna cum lenitate & amoris affectu, materno inquam, tractare, & quæ ipſis iuuandis remedia vſui eſſe poſſunt, inquirere. Videor hic dictis contraria dicere & adferre; hactenus quippe eas dixi, rigidas ſe erga tales præbere debere. quod & iterum hic repeto, videlicet has ipſas noſſe debere, ſe ea quæ voluntatis ſuæ ſunt, executioni minimè poſſe mandare, nec vllatenus mandaturas; ſed per omnia & in omnibus ſibi eſſe debere propoſitum, ſuperioribus parêre ac ſe ſubijcere. nam in eo quòd hanc ſe libertatem habere norint & intelligant, omne damnum ſitum eſt: Præpoſita tamen interim hæc ipſis poteſt non mandare, quæ iam antè nouit eas non executuras, cùm ad vim ſibi vllã faciendã, prorſus impotêtes ſint, ſed eas blandè leniterq;, quantũ quidẽ opus fore iudicabũt, cõducere; vt, ſi fieri poſſit, p amorẽ hũc & lenitatẽ ſeſe ſubmittãt; qp certè lõgè eſt meli⁹ & expedietius. Et certè nõ rarò id fit, tũ, cũ magno illas amore ſe ꝓſequi oſtendunt, idq; tũ opere ipſo, tũ verbo vbiuis declarãt.

Variũrebus applicandi.

Notandum præterea, nullum malo huic adferri melius remedium poſſe, quam ſi varijs hæ munijs & functionibus applicẽtur, ne quem ad imaginandum locum & tempus habeant: in imaginando namque omne ipſarum malum conſiſtit: & ſi illis non eo quo oportet modo, nec vſquequaque bene fungantur, imperfectiones nonnullas tolerent, ne maiores alias in ipſis, cùm iam penitus perditæ erunt, tolerare cogantur. Nullum namque hoc, mihi perſuadeo illis applicari ſufficientius & efficacius remedium poſſe. Videant adhæc Præpoſitæ, ne multum temporis orationi, & quidem ordinariæ & conſuetæ, impendant: nam quæ huiuſmodi ſunt, debilem vt plurimum imaginationem habent, vnde illis non parum detrimenti eueniet. Si enim ſinantur orare, tales illarum phantaſmati imagines occurrent, quas nec ipſæ, nec quicumque has audiet, vllo modo poterunt intelligere. Curent inſuper, ne piſcibus veſcantur, niſi rariùs: deinde, tam diu & continuò ieiunent non oportet, ac reliquæ.

Non diu orare aut ieiunare ſinendi.

Cur ſancta Mater tot huic malo pellendo remedia præſcribat.

Superuacaneum forſan cuiquam videatur, tam multa me malo huic curando remedia, nullum verò alteri cuipiam, cùm tamen in miſerabili hac vita noſtra ea tam ſint grauia, præſcribere; ac præſertim cùm mulieres adeò ſint infirmæ & imbecilles. Duas porro ob cauſas hoc à me factum: primò, quòd huiuſmodi benè valere videantur; eò quòd ipſæmet hoc ſe malo laborare agnoſcere nolint. & dum in lecto manere

coguntur, tametsi nullam habeant febrim, nec tamen medicus euocatur, Prioriſſa medicus ſit oportet; hoc quippe malum omnigenæ perfectioni magis nocet ac præiudicat, quàm quæ lecto magno cum vitæ amittendæ periculo, affixæ ſunt. Altera cauſa eſt, quòd qui alijs morbis laborant, aut ab ijs curentur, aut mediantibus illis emoriantur: ab hoc verò ſi ſanentur mirum eſt, vti neque ex illo moriuntur, niſi iudicium ſuum penitus amittant; quod aliud non eſt, quàm emori, vt ſimul omnes ſecum interficiant. Satis duram ipſæ à ſemetipſis mortem patiuntur, idque ob eas quas habent afflictiones, imaginationes, ſcrupulos, itaq; ſat magnum meritum ſibi comparabunt (eſto has ipſæ ſemper tentationum dicant nomine (nam ſi ſemel intelligerent, omnia hæc ab ipſo malo procedere, magnum certè illius ſentirent alleuiamentum, ſi ipſum parui facerent. Equidem certè ſortem illarum miſerior, quin adeò omnes cum illis agentes & conuerſantes illis vt comparerentur quam æquiſsimum eſt; conſiderando, idem ſibi, Domino permittente, poſſe contingere, nec non eas ſupportando, ita tamen (quemadmodum antè iam dixi) vt id ipſæ non percipiant Det Dominus, bene & prout oportet exponere potuerim, quæ tam graui infirmitati curandæ adhibenda ſint remedia.

CAPVT VIII.

MONITA QVAEDAM ET DOCVMENTA PRAESCRIBIT quoad reuelationes & viſiones.

VIdentur nonnulli vel ad ſolum viſionem vel reuelationum nomen appellationemq; conſternari, quid tamen in cauſa ſit neſcio, aut cur adeò periculoſum putent, quòd hac animam via Deus conducat, aut vndenam hæcce eorum conſternatio ortum habuerit. Non eſt mihi iam propoſitum tractare, quænam bonæ, & quænam malæ ſint viſiones, vti nec ſigna tradere, è quibus dignoſci eas poſſe, à viris doctiſſimis audiui; ſed duntaxat, quid facere conueniat eum, cui tale quid obtinget: nam admodum paucos Confeſſores inuenire erit, qui non animas, quibus hæ contingent, perterreant & timore compleant. Neque enim tam illos percellit & conſternat, dum ex ipſis audiunt, diabolum multa blaſphemiæ genera ipſis repræſentare, nec non alia impertinentia & inhoneſta ſuggerere, quàm ſcandalizantur, dum hi ſe angelum aliquem aut vidiſſe aut allocutos eſſe, vel etiam Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in cruce poſitum ſibi apparuiſſe, dicunt

Nolo hic etiam agere, vndenam dignoſcat quis, quando reuelationes à Deo proficiſcuntur; hoc namque iam tum manifeſtum

eſt è

est è magnis bonis, quæ hinc ad animam resultant; sed de iis agam, quæ nudæ tantùm sunt repræsentationes, quas subinde ad nos decipiendum diabolus causatur, quique propterea Christi Iesu Domini nostri, aut Sanctorum eius, imagine vtitur. Credo autem non permissurum Dominum, nec potestatem ei facturum, vt per id genus figuras & imagines aliquem decipiat aut circumueniat, nisi sua is antè culpa id promeruerit: quin potius, ipsemet decipietur & damnum referet. quare non est, quòd propter eas quis turbetur aut sese inquietet; sed, Domino confidamus, & eiusmodi imagines parum moremur, oportet, nisi fortè, vt hinc eius magis laudandi occasionem capiamus.

Noui quamdam, quam Confessarij ob huiusmodi visiones mirum in modum angustiabant & lancinabant; quæ tamen (vt videre postea fuit, & patuit è singularibus effectibus, & bonis operibus, quæ hinc consecuta sunt) à Deo proueniebant. hæc ergo dum eius imaginem aliqua in visione videbat, identidem se crucis signo iterato communiebat, apparentemque exsibilabat, quòd id facere iussa esset. At posteaquam cum viro quodam cumprimis docto, scilicet Fratre Dominico Bannesio, communicasset, ex eo, malè id fieri, ac neminem id facere debere audiit. nam vbicumque Redemptoris nostri imaginem videmus, par est nos ei reuerentiam & honorem exhibere, tametsi vel ab ipso cacodæmone efformata esset aut picta; ipse namque egregius est pictor, & compendiũ nobis facit potius, quã dispendium, prodestq; dum obesse putat, si quando crucifixũ aliquem, aut aliam quampiam imaginem nobis ita ad viuum exprimit, vt cordi eam nostro insculptã relinquat. Hæc porro ratio mirificè mihi placuit: quando enim egregiam & præstantẽ aliquã imaginẽ conspicimus, esto eam ab improbo quopiam depictam sciamus, magni tamen ipsam facere non negligemus, de pictore autem parum laborabimus, ne nostra propterea imminuatur deuotio. Bonum siquidem aut malum, non tam in visione, quàm in ipso volente, qui nullum ex ea cum humilitate fructum colligit, consistit. hæc enim si adfuerit, nullum adferre visio, quamuis ipse appareret cacodæmon, damnum potest; si autem abfuerit, esto etiam à Deo sit, nullum afferet fructũ. Si enim quod ad nos humiliandos conducere debet (cùm nimirum hanc nos gratiam minimè promereri videmus) vice versa nobis sit superbiendi occasio, araneæ adinstar erimus quæ quidquid comedit, in venenum conuertit, non adinstar apiculæ, quæ in mel cuncta transire facit.

Imaginem Christi vbique reuereri oportet.

Humilitas in visione prodest.

Apparitionum bonorũ esse potest malus exitus diaboli carẽ bonus.

Magis meipsam declarare volo. Si, v.g. Dominus per bonitatem suam animæ cuidam se repræsentare, quò magis ipsum cognoscat

& diligat, aut aliquod arcanum ſuum ipſi reuelare, aut particularibus quibuſdam delicijs & gratijs præuenire velit; & ipſa (vti dictum eſt) per hoc ipſum quo ſe magis confundere debeat, & agnoſcere quàm parum ſua vilitas promereatur, ſe mox vt ſanctam reputet, & hanc ſibi gratiam ob aliquod quod præſtitit obſequium prouenire opinetur; certum eſt, ipſam magnum illud bonum, quod hinc ei obtingere poterat, ad exemplum araneæ, in malum conuertere. Ponamus autem vice verſa iam, cacodæmonem, quò ipſam ad ſuperbiam inciter, haſce apparitiones cauſare: ſi tunc anima, has à Deo prouenire rata, ſeſe humilier, ſeque tam ſingularem gratiam nequaquam mereri agnoſcat; denique ei amplius & feruentius ſeruire connitatur; nam videndo ſe iam diuitem eſſe, cum tamen ne quidem micas meretur comedere cadentes à menſa illorum, quibus id genus gratias Deum feciſſe audit (id eſt, quòd ne quidem ſeruire aut famulari eorum vlli meretur) humiliat ſe, & pœnitentiam agere, ſæpiùs orationi inſiſtere, & maiore cura aduigilare, ne Dominum hunc offendat, à quo hanc recipere gratiam exiſtimat, denique maiore cum perfectione ſuis obedire conniti incipit: equidem vobis dico, diabolum denuo eodem non reuerſurum, ſed iraruta diſceſſurum, nullumque hinc in animam damnum redundaturum. Si autem hiſce in apparitionibus aliqua ei dicat quæ faciat, nec non futura quædam aperiat, cum diſcreto doctoque confeſſario eadem mox communicet oportet, & illorum nihil aut faciat aut credat aliud, quàm quod Confeſſarius hic faciendum credendum ue iuſſerit. Præpoſitæ quoque hæc patefacere poteſt, quò hæc ei Confeſſarium qui huiuſmodi ſit procuret. Hoc porro fixum & ratum ſit, ſi ijs quæ Confeſſarius facienda præſcripſerit non acquieuerit, nec ſe ab eo conduci ſiuerit, eſſe vel ſpiritum malum, vel terribilem melancholicam. Nam (poſito Confeſſarium etiam errare, nec rem acu tangere) ipſa, non deflectendo ab eo quod ipſi præſcriptum erit, magis eâ tanget, acminus errabit, tametſi etiam Angelus Domini ſit qui ipſam alloquatur. Dabit quippe Maieſtas eius ei tandem lumen, vel, vt id ad impleatur diſponet: hoc certè facere, periculo vacabit; aliter autem facere, multa includere poteſt pericula, & damna non pauca.

Confeſſario aperienda quæ diabolus in apparitionibus docet.

Non omnis imaginatio viſio eſt.

Meminerimus oportet, naturæ noſtræ imbecillitatem, præſertim in mulieribus, ſatis magnam eſſe, eamque in hac via orationis magis ſeſe patefacere: vnde omnia, quantumuis minima, quæ nobis in imaginatione occurrent, non quam primum cogitandum eſt, viſionem quamdam eſſe. At cùm viſio erit, facilè (mihi credite) id intelligere erit. In quibus verò humor melancholicus aliquo modo dominatur, in his maiore opus circumſpectione &

Melancholici ob noxij phantaſmatibus.

caute-

cautela. Nam quædam mihi, quoad has imaginationes phantasticas, occurrerunt, quæ me non parum fecerunt obstupescere, quomodo fieri possit, vt adeò certò & verè id sese videre putent, quod tamen minimè vident. Quadam vice venit ad me Confessarius quidam valdè consternatus & perplexus, quamdam sibi confiteri referens, quæ diceret Deiparam Virginem sæpè sibi apparere, lecto quoque suo insidere, & ibi plusquam horæ spatio secum agere, ac multa futura, & alia multa id genus sibi aperire. quòd autem è tam multis ineptijs & & nugis quædam euenirent, hinc omnia quæ sibi dicebantur, vt certa & indubitata credebat. Equidem statim, quid à parte rei subesset, intellexi; esto id ei declarare non sim ausa: tali quippe sæculo iam viuimus, vt nos necesse sit cogitare quid alij de nobis cogitaturi sint, vt aliquem verba nostra effectum sortiantur. vnde dixi, exspectandum aliquantulum, vt videamus num prophetiæ illæ veræ sint, interim alios ei effectus & signa inquirendos, nec non indagandum quale vitæ genus persona illa duceret. Sed, cùm omnia tandem intellexisset, apparuit nonnisi meras fuisse illusiones & ineptias.

Tam multa quoad hoc referre exempla possem, vt essent nimis quã sufficientia ad probandum id quod probare intendo, non debere scilicet animã citò ac facilè credere, sed nonnihil exspectare, & probè sese nosse antè, quam alteri cuipiam ipsum significet, ne nolens Cõfessarium suum decipiat: nisi enim is magnam rerum harum experientiam habeat (quantumcumque doctus sit) nullo id pacto intelligere poterit. Non ita pridem, sed nuperrimè, contigit, quempiam id genus rebus, nonnullis viris tum doctrina, tum rerum spiritualium scientia & vsu præstantibus turpiter imponere, quoadusque tandem cum quopiam harum diuinarum gratiarũ experientissimo egit. hic apertissime vidit, id nonnisi meram esse stoliditatem, illusionibus diabolicis mixtam, esto tunc quidem res nondum aperta esset, sed quàm tectissime & celatissime perageretur; at non multò post, Dominus eam satis patefecit, & palam omnibus detexit: esto vir ille, qui fraudem & impostu ram hanc intellexit, interim à varijs, qui ipsi refraganti fidem minimè habebant, obloquiorum & persecutionum non parum passus sit.

Ob hæc, & alia id genus, par quam maxime est, vt vnaquæque de Monialibus, quàm maxima potest claritate sinceritateq; de suo orandi modo cum Præpositatractet ipsa verò vicissim Monialis illius complexionem & perfectionẽ indagare ac perspectam habere cum primis allaboret, vt Confessarium eius certiorem faciat, quo hic melius intelligatur, &, si ordinarius eiusmodi rerum tractandarum gnarus nõ erit, alium

Superiores vigilẽt super modum orandi suarum.

alium ex professo huic rei percommodum, ei designet & seligat. Videat quoque quàm potest diligentissimè, ne id genus negotia (esto quàm maximè à Deo proueniant, & apertissimè miraculosæ gratiæ sint) cum externis, aut Confessarijs qui hæc tacere nesciant, communicentur. Pluris id quippe refert, quisquam possit, ac ne inter se de illis Moniales loquuntur. Præposita verò semper cum prudentia eas audiat, magis satagens laudare & extollere eas, quæ in rebus ad humilitatem, mortificationem, & obedientiam spectantibus plus excellent, quàm quas Dominus per hanc comprimis supernaturalem orationis viam conducet, esto omnes illas virtutes etiam habeant. Si enim spiritus Domini fuerit, humilitatem comitem habebit, qua contemni gestiet & gaudebit: itaque nec illi nocebit, & alijs sororibus mirifice proderit. Etenim, quòd illuc pertingere nequeant (quòd id Dominus det cuicumque voluerit) contristantur, quòd alias illas virtutes habeant, tametsi & has Dominus det, attamen possunt & studio exercitioque à nobis parari, & in statu Religioso mirifice conducunt. Maiestas illius has nobis concedat: nam si à parte nostra exercitium, sollicitudo & oratio accesserit, nulli eas negabit, quæ cum insigni in misericordiam ipsius fiducia eas procurabit.

Virtutes solida pluris facienda quàm oratio semper naturalis.

CAPVT IX.

AGIT QVOMODO METINA CAMPI EGRESSA SIT, ad Conuentum Malagonensem à S. Iosepho dictum fundandum.

QVàm multum, Deus bone, à proposito meo scopo deflexi! at fieri potest, vt quædam horum quę tradidi documentorum magis ad propositum fuerint, quàm ipsa monasteriorum fundationis narratio fuisset.

Metinensi ergo in domo cum agerem, magno cum animi mei gaudio, quod Moniales illius eisdem, quibus Abulenses, in virtute passibus procedere, eamdem quoque in ipsis religionem, fraternitatem & spiritum vigere viderem; nec non, quomodo Dñs de omnibus rebus necessarijs domui suæ prospiceret cuncta quæ tum ad diuinum cultum, tum ad vsum Monialium requirebantur, abunde suppeditãdo: Aliquæ subinde Virgines in illam cooptabantur, videbatur enim Dominus tales seligere quæ ad talis ædificij fundamentum accommodæ erant & conuenientes: nam ab hisce principijs omne quod deinceps sequi debet bonum dependere, equidem mihi persuadeo, etenim qualem quæ postea sequuntur, viuendi modum & viam inueniunt, talem ambulant, & non aliam.

Age-

Agebat tum Toleti Ducis Metinæ Cæli soror, cuius in ædibus superiorum imperio (vti pluribus in fundatione Abulensi declaraui) ad dies aliquot egeram. hæc, cognito mihi alia fundandi monasteria factam à superioribus copiam esse, summis me precibus vrgere cæpit, vt suo item in opido Malagone, cœnobium constituerem. Initio id detrectaui, nec admittere volui; quod opidum id tam esset exiguum, vt necessario domicilium id annuis stabiliendum esset prouentibus, quò vitæ subsidia necessaria Moniales haberent: à quo ipsa quàm maximè abhorrebam. Vnde cum viris litteratis, & in primis quodam è Confessarijs meis rem contuli: qui malè me agere asserebant; cum enim sacri Concilij Tridentini auctoritate annui reditus monasterijs concederentur, minimè videri fundationem monasterij, in quo Deo tantum (vt mihi quidem videbatur) præstari obsequium poterat, omittendam. Adhæc accedebant frequẽtes importunæq; Principis illius preces; vnde non potui ipsum non admittere. Attribuit hæc quàm liberalissimè annuè quæcumque necessaria erant. eius namque semper opinionis sum, vt vel monasteria nostra planè censibus careant, vel, si habeãt, adeò illi sint vberes, vt à quoquam vitæ suæ necessaria emendicare Moniales non cogantur.

Agitur de fundatione Malagonẽsi.

Ipsa admittitur.

Equidem omnibus, quibus potui, viribus contendi efficere, ne quæ Monialium quid proprium possideret, sed vt Constitutiones per omnia, sicut in alijs monasteriis paupertatem profitentibus seruabantur, vnaquæque seruaret. fundationis tabulis iam confectis, moniales aliquot, quæ huius initia ponerent, euocaui, quibuscum vnà cum prædicta Principe Malagonem concessimus. Quò cum peruentum esset; octiduo eoque amplius in quadam castelli illius parte egimus, quod nondum esset delignata domus habitationis religiosæ vsibus parata. Dominica igitur Palmarum anno Domini M.D.LXVIII. præeunte opidanorum supplicatione, palliis nostris albis indutæ, & velis faciem opertæ, ad templum loci deductæ sumus; inde, postquam habita fuit concio, Sanctissimum Altaris Sacramentum ad monasterium nostrum conductum est. quod magnum in omnibus pietatis sensum mouit. Aliquot autem diebus hic hæsi. Verùm cùm quodam tempore, à sumpta sacra communione, orationi insisterem, Domino reuelante didici, fore vt magnum ipsi isthac in domo obsequium præstaretur. Vix bimestri toto illic hæsisse mihi videor; quod me spiritus vrgeret & quodammodo compelleret, vt ad conuentum Vallisoletanum fundandum abirem. Eius autem fundandi causa fuit illa, quam iam prosequar.

Paupertatis sectatur egregiè S. M.

Caput

CAPVT. X.

IN QVO, DE FVNDATIONE DOMVS VALLISOLETANÆ, à conceptione Beatißimæ Virginis de monte Carmelo cognominatæ, agitur.

Valliſoletana domus fundandæ occaſio.

QVatuor aut quinque circiter antè menſibus, quàm Malagonia domus fundaretur, egerat mecum adoleſcens quidam equeſtri dignitate nobilis, paratiſſimum ſeſe dicens, ſi Valliſoleti fundare conuentum vellem domum quam illic habebat, necnon bonum magnumque ei contiguum hortum, qui amplam ſatis habebat vineam, mihi eidem fundando offerre eius vt poſſeſſionem quamprimum caperem, identidem meis vrgebat. Magni certe ea pretij erat. Ego porro illam acceptaui, eſto ad fundandum illo in loco monaſterium non admodum propenderem, quòd quarta propè leucæ parte vrbe is abeſſet: at putabam, nos haud ægrè inde in vrbem commigrare poſſe, ſemel illic poſſeſſione accepta. Quòd ergo is tam gratanter & libenter donationem illam offerret, non potui tam bonum eius opus non admittere, aut deuotionem eius perturbare. Exinde duo propemodum effluxerant menſes, cum repentè acri ſymptomate is opprimitur, & adeò quidem præcipiti, vt omni linguæ priuatus vſu, peccatorum inſtituere confeſſionem commodè non potuerit, etſi plurima interni ob offenſum Deum doloris daret argumenta. Igitur celeriter admodum & raptum, procul tamen à loco vbi ipſa agebam, hac è vita abripitur. Dominus porro per viſum mihi indicauit, ſalutem eius ſummo in diſcrimine verſatam fuiſſe, at ſe eius miſertum, ob præſtitum matri ſuæ, hanc illi offerendo domum, in qua Ordinis illi dedicati ſodalibus monaſterium conſtrueretur, obſequium; atque eum non antè ignè purgatorio liberandum, quàm prima in eodem Deo ad altare hoſtia offerretur; eâ autem oblata, inde egreſſurum. Qua autem anima illa ibidem patiebatur tormenta acerbiſſima, mihi adeò præſentia, & velut ante oculos erant, vt, tametſi Toletanam domum priùs fundare ſummopere deſiderarem, pro tunc tamen eam curam intermiſerim, meque ad Valliſoletanam, quomodocumque poſſem, fundandam vrſerim & exſtimularim. Non tam citò tamen, ac quidem volebam, Valliſoletum abire potui, quòd ad aliquot dies in conuentu Abulenſi, qui meæ curæ creditus erat, ac deinde Metinẽſi, (nam & eò cõceſſi) neceſſario me manere oportuerit. Metinæ vero cum agerem, & orationi inſiſterẽ, Dominus me monuit vt abitum maturarem, quod anima illa plurimum pateretur.

Eius fundatoris ob donatam B. Virgini domum, ſalus in tuto verſata fuit.

S M compaliturani ma in purgatorio a geniur.

Vnde,

Vnde, licet ad hoc parum instructa essem, opere ipso rem sum executa, & ipsis B. Martyri Laurentio sacris ferijs Vallisoletum ingressa. Vt primum domum coràm inspexi, magnopere turbari atque angustiari cæpi, quod viderem non sine ingentibus intolerabilibusque sumptibus ibidem Moniales posse commorari: & licet animi relaxationi accommoda foret, quòd peramœnum annexum haberet hortum, non poterat tamen non esse insalubris, quod propter flumen præterlabens sita esset. Esto iam de via defessa essem, ad quoddam Ordinis nostri cœnobium, quod sub ipsum vrbis ingressum situm erat, sacri audiendi causa abij. tam procul autem à domo distabat, vt meam id pœnam adauxerit. sed nullum ea de re apud Comites meas verbum faciebam, ne eas contristarem, quòd spem haberem ac fiduciam (esto satis tenuem) Dominum qui priora illa mihi dixerat & significarat, omnibus prospecturum. Vnde fabros clanculo euocaui, murosq; hinc inde vt construerẽt, quibus claustro & solitudini nostræ cõsuleretur, aliaq; necessaria vt incipere pararent, præcepi. Venerant nobiscũ is, quẽ dixi Sacerdos, Iulianus de Auila, & è duobus illis fratribus qui discalceatorum Ordinem ordiri volebant, alteruter; qui interea de viuendi modo quem hisce in domibus seruabamus, inquirebat. Iulianus porro in facultate ab Ordinario loci, qui iam tum antequam illuc concederem, bonam eius spem dederat, impetranda seriò allaborabat. At non tam citò ea potuit impetrari, quin Dominica dies iam adesset; nihilominus facultas ad sacrum eo, quem in tem li formam parauerimus, loco offerendum nobis concessa est. quod & factum est. Multum vero aberat, vt putarem per hanc Missam adimpletum iri ea, quæ de anima illa à Domino dicta mihi erant: nam quamuis dictum mihi, esset, animam illam per primam in domo illa oblatam hostiam liberatum iri, credebam tamen id eo demum sacro futurum cum simul Sacramentũ Venerabile templo primum inferretur. Sacerdote ergo sacrosanctum cæli ferculum ad locum, in quo communicaturæ agebamus, deferente, & me iam eius participem facere parante, ecce Eques ille, quem dixi, ore decoro & vultu splendido ac læto, complicatisq; manibus, iuxta Sacerdotem, mihi sese spectandum dedit, & immensas ob acceptum operâ meâ liberationis è purgatorij pœnis beneficium gratias agebat. itaque mox anima illa in superna habitacula euolauit. Et certè, vt primũ intellexi, illum in via salutis versari, deque ea certum esse, vix ipsum mihi persuadere potui, & admodum intra me anxia fui; quod pro vitæ, quã duxerat, ratione aliud is mortis genus, quo salutem consequi posset, obire debere mihi videretur. nam (vt alia taceam) mundi vanitatibus totus immersus fuerat: quamquam (vt verum fatear) mortis se identidem, dum viueret, memoriam præ oculis

Anima fundationis per primam missam à purgatorio liberatur.

Deipara præstita obsequia quantiacumque Domino grauissima sunt.

culis habere, comitibus meis dixit. Mirum certè & notabile est, Domino placere & gratum esse, quodcumque matri suæ exhibetur obsequium. Et sanè immensa eius est misericordia. Sit ipse pro omnibus laudatus & benedictus, quòd vita & gloria æterna operum nostrorum vilitatem ita compenset, cumque ea perexigui sint valoris, magna reddat & pretiosa.

Ad alias Vallisoletanæ moniales ædes migrant.

Cùm ergo festum assumptæ in cælos Virginis Deiparæ, die videlicet Augusti quintadecima, anno Domini M.D.LXVIII. ageretur, domus illius rite adita possessio est. Sed non diu illo in loco commoratæ sumus, quòd penè omnes in morbū incidimus. Quo perspecto, Maria Mendosia illustri genere mulier, Commendatarij Cobos vxor, & Marchionis Camarasensis mater, pietate, religione, & caritate (quam effusæ in egenos eleemosynæ satis frequentes apertè declarabant) præstans, eadem quæ prius caritatis officia mihi tum præstitit; illam namque noueram familiariter: est enim Abulensis Episcopi soror, & in primi monasterij fundatione insignem nobis operam præstiterat, nec non in omnibus ad ordinem vniuersum spectantibus. Quòd ergo esset caritate & affectu plena, videretq; nonnisi difficillimè illic nos posse habitare, tū quòd ad eleemosynas accipiendas locus ab vrbe satis esset remotus, tum quia in salubris & morbis obnoxius erat; hanc sibi domum vt cederemus rogauit, aliam eius loco se coempturam dicens. Vt dixit, fecit. Quam autem nobis dedit, multò pluris valuit, quòd simul cuncta quæ nobis necessaria essent, daret, quin & vsq; nunc det, & quoad viuet datura sit S. Blasij festo, solenni ritu supplicantis populi, beneque in nos affecti illuc migrauimus. Hunc porro is affectum semper in nos conseruat, quòd magna erga conuentum hunc misericordia Dominus vtatur, & tales ad eumdem virgines vocauerit, illarum vt vitæ sanctitas suo tempore aliquando describenda sit, quò Dominus ipse laudetur ac glorificetur, qui per huiusmodi media & instrumenta opera sua extollere, & creaturis suis gratificari vult.

CAPVT XI.

AGITVR DE VITA ET MORTE MONIALIS CVIVSDAM, QVAM ad hunc conuentum Dominus vocauit, Beatricis ab Incarnatione nuncupatæ: vita quippe eius tantæ fuit perfectionis, & mors talis, illius vt memoriam fieri dignum sit.

HOc inter alias monasterium ingressa est insignis sanè virgo, Beatrix digneſia appellata, cuius anima reliquas Moniales admiratione cōpleuit, quòd Dominum miras & singulares quasdam virtutes in ipsa opera-

operari cernerent; quin & ipsæ nec non Præpositæ, testantur, numquam se in ea quoad vixit, aliquid quod meritò imperfectio dici mereretur, notasse, neue vmquã vidisse, eam ob quodcumq; demũ accideret, vultum mutasse, sed in continua quadã modestiæ iuncta hilaritate, quæ interioris quo anima eius fruebatur, gaudij ac pacis iudex erat, minimè tædiosum aut cuiquam graue silentium. tametsi enim silentij cumprimis esset studiosa, ita tamen ipsum seruabat, vt, ceu singulare & particulare quid, hoc in ipsa non appareret. Numquam quid audita est loqui, quod reprehensionem mereretur: numquam item audita opinionem suam pertinaciter defendere, neue se excusare; tametsi, ad eius periculum faciendum, Præposita nonnumquam illam eius insimularet rei, quam minimè admiserat, quemadmodum in nostris monasterijs ad mortificationem practicandam vsurpari solet. Numquam item de re aliqua aut moniali conquesta est, nec per id quo fungebatur officium aut munus vlli sororũ, vultu verbone molestiã tædiumue attulit, neque etiam vlli occasionem dedit aliquam in se imperfectionem cogitandi aut præsumendi. In Capitulo quoque, etsi zelatrices minima quæq; ibi obseruent & notent, nullam tamen vmquã eius accusandæ materiam inueniebant. Adhæc pax & tranquillitas eius tum interior, tum exterior, omnibus in rebus, summa & maxima erat. hæc porro omnia inde ortũ habebant, quòd æternitatẽ, & finẽ ob quẽ nos Deus crearat, identidem præ oculis haberet. Dei vero laudes, & gratiarum actionem iugiter in ore habebat: demum orationi semper & vbiq; intenta erat. In iis quæ ad obedientiam spectabant, numquam vel minimum deliquit, sed quidquid sibi imperabatur, maxima promptitudine, perfectione & hilaritate exequi satagebat. Charitas porro illius erga proximum erat intensissima, adeo vt se pro vnoquoq; in mille partes concedi paratissimam diceret, dummodo illius saluari possent anima, & Iesu Christo fratre suo (ita namq; Dominum suis in laboribus vocitabat) frui. Qui labores esto maximi forent, nimirũ grauissimæ infirmitates (vti postea referam) & intẽsissimi dolores; eos tamen tanta ferebat hilaritate, gaudio, lubentia, ac si summæ fuissent deliciæ ac voluptates: quibus haud dubiè Dominus eam in spiritu & internè replebat; neq; enim minus aut aliter fieri poterat, prout quidem exteriores dolores æquanimiter & lætè perferebat. Contigit quodam tẽpore quosdã in hac vrbe Vallisoletana, ob atrocia & enormia crimina, flammis adiudicari: cùm verò ipsa (nescio vnde) sciret, ipsos non pro eo ac quidem oportebat, ad mortẽ paratos ac dispositos esse, ita interiùs contristata & afflicta fuit, vt dolore oppressa ad Dominũ per orationẽ se contulerit, eũq; pro animarũ illarũ salute quã cordialissimè deprecata sit; & vt pro

iis quæ illi promeriti erant, tormentis, vel, quo ipsa eorum q̃ postularet, compos redderetur (neque enim eius verbum rite, &, prout prolata sunt, recordor) toto vitæ suæ tempore omnes illas sibi immitteret pœnas & dolores quos ferre posset. Et ecce, hac ipsa nocte prima febris occupauit; &, vsque dum mortua est, semper in doloribus & passionibus egit. Illi autem malefici debita cum contritione vita excesserunt, vnde verisimile fit, eius orationem esse à Deo exauditam. Non multò post quoque grauis quidam abcessus & apostema intestina illius occupauit, qui tã intensa ibi causauit tormenta vt ad eadẽ patienter ferenda illo opus fuerit robore, quod animæ illius Dominus indiderat. Erat autem apostema hoc introrsum abscedẽs, adeò vt quæ sumeret medicamenta, in cassum forent, nec quicquam prodessent; quoadusque placuit Domino ipsum deforis aperiri, purulentamq; saniem eijci: itaque quoad malum hoc, aliqua ex parte meliùs habere cæpit. Porro vehemens hic patiendi ardor, qui in ipsa æstuabat, modico paruoque contentus non erat: cum enim quodam tempore concionatorem aliquem de cruce differentem audiuisset, ita hoc in ipsa patiendi desiderium excreuit, vt, concione absoluta, in lacrymas effusa in lectum se abiecerit, cumque quid haberet interrogaretur, dixerit, Deum rogarent multum vt sibi ciues & magnam patiendi materiam suppeditaret; & hoc se quàm maximè contentam fore. Cùm Præposita vero omnia animæ suæ negotia sincerè candideque tractabat; eiusque responso per omnia acquiescebat & recreabatur. In omni porro infirmitate sua, nulli vel minimam molestiam attulit, nec aliud faciebat, quàm quod infirmariæ præfecta fieri iuberet, esto hæc vel pauxillum aquæ sumere illam prohiberet. Animas orationis studiosas labores & aduersitates, cùm illis ipsis carent, petere ordinarium est; at paucorum est, cum in hisce aduersitatibus iam versantur, gaudere quod eas pati mereantur. Hæc vero ita iam afflicta & oppressa erat, vt non diu post vixerit, & dolores patiebatur intensissimos; mox accessit graue quoddam in faucibus apostema, nihil vt in stomachum traijcere aut deglutire posset. Aderant autem ei nonnullæ de sororibus, nec non Præposita, quæ cum eam consolaretur, & ad tantum malum generosè ferendum animaret, ipsa nullum se dolorem sentire, nec suam cum sororum optimè valentium valetudinem velle commutare dixit. Dominum illum pro quo patiebatur, tã præsentem sibi semper habebat, vt quàm poterat maximè, sese verteret ac gyraret, ne quis multum id quod patiebatur, intelligeret aut perciperet; itaque, nisi dum dolor extremè eam opprimeret, rarissimè & quam parcissimè conquerebatur. Nihil esse in terra æque malum & scelestum putabat, atque ipsa erat: &, quantum intelligi poterat,

magna

magna & singularis eius fuit humilitas; hinc cũde aliarũ virtutibus mẽtio fieret aut sermo haberetur, nõ secus ac de proprijs gaudebat: in mortificationibus porro modum propè excedebat; hinc ab omni re quæ recreationem aliquam adferre posset, sese, simulatione aliqua prætensa, sequestrabat; nam, nisi admodũ curiosè ad hoc aliæ aduerterent, id notare nõ poterant. Cũ creaturis prorsus nec viuere, nec agere videbatur; adeò parum omnia creata curabat: nam quomodocumque demum res quælibet accideret, tanta eas cum pace suscipiebat, vt semper vno in Esse agere videretur; adeo vt quodam tempore quædam de sororibus ei dixerit, illam nobilibus quibusdam egestate pressis similem videri, qui tametsi præ fame emoriantur, id malint, quam vt externis suam indigentiam indicent. nam fieri non posse censebant, quin aliqua ei molesta & grauia forent, esto hæc ipsa tam parum curare videretur. Quidquid externorum operum ageret, aut laboraret, tali id fine faciebat, vt meritum illius non perderet; vnde & sororibus dicere solebat: *Res quantumuis minima, si ex amore Dei fiat, satis æstimari non potest. Ne vel oculos quidem nostros mouere nos, ô sorores, oporteret, nisi ob hũc finem, & ad illi complacendum.* Numquam etiam sese immiscuit rei, quæ sui officij non erat; hinc fiebat etiam, vt nullius defectum, quam suũ ipsius solius, nosset. Adeò illi graue erat, quod quis de ipsa bonum diceret, vt propterea sempes seriò caueret alicuius virtutes coram referre, nequam illi hoc pacto molestiam adferret. Nullam item consolationem aut recreationem dari sibi petijt, vel abhortum sese conferendo, vel eam è re quapiam creata captando: nam, sicut ipsa dicere solebat, insignis quædam rusticitas foret, in doloribus quos ei Dominus immitteret, alleuiamentũ quærere; itaq; fiebat, vt numquam aliquid sibi peteret, sed quodcumq; ei dabatur, eo contenta esset. Quin imò quamdam sibi crucem & dolorem futurum dicebat, consolationem quærere è re quæ Deus non esset. Id porro rei caput est, quòd, cùm ipsa è domesticis de modo eius viuendi inquirerem, nulla omnino fuerit, quæ non testaretur, quidquid in ipsa vidisset, id animã, quæ iam ad eminentem perfectionis gradum peruenisset, redolere & spirare.

Cùm ergo iam tempus, quo eam Dominus è vitæ huius carcere educere volebat, aduenisset, eius dolores increuerunt, & tam multa simul mala & morbi eam oppressere, vt subinde eam sorores (ad Dominum laudandum & benedicendum, q eam hæc tam æquanimiter ferre viderent) inuiserent. Ipse verò Sacerdos, qui à Confessione Monialibus huius monasterij erat, insignis Dei famulus quam maximè desiderauit, sibi vt illi morienti adesse liceret: nam quod eius confessionem exciperet, eam vt sanctam reputabat. Placuit autem Deo, hoc pio eius

voto desiderioq; satisfacere: nam, quod illa sibi admodum præsens, etiam extrema vnctione inuncta esset, eũ euocarunt, vt (si illa nocte opus foret) eius confessionem exciperet, eique ad bene moriendum adesset. Paulò antè horam nonam, cũ omnes sorores, & ipse Sacerdos in cubiculo eius essent, horæ circiter parte quarta antè, quam vita excederet, omnes eam morbi & dolores penitus dereliquerunt; & cum magna quadam cum vultus serenitate oculos in cælum sustulisset, tanta in oculis eius lætitia eluxit, quidam vt splendor ex ijs emicare videretur; quos ita componebat, tamquam qui rem mire sibi arridentem ac placentem conspicit, vnde etiam secundò subrisit. Tanto porro omnes quæaderant, nec non sacerdos ipse, spirituali repleti sunt gaudio, vt sese quodammodo in cælo esse crederent. Et in hac ipsa quam dixi, vultus hilaritate, oculis in cælũ sublatis, mox expirauit, instar Angeli cuiusdam manens; credere namque licet (prout quidem nos fides nostra docet, & vitæ eius ratio fuit) illam à Deo cæleſtem requiem, in compẽsationem intensi illius desiderij, quo pro illo semper pati desiderabat, esse subuectam. Ipse Cõfessarius testatus est (quod & alijs multis exinde retulit) eo ipso tempore, quo corpus eius sepulcro inferebatur, maximam se & suauissimam fragantiã percepisse. Quin & æditua asseruit, de omni cera, quæ illius in sepulcro & exequijs accensa est, nihil omnino consumptum fuisse. Omnia hæc de diuina misericordia credere fas est. Cum hæc ipsa cuidam illius Confessario, è Societate Iesu, quo multis illa annis Confessore vsa fuerat, & animæ negotia crediderat, declararem, non id sibi mirum videri, nec se mirari ait; nosse enim se, Dominum frequentẽ cum ipsa communicationem habuisse. Det Maiestas eius, carissimæ, vt è tam bonæ sodalis, aliarumque plurimarum id genus, quas hisce in Conuentibus Dominus nobis dat, cõtubernio cõmercioq; fructum aliquem colligere nouerimus. fieri potest, vt & aliquid suo tempore de illis scribam, vt sic ad imitationem illarum accendantur quæ aliquo modo tepidæ sunt, omnesq; quotquot sumus Dñm dilaudemus, quod in imbecillibus quibusdam mulierculis eius magnitudo ita reluceat.

CAPVT XII.

QVOMODO ET QVO AVCTORE PRIMVM FRATRVM, primigeniam regulam seruantium, monasterium anno Domini M.D. LVIII. caperit.

Primi Discalceatorũ cœnobij initia describuntur.

ANtequã autẽ adhoc Vallisoletanũ monasteriũ fundãdũ abiré, iã tum cũ P. F. Antonio de Iesu, (qui tũ in S. Annæ cœnobio Ordinis Carmelitani priorẽ Metinæ agebat) & cũ F. Ioanne de Cruce (vti antea dixi) cõuenerã, vt, si qᵖ fratrũ primã Discalceatorũ regulam sectantium monasteriũ fundaretur, primi essent qui ipsam profiterentur. Quòd tamen

tñ neſcirẽ vndenã habere domum poſſem, identidem Deo id negotium in oratione commendabam: quia (ſicuti iam ſuprà monui) duo illi Patres iam tum mihi placebant. Etenim P. F. Antonium de Ieſu Dominus ipſe varios per labores, quos is magna cum perfectione pertulerat, anno integro (nam tantum pene temporis iam effluxerat ab eo die quo primùm de hac re cum illo egi) mirè exercuerat. at Ioannẽ de Cruce minime opus erat probari; nã (eſto Calceatorũ Carmelitarũ Ordinẽ profeſſus eſſet) ſemper tñ vitam valde exemplarẽ & religioſam duxerat. Placuit tandẽ Domino, cùm mihi q̃ præcipuum erat, fratres, inquam qui fundamenta rei ponerent, dediſſet, etiã reliquum dare. Etenim vir quidam nobilis, Abulenſis, Raphael cognominatus, quicum numquã hactenus egeram, cùm neſcio vnde (neq; enim recordor) de quodam Diſcalceatorum Monaſterio exſtruendo agi, intellexiſſet, vltro me acceſsit, domumq; quam in pago quodam pauciſſimorũ incolarũ (nam vix viginti mihi fuiſſe videntur, nõ enim iã rite recordor) in vsũ cuiuſdã villici, qui frumentũ, q̃ ipſi ſingulis annis ibi è cenſibus cedebat, illius nomine colligeret, habebat, ſponte mihi obtulit. Ego verò, etſi viderẽ, qualis eſſe dom⁹ illa poſſet, Dño benedixi, eiq; gratias egi. Ille aũt, Metinam Campi petẽtes pagũ hunc tranſire aiebat; meq; Valliſoletum ad fundandum abeuntem illac neceſſariò (eſſe enim hanc rectã viam) pertranſire debere, ac tũ ipſam poſſe inſpicere. Dixi me facturam, vti & feci; etenim menſe Iunio Abula, vna cum comite, & Iuliano de Auila, (qui erat is Sacerdos quem dixi, quique mihi his in itineribus operam ſedulam præſtabat, monaſterij noſtri Abulenſis ſacellanus) diſceſſi. Summo manè itineri nos dedimus, cumque qua eundum eſſet ignoraremus, hinc à via erraſſe; quodque pagus hic parum notus & obſcurus eſſet, non multum de illius ſitu intelligere potuimus. v de toto illo die magnum laborem & moleſtiam in eũdo ſubijmus, quòd vehemens & intenſus ſolis eſſet æſtus. Cum verò iam prope pagum nos eſſe putabamus, tantum ab eo abfuimus, vt tantumdem nos viæ conficere adhuc oportuerit quantũ iam confeceramus. Moleſtia autem, defatigationis, & erroris quam hac in via ſubijmus, memoria ſemper mihi ob oculos præſens verſatur. Paulo ante noctẽ ad locũ illum peruenimus: vt verò domũ ingreſſi ſumus, ita eã conſtitutã inuenimus, vt nocte illa ibi diuerſari auſi nõ ſimus, tum ob innumeras quibus ſcatebat ſordes, tum quod magna illic meſſorũ copia diuerſaretur. Habebat hæc atriũ vtcumq; ſpatioſum, nec nõ duplex cubiculũ cũ ſuo ſpatio intermedio, demũ paruã culinã. hæc erat tota monaſterij noſtri ſtructura & ędificiũ. Ex atrio ſtatuebã templũ cõcinnari poſſe, ex ſpatio intermedio chorũ; artè quidẽ: duplex autẽ cubiculũ dormitorio & refectorio aptari poſſe.

Socia

Socia mea, esto multò me esset melior, & pœnitentiæ perquam studiosa, ferre non poterat, quòd illo è loco adaptare monasterium vellem, vnde mihi dixit. *Certè mater, nullus est spiritus quantumuis bonus, qui hoc ferat: amplius igitur de eo ne tractes rogo.* Cæterùm Sacerdos qui viæ comes erat, tametsi eiusdem esset opinionis, cuius comes mea, vt tamen intentionem & propositum meum audiuit, minimè mihi est refragatus. In templum vicinum somni capiendi gratia de nocte concessimus; nam quod vsq; eò defatigati & exhausti essemus eundo, eam vigilando transigere noluissemus.

Primorum Discalceatorũ in paupertate amplectenda promptitudo.

Metinam vt appulimus, statim cum P. Antonio locuta sum, & quid rerum ageretur ei aperui, spopondique, si modò animum haberet ad illic aliquousque habitandum, Deum quamprimum auxilio & remedio futurum: incæpto duntaxat opus esse, in eo enim omnem difficultatem consistere. Videbar mihi tam ante oculos & præsens habere, quod Dominus postea est operatus, adeoque certum (vt ita dicam) quàm modò id video, quin & plura multò quã hucusq, factũ vidi. Nam hoc ipso quo hæc scribo tẽpore, decem (quæ Dei bonitas est) Discalceatorum numerantur conuentus. Addidi præterea, sibi persuaderet, Prouinciales, tam eum qui nuperrimè officio defunctus erat, quàm modò præsidentem, minimè adhoc nobis licentiam daturos (nam, vti iam suprà initio dixi, bona illorum cum venia res peragi debebat) si nos in domo quadam ampla capacique rem auspicari viderent; vt interim taceam, melius quid tunc nobis non occurrisse; at in vili illo pago & domo cùm agerent, minimè fore vt quis ipsis impedimento foret. Plus illi animi certè Deus dederat, quã mihi: vnde, *non solùm ibi, sed & in hara porcina paratum sese ait commorari* Eiusdem quoque resolutionis & propositi erat F. Ioannes de Cruce. Adeò vt aliud nobis reliquum non esset, quàm duorum illorum, quos dixi, Patrum Prouincialium facultatem obtinere; hac namque conditione, potestatem adhoc exequendum mihi P. N. Generalis dederat. Equidem in Domino sperabam, hanc nobis facultatem minimè denegatum iri. Vnde P. Antonio dixi, vt quàmcumque quomodocumque posset, domui necessariam supellectilem, conquirere interim omni ope satageret: ego autem vna cum F. Ioanne de Cruce ad Vallisoletanam, quæ iam descripta est, fundationem conficiendam perrexi. Quòd autem ad aliquot dies inter operas, domùm quæ sine claustro erat, claustro adaptantes ageremus, commodum interea P. Ioannes de Cruce de omni nostra viuendi ratione inquirendi locum ac tempũs habebat, vt sic omnem nostram regulam bene perspectam haberet, tam quoad mortificationem, quàm mutuæ confraternitatis modum, & recreationem quam inter nos aliquando

quando habemus. Omnis namq; tanta cum moderatione recreatio cóceditur, vt dumtaxat ad imperfectiones sororum tali in occasione cognoscendas, & aliquantulum relaxationis ad regulæ rigorem meliùs ferendum, capiendum concessa intelligatur. Is autem adeò probæ vitæ erat, vt plus ego ab ipso, quam ipse à me discere possem: at non hoc erat quod spectabam, sed dumtaxat, vt hac ipse ratione modum formamq; viuendi, quam sorores seruarent perspiceret.

Facultatem prouincialis ad hoc obtinet S. Mater.

Deo porro disponente factum, vt illuc tum appelleret Ordinis nostri Prouincialis, cuius beneplacitũ & facultas requirebatur, F. Alfonsus Gonsaluius, vir senex, optimæq; indolis, & omnis malitiæ expers. Tanta autẽ ei dixi, cum ab ipso ad opus hoc auspicandum facultatem peterem, deq; ratione, quam Deo iudici si tã bonum opus impediret, redditurus esset, vt, illius maiestate, quòd hoc ipsum executioni mandari volebat, illum disponente, valdè moderatè placideq; mihi responderit. At cũ deinde D. Maria Mẽdosia & Episcopus Abulensis, qui illius est frater, quiq; semper nobis & fauit, & auxiliatus est, eum conueniissent, facilè cum ipso negotium confecere, nec non cum P. Angelo de Salazar, Prouinciali defuncto, à quo plus imminere difficultatis & repugnantiæ fomidabam. at occurrit tum forte fortuna casus, in quo D. Mariæ Mendosiæ is fauore auxilioq; opus habuit; & hoc non mediocriter ad facultatis prædictæ impetrationem conduxisse mihi persuadeo: vt taceam, etiam hac occasione non oblata, futurum vt Dominus hanc menti eius voluntatem inspiraret, vti & P. N. Generalis, qui nimium quantum ab eius ad hoc proposito videbantur, mentem mutauit.

Deus in rebus Ordinis Discalceatorũ ad exitum deducendis omnia pene solus confecit, homines prope nihil.

Quàm multa, Deus bone, hisce in negotijs, quæ prorsus vt fierent impossibilia videbantur, feliciter à diuina Maiestate, omnibus difficultatibus exsuperatis, ad exitum deducta vidi! Ah, quanta mea confusio est, vidisse me quæ vidi, & non esse me meliorem quam sum! certè modò dum hoc scribo etiamnum obstupesco, ac velim Dominum omnibus in mundo patefacere, nihil propè esse quod hisce in fundationibus nos creaturæ præstitimus: ipse namq; Dominus vniuersa solus disposuit, idq; per initia & fundamenta quædam tam tenuia, vt sola Maiestas eius ad illum, in quo modò sunt, statum eadem euehere potuerit. Sit ipse in æternum benedictus.

CAPVT. XIII.

PROSEQVITVR COEPTAM DE PRIMI DISCALCEATORVM Carmelitarum cõuentus fundatione narrationem. De vita quoque quam in eo instituebant primi illi Patres, nec non de fructu, quem illis in locis Dominus ad honorem & gloriam nominis sui facere incipiebat, nonnulla tradit.

VT ergo hasce duas voluntates in potestate mea habui, nihil mihi vlterius deesse videbatur. decreuimus itaque, vt P. Ioannes de Cruce in domum quam dixi concederet, eamque ita adaptaret & concinnaret, vt, quomodocumq; liceret, in ipsa habitari posset. nam tamdiu festinato opus censebam, quoadusq; res iam cœpta foret. non parum enim timebam, ne quod inexspectatò nobis obstaculum suboriretur. Igitur & res peracta est. Iam. P. Antonius nonnullam ad vsum necessarium supellectilem collegerat; quē & nos à parte nostra prout potuimus (potuimus autem parum) adiuuimus. Mox autē ad me conueniendā Vallisolerū, magno animi cum iubilo excurrit, mihiq; quidnam rerū collegisset significauit, quod certè nimis quàm exiguū erat: ab horologiis solum benè instructus erat; nam quinq; sibi cōpararat: vnde mihi insignē ridendi occasionem dedit. Ad horas bene dispositas habendas ea sese cōparasse dixit, quòd à tempore præoccupari, & non ordinato tēpore sua agere nollet. Credo sanè, eum ne quidem tunc habuisse, super quo somnum caperet. In domo vsui nostro adaptanda aliquantulum lentè procedebatur, quòd deesset ad fabricandum pecunia, tametsi multa alioquin fieri vellent. Re tandem peracta, P. Antonius Prioratui suo, insigni cum animi promptitudine & quàm lubentissimè renuncians, ad primam regulam seruandam voto se obligauit; imò, ne quidem aliquod eius periculum, id me suadente, prius facere in vmbra voluit: vnde mox summo animi gaudio & lætitia ad tugurium suum nouum sese recepit; Ioannes autem de Cruce iam tum ibi agebat.

Ponuntur fundamēta Ordinis Discalceatorum.

Hic porro Antonius mihi postea asseruit, vt primùm in vici illius conspectum venit, maximum se internè gaudium sensisse, ac visum sibi iam mundum planè se debellasse, quod eum penitus omnem iam desereret, intraq; solitudinem illam sese abderet. vnde nec huic, nec Ioanni domuncula illa displicuit, sed in summis se maximisque delicijs agere putabant. Quàm, ô Deus bone, hæc ædificia & deliciæ ac recreationes exteriores ad pacem interiorem parum conducunt! Vnde per eius amorem vos obsecro, carissimæ, & vos Patres, vt in domibus magnis & pretiosis semper omnem quam potestis moderationem ad hibeatis. versentur nobis ante oculos veri nostri fundatores, qui sunt sancti illi patres, à quibus descendimus, quos per hanc paupertatis & humilitatis viam ad Dei fruitionem peruenisse nouimus. Et sane, vt fatear quod res est, semper plus spiritus, nec non gaudii interioris vigere vidi, quando corporibus suæ deesse commoditates & recreationes videntur, quàm postea cùm iam domum amplam habent suasque commoditates. quantumlibet illa magna sit, quid nobis inde boni aut fructus sequitur, cùm vnius dumtaxat cellæ vsum continuò habeamus?

S. M. domos splendidas suis dissuadet.

mus? si illa capacissima sit, & bene constructa, quid nostra interest, cum parietes nos respicere & considerare minimè oporteat? si item consideremus, non esse domum, quæ in perpetuum nobis durare debeat, sed solùm ad tam modicum tempus, ac vita nostra durat (quantumlibet illa longa sit;) omnia nobis quàm suauissima videbuntur, scientibus, quo minus & pauciora hic in terra habebimus, eo plura nos in illa æternitate possessuros, in qua nobis habitacula & mansiones dantur pro amoris, quo boni nostri Iesu vitam imitati fuerimus, paruitate aut magnitudine. Si hæc esse principia dixerimus, ad regulam B. Virginis, eius Matris, Dominæ ac Patronæ nostræ, renouandam: hanc illi, quæso, iniuriam non inferamus, neue sanctis nostris Patribus qui nos præcesserunt, vt illorum vitam imitari nolimus. &, quamuis ob imbecillitatem nostram, in omnibus illos imitari non possimus, in iis saltem quæ ad vitæ sustentationem nec prosunt, nec obsunt, magna cum circumspectione procedamus necesse est; cum omnia nonnisi modicus quidam labor, isque sapidus sit, qualem eum duo illi Patres initio habebant. cumq; semel generosè apud nosmetipsos statuimus, & proponimus, illum exsuperare, omnis iam expugnata difficultas est, cùm omnis pœna nonnisi modicum quid in principio sit.

Prima aut secunda Dominica Aduentus, anni huius M.D.LXVIII. (neq; enim satis recordor, vtra harum Dominicarum fuerit) primum sacrum in atriolo illo Bethlehemitico (nihilo enim id mihi illo pretiosius fuisse videtur) celebratum est. Quadragesima post sequente, cum à Toletana fundatione reuertens, illac transirem; & summo manè locum illum inuiserem, reperi P. Antonium templi ianuam scopis euerrentem, facie ad hilaritatẽ quàm maximè composita, qualem is semper præfert. Cui ego, *Quid hoc est, mi Pater? vbinam iam est honor?* Qui mox subintulit, simul mirũ gaudium quod identidem sentiebat, mihi significans, *Maledico tempori, quo eum aliquando magni feci.* Templum autem ingrediens, mirata sum spiritus & deuotionis copiam, quam ei loco Dominus indiderat: neque ego solum, sed & duo mercatores, qui iam inde à Metina me illuc vsque comitati erant, meiq; fautores erant, identidem plorabant: omnia quippe vndiq; crucibus & cranijs mortuorũ plena erant. nũquã verò mihi memoria excidit parua quędã crux è ligno sculpta, iuxta aquę benedictę vasculũ, cui chartacea quędã imago Christi crucifixi affixa erit, q̃ maiorẽ exspirare deuotionẽ videbat, quã si è re p̃tiosa & artificiosissimè cõfecta fuisset. Chor⁹ erat, spatiũ illud intermediũ; q̃ in medio vtrũq; altũ erat, vt in eo horas recitare possent; sed ingrediẽtes, vtq; in eo sacrũ audirẽt, valde sese inclinare oportebat. Duo ibi habebãt in angellis vers⁹ tẽplũ porrectis eremitoriola (in quib⁹ nõnisi sedẽtis aut humi abiecti

P. Antonij à Iesu humilitas.

Paupertas.

abiecti agere poterant) freno repleta ; quòd & locus admodum esset frigidus, & capiti penè tectum immineret, duasque hic altare respicientes habebat feneſtellas, & duo saxa in vsum cerui calis; suas quoque illic habebant cruces & crania. Intellexi illos, dictis matutinis, vsque ad Primam inde non discedere, sed illic in oratione, quam satis prolixam instituebant, permanere; & nonnumquam factum, vt, quando ad Primam ibant, per altam niuem cum vestibus suis incederent, nec tamen eam senserint. Horas suas cum alio quodã Patre ordinis mendicati, qui, vt cum illis habitaret, illuc concesserat, (esto non mutasset habitum, quod esset valetudinis satis imbecillis) & alio quodam fratre iuuene, qui Ordinibus sacris initiatus nondum erat, qui etiam ibidem agebat. recitabant. Ad multa loca vicina, quæ doctoribus & doctrina destituta erant, prædicatum excurrebant; vnde & ob hanc causam gauisus sum, domum illam ibidem constitutam esse, quod videlicet intellexi, nec ibi in vicinia monasterium vllum esse, nec eius habendi spem vllam apparere. quod certè res verè deploranda erat. Tantam autem breui tempore sibi apud rurales auctoritatem compararant, vt, cùm primum id cognoui, maximæ mihi id consolationis fuerit occasio. Ibant, vti iam dixi, ad conciones habendas, ad sesquileucam, vel etiam duas, nudipedes (nam tunc nõ gestabant celones aut sandalia, quos postea primum iussi sunt induere) perdensas niues, & summo in frigore; &, postquam die toto concionibus habendis, & confessionibus excipiendis vacassent, nonnisi ad vesperam domum, cibum aliquem sumpturi reuertebantur. Quod autem inde sentiebant, gaudium ac voluptas omnia illis parua & modica videri faciebat. Victui necessaria satis ijs suppetebant: nam è locis circumcirca positis plus eis ciborum adferebatur, quam opus haberent; quin & viri nonnulli nobiles, in locis & pagis illis agentes, Confessionis gratia eos accedebant; qui simul iam tum commodiores domos & melius sitas ijs offerebant. Inter alios fuit quidam Ludouicus, Quinque ciuitatẽsis Toparcha. ædificarat hic Sacellum imagini cuidam Beatissimę Virginis, quæ certè veneratione & honore omni quam dignissima erat, quamq; pater eius, iam inde è Belgio, ad illius auiam aut matrem (neq; enim satis recordor) quodam cum mercatore miserat. vsque adeo porro is erga eam affectus fuit, vt multis eam annis domi suæ asseruarit, quin & postea in hora mortis ad se deferri iusserit, Est magna quædam labella, qua, mea vita, nihil vidi aut melius aut elegantius; quod & alij permulti mecum testantur. Porro P. Antonius de Iesu, cum, Ludouico petente, ad locum prædictum concessisset, & imaginem illã corã vidisset, ita erga eam affici cæpit (& non sine ratione) vt non abnuerit monasterium illuc transferre (Loco nomen Manzera esto

Illius dum ocijs fruor.

Excurrunt ad loca vicina verbum Dei edocturi.

esto aquæ putealis laboraret penuria, nec vlla eius ibi habendæ ratio suppetere videretur. Ludouicus autem paruum eis (pro ratione vocationis & professionis ipsorum) monasterium condidit; quin & templo ornamenta addidit, omniaque bene perfecit. Nolo verò hic omittere referre, qua Dominus ratione aquam ipsis dederit, quia pro miraculo res habita fuit. Cum enim quadam die P. Antonius, qui Priorem agebat cum fratribus suis post cenam in claustro loqueretur, ac de aquæ, quo laborabant, defectu sermonem misceret; ecce tibi subitò exsurgens, eo, quem in manibus habebat, scipione quadã in parte areæ signũ crucis efformauit (vt mihi quidem videtur; nam nequidem satis bene recordor, an eo crucem fecerit, saltem baculo ipso signauit locum) dicens, *Iam hic effodito*, Vix aliquantulum terræ effoderant, cum tantum aquæ subito prorupit, vt etiam ad emundandum puteum, iam eius vis queat inhiberi: est autem hæc aqua sapidissima & potui accommodatissima; nam toto eo tempore quo ædificatum est, inde aqua petita est, & numquam (vt dixi) puteus euacuatur. Posteaquam verò hortum quemdam muro inclusissent, aquam in eo habere procurarunt, hinc varias scrobes in eo fecerunt, multum pecuniæ impendentes, & tamen hactenus (post omnem operam (eam inuenire non potuerunt.

Miraculose Deus de aqua discalceatis prospexit.

Vt ergo domunculam illam, in qua antè paulò vix habitari poterat, talem spirare deuotionem vidi, vt, quocumque meos oculos conuerterem, viderem quæ me ædificabant, simul & audiui quã primi illi viuendi normã tenerent, nec non quomodo mortificationi & orationi insisterent, & quam bonũ omnibus exẽplum darẽt (ibi nãq; me inuisum venẽre vir quidã nobilis, eiusq; vxor, quos nouerã, quiq; vicino quodam in pago commorabantur; ac multa de illorum sanctitate, nec non fructu eximio quem inter homines pagi illius faciebant, mihi referebant) gratijs Domino agendis minimè satiabar; idq; cum maximo quodam cordis gaudio: quòd iam tum initia quædam datæ viderem rei, quæ ad incrementum Ordinis nostri, & insigne Domini obsequium mirificè faceret. Dignetur illius Maiestas, eã prout quidem iam procedit, vlterius semper promouere: nam tunc cogitatio & cõceptus meus, verissimus erit. Qui mecum venerant mercatores, dicebant, quòd pro toto mundo nollent non venisse mecum. Quid verò non est virtus? vt magis illis placeret hæc paupertas, quàm omnes quas ipsi possidebant, diuitiæ, hæc quoq; animum eorum satiarit & consolata sit. Postquam autem Patres illi & ego de rebus nonnullis tractassemus, eos inprimis quàm studiosissimè rogaui (prout quidem ipsa sum debilis & improba) vt in austeritatibus subeundis tam in se rigidi non essent, vti erant: metuebam enim, ne, quod tot mihi votis & orationibus apud Dominum

Illorum pœnitentia & rigor.

constitissetaliquē scilicet vt mihi ipse daret qui rē ausp icaretur, quodque iā tā bene procedebat, penitus concideret, cacodæmone illos ante conficiendi & subuertendi medium quærente, quam quod ipsa conceperam & sperabam ad exitum perduceretur: sed, quòd imperfecta, & paruæ essem fidei, non cogitabam id esse opus Dei, eiusque Maiestatem id promoturam. At illi (quòd haberent illa quæ mihi deerant) mea verba, ad exercitia sua intermittenda, parum morabantur. Vnde maxima cum animi consolatione inde discessi, tametsi pares & eas, quas tam ingens opus promerebatur, Deo gratias non agerem. Det Maiestas eius (quæ illius est bonitas) vt aliquod ei è multis illis quæ ei debeo obsequium rependere digna sim. Amen. Etenim satis intelligebam, hanc multo maiorem gratiam & beneficium esse, quam illam, quam, vt Monialium Conuentus erigerentur, mihi præstitit.

CAPVT XIV.

AGITVR DE FVNDATIONE CONVENTVS TOLETANI à S. Iosepho denominati, qui anno M.D.LXIX erectus est.

Toletani cœnobij origo.

COmmorabatur Toleti mercator quidam honorabilis, atque egregius Dei famulus; qui hactenus inire matrimonium noluerat; sed vitam Christiano cum primis dignam agebat, veritatis & honestatis cultor acerrimus, & nullū nisi licitum commercium inire volens. Propositum hic habebat non alio scopo aut intentione opes coaceruare, quam vt ex ijs quoddam Deo gratissimum opus excitaret. nomen verò illi erat Martinus Ramirius Hunc ergo morti iam vicinum Paulus Fernandius Societatis Iesu Sacerdos, (quo ego Confessario, cum Toleti agerem, ad Malagonensem fundationem properans vsa eram) vbi hoc intellexit, inuisit: &, quòd Toleti Discalceatis monialibus erigi condique cœnobium cum primis cuperet, ei, quantum hoc ad diuinum obsequium futurum esset dixit, addidit præterea eos quos fundare decreuerat Sacellanos & capellanias, in isthoc monasterio fundari posse, ibidemque certas quasdam solennitates, & reliqua omnia, quæ cuidam vrbis illius paræciæ legare & fundare constituerat, haud incommodè posse celebrari. Ea porro ipsius fuit imbecillitas, vt cū sibi tēpus adhæc constituēda necessariū, minimè suffecturum crederes, rem omnē fratri suo Alfonso Aluaro Ramirio, viro prudenti, religioso, sincero, atq; in egenos profuso, & rationis præscriptum in omnibus sequenti (quæ ei dare elogia meritò & verè possum, vtpote testis oculata; quòd sæpius cū eodem egerim) cōmiserit. Martino porro ex hac vita decedēte, adhuc

Valli-

Vallisoletana in fundatione occupata eram: vbi mihi Patris Pauli fernandij,& Alfonsi Aluari litteræ sunt redditæ,quibus me omnium quæ peracta erant,certiorem reddebant, & si fundationem acceptare Toletanam vellem,Toletum vt me quamprimum conferrem,inuitarunt: quamobrem pòst paulò quam domus Vallisoletana concinnata esset, illuc excurri.Pridie autem festi Annuntiationis Deiparæ Virginis Toletum veniens ad Dominam Aloisiam de la Cerda diuerti, vti & diuerti alias,cum ad Malagonensem fundationem abirem.perhumaniter & hilariter ab illa excepta fui,quàm maximè enim erga me afficitur.Duas mecum comites è Conuentu Abulensi,eximias Dei ancillas, duxeram; quibus mox secretum ac priuatum de more attributum cubiculum, in quo nostris, prout in monasterio solebamus, exercitiis sine turba vacaremus.Ergo nihil cunctandum rata, cum Alfonso Aluario quamprimum de rebus, ob quas illuc veneram, tractare cæpi, nec non cum eius genero Iacobo Ortizio; qui, tametsi vitæ probæ esset, & in Theologicis versatus, sententiæ suæ erat multò quam Alfonsus Aluarus, tenacior, nec tam citò atque ille, rationi cedebat. quare multas mihi conditiones proposuerunt, in quas consentire, parum mihi æquum videbatur. Interim dum paciscì pergimus, & aliam domum conducibilem quærimus, vt sic aliquatenus possessionem adiremus, nullam post diligentem inquisitionem, aptam conuenientemq; inuenimus. Adhæc ab vrbis gubernatore monasterij excitandi facultatem impetrare non potui(neq; enim ea tempestate Archiepiscopum ea vrbs habebat) esto eam quam studiosissimè efflagitarent hinc Aloisia de la Cerda,hinc vir nobilitate insignis, Toletanæ Ecclesiæ Canonicus Petrus Manricius,supremi Castellæ præfecti filius, quique excellens Dei famulus erat,& etiamnum est(quia adhuc in viuis agit)qui,esto valetudinis parum firmæ esset,aliquot postquam conuentus hic fundatus esset,annis Societati Iesu sese dicauit,in qua etiamnum agit. quod certè illo in loco permultum fuit,quòd iudicio is valeret & auctoritate; nulla tamen impetrari licentia potuit: nam tametsi gubernator iam nonnihil mitigatus esset,ac lenius ageret,Concilij Archiepiscopalis assessores se summa contentione opponebant. Præterea alia ex parte cum Alfonso Aluaro,impediente genero(cui ille rem totam commiserat,)transigere non potui.quare à conueniendo paciscendoq; tandem penitus abstinui.nesciebam ergo quid agerem,aut quò me verterem,quod aliam ob causam illuc non venissem; ac videbam insigni mihi futurum ꝓbro irritare retrovnde venerã reuerti. Nihil vero me affligebat magis. q̃ denegata Superiorũ facultas:hac nãq; habita & possessione adita Deo freta reliqua ex voto mihi cessura sperabã,quẽadmodũ alijs in locis cesserant.

S. Mater Toletum ad fundandum excurrit.

Quas hic passa sit in fundando difficultates

rãt. Quare loci præfectũ conuenire ſtatui: hacq; de cauſa in quoddam ædibus illius vicinum templum concedens miſſo illum nuntio, ne ad mecum colloquendum venire illuc grauaretur, inuitaui. Iam duo & amplius menſes in rei confectione tranſactioneque effluxerant, & quotidie res in deterius cedebat. Vt ergo is conſtituto adfuit loco, in hæc illum verba compellaui: *Duriſſimum videri & indignum, mulieres quaſdam illuc veniſſe, quæ ſolius Dei cauſa ſummum vitæ rigorem, perfectionem, ſolitudinem, & clauſuram ſectarentur, & eos qui horum nihil præſtarent, ſed è contra vitæ delicias affectarentur, opus Dei gloriæ in tantum promouendæ inſtitutum ſubuertere conari.* His aliiſque id genus verbis, quæ mira quadam libertate ac reſolutione, quantum quidem Dominus mihi indebat, in medium attuli, ita Præfectum permouí, vt is antequam templo digrederetur, facultatem conceſſerit. Ita autem me hæc exhilarauit, vt iam tum omnia me conſecutam arbitrarer, cùm tamen nihil omnino haberem: nam qua poſſidebam pecuniam; tribus ea quatuorue ad ſummum conſtabat aureis; quibus duas in tela pictas imagines (nam nullam, quam in altari ponerem, habebam imaginem) duas item culcitas ſtramineas, ac codicem coëmi. De domo inuenienda nulla omnino ſpes erat; quæ etiam cum Alfonſo Aluario ineunda erat conuentio, iam prorſus conciderat.

Quo Toletanum præfectum libertate ſit allocuta.

Illius generoſitas & fiducia.

Habitabat per idẽ tempus Toleti mercator quidam, mihi peramicus, & cælebs, officijs caritatis erga carcere clauſos & alios egenos exercẽdæ; addictiſſimus; Alfonſus de Auila cognomento hic mihi dixerat, de domo vt minimè laborarem, ſe enim de ea mihi proſpecturum. Sed is mox in ægritudinem incidit. Paucis antè diebus Toletum frater quidam ex Ordine Minorum, Martinus Crucius appellatus, vir ſingularis ſanctitatis, appulerat: aliquot autem illic diebus hæſit, cumque iam diſceſſurus eſſet, iuuenem quemdam, cui is à Confeſsionibus erat, nomine Andradium, nullarum opum, ſed ſatis pauperem, ad me miſit, huicque in mandatis dedit vt faceret, quæcumque ego ei faciendæ præſcriberem. Quadam die cùm ſacro intereſſem, me eſt allocutus, & quæ ſibi à viro illo ſancto referre iniuncta erant, ex ordine retulit; ſcilicet certa eſſem, ſe, quæcumque poſſet, meo nomine facturum, quamquam perſona ſua & ſemetipſo te ſolũ nobis fauere & opitulari poſſet. ego illi hoc nomine gratias egi: verùm videre ego & ſociæ meæ cæpimus, videntes quem nobis ſanctus viradiutorem & auxiliatorem deſtinaſſet: etenim neque ob exteriorem veſtitum ac ſchema accommodus videbatur, vt cum Diſcalceatis Monialibus ageret. Ergo, cùm me quidem facultatem habere cernerem, ſed non hominem qui mihi opitularetur; neſciebam quid vltrà agerem, aut cui me commendarem. venit igitur mihi in

men-

mentē adoleſcentis illius, quē F. Martinus Crucius ad me aliàs deſtinarat; & hoc comitibus meis conſilium aperui. Illæ me non parum riſere, & ne id facerem diſſuaſerunt; neque enim id aliud fore, quam rem omnibus patefacere & diuulgare. Equidem illis auſcultare in hoc noluj; confidebam enim fore, vt (quòd ab illo viro Dei miſſus eſſet) ſaltem aliquid præſtaret; neque id ſine myſterio factum eſſe, vnde ei ad me euocato, (rem vt celaret quàm maximè iniungens) quidquid rerum ageretur aperui; ac propterea eum rogaui, domum mihi conquireret, fideiuſſorem pro pretio elocationis me procuraturam. cui rei bonum Alfonſum de Auila, quem in morbum incidiſſe antè paulò commemoraui deſtinabam. Valde facilè id illi viſum eſt, ſeque domum diligentiſſimè conquiſiturum ſpopondit. Ecce autem poſtridie manè, cum apud Patres Societatis Ieſu ſacrum Miſſæ ſacrificium audirem, is me venit allocutum; ſeque iam domum inueniſſe nuntiat, eiuſque claues penes ſe habere; illamque non admodum procul hinc abeſſe, quare eam viſum abiremus. quod & fecimus; adeò autem ea bona & commoda fuit, vt anno propè toto in ea habitauerimus. Sæpenumerò apud memetipſam, cum fundationis huius recordor, diuinæ prouidentiæ arcana demiror; quòd penè trimeſtri ſpatio (ſaltem plus quam bimeſtri; neque enim ſatis recordor) tota paſſim aſſiduoque quæritantes vrbe viri tam opulenti, (quaſi nullæ vmquam in vrbe domus fuiſſent) numquam eam inuenire potuerint: & ecce mox vt venit adoleſcens hic ſatis tenuis & inops, Domino volente, quamprimum aliquam inuenit; cumque ſine vllo labore fundatio peragi poſſet, (vti quidem fieri poterat, ſi cum Alfonſo Aluaro conueniſſemus) eam ipſe tranſactionem non fieri voluit, verum vt iſthæc fundatio cum paupertate & laboribus perageretur. Vt ergo placuit mihi domus, quamprimum operam dedi, eius vt caperetur poſſeſſio, antequam in illa quid adaptaretur, ne quod poſtea obſtaculum aut remora intercurreret. Et non multò poſt Andradius prædictus mihi ſignificatum venit, eo die domum vacuam à conductoribus fore, itaque noſtram eò ſupellectilem transferremus. dixi ei, non multum nobis transferendum fore, etenim aliud nos non habere, quàm duas culcitras, & lodicem vnum. quod ille audiens, hauddubiè miratus eſt: vnde & ſodalibus meis graue fuit, hoc me illi aperuiſſe: dicebant enim cur id dixiſſem: nam fore, vt is, viſo nos ita pauperes eſſe, nos amplius adiuuare nollet. Ego ad hoc non reflexi: ipſe quoq; Andradius parum id curauit: nā qui hanc illi voluntatē dabat, eam etiā in eo vlteriùs promoturus & adaucturus erat, quoaduſque opus ſuum ad exitum perductum eſſet & verè ita fuit: nam adeo ſe nauum ſedulumque præſtitit,

Quibus Deus mediis & inſtrumentis magna cōficiat.

S. Matris paupertas.

domum cõcinnando,& operas fabriles adducendo,vt nihil in eo nobis concedere videretur.

Ornamenta ſacro dicendo neceſſaria mutuo cum petijſſemus, poſt ſolis occaſum cum quodam fabro, parua præſonante nola, quarum eſt ad eleuationem ſalutaris hoſtiæ in Miſſa vſus (quòd aliam non haberemus)domum adimus, eiuſdem primum poſſeſſionem adituræ.Cumque magno cum timore, tota nocte , inſtauraſſemus & accommodaſſemus;locum ſacrario parando commodum non potuimus; niſi fortè atrium quoddam, in quod nonniſi per aliam domunculam vicinam, quam mulieres aliquot incolebant, & quam nobis proprietaria etiam locarat, patebat aditus. Omnibus ergo iam paratis , cùm primum dieſceret , (nihil autem illis mulieribus indicare auſæ eramus,ne fortè nos illæ proderent)portam aperire cæpimus,quæ erat parietis cuiuſdam lutei, perquem in paruum quoddam atrium ibatur. Vt verò illæ cum eorum audiere fragores,illico ſtrato ſe (nam dormiebant adhuc) conſternatæ corripiunt , & vix verbis multis placari potuere. At,cùm hora ſacri dicendi iam aduenijſſet,eſto nobis initio aduerſarentur illæ,nullum tamen tunc nobis faceſsiuere negotium : cumq; vidiſſent, quanam de cauſa id factum eſſet, Domino eas placante, mitiores ſe præbuere.

Poſtea vero vidi,quàm malè feciſſemus:nam ob illam abſorptionem, quam primùm Deus immittit,vt opus executioni ilico mandetur, non aduertimus ad incommoda quæ ſubinde proueniunt.Cum ergo ędium domina intellexit,domum ſuam in templum tranſiſſe (vtpote vidua viri,qui maioratum habebat)maius nobis obortum eſt negotium.quare omnimodis rem impedire & obſtare conata eſt , quòd putaret, nos eam,rametſi placeret,minimè empturas Sed tandem,Domino volente, turbari deſiit.Poſtquã verò Concilij Archiepiſcopalis ſenatores reſciuere,monaſteriũ,cuius cõdendi antè ipſi pernegarant poteſtatẽ, reipſa iã coaluiſſe,maximopere indignati ſunt,&frementes ad quẽdã è primarijs Eccleſiaſticis(quẽ mei ipſa propoſiti clanculo participẽ conſciũque reddiderã)abiere,dicẽtes ecquid facturi &ſtatuturi eſſent.quòd autẽ Præfectus poſt datã mihi facultatẽ,vrbe tunc tẽporis abeſſet,aliò,pfectus;hinc ad eũ quẽ dixi virũ abiere,mulierculæ cuiuſdã audaciã apud illũ exaggerantes,quæ ipſis inuitis & refragantibus nouũ monaſterium cõſtrueret.Is,quaſi nihil horũ ſciret,ſe geſsit;&,quàm optimè potuit,illos placauit,idipſum alijs etiã eã locis feciſſe aſſerens: nec verò incredibile videri,ſine neceſſarijs ad hoc litteris opus hoc inchoaſſe. Hi vero (neſcio ad quot dies) ſub excomunicationis anathemate incurrendæ, ſacra in tẽplo peragi vetant officia,quoadusque factæ poteſtatis litteræ exhi-

exhiberentur? Equidē benignè eis reſpondi, illorū me iuſsis ſpondens parituram, etſi ipſis alioqui morem gerere hac in re minimè obligarer. Ergo Petrum Mauricium (illum inquam, quem dixi, virū nobilē) obſecraui, ſenatores vt adeat, & quas habebam litteras, depromeret. Is verò eos placauit, eo potiſſimum quòd iam res confecta eſſet; alioquin non parùm nobis laboris ſubeundum fuiſſet. Aliquot diebus non aliam ſupellectilem habuimus quàm duas illas culcitras & lodicem: & primo etiam die ne tantū quidē ligni, quantum ſardæ aut haleculæ aſſandæ ſufficeret: & neſcio quemnam deinde Dominus emouerint, vt in templo ligni faſcem poneret, qui neceſſitati noſtræ ſuccurrebat. Noctu aliquantulum frigoris ſentiebamus, eſto illa lodice, & ſpiſsioribus quæ geſtamus palliis nos tegeremus, quæ nō rarò nobis adhoc vſui ſunt. Incredibile fortè cuiquam videatur, quòd, cùm in opulenta Aloiſiæ, quæ tam amicè me habebat, domo egiſſemus, tanta tamen in paupertate viueremus quid in cauſa ſit neſcio: niſi fortè, quòd voluerit nos Dominus probare & experiri, quantum in virtute hac boni ſitum ſit. equidem nihil ab ipſa periui: ab vlli enim moleſtiam inferendo grauandoque quàm alieniſſima ſum, forſitan ad hoc ipſa non reflexit: plus namque quàm nobis dare poſſet, ei debeo. Nobis certè id quàm præclariſſimè ceſſit & in lucrum: nam quod in animo ſentiebamus gaudium, alacritatem & conſolationem, tam erat intenſum, ſæpè vt mecum ipſa reuoluam & recorder, quoſnam Dominus in ipſis virtutibus theſauros recluſos habeat. Hæc, quam patiebamur, indigentia ſuauem quamdam in nobis (vt mihi quidem apparet) contemplationem cauſabatur. at hæc diuturna non fuit: ſtatim enim tam ipſe Alfonſus Aluarus, quàm alij, longè in nos plura, quam quidem optabamus, erogarunt. Hoc porro certum eſt, tantam tunc animi mei triſtitiam fuiſſe, vt non alia eſſe videretur, quàm ſiquidem multa aurea monilia habuiſſem, & hæc omnia mihi repentè ablata eſſent, meque omnibus deſtitutam viderem. adeò ſcilicet graue mihi meiſque ſodalibus fuit, paupertatem noſtram iam finem habere: cum enim eas vultu ſubtriſtiore viderem & dolentes, inſolitę triſtitiæ cauſam ab iis ſciſcitata ſum, & illa dixere. *Quidnam haberemus Mater, cum iam non amplius pauperes eſſe videamur?*

Natum ex inopia gaudium.

Ex abundantia triſtitia.

Iam inde ab illo tempore paupertatis magnæ habendæ deſiderium in me creuit; ſimul quoq; quoddam mihi dominium manſit, ad omnia temporalia parui facienda; cùm illorum defectus & carentia bonum interius mirè adaugeat, & creſcere faciat, quod is certe longè aliam ſecum ſaturitatem & quietem ferat.

Porro Iis ipſis diebus, quib⁹ cū Alfonſo Aluaro de fūdatione cōuēt⁹

agebam, plures fuere quibus ea res diſplicuit, mihique id ſignificabant, quod ipſum & familiam eius illuſtrem & equeſtri eſſe dignitate negarent (alioqui. n. vti dixi, ſuo in ſtatu honeſti & optimi erant:) addebantque, in ciuitate tam frequenti ac copioſa ac Toletum eſt, fundatoris illuſtris mihi commoditatem minimè defuturam. Ego verò parum id curabam; quia (Deo laus) pluris ſemper virtutem quàm genus & familiam exiſtimaui. ſed iam tum quoad hoc tam multa Gubernatori dicta erant, vt non aliter is mihi hic fundandi licentiã dederit, quàm prout alijs in locis eam fundaram. Ego neſciebam quid agerem, quia monaſterio iam fundato rurſus de hac re agere cæpere: verum, quia iam peracta res erat, primarium illis ſacellum aſſignare ſtatui, quoad monaſterium verò nihil ſibi vt vindicarent, vti quidem modo eſt. Iam vir quidam nobilis ſeſe obtulerat, primarium ſibi ſacellum attribui petens: cumque variæ amicorum ſuper hac re eſſent ſententia, & ipſa cui accederem neſcirem, Dominus ipſe hac in re me illuminare dignatus eſt: vnde quadam die mihi ait, quam hi ſtirpium & familiarum tituli in Dei indicio parum prodeſſent: maximeque me reprehendit, quòd auſcultarem ijs qui mihi de id genus rebus loquerẽtur: neque enim hæc eſſe eiuſmodi, quæ decerent eas quæ iam mundum omnem deſpeximus. His alijſque id genus argumentis mirè confuſa fui, & quod de ſacello Aluaro ſuiſque aſſignando agitari cæperat, perficere decreui: cuius ſanè rei numquam me exinde pænituit. Vidimus enim ad oculum, quam alioqui difficile nobis fuiſſet domũ emere. illius quippe ſubſidio & ſupperijs domum illam emimus, in qua modò agimus, cui paucas Toletum pares habet, vt quæ duodenis aureorum ſteterit millibus. Quòd autem is plurimas quotannis apud nos celebrandas fundauit Miſſas, tũ Monialibus ipſis, tum etiam populo permagnæ eſt conſolationi. Si autem ad vanas mundi opiniones reflexiſſemus numquam (vti quidem intelligere poſſumus) tam bonam nanciſci commoditatem potuiſſemus; grauem quoque intuliſſemus iniuriam illi, qui nobis tam libenter & grato animo beneficium & caritatem hanc contulit.

Fundatorẽ illuſtrem capere S. M. iubetur: ſed carpitur à Domino.

CAPVT XV.

IN QVO DE REBVS NONNVLLIS AGITVR, QVÆ IN hoc Toletano Conuentu à S. Ioſepho denominati, ad laudem & gloriam Dei contigerunt.

VIſum autem mihi iam eſt, nonnulla dicere in quibus nonnullæ domus huius moniales ad Dei honorem & gloriam ſeſe exercebant, vt quæ deinceps ſecuturæ & venturæ ſint, bona hæc principia imitari

mitari semper procurent. Antequam verò domus emeretur, huic se instituto aggregauit Monialis quædã Anna de Matre Dei dicta, quadrainta ipsos nata annos, quæ omni quo vixerat tempore diuino se obsequio impenderat: & quamuis quoad victũ ac vestitũ delicijs esset innutrita (quòd vnica esset, & diuitijs abundaret) his tamen paupertatẽ, & in Ordine subiectionẽ ac obedientiã præferre maluit: vnde me accessit admissionẽ petens. Infirmiori quidẽ erat valetudine; at, quòd eam adeò bonam & resolutam viderem, visa mihi est ad fundationi initium dandum peracommoda: vnde eã ad Ordinem admisi. Vbi cum asperitate corpus atterere, & sensum superiori submittere cæpisset, placuit Domino firmiorem ei optationẽq; multo valetudinẽ dare, quã dũ inter libertatẽ ac delicias ageret, quod non mediocriter me ad deuotionẽ excitauit. quod autem hoc loco isthæc de ipsa afferam, est, quod, antequã ad votorum emissionem admitteretur, omnium quę possidebat (erat autẽ satis opulenta & pecuniosa) nobis donationem fecerit, & in Cõuentũ, eleemosynæ nomine, illorum dominiũ transscripserit. Mihi sanè id permolestum fuit, neque eam in donationem consentire volui, dicens fore forsan vt huius ipsam donationis pœniteret, & eam nos ad professionem non velle admittere; id autem facere, durum sanè esset (cùm, si ita id contingeret, foret sine ijs, quas nobis iam daret, facultatibus dimittenda.) Hoc autem ego pũctum mirifice exaggerare volui & vrgere, tũ ne cuius ei tentationis id esset occasio, tum vero ad spiritus eius maius periculum faciendum. Sed illa, etiamsi id ita fieret, libenter se pro amore Dei hanc iacturam passuram respondit. neque vmquam aliud ab ipsa exprimere responsum potui. Ceterùm admodum contenta, & meliore cum valetudine exinde inter nos vixit.

Anna de Matre Dei elogium.

Ita autẽ hoc in monasterio exercebatur mortificationis & obedientiæ studium, vt dum ibidem agebam, subinde Præposita ad ea quæ suis imperabat, diligenter oporteret reflectere; nam quidquid illa (tametsi inaduertenter) fieri iubebat, id quam celerrimè executioni mandabatur. Quadam vice paludem quamdã vliginosam, quæ in horto erat, intuẽs dicebam, *Quid esset si Monialis illi* (aderat autem illa inter alias) *dicerem, vt in illam se conijceret?* Vix verba finieram, cum Monialem se in illam præcipitasse video; quæ ita commaculata inde exijt, vt eam vestimenta alia sumere oportuerit. Alias, me præsente, Moniales ad Confessionem ibant, & ea quæ iam confessura erat, aliam priorem exspectans, Præpositam allocutum venit; quę mox ex ipsa audijt, *Quid sic ageret? illane bona esset sui recolligendæ ratio; caput intra puteum qui illic erat abderet, ibique de suis peccatis recogitaret.* Mandatum sibi à Superiore Monialis putabat, vt se in puteum præcipitem daret; quare tam festinanter ad puteum cucurrit, vt,

Obedientia Monialium Tolerur

rit, vt, nisi aliæ obstituræ accurrissent, iam se in illum coniecisset, maximum sese Deo hac ratione obsequium, aut maximæ mortificationis rem facere existimans. Adeò vt quosdam viros doctos opus illis fuerit declarare, & aperire ea, in quibus eas obedire oporteret, & ipsis velut frenum inijcere: agebant quippe quædam ita exorbitantia & singularia, vt, nisi bona eas intentio excusasset, adeò non per ea promeruissent, vt potius demeruissent. Neque hæc solum in eo, de quo hic per occasionem loquor, monasterio reperire est: sed & in alijs omnibus tã multa id genus occurrunt, vt ipsa in illis partem nõ habere vellem, vt quædam illorum hic referre possem, vt sic Dominus suis in ancillis laudetur & celebretur.

Visio qua Redemptor visus est monialem in mortis articulo in umbrare ac protegere.

Factum quoque, vt, me ibidem agente, Monialis quædam in letalem morbum inciderit. Hæc sacro Eucharistiæ viatico, & deinde vnctionis extremæ Sacramento iam communita, tantam vultu hilaritatẽ & gaudium vultu præferebat, vt tam liberè ei diceremus, vt nos in cælis Deo sanctisque, erga quos afficiebamur, commendaret, ac si iam in alio mundo egisset. Antè paulò quàm è vita excederet, cubiculum illius ingressa sum (prius enim egressa eram, ad me corã Venerabili Altaris Sacramento profundendum, vt felicem ei ex hac vita exitum Dominus concederet) reuersa ergo vidi Maiestatem illius, ad medium lecturi caput, in speciem desuper incubantis, atque vlnis aliquantum apertis eam protegentis: mihique dixit, *vt certissimum & exploratissimum haberem, eos omnes quotquot in hisce monasteriis defungerentur, modo protecturum, vt nullas sint in mortis articulo tentationes atque impugnationes formidaturæ.* Quod ego audiens, miram in animo consolationem & recollectionem sensi. Pòst paulò mihi id eam accedenti vt illam alloquerer, ipsa dixit, *Quàm magna, ô Mater, visura mox sum!* itaque ad instar Angeli, quàm placidissimè defungens, mansit.

Hanc ipse B Matri protectionẽ spondet erga omnes quæ in suo ordine decessura essent moniales.

Pòst etiam nonnullas tali cum quiete & animi tranquillitate emori obseruaui, ac si in raptu quodam aut in orationis quiete versarentur, adeò vt tentationis impugnationisue diabolicæ ne vel vmbrã in morte ostenderent. Quamobrem, quæ Dei bonitas est, confido per filij illius, perque gloriosæ Matris illius, cuius habitum gestamus merita futurum, eamdem vt gratiam nobis conferre pergat. Hac de causa, demus operam, carissimæ, vt veræ Carmelitanæ simus; breui namque dies hæc finietur. Si autem sciremus, quàm grauis sit afflictio, quam multi illo in articulo sentiunt, quamque variæ sint artes & technæ, quibus eos tunc diabolus decipere & tentare allaborabat, beneficium hoc permagni faceremus.

Mortis angustiæ quãtæ sint.

Huius

Huius occasione, occurrit hic mihi quiddam, quod vobis referre cupio, de quodam quem noui, quique consanguineis meis aliquatenus affinis erat. Lusui & aleæ hinc mirè deditus erat, & litteris vtrumque imbutus; harum occasione illum diabolus decipere incipere voluit, illi persuadere satagens, eam quæ in hora mortis fit, vitæ emendationem, nullius valoris & momenti esse. Adeò autem hoc firmiter is sibi persuaserat, nullo vt pacto ab eo impetrari potuerit, vt confessionē instituueret, omniaque ad hoc argumenta nimis quàm impotentia erant. & si interim misellus mirè affligeretur, & angeretur, vitæque eum prioris quàm maximè pœniteret: at dicebat, ad quid instituueret confessionem, quòd se videret condemnatum? Vnde Dominicanus quidam, qui illius erat Confessarius, & quidem satis doctus, identidem illū argumentis rationibusq; cōuincere satagebat. Sed tantas ecōtra diabolus eū subtilitates edocebat, nihil vt euincere apud hunc Cōfessarius posset. Aliquot diebus hoc in statu hæsit, vt quid ageret, Confessarius nesciret; & certè serio tum ipse, tum alij eum Domino commendare debebant, quandoquidem ipse eius sit misertus. Morbo autem grauiter eum premente (erat is pleuritis) redijt Confessarius, instructus hauddubiè pluribus ad eum conuincendum argumentis antè excogitatis: sed hæc omnia parum profuissent, si Dominus illius commiseratione tactus, coriſſius non emollijsset. Vt autem hic ei loqui cæpit, suasque afferre rationes, super lectum insidens æger, tamquam si nihil mali habuisset, ait: *cum dicas fore vt confessio mea mihi prosit, eam mihi in animo est instituere.* Simul & tabellione aduocari iusso, confectis litteris iureiurando sese obligauit, numquam posthac amplius aleam tractare, vitamque in melius emendare; huiusque rei & sponsionis ipsos testes esse voluit; mox ergo bonam confessionem instituit, & sanctissima Sacramenta eo pietatis sensu recepit, vt, prout exterius secundum fidem nostram intelligere possumus, salutis factus sit compos. Det Dominus, carissimæ, taliter vitam instituamus, vt veras B. Virginis filias decet, & quæ professæ sumus, ea exactè seruemus, quò, quam nobis promisit gratiam, Dominus concedere dignetur. Amen.

Confessio cuiusdam aleonu desperati in exspectata.

Caput XVI.

AGITVR DE DVORVM MONASTERIORVM, VNIVS DISCALCEATORUM, alterius Discalceatarum, eodem anno M.D. LXIX. Pastranæ erectorum fundatione.

A Toletana domo iam fundata dies decimus quintus agebatur, qui in vigiliam Pentecostes incidebat; illo porro interuallo temporis ædiculæ concinnandæ, cancellis ferreis adaptandis, alijsque id genus operi-

operibus (quæ agenda erant plurima) perficiendis multum operæ impenderam: nam (ſicuti antè commemoraui) anno propè toto in domo illa egimus. cùmque illis ipſis diebus, ob aſsiduam cum operis fabrilibus diſcurſationem mirè defatigata eſſem; ecce, omnibus rebus iam cõfectis, cùm illo manè ad menſam communi in cænaculo prandij cauſa accumberẽ, mihi tanta ſubitò obortа eſt conſolatio, atq; p a animi voluptas, & omnia perfecta iã cernerem, nihilque amplius quod curandum eſſet, reſtaret, & mihi curis omnibus iam ſolutæ hiſce Pentecoſtes ferijs, Domino paulo diutiùs vacare, eoque ad ſatietatem perfrui liceret, vt præ gaudij animo inſidentis magnitudine omnis edendi appetitus quaſi euaneſceret. Non diu verò hæc conſolatio durauit: nam inter hæc adeſſe nuntiatur miſſus à Principe Ebolienſi, Roderici Gomij Siluij coniuge, puer. Ego ad illi loquendum abij: nuntiauit autem is, me à Domina ſua euocari. Iam dudum enim ipſa & ego inter nos de Conuentu quodam Paſtranæ erigendo egeramus, tametſi id non tam perficiendum exiſtimarem. Valdè id mihi graue fuit; minimè enim conſultũ mihi videbatur, nec periculo vacare, monaſterium nonniſi recenter, & tantis cum aduerſantium contradictionibus fundatũ deſerere: vnde ſtatui illuc modo non proficiſci, itaq; famulo ſignificaui. Is excuſationem meam minimè admittebat, quod Principem geram iam illuc conceſsiſſe, idque ob hanc ſolã cauſam, diceret: eiq; me non obſequi, in magnum eius probrum cederet. Nihilominus reſoluere non poteram, eò proficiſci: itaq; dixi me interim dum cibum ſumeret ad Principem ſcripturam, & cum litteris meis illum abire poſſe. Erat is vir cum primis honorabilis; &, quamuis graũe ei eſſet me non comitari, auditis tamen rationibus meis viſus eſt acquieſcere.

Conſolatio animi quã S. M. ſenſit.

Agitur de Conuentu Paſtranæ erigendo.

Moniales, quæ iam nuperrimè primũ in Monaſterium hoc venerant, nullatenus expedire cenſebant, vt domum illam tam citò deſererem. itaque coram Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſupplex me abieci, ea mihi inſpirari petens, quæ, cum Principi perſcriptæ eſſent, eam minimè offenderent. Illius enim fauor nobis tunc vtilis fore videbatur, quòd fratrum monaſteria tunc primùm fundari inciperent; quin & Roderici Gomij, coniugis eius, qui magna apud Regem & omnes valebat auctoritate, beneuolentiam & ſubſidium nos habere conueniebat: Verùm non ſatis memini, an illius tunc rei recordata ſim; ſed hoc ſcio, me ei diſplicere noluiſſe. Hæc agitanti mihi ſubitò à Domino dictum eſt, *illuc me conferre non negligerem, nam ob plura me illuc, quàm hanc fundationem, negotia euocari; quare regulam & conſtitutiones mecum ferrem.* His ego auditis, eſto prægnantes ad non eundum rationes viderem, non tamen auſa ſum viæ me committere; ſed, quod mihi huiuſmodi in rebus

& per-

& perplexitatibus solenne est, Confessarij mei consilium mentemque inquirere statui. Vnde eum mox euocaui, nullatenus tamen ei quod in oratione intellexeram significans. Sic namq; melius mihi semper satisfit, & contenta maneo, Dominum rogans eos vt illuminare dignetur, iuxta id quod naturaliter quidem intelligere possunt; &, cum Maiestas illius, quid fieri vult, hoc illis tunc inspirare solet. Sæpiùs autem hoc mihi contigit, tã hac in re, quàm in alijs. Illi ergo visum, illuc me cõferrem; vnde etiam in viam me dare statui. Toleto itaque altero Pentecostes die discessi. Madritum verò transire nos oportuit, vbi vnà cum comitibus meis, in quodam Franciscanarum monasterio, apud DE Leonoram Mascareniam, quæ ipsum construxerat, & in eodem agebat, diuersata sum. fuerat hæc infantiæ Regis nutrix, insignis Dei ancilla: apud quam & aliàs hospita eram, dum, quibusdam negotijs exigentibus, illac me transire oportuit; semper autem eam mirè beneuolam & amicam experta sum. Hæc summopere se gaudere affirmabat, quòd tam oportuno tempore illuc veniissem, esse enim ibidem eremicolam, qui maximopere me nosse cuperet, sibique videri, vitæ rationem, quam tum ipse tum collegæ eius instituerent, cum regula nostra optimè conuenire & cõformem esse. Ego verò, quid duos duntaxat Monachos Discalceatos haberem, cogitare mecum cæpi, magnum quid facturam me, si efficere possem, vt hic illis sese aggregaret. Habitabat hic in domo, quam prædicta Eleonora illi consignarat, vnà cum socio suo, Ioanne à Miseria vulgò appellato, qui esto ætate iuuenis, insignis Dei famulus erat, rerumque terrenarum quàm maximè inscius. Vt verò Anachoreta ille me conuenit, narrauit mihi Romã se velle petere. Antequã autem vlterius in hac narratione progrediar, dicere statui quidquid de illo Patre, cui Mariani de S. Benedicto nomen erat, scio aut comperi. Erat hic genere Italus, Iuris Doctor, ingenio experientiaq; rerum præstans. Habitarat olim in Regina Poloniæ (cuius primarius fuerat æconomus) aula; cumq; à matrimonio ineundo semper abhorruisset, adhæc inter Equites Melitenses ac census esset, perpulit illum randé Dominus, vt, quò salutem suam melius operaretur, omnibus quæ possidebat, nuntium remitteret. Postquam verò multis cũ ærumnis conflixisset, & variè exagitatus esset, eò quòd cædi cuiusdam interfuisset, propterea aque ad biennium in carcere tãquã cędis reus gemuisset; nollet tñ, vt quis Iuris cõsultus, aut alius quislibet sui patrocinũ susciperet, sed Deo eiusq; iustitiæ causę suę æquitatẽ cõmitteret, esto etiã testes aduersus ipsũ iureiurãdo affirmarẽt, se ab illo ad cædem patrãdã vocatos & cõductos esse: factũ est, vt (quẽadmodũ duobus senibus S. Susannæ delatoribus contigit) dũ à iudice seorsim & abinuicẽ disiuncti interrogarentur, vbinã fuisset cũ hãc illis cædẽ pẽciperet,

Marianus de S. Benedicto Discalceatis accedit, eius elogium.

peret, vnus respondérit lecto eum tũc insedisse; alius verò, per fenestrã prospexisse. Tandé vero cõfessi sunt, seipsũ supplantare conatos, ac falsum aduersus ipsum testimoniũ dixisse. Ipse verò multo se illorũ liberationẽ, ne à Iudice falsa testimonia damnarentur, auro redemisse mihi affirmauit; adhæc illũ ipsum, qui hanc illi litem intẽtabat, suas in manus postea incidisse, ac sibi potestatẽ fuisse in illius acta inquirẽdi; atq; eãdẽ ob causã omni se, qua potuerat opeac dispendio elaborasse, ne quod is propterea damnũ pateretur. Ob has aliasq; virtutes (est enim vir mirè castus, & mundus, & ab omni cũ feminis cõsortio valdè alienus) haud dubiè apud Dominũ promeritus est, lucẽ ab eo impetrare, cognoscendi quanta rerum mundanarum esset vanitas, quò sese ab illis expediret. Vnde secũ cogitare cæpit, cuinã potissimùm Religioso Ordini se dedicaret; quare singulos eorũ examinans & conferens, in omnibus pro cõditione status sui ac naturæ (vt mihi ipse dixit) quoddã ꝙ displiceret, inuenire debebat. Intelligens autem, haud procul Hispali, in solitudine, quã Tardoniã dicunt, eremicolas quosdam, Superiore ac directore P. Matthæo, egregiæ sanctitatis viro, simul agere, illis sese aggregauit. Horũ singuli suũ habebãt tuguriũ sequestratũ ab alijs, officiũ verò diuinũ nõ recitabant, sed quoddã, in quo ad sacra audienda conueniebãt oẽs, habebãt oratoriũ: nullos quoq; habebant reditus, ac ne quidẽ eleemosynis viuere volebãt, vnde etiã oblatas nõ admittebant; sed labore manuũ suarum quisq; sibi victũ cõparabat, quẽ etiã priuatim soli sumebant, eũque satis tenuem. Hæc ego audiẽs, primorum patrum nostrorũ ritum ac normã viuẽdi repręsentare hi mihi videbãtur. Hoc porro ille ritu, octenniũ vixit: at, quoniã omne Anachoretarũ genus alicui Religiosæ familiæ sese subdere, sacrosanctæ Triẽdtinæ Synodi auctoritate iubebatur, Romã petere cõstituerat, eius, quam hactenus ipse & socij duxerant, vitæ prosequendæ facultatem à Suprema Sede petiturus. & hoc in proposito versabatur tum, cum primùm ipsum cõueni. Postquam ergo suam viuendi formulã is mihi indicasset, primigeniã nostrã regulã vicissim ei ipsa legendã dedi, tanto sine labore vniuersa hæc ipsũ seruare posse asserens; cùm eadẽ esset viuendi vtrorumque ratio, præsertim quòd labore manuum victitare (erga quẽ ipse plurimùm afficiebatur, mundũ dicens rerum concupiscentia corruptũ esse, & hanc ipsam in causa esse cur Religiosi passim apud mundanos vilescerent) nobis quoque solenne esset. Cùm eiusdem sententiæ cum ipso quoad hoc & opinionis essem, statim quoad hoc, vti & reliqua omnia, conuenimus; quare, cum ipsi persuadere diuersimodè conarer, quantum hoc in habitu Deo præstare obsequiũ posset, hac sese nocte de illo dixit deliberaturum. Iam tum illum huc penè propendere videbam; & hoc demum esse intelligebam, quod

in ora-

in oratione à Domino didiceram, scilicet ad longè plura quàm ad monasterij Monialium fundationē, me abire. Summæ mihi id consolationi fuit, quòd in maximū Domini obsequiū cessurū mihi videretur, si is ordini nostro nomen daret. Maiestas eius, qui idipsū volebat, illa nocte ita illum permouit, vt postridie iam planè resolutus, & non parum miratus, quòd se tam citò, & præsertim per mulierem (quod & modò subinde mihi dicere solet) muratū cerneret, tāq; si ipsa sola in causa fuisset, & nō potiùs Dñs, qui corda hominū imutare potest, ad se me euocauerit.

Magna sanè eius sunt iudicia, vti apparet ex eo quod, cum tot annis ipse apud se deliberasset, nescius cui sese religioni potissimùm applicaret (nam illa in qua ipse tum agebat, religio propriè non erat; quòd vota ibi non emitterent, nec aliquid quod obligationem includeret, obseruarent, excepto duntaxat, quòd ibi à populo sequestrati agerent) tam citò tamen Dominus illum emouerit, eique declararit, quantum hoc hoc instatu ipsi seruiturus esset, Maiestatemq; illius opera eius opus habere ad promouendū id q̄ iam cæptū erat. & certè egregiam is huc à parte sua operam contulit; hactenus enim eius causa ingentes & plurimos labores subiit, quin & adhuc subiturus est, vsq; dum res ipsa confecta sit, vt potest è magnis obloquiis & cōtradictionibus, quibus primigenia hæc regula modò oppugnatur & exagitatur, intelligi: quòd ob naturę dotes, ingenium, vitæq; sanctimoniam, magna apud plurimos, qui nobis fauent & nostra tuentur, auctoritate polleat. Narrauit is ergo mihi, Rodericum Gomium Pastranæ (qui is ipse erat locus, ad quem iam proficiscebar) commodum sibi olim locum dedisse, in quo suis anachoretis sedem figeret; se verò Ordini huic illum attribuere, in eoq; illius habitum velle assumere. Ego ingentes ei propterea gratias ei, Dominumq; ex toto corde laudaui; nam, cum duorum erigendorum conuentuum à R. P. N. Generali facultatem impetrassem, hactenus tamen nonnisi vnus fundatus erat. Quare iam inde ex hoc loco, per litteras à duobus P. Prouincialibus, eo videlicet qui modò eo munere fungebatur, & eo qui nuperrimè functus erat, ad hoc faciendum facultatem petij (bona enim illorum sine venia fieri non poterat) simul & ad Episcopum Abulensem, Aluarum Mendosum, qui nobis mirificè fauebat, scripsi, vt auctoritate sua ad hanc facultatem concedendam ipsos permoueret. Placuit autem Deo, vt hi in illa concedenda sese haud difficiles præbuerint; forsan quod ipsis videretur, quia locus hic adeo dissitus esset, parum inde sibi suisq; sequi posse dispendium. Mox ergo vt Prouincialium facultatem obtinuissem, Marianus se nostris accessurum, mihi spopondit; itaq; magno cū gaudio, iter quod cæperam, perficere aggressa sum. Pastranā vt appuli, inueni Rodericū Gomiū Principē, eius-

Dei occulta iudicia.

Pastranēsis cœnobij initia.

eiuſque coniugem, qui me amicè beneuoleque excepere, & ſecretum nobis à reliqua familia conclaue attribuerunt, in quo opinato diutiùs hæſimus. Domus enim, quã Principiſſa nobis aſſignarat, peranguſta erat; hinc multas ipſa eius partes demoliri, non tamen muros aut parietes, eaſq; nouas inſtaurari iuſſit. Trimeſtri & amplius Paſtranæ ſum morata, eſto non ſine magnis difficultatibus, quòd tales mihi Princeps ipſa proponeret cõditiones, quæ à religione & inſtituto noſtro admodũ alienę erant. itaq; malui re infecta Toletũ reuerti, quàm in illas conſentire. At ipſe Princeps Gomins, ſua, qua plurimùm pollebat prudentia, quique rationis ductum ſequebatur, tantum apud vxorem effecit, vt ipſa iam mitiùs ſe gereret, ego quoque à parte mea in nonnullis ipſi obſecundaui: quòd ibi fratribus, quàm Monialibus, erigi conuentum mallem, ſciens quanto opere id importaret, vti poſtea compertum eſt. Hocipſo tempore Paſtranam venere Marianus, eiuſque ſocius (illi ipſi inquam eremicolæ, quorum ſuprà memini) & acceptis iam litteris facultatis Prouincialium, Principibus illis viſum eſt locum illum & deſertum, quem ei in Anachoretarum habitationem aliàs conceſſerant, in fratrum Diſcalceatorum vſum conuertere. Cumque P. F. Antonium de Ieſu, qui primus fuit, & Manzeræ adhuc agebat, euocaſſem vt huius Conuentus initia poneret; ipſa interea veſtes illis & cappas paraui, & quidquid poteram faciebam, vt illi quàm citiſſimè habitum aſſumerent.

Hocipſo tempore plures Metinenſi è Conuentu Moniales euocaueram, neque enim plures quàm duas mecum duxeram. Agebat tum Metinæ quidam Carmelita ſatis prouectæ ætatis, qui etſi iunior non eſſet, ſed ſenior, egregius tamen extra erat concionator, F. Balthaſar de Ieſu vocitatus: qui cognito recens hoc Paſtranæ domicilium fundari, vnà cum Monialibus euocatis huc appulit, cum intentione Diſcalceatis ſeſe aggregandi, vti etiam, poſtquam venit, reipſa fecit. quod cũ ipſe mihi ſignificaſſet, Domino ſummas egi gratias. Hic porro Marianũ eiuſque ſocium ſacra veſte induit, ſed ea qua fratres miniſtratorij vtuntur. etenim P. Marianus Sacerdotio deſtinari nolebat, ſed ea ordinem intentione ingrediebatur, vt omnium eſſet minor; neque aliud tum vllis ab eo rationibus impetrare poteram: at poſtea, R. P. Generalis accedente iuſſu, ſacris ſe ordinibus initiari paſſus eſt.

Balthazar de Ieſu fit Diſcalceatus.

Vtroque ergo monaſterio fundato, cum P. Antonius de Ieſu iam aduenisſet, tales mox in Ordinem Nouitij cooptati ſunt, vt de illorũ nonnullis poſtea quædã dictura ſim, ſimul & hi Dño valdè ſincerè & ſeriò ſeruire cæpere, ſicuti (ſi ei placuerit) deſcribet, qui melius me id præſtare poterit: ad hoc enim, vt verum fatear, nimis quàm inepta & imperita ſum.

Quòd

Quod verò ad Monialium cœnobium spectat; ipsum cum singulari Principum beneuolentia propensioneq; ibidem erectum est; ipsa porro Principissa non cessabat illas omnimodis curare, atque omnem nobis beneuolentiam ostendere, beneq; identidem nos habebat, quoadusque Princeps Gomius ex hac vita decederet: tunc quippe ipsa, aut diabolica tentatione premẽte, aut forsitan Deo permittẽte (Maiestas illius rationẽ nouit) præcipiti doloris passione, ob mortẽ illius concepta, Monialis illic esse voluit, & habitũ suscepit. at, quòd dolere nimiũ quantum premeretur, hinc ingens illa nostra solitudo & clausura, cui minimè assueuerat, illi placere aut ad gustum esse non poterant; quòd autem per Sacrosanctum Concilium Tridentinum, omnes quas quidẽ ipsa desiderabat, concedere ei libertates Præposita vertaretur, hinc ita, tum ab ipsa, tum à reliquis alienari cœpit, vt etiam, postquam habitum monasticum exuisset, & domi suæ iam ageret, identidem ipsis molestiam exhiberet, & ab ipsis dissideret. Vnde miseræ Religiosæ tantum ab ipsa inquietudinis patiebantur, vt quibuscumque modis potuit, efficere conata sim (Superiores id quàm maximè rogando) vt monasteriũ inde auferretur, & id Segobiã (vti postea cõmemorabitur) quo ipsi concedebant, transferretur, omnibus quę Principis liberalitate acceperant, Pastranæ relictis, quin & aliquot Moniales, quas ipsa Princeps sine vlla prorsus dote admitti rogasset, secum ducendo. Lectos vero, & reliquas; quas hæ ipsæ Moniales adduxerant, reculas & minutias inde auexere; non sine magno incolarum loci dolore & amaritudine, meo autem summo cum gaudio, quòd illas iam quiete optata frui viderem. etenim mihi notissimum erat, nullam ipsas, vt alienatior ab ipsis Principissa fieret, & stomacharetur causam dedisse; quin imò interim dũ inter eas in veste Religiosa ageret, non secus ei seruiisse, quàm ante eam sumptam. vnde patet, eam solam, quam dixi alienationis causam fuisse, nec non nimium, quem ob mariti mortem ipsamet conceperat, dolorem. Omnis verò causa (vti quidem postea intelligere fuit) cuidam illius ancillę, quam secũ duxerat, ascribenda est. Summa, Dominus, qui ipsum permittebat, videre debebat hoc huic loco monasterium minimè conuenire: magna quippe & alta eius sunt iudicia, & longè alia atq; omnis ingenij nostri perspicacitas intelligere potest: ego vero, solo meo nixa, numquam id facere ausa fuissem, sed virorum tum doctrina, tum sanctimonia excellentium in hoc iudicium sum secuta.

Principissa fit dissolutæ seu Ordinem egressa aduersariã se exhibet.

Monasteriũ Pastranense dissoluitur.

CAPVT XVII.

DE MONASTERII SALMANTICENSIS à S. IOSEPHO Denominati, & anno M.D.LXX. erecti, fundatione: simul & monita quædam non contemnenda in vsum Præpositarum traduntur.

Salmantini cœnobij initia.

HIsce duabus fundationibus iam peractis, Toletum mox redij, vbi etiam ad aliquot menses hæsi, quoadusque ea quam dixi, domus coëmeretur, & omnia dispositа essent. His ergo dum incumbo, Collegij Societatis Iesu Salmanticensis Rector mihi scripsit, operæ pretium facturam me, si de conuentu quodam Ordinis huius ibidem erigendo, cogitarem: ad quod faciendum multis etiam me est rationibus cohortatus. Etsi verò (quòd opidum id non vsque adeò opulentum foret) à monasterio sine vllis stabilibus reditibus ibi fundando animum iam pridem auocassem; attamen, alia ex parte considerans, Abulam nō minus pauperem esse, nec tamen quid vmquam ibi nostris defuisse (neque enim Deum credo defuturū illis qui ei sincere seruient) statui tandem ipsa mecum, illuc Coloniam quamdam ducere; præsertim cum paucis opus habeamus, vtpote tenuiter victitantes, adhæc numero paucæ simus, denique manuum nostrarum labore, vt possumus, nos sustentemus.

Toleto ergo Abulam profecta, iam inde ex eo loco Episcopi, qui tum quidem Salmanticæ præsidebat, facultatem impetrare studui: qui, quòd eum P. Rector multa de ordinis huius instituto, quisque inde in Deum honos redundaturus esset, coram edocuisset, haud difficulter eam concessit. Porro iam mihi rem constitutam videre, iam monasterium fundatum, Ordinarij impetrata facultate (prout quidem id tum mihi facile apparebat) videbar. vnde quamprimum domum conducere studui, quam domicellæ cuiusdam, mihi notissimæ, adminiculo mox inueni; etsi non sine difficultate, tum quòd appellerem extra tempus quo domus elocari solebant, tum quòd eadem ab Academicis nonnullis incoleretur; qui tñ inde se egressuros spopondere, cum qui eam incolerent, appulissent. Nō sciebant illi, cui illa vsui destinaretur: hoc nāque ipsa quam maximè curabam, ne antè quàm adieretur possessio, res vlli innotesceret. Iam tum quippe per experientiam noui, qua dæmon contentione elaboret, vt horum monasteriorum vnius erectionem impediat; esto, ad hoc impediendum. nullam ei sub initium Dominus potestatem concesserit, q̄ ipsum omnimodis fundari & exigi vellet. Verū postea tot obortæ sunt contradictiones, & tot molestias nos pati oportuit, vt ne quidem modò dum hæc scribo, (esto iam aliquot ab eius fundatione elapsi sint anni) res penit⁹ peracta sit, & illæ euinci potuerint.

vnde

vnde mihi persuadeo, insigne in illo Domino obsequium præstari, cum diabolus id nulla ratione ferre queat. *In eo fundādo quæ fuerint contra dictiones.*

Impetrata ergo iam facultate, & domo iam habita, sola Dei nixa misericordia (quòd illo in loco neminem qui me aliqua in re iuuaret, haberem, cum tamen multis ad domum illam instaurandam mihi opus esset) illuc vna solum cum comite (quò occultius res perageretur, quod certe longè tenebam satius ac consultius, quam multas mecum comites assumere, quoadusque perfecta caperetur possessio: quippe memineram & sciebam, quomodo in Metinensi fundatione mihi res successisset, in qua multas me subire difficultates & tribulationes oportuit: si quod enim obstaculum & difficultas oriatur, hoc me solam subire malo, ea qua certe carere socia minimè poteram) profecta sum. Pridie ergo festi omniū Sanctorum vrbem ingressæ sumus, cum nocte præcedente, potissima itineris parte, summam frigoris brumalis inclementiam passæ essemus, & satis incommodè dormissemus, ego porro non recta valetudine vterer.

Non commemoro, in harum fundationum descriptione, ingentes viarum labores & difficultates, quas subinde ob frigus, æstum, & niuē me subire oportuit. contigit quippe subinde, per integrum diē sine cessatione ningere; subinde, me à via aberrare, alias magnis cum incommodis & febribus per viam luctari: nam ordinarium mihi est (Deo laus) imbecilliori, vti valetudine; sed, ad oculum video, Dominum mihi robur & conatum ad magna suppeditasse. Nonnunquam enim fiebat, vt, cùm alicuius cœnobii fundandi occasio sese obtulisset, tantis tormentis & morbis oppressa essem, vt non parum affligerer; adeo, vt nequidem in cella manere posse mihi viderer, quin in lecto iacerem; vnde, ad Dominum conuersa, apud Maiestatem illius expostulabam, dicens, quomodo me facere vellet id quod exequi nullatenus poteram? Cæterùm Maiestas illius deinde (etsi non sine labore) mihi vires suppeditabat: adeò vt per feruorem, nec non anxiam solicitudinem, quam ipse mihi indebat, meiipsius viderer oblita. Certè quantum quidem iam recordor, numquam ob aliquarum difficultatum metum, vllam fundationem omisi; esto magnā in proficiscendo, (præsertim si locus satis dissitus esset) repugnantiam & contra dictionem sentirē; Verū cum me iam in viam dare cæpissem, ipsa mihi quam breuissima & nihil esse videbatur, præsertim videnti cuiusnā illa nomine susciperetur, considerātique fore vt illa in domo Dominus laudaretur, & sanctissimum Sacramentum poneretur. Etenim singularis cuiusdam mihi consolationis esto occasio, iam vnum templum amplius videre, dum in mentē reuoco, quā multa hæretici passim templa deiiciant & euertant. Nescio *S. Matris in proficiscēdo incōmoda.*

sanè

ſanè quem timeri laborem oporteat, quantumuis magnum, ſi ad immenſum, quod inde in Chriſtianum orbem reſultat bonum, reſpectus habeatur: etenim magna nobis eſſe deberet conſolatio, (quamquam multi ad hoc non reflectamus) quòd in multis locis Dominus noſter Ieſus Chriſtus verus Deus & homo in ſanctiſſimo altaris Sacramento (vti reuera eſt) præſens adſit. Certè, ſic quoque ſæpè magnam in choro cõſolationẽ in meipſa ſentio, cùm animas illas tam puras & mundas Dei laudibus de cantandis occupatas video. Et enim hoc multis è rebus nemo non poteſt colligere, cùm quòd eas in obediendo promptiſſimas; tum in arctiſsima hac clauſtra & ſolitudine mirè hilares videat, &, ſi qua ſe mortificationis exercendæ offerat occaſio, maximopere gaudentes: quin &, vbi maiorem Dominus Prioriſſæ, ad in hiſce eas rebus exercitandas gratiam concedit, ibi maior illarum apparet alacritas & gaudium. Vnde fit, vt magis ſeſe laſſent & defatigent Præpoſitæ in illis exercendis, quàm ipſę in obediendo. Semper enim noua ipſis mortificationis exercendæ oriuntur deſideria & voluntates.

Gaudet obtemplorum erectiones.

Quædã Prioriſſis monita præſcribuntur.

Eſto id longè ſit extra propoſitum & narrationem fundationis, de qua loqui cæpi futurum, quædam tamen hic mihi circa materiam mortificationis occurrentia, referre volo: forſitan, cariſsimæ, prioriſsis ea vſui eſſe poterunt; quæ ne mihi fortè per obliuionem excidant, hic eadẽ ſcripto volo cõmittere. Sicut enim varia ſunt in Superioribus talenta & virtutes, ita & hæ ſuas per earum viam conducere Moniales volunt. Quæ enim ſenſus ac voluntatem bene mortificata habet Prioriſſa, huic facile videbitur, quidquid ad voluntatem edomandam mortificandamque alijs imperabit, ſi cuti id ipſi facile foret; imò forſitan id ei etiam difficillimum eſſet. Hoc ergo ſpectare nos imprimis oportet, vt id quod nobis aſperum ac difficile foret, id alijs numquam imperemus. Diſcretio quippe permagni eſt ad bene gubernandum ac regendum momenti, & huiuſmodi in rebus cũ primis neceſſaria; & penè dicerem, pluſquàm in alijs omnibus (eò quòd maior ſubditarum, tã quoad interiora, quàm exteriora earum, habenda ratio ſit. Aliæ verò Præpoſitæ ſunt, quæ quòd plenę ſunt ſpiritu, vellẽt ſuas aſsiduè orare & legere. Adeò vt certum ſit, Dominum varias habere vias, per quas ſuos conducat, ſed notent Præpoſitæ, ideo eas hicà me non deſcribi vt illæ viam ſibi arridentem eligant, ſed vt per regulam ac conſtitutionum ſuarum viam ſuas conducant, eſto ipſæ aliud quid facere connitantur, ac fieri vellent.

Diſcretionis virtus ſuperioribus cũ primis neceſſaria.

Incidi aliàs in quodam horum monaſteriorum in Prioriſſam, quæ quòd pœnitentiarum & auſteritatum eſſet ſtudioſa & amica, per hanc ſuas

suas omnes viam conducebat. vnde quodam tempore factum est, vt illa duce omnes Moniales per spatium quo septem Psalmi Pœnitentiales & orationes aliquot recitari possent, sese flagellarent: & alia id genus seueritatum exercitia vsurparent. Ita quoque fit, vt, si Priorissa in oratione absorpta sit (esto etiam extra tempus orationis, sed post dictas Matutinas nocturnas) totus quoq; Conuentus absorptus sit, dùm tamen multo satius foret, vt cubitum concederent. Si verò mortificationis illa studiosa sit, omnia eodem rapiantur commoueantur necesse est: & hæc B. Virginis ouiculæ, ad instar agnellorum, verbum ad hæc nullum dicent. quod profectò non mediocrem in me excitat deuotionem, nec non confusionem, subinde quoque sat magnam tentationem; etenim sorores, quòd planè in Deum absorptę sint, id minimè intelligunt. At ego saluti & valetudini illarum timeo, & vellem implerent & seruarent regulam suam, quam vt seruent satis habebunt quod agant: cetera verò omnia magna cum suauitate peragerentur; præsertim illa quæ ad mortificationem spectant, quod sanè permagni est momenti. Vnde per amorem Domini nostri Iesu Christi Præpositas obsecro, vt ad hoc reflectant & aduertant: hisce enim in rebus discretione vti permagni refert, & eas vniuscuiusque talenta ac dotes perspectas habere: in quo notando si negligentes fuerint, & non seriæ, adeò non illis non prodeRunt, vt magnopere potius sint ob futuræ, & non parum inquietudinis animabus ipsarum allaturæ. Considerent proinde, mortificationis exercitia non esse obligationis, néue necessaria, vt per hæc ad libertatem quamdam & summam perfectionem anima perueniat: neque ea etiam breuissimo tempore fieri: sed singulas, pro talenti intellectus & spiritus, quod à Deo accepere, ratione nonnisi paulatim, se iuuare debere. Existimabunt fortasse, nullo ad hoc intellectu ingenioque opus esse: sed decipiuntur inuenire enim erit tales quæ priusquam ipsam perfectionem, nec non regulæ nostræ spiritum, intelligãt, sat diu laborent, & forsitan erunt hæ, postea alijs sanctiores: nescient enim, quando conueniat sese excusare, aut quando non, & alias id genus minutias: quas si scirent & intelligerent, forsitan facili negotio exequerentur; neque etiam eas possunt vllo modo intelligere, imò verò, quod longè deterius, ne quidem ad perfectionem spectare hæ illis videntur.

Priorissa inò discreta cõducunt suas per viam qua ipsa incedunt.

In quodam horum monasteriorum agit Monialis, inter cæteras Dei ancillas, quæ in ipsis agunt, satis eminens, &, quantum ipsa conijcere possum, magni spiritus & gratiarum, quas Maiestas ipsius ei præstat, pœnitentiæ quoque & humilitatis magnas, quæ tamen quædam, quæ

in Constitutionibus præscribuntur, nequaquam intelligit: hinc culpas & delicta in Capitulo fateri & accusare, exiguæ charitatis signum esse censet; aitque, quomodo fieri posset, vt sorores ipsa suas alicuius rei insimularet? & alia istiusmodi, quorum nonnulla de quibusdam sororibus, insignibus ac feruentibus Dei ancillis, quasque alijs in rebus multum præcellere video illis, quæ ipsum optimè intelligunt, referre possem.

Nec est quòd Præposita sibi persuadeat, statim se animas suarum perspectas habere posse; soli Deo hoc relinquat, qui solus est qui id intelligere potest: Sed vnamquamq; ea conducere via connitatur, qua Maiestas illius ipsam conducit, dummodo in obedientia, & rebus ad Regulam & Constitutiones essentialiter spectantibus apertè non impingat. Virgo illa, quæ se ab vndecim Virginum millibus dum martyrium obirent subduxit, non propterea desijt Sancta & Martyr esse: imò forsitan plura quã aliæ est passa, dũ se postea sola vltro Martyrio obtulit.

Non violenter quis ad perfectionẽ ducendus est.

Iam, vt ad cœptum de mortificatione sermonem redeamus, præcipit, verbi gratia, Moniali cuipiam Præposita aliquid quò illam per hoc mortificet; quod licet in se perexiguum sit, illius tamen respectu erit graue: & esto ipsum etiam exequatur, ita tamen inquieta inde & tentata manebit, satius vt fuisset, id ei minimè præceptum fuisse. Vnde facilè videre est, Præpositam sedulò aduertere debere, non sibi violenter esse in illa Moniali ad perfectionẽ ducenda procedendũ, sed dissimulandum, & sensim, quoadusq; Dominus in illa operetur, procedendũ. Quod enim ad illius profectum procurandum fit (hæc enim imperfectio ni foret, valde bona Religiosa esset) ad illã inquietandam, & spiritum illius affligendum (quod certè perquam graue est & durum) tendere non debet: etenim cùm alias socias ita facientes videbit, paulatim etiam faciet quod ipsæ, vti de facto in pluribus vidimus contigisse: sin minùs, nihilominus, esto hac virtute careat, saluabitur. Noui enim quamdam de harum numero: quæ licet tota vita sua admodũ religiosè & sanctè vixerit, & iam ab hinc multis annis diuersa, eaq; eximia Domino præstiterit obsequia: læpè tamen imperfectiones quasdam & motus in se experitur, quas nullatenus in se vincere & superare potest, de quo etiam ipsa apud me subinde amarissimè expostulat, & ipsum etiam agnoscit. Crediderim sanè Deum in has illam defectus cadere permisisse (sine peccato tamen: neque enim in illis vllum est) vt sese ipsa sic humiliet, simul & occasionẽ habeat agnoscendi non esse se per omnia perfectam. Ita fiet, vt nõnullæ magnas, & sensibiles valdè mortificationes æquo animo sint accepturæ, & quo eæ sensibiliores erunt, eo ipsis sint futuræ acceptiores (quòd iã tum Dominus vires illis in anima & robur

Cum imperfectione aliqua acquiri potest salus.

Mortificationes magnã subinde ferũtur, & non minores.

bur ad voluntatē ſuam reſignandā dederit:) alias verò, ac paruas quidē minimè latutæ ſint; perinde ac ſi puerulo quis duas frumenti menſuras maiores ferendas imponeret, qui non ſolùm eas non ferret, ſed ſe ipſe læderet, & ſub onere fatiſcens in terrā cōcideret. Quamobrem ignoſcite mihi, cariſſimæ (Præpoſitas alloquor) ſi æquo ſim lōgior: quæ enim in quibuſdā aliquādo obſeruaui, cur ita in his diffuſa ſim, in cauſa ſunt.

Nihil vnquā iniungendū quod peccatū ſit.

Alterius quoque rei, quæ non parui momenti eſt, vos commonere volo: nimirum ne quid vmquam, eſto vel ad obedientiæ periculum faciendum fiat, cuipiam præcipiatis, quod executioni mandatum, peccatum ſit, ne quidem veniale: imò mihi conſtat, quædam iuſſa peccata mortalia futura fuiſſe, ſi ipſa opere adimpleta fuiſſent. ipſæ quidem ſubditæ per innocentiam ſuam forſitan ſaluatæ fuiſſent, at non ipſa Prioriſſa: nihil quippe ipſis iniungitur, quod non ſtatim opere ipſo exequantur. Audientes enim & legentes, quid ſancti Patres in eremo fecerint, eorumque ſtupenda obedientiæ exempla, omnia credunt eſſe bona, beneq; fieri, quidquid demum ipſis faciendū mandatur; ſaltem, ſe illa opere & reipſa exequi, bonum eſſe arbitrantur. Norint item oportet ipſæ ſubditæ, & peccatū mortale foret nō mandatum, nō poſſe ſe id facere cùm iam ipſum à Præpoſita mandatur, præterquā ſi iuberet illa aut ſacrum non audire, aut præſcripta ab Eccleſia ieiunia omittere, aut alia huiuſmodi: poſſet enim Præpoſita ſufficientes rationes ad ipſas ab hiſce eximendas habere: vt, verbi gratia, ſi malè valeant. At alia exorbitantia facere, vti ſeſe in puteū præcipitē dare, & alia id genus, ſemper malum eſt. nulla quippe perſuadere ſibi debet, aut putare, Deū miracula modò facturum, vti olim cum priſcis ſanctis faciebat. Occaſiones variæ non deſunt, in quibus perfecta exerceri obedientia poſſit: adeoq; probo quidquid cum hiſce peccandi periculis coniunctū non erit. Cùm Monialis quædam, in Conuentu Malagonenſi, ſeſe flagellandi copiam ſibi à Præpoſita fieri peteret: hæc ei (fortaſſe quòd aliæ idem petijſſent) ait, *Relinquas me in pace.* cumque Monialis importunius idem peteret, ait hæc, deſcenderet ad ambulandum, ſeque fineret. Vnde ipſa magna cum ſimplicitate, ad aliquot horas ambulatum abijt: donec de Monialibus quædam ei diceret, cur ita deambularet: aut quid ſimile. Cui ipſa, id ſibi à Superiore iniunctum fuiſſe ait. Interim cum ſignum ad Matutinas daretur, & Præpoſita peteret, cur ad eas non abiret, audiuit ex illa abſentiæ cauſam.

Exemplum obedientiæ cæcæ & ſimplicis.

Quamobrem (vti iam antè commonui) cautè circumſpecteque Præpoſitas procedere oportet cum animabus illis, quas iā re ipſa didicere tā eſſe ad obediendū prōptas, & aduertere quid agāt. Alia quędā Monialis Præpoſitæ ingētē oſtēdit vermē, quā is inſignis eſſet, videret, dicēs.

Item aliud.

cui cùm Præpoſita per iocum dixiſſet, *Comede ergo illum*: Abijt, eumque optimè in ſartagine frixit. rogantiq; coquæ, cur ſic illum frigeret, reſpondit illa, *Vt illum edam*. & reuera edere volebat, inſcia, nec reflectente Prioriſſa: itaque ſibi valetudinique ſuæ permultum nocere potuiſſet. Equidem ſummopere gaudeo, quòd in obedientia potiùs per exceſſum videam peccari: etenim ſingulari quodam modo erga hanc virtutem afficior. vnde quidquid potui, efficere per meipſa conata ſum, vt illam ipſa magni faciant & in pretio habeant; at parum certè id profuiſſet, niſi Dominus, per magnam miſericordiam ſuam, gratiam à parte ſua dediſſet, vt omnes in genere erga illam afficerentur. Maieſtas porro illius illam valdè adaugere & perficere, vt ſemper creſcat, dignetur.

CAPVT XVIII.

COEPTAM DE FVNDATIONE CONVENTVS SALMANTINI, S. Ioſepho dedicati narrationem proſequitur.

Suas S. Mcum viris doctis agere & communicare vult.

MVltum certè à propoſito meo deflexi: quando enim aliquid occurrit, quod me Dominus per experientiam diſcere & experiri voluit, non poſſum illius non mentionem facere: fieri quippe poteſt, vt id quod bonum eſſe exiſtimo, de facto bonum etiam ſit. Semper ergo videte, cariſsimæ, viros doctos & peritos vt conſulatis: illorum enim adminiculo perfectionis viam cum diſcretione & veritate inuenietis. Præpoſitas proinde neceſſe eſt, ſi rite & prout oportet, officio ſuo fungi velint, confiteri viris litteratis: ſin minùs, ſæpè grauiſsimè impingent, ratæ errores ſanctitatem & virtutem eſſe: ſimul & operam dare, vt Moniales ſuæ Confeſſarijs doctis ac peritis confiteantur.

Pridie ergo feſti omnium ſanctorum, eo quo antè dictum eſt anno, ſub prandium Salmanticam ingreſſæ ſumus. & è diuerſorio ad me euocaui Nicolaum Gutierrium, inſignem Dei famulum (qui ea vitæ quam duxerat ratione, inſignem ſuis in laboribus & ærumnis, quos ſubierat plurimos: etenim ſumma olim in proſperitate vixerat, & ad ſummam inopiam redactus deinde fuit: quam non minori animi ferebat æquitate, quàm aliàs opulentiam: animi pacem & gaudium ab illius Maieſtate acceperat:) cui in mandatis dederam, vt è domo deſignata, inquilini vti emigrarent curaret. Hic porro huic fundationi peragendæ pòſt ſeriò gnauiterque incubuit, idque magna cum deuotione & animi promptitudine. Vt autem is ad me venit, narrauit domum nondum vacare; neque enim ſe ab academicis impetrare potuiſſe, vt illa diſce-

discederent. Illi ergo dixi permultum referre, eam quantocyus nobis vacuam reddi, antequam per vrbem me appulisse innotesceret: semper etenim metuebam (vti suprà retuli) ne quod aliunde superueniret impedimentum. Adijt ergo proprietarium & domus dominum, itaq; apud eum rem gessit, vt illa vespera, penè dum tenebresceret, studiosi inde emigrarent. Ad illam ergo transimus. Illa autem fuit prima, quã sine Sanctissimi Sacramenti illatione fundaui: nisi enim illud inferretur, plenam mihi domus possessionem adire non videbar: at iam tam didiceram, parum id referre; quod certè maximæ mihi consolationi fuit. Etenim Academici illi, quibus pro more est, non esse nitidos, totam domum ita sordidam & inquinatam reliquere, vt in illa emundanda non parum ea nocte sudauerimus. Postridiè mane in ea sacrorum sunt celebratæ primitiæ; quando & ipsa plures huc Moniales, quæ Medina venire debebant, euocani. Nocte ergo, festum Sanctorũ omnium sequente, ego & socia solæ in domo mansimus. Porrò cùm timoris, quem socia mea, Maria scilicet de S. Sacramento, ætate me maior, & insignis Dei ancilla, tum habebat, iam recordor, non possum non ridere. Quod enim Domus esset vasta, & satis hinc inde dissoluta, multas quoque haberet intermedias vacuitates, identidem illius animo & cogitationi recurrebat, fieri posse, vt è studiosis illis, quod inuiti domum illam deserere coacti essent, aliquis clàm & in abdito delitesceret. facile quidem id ipsis fuisset, quod locus hic ad hoc satis esset commodus. sed ipsæ nos intra conclaue quoddam abdidimus, palea inuecta constratum: hanc namque primam in fundandas domos suppellectilem inuehere pro more habeo; hanc enim habentes, in ipsa dormiebamus; illa verò nocte duas insuper habebamus lodices, mutuo acceptas. Postridie Religiosæ quædam vicinæ (quibus tamen verebamur, ne nostra vicinitas oneri & molestiæ esset) necessariam aliunde venturis Sodalibus supellectilem, quin etiam cibum magna benignitatis significatione submiserunt. ductæ sunt illæ, à S. Elisabetha, & toto illo; quo in vicinia illarũ habitauimus tempore, summa earum in nos eluxit munificentia & obsequia. Vt verò comes mea conclaui illo se occlusam vidit, timere quidem aliquantulũ, quoad studiosorum terricula, desijt; attamen circumspicere pauida hinc & illinc cæpit. Et certè, diabolus se hic immiscere debebat, quædam illius animo & cogitationi pericula obiiciens, vt sic per eam me inquietaret: quod enim animi deliquio & languori obnoxia sim, quàm minimum, ad illud mihi adferendum, satis esse solent. Percunctor ergo, ecquid identidem respectaret, cùm nemo illuc intrare posset. Tum illa: *Agitabam animo, Mater, ecquid, si hoc me*

Salmantini cœnobii initia.

Inquietudo cuiusdam Monialis causante diabolo.

loco emori contingeret, sola ipsa hic ageres. id enim si fieret, mihi graue & perquam durum foret. Hæc me responsio cogitabundam & suspensam nonnihil reddidit, & aliquem etiam timorem iniecit. Etsi enim exanguia corpora nullum timorem mihi incutiant, aliquem tamen cordis languorem & imbecillitatem semper mihi causantur, etiam tum cum sola non sum. Huc accedebat, quod in omnibus tota ciuitate templis lugubris campanis excitaretur sonus, quod (vti dixi) postridie fidelium defunctorum ageretur commemoratio: ergo dæmon hanc occasionem arripuit ad nos per inania hæc terriculamenta magis constornandas, videns namque sese non timeri, alias timoris inijciendi occasiones & anfractus quærit. Comiti ergo dixi, *Hoc vbi euenerit, carissima, tum demum, quid facto opus mihi sit, deliberabo; at in præsens sine me obsecro, dormire.* Quod autem duabus superioribus noctibus satis male dormissemus, somnus mox nobis obrepens metum omnem discussit. Postridiè verò appulere nouæ illæ Moniales, quarum aduentus quietas nos reddidit ac securas.

Triennio propè toto illo in loco Monasterium fuit (imò nescio, an non etiam quadriennio) vt vix quisquam illius recordaretur, aut mentionem faceret: Iniunctum quippe mox mihi fuit, inde ad primum meum Abulense monasterium ab Incarnatione dictum reuerti. Antè verò aliquo digredi non soleo monasterio (prout quidem mea voluntas est) quam ei domum propriam, constructam & per omnia accommodatam, relinquam, neue vnquam etiam digressa sum. In hoc quippe mihi Dominus singularem gratiam faciebat, quòd in laboribus suscipiendis prima esse gauderem, & quidquid ad sororum quietem & recollectionem necessarium videbatur, etiam minutissima quæque serio procurarem, tamquam si mihi toto vitæ tempore in domo illa viuendum fuisset. Vnde etiam extremæ mihi consolationi & gaudio erat, quod optimè illis esset prospectum, & omnia ritè accommodata. Certè valdè malè me habuit, quoad sorores loci illius varijs modis fuerint afflictæ & mala passæ, non tam quod ea quæ victui & vsui erant necessaria, (nam etiam è loco in quo ipsa agebam, hæc illis vt sufficerent præcurabam: erat quippe monasterium hoc satis importuno ad eleemosynas submittendas loco situm) quàm quoad valetudinem: eò quòd locus esset humidus, & satis frigidus; quòd enim domus esset ampla, hinc ab ea frigus satis arceri non poterat. Omnium vero grauissimum erat, quod sanctissimum Altaris Sacramentum in æde non haberent, cuius carentia monialibus ita recluſis, satis grauis & magnæ desolationis occasio est. Hanc illæ molestiam non sensere,

Salmantini cœnobij mala.

sed eam

ſed eam vnaquæque tali cum animi voluptate & gaudio pertulit, vt etiam Dominum laudarent. imò harum nonnullæ mihi dixere, imperfectionem ſibi quamdam videri, aliam domum deſiderare; etenim mirè ſe contentas hic agere, dummodè Diuiniſſimum Euchariſtiæ haberent Sacramentum.

Superior ergo, viſa Monialium perfectione, nec non laborem afflictionemque quam ſuſtinebant miſeratus, me ex Incarnationis illuc euocauit cœnobio. Ipſæ verò interea cum viro quodam nobili de alijs ædibus ſibi vendendis ſtipulatæ ſunt: ſed eæ erant huiuſmodi, vt binis aureorum millibus eæ commodam in formam aptari vix poſſent. Adhæc erant feudales. Ipſe nihilominus paſſurum ſe dixit, nos in illas commigrare, & parietes altiores erigere, etiam nondum alienationis venia à Rege impetrata. Ergo procuraui vt Iulianus de Auila (quem me in fundatoribus iſtis comitari ſolitum iam ante dixi) huius itineris mihi eſſet comes. Vidimus ergo domum, vt quæ in ea concinnanda erant, deſignaremus, etenim ipſa experientia faciebat vt iam aliquam fabricæ haberem notitiam. Menſe Auguſto illuc abijmus, & (eſto quàm maximè rem vrgerem) tamen ante S. Michaelis feſtum (quo tempore Salmanticæ domus elocari ſolent) parari non potuit ac plenè, prout res exigebat, omnia concinnari. Sed, quod eam, in qua hactenus habitaueramus, in ſequentem annum non conduxiſſemus, hinc alius eam conduxerat, qui inde emigraremus, identidem nos vrgebat. Iam templum vtrumque paratum & penè dealbatum erat, vir nobilis qui illam nobis vendiderat, vrbe aberat: quin & amici nonnulli noſtri malè nos agere dicebant, quod tam citò nondum omnibus paratis, illuc migrare vellemus. at vbi vrget neceſſitas, bonis conſilijs non eſt locus, niſi ſimul remedium impedimentis adferant.

Ergo pridie dedicationis Archangeli Michaelis, ſummo mane huc tranſijmus: in diem vero ſequentem indicta erat pro ſuggeſtu Ven. Euchariſtiæ in locum illum illatio, & prima futura illic concio. factum autem Domino diſponente, vt eo quo veſperi migrauimus die, tanta ceciderit pluuia, vt in rebus neceſſarijs tranſferendis maximè nos laborare, & moleſtias ſubire varias oportuerit. Templum erectum, erat nouum, tamque malè tectum, vt aquam pluuiam hinc inde tranſmitteret. fateor vobis oportet, cariſsimæ, illo me die vidiſſe, me ſatis imperfectam eſſe: quod enim res iam diuulgata & proclamata eſſet, neſciebam quid agerem, ſed meipſa affligens & crucians, amicè cum eo velut expoſtulabam dicens, *aut me huiuſmodi in operibus adiutricem, miniſtramque non adhiberet, aut importunæ huius*

S. M. amicè cū Domino expoſtulat.

hinc ipſe neceſsitati auxiliando proſpiceret. Vix ille bonus Nicolaus Gutierrius, ſolita ſua mentis æqualitate, tamquam ſi nulla ſubfuiſſet difficultas, blandè mihi dixit, minimè angerer aut torquerer, Deum quippe auxiliaturum. Atque ita etiam factum eſt: nam; vt primum S. Michaelis illuxit dies, eo tempore quo populus confluere incipiebat, inopinato cælo toto ſol fulgore nitere cæpit, qui magnam in me deuotionem excitauit: vidique ad oculum, quam bonus ille vir melius egiſſet, in Domino confidendo, quàm ipſa in vanum me torquendo & cruciando. Magnus ergo omnium gentium ordinumque factus eſt concurſus, & ſolenni cantu inuſitata. Item Euchariſtiæ Sacramentum pompa illuc illatum eſt. Quod autem optimo domus hæc eſtet loco ſita, celebrari frequentarique ſæpius à multitudine, & populus ſolito magis erga ipſam affici cæpit; in primis autem Maria Pimentellia Comes Monteregienſis, nec non alia quadam domicella, Mariana cognomine, cuius maritus loco Magiſtratum ac Præfectum agebat.

Poſtridie verò, (vt, quod ob receptum penes nos Altaris Sacramentum conceperamus, gaudium aliquo modo temperaretur) appulit ipſe domus poſſeſſor & dominus, qui ita ſtomachari cæpit, vt, quomodo eum placarem, neſcirem: &, diabolo hauddubiè inſtigante, factum, vt rationi is nollet acquieſcere. quidquid enim cum ipſo ſtipulatæ eramus, reipſa compleueramus; ſed hoc ei tum quidem referre, & in mentem reuocare, parum tum quidem nobis conducebat. Verum, cum alij eum alloquerentur, paulo mitius agere cæpit. at mox iterum mentem mutans, placari noluit. Dixi ei itaque paratam me domo empta quamprimum cedere: ſed ne hoc quidem voluit: ſed pretium emptionis ſtatim ſibi præſtari. Vxor eius (huius namque erat domus) illam vendi petierat, quò è pretio eius duabus filiabus in matrimonium collocandis dotem pararet: hoc namque titulo, emptionis licentia à Rege, (quod eſſet in maioratum data) poſtulata erat, & pretium in manus illius conſignatum, cui id ipſe dare petierat.

Salmanticenſium Monialium moleſtiæ.

Quamuis autem hoc iam ab hinc triennio factum ſit, nondum tamen perfecta venditio eſt, nec ſcio an illo in loco (id eſt in domo illa) manſurum ſit monaſterium (hac de cauſa enim hæc retuli) vel quidnam tandem de illo futurum ſit. Hoc autem ſcio, in nullo omnium quæ hactenus Dominus huius primæ regulæ fundauit, monaſteriorum Moniales tantis laboribus & vexationibus exagitatas vt plurimum fuiſſe, quantis exagitatæ ſunt huius. ſed, quæ Dei miſericordia eſt, tam bona & patientes ibi commorantur, vt maxima animi hilaritudine omnia aduerſa perferant. Det Maieſtas eius, vt in hac ipſa indies magis magiſq; proficiant & creſcant. Nam in domo commoda habenda, vel

da, vel non habenda, parum situm est: imò verò volupe nobis esse debet, cùm tali in domo habitamus, è qua semper nos possunt expellere; si præsertim recordemur, ipsum mundi Dominum nullam domum propriam aut stabilem habuisse. Quin hoc ipsum, nimirum in domo non propria habitare, adhuc aliàs quidem nobis contigit (vti ex his ipsis fundationibus colligere est:) in veritate tamen dicere possum, numquam me Monialem vidisse, quæ hoc grauatè ferret, aut propterea turbaretur. Det illius Maiestas, ne per infinitam ipsius bonitatem & misericordiam, æterna nobis habitacula & domus desint. Amen.

Caput XIX.

Agitur de fundatione Conventus in Alba Tormesia, qui ab Annuntiata Deipara nomen sortitus est, & anno M.D. LXXI. fundatus.

VIx duo effluxerant à peracta Salmanticensis Conuentus in omnium Sanctorum festo fundatione menses, cum litteris & precibus Quæstoris Ducis Albani, eiusque vxoris instantissimè sum rogata, vt & Albæ conuenrum constituerem. Ceterùm in hanc ipsa sedem non vsque adeò propendebam, quòd, cum opidum perexiguum sit, certis illa reditibus stabilienda videretur: ego verò malebam, sine vllis omnino reditibus fundaretur. P.F. Dominicus Bannesius, qui meus tum Confessarius erat, & cuius sub harum fundationum principium mentionem feci, quemque tunc Salmanticæ agere contigerat, me reprehendit, dicens, cùm Concilium Tridentinum reditus stabiles monasterijs possidere concederet, nefas esse cuiusdam fundationem conuentus illam ob causam intermittere: & me rem nõ intelligere: neq; enim, etsi dotatus esset prouentibus, eo minùs quæ in eo degunt, monachas & paupertatem posse colere, & ad perfectionem adspirare.

Reditus stabiles monasterijs per Concil. Tridentinum concedunt.

Antequam vero vlterius prosequar, dicam, quænam & qualis ipsa fuerit fundatrix, & quibus ad conuentum hunc fundandum modis à Domino inducta sit. Teresa Laizia, huius Monasterij Albani ab Annuntiatione B. Virginis denominati, fundatrix, nobilibus prognata erat parentibus & sanguine illustri hi, quòd opes & facultates non responderent per omnia sanguinis & generis dignitati, habitabant in pago, cui Tordillos nomen, duabus circiter leucis Alba distante. Res sanè misera est, quod, cum mundi huius res tantam includant vanitatem & pompam, viri nobiles solitudinem illam doctrinæ, & aliarum

multarum rerum, quarum adminiculo animæ illuminari possunt, quæ in paruis illis pagis & opidis haberut, pati malint, quàm vt vel apicem punctorum suorum, quæ id (quod ipsi honorem vocant) secum fert, amittant. Cum ergo iam quatuor hi filias haberent, cum Teresa Laizia in lucem prodiret, illius natiuitas parentibus non vsque adeo grata fuit, videntibus rursus sibi filiam nasci. Misera sanè & deploranda res, homines, cùm non intelligant, quid sibi sit melius (vtpote qui Dei iudicia ignorant, nescis & ignari magnorum illorum bonorum quæ sibi per filias obtingere queunt, & contra malorum ingentium quæ adferre ipsis possunt filij) nolle tamen id committere ei qui omnia nouit & creat; imò verò sese quodammodo enecare per id, quod ipsis adferre deberet gaudium, tamquam si fidem soporatam aut emortuam haberent; considerationem quoque vlterius non extendere, nec denique recordari, Deum esse qui hæc omnia disponit & ordinat, quò omnes rerum euentus ac successus illius dispositioni committant: & licet adeò cæcutiant vt hoc non faciant, insignis tamen & non toleranda ignorantia est, quod non videant, quàm hæc ipsis anxietas & solicitudo parum prosit. Quàm, ô Deus bone, aliter & melius has ignorantias intelligemus in die illa, qua omnium harum rerum veritas patescet & scietur! & quot tunc patres ad infernum se damnari videbunt, eò quòd filios habuerint; & quot è contra matres cælo se donatas, per & propter filias!

Hominum solicita anxietas in rerum euentibus carpitur.

Vt verò cæptæ narrationis filum resumam, ita se parentes hi in puellam hanc gessere, satis vt ostenderent, parum se de ipsius vita laborare: etenim nonnisi tertio à natiuitate die, solam illam in cunis vagientem iam inde ab aurora in vesperam reliquere, nullus vt eius memoriam aut curam haberet. Hoc quidem bene fecere, quod eam recenter editam à Sacerdote baptismi vndis ablui iusserint. Ergo mulier quædam cui puella concredita erat, circa vesperam, cum compertum haberet, quàm proli parum cautum esset, in conclaue irruit, coram inspectura vtrum nondum exspirasset; quam & aliæ quædam personæ, quæ puerperam visitatum venerant comitabantur, quæ testes sunt eius quod iam referam. Hæc ergo pupam in vlnas accipiens, quærere ab ea quæritabunda ac lacrymosa voce cæpit, *Christiana nes, filia?* de hac crudelitate in ipsam vt Christianam quodãmodo conquesta. Infans ilico, sublato capite, fari cæpit, ac dicere, *Christiana sum.* exinde vero nullum amplius verbum protulit, donec statam loquendi in pueris reliquis ætatem nacta esset. Quotquot hanc vocem audiebant, summo repleti sunt stupore: & eo factum, vt ex eo tempore erga eam mater vehementius cœperit affici, & eam cariorem habere, diceretque identidem:

Puella triduana loquitur.

vnum

vnum hoc à Deo ſe expoſcere, eatenus vt ſe in vita ſeruaret, quò cernere liceret, quid puellæ huic futurum eſſet. Vnde eam parentes quàm honeſtiſſimè educarunt, quidquid pium & virtuoſum eſſet, eam edocentes. Iam nubilem collocare in matrimonio dum volunt, refragari Teresa initio, & hunc ſuſcipere ſtatum nolle; donec cognito, Franciſcum Velaſcium (etenim & hic, vtpote maritus eius, domus huius fundator exſtitit) ſuas ambire nuptias, ad matrimonium (dummodo cum illo id contraheret, etſi antea de facie inuiſo) animum mox applicuit. At vidit Dominus hoc ita expedire & conuenire, vt bonum hoc opus, quod ambo ad eius Maieſtatis obſequium præſtitere, hac ratione executioni mandaretur. Nam, vt taceam quòd vir opibus & virtute commendabilis ſit, ita erga vxorem is ſuam afficitur, ei vt in omnibus complacere ſtudeat, & non immerito: quidquid enim in coniugata deſiderari & optari poteſt, id ei Dominus quàm abundantiſſimè contulit. Nam, vt de magna illius circa rem familiarem cura, & familiæ regendæ peritia nihil dicam, tanta enituit honeſtate, vt, cum maritus Albam vnde erat oriundus, ipſam duxiſſet, & Ducis Albani metatores illius in domo inueni cuidam Equiti domicilium aſſignaſſent, ita propterea ſit indignata, vt abhorrere Albanos omnes cæperit. Nam quod ipſa iuuencula eſſet, & forma ſatis liberali, adoleſcens ille eius pudicitiam tentauit: quæ niſi honeſta & caſta fuiſſet, forſan illius libidini aſſenſiſſet, adeo ſcilicet vehementer cacodæmon hunc ad illam ſolicitandam impellebat. Hoc illa comperto, marito tamen ſuo nihil ſignificans, apud eum inſtitit, inde vt ſeſe alio transferret. cùi is morem gerens Salmanticam cũ ſua familia commigrauit, ibique valdè feliciter, ac iucundè vixit, ac plurimis rerum temporalium commodis affluens; eo namque illic munere fungebatur, omnes vt ipſum complecti & qua poſſent gratificari, & fouere geſtirent. Hanc tamen illorum quietem anxia illa cura turbabat, quod fortunarum ſuarum hæredem prolem non haberent, quam Teresa ſummis à Deo precibus contendit, vnde etiam varijs pietatis obſequijs illum hanc in cauſſam aſſumptis demulcere ſatagebat. Sobolem verò vt deſideraret, non alia eam impellebat ratio quã vt, ſe vita defuncta, hæres ſupereſſet qui ſuo nomine ac veluti loco Maieſtatem illius continenter laudaret. durum namque & graue ei videbatur: quod in ipſa ſtirps & genus ſuum deficeret, & poſt mortem ſuam non haberet, qui illius Maieſtatem coleret. Vnde etiam mihi exinde retulit, num quã ſe in prole petẽda aliud quid, quã dixi, ſpectaſſe. Et ſanè ſcio illã minimè mẽtiri, eſt nãq; mulier veritatis amantiſſima, & tot Chriſtianis virtutibus ac religione adeo inſignis (vti iamiã dixi) vt, dum opera eius & animæ, adeo ei in omnibus placere, & multũ vmquã tẽpus bene impendere

negligentis, ſtatũ conſidero, ſæpè Dei dilaudandi occaſionem habeam.

Hocergo deſiderium cùm multis annis ei duraret, & Sanctum Apoſtolum Andream patrocinio ſuo fæcundare ſteriles veteros didiciſſet, miro atque inflammato erga eum ſtudio rapi, eique ſuam identidem orbitatem commendare cæpit. Poſt multas ergo preces & Dei & diui obſequia, cùm nocte quadam in lecto iaceret, facta ad eam vox eſt: *Noli velle prolem: nam condemnaberis.* Vnde ipſa quidẽ perculſa & obſtupefacta fuit: at non propterea prolem deſiderare deſijt: quòd ei videretur, cùm tam bono in ea deſideranda fine moueretur, minimè ſe damnandã vnde vlteriùs in prole à Deo roganda progreſſa eſt, & ſingulari quodã cultu Apoſtolũ Andreã colere cæpit. Quare quadã vice cũhoc ipſum deſiderium haberet, illi vigilanti ne an dormienti incertum, oblata viſio eſt: ſed tamen à Deo illam veniſſe nouit, ex eo qui ſecutus eſt euentu.

3. Andreas Apoſtolus apparet mulieri cuidã prolem petenti.

Verſari ſibi quadam in domo videbatur, ſub cuius areæ porticu puteũ cernere ſe putabat: haud procul indevernãtiſſimũ conſpexit pratũ, candidis perfuſũ floribus, adeò quidẽ elegantibus, ſimiles vt vidiſſe ſe nõ meminiſſet; & quo elegantiã illorũ modo explicaret, neſciret. Puteo adſtantem Apoſtolũ vidit Andreã, forma venerabili ac decora', vt magna illius aſpectus videntem voluptate perfuderit. è quo mox audijt: *Longè alij hi ſunt liberi, quam quales expoſcis.* Voluiſſet quidem ipſa, ea quam hoc in loco percipiebat voluptatem, diuturnior fuiſſet, nec finem habuiſſet: ſed longior non fuit Eſto apparens Sanctus nomen nõ indicaſſet, facilè tamen ipſa intellexit, Apoſtolum Andream fuiſſe, adhæc, Deum velle monaſterium vt conſtitueret. vnde colligere eſt, viſionem hanc non minùs intellectualem, quàm imaginariam fuiſſe, nec phantaſma, nec illuſionem diabolicam exſtitiſſe. Non phantaſma, liquet è magno quem peperit effectu. Nam poſt illam, omnis illi ſobolis habendæ deſiderium abiit; & ita certò ſibi perſuaſit, hanc Dei voluntatem eſſe, vt illam exinde nec petierit amplius, nec deſiderarit. Vnde cogitare ſecum cœpit, quo Dei voluntatem modo executioni mandare poſſet. Non item illuſionem diabolicam, patet quoque ex effectu qui hinc ſecutus eſt: quod enim à cacodæmone proficiſcitur non poteſt tale cauſari bonum, quale eſt, monaſterium illud iam conſtructum eſſe, in quo tam ſingulare Domino obſequium præſtatur. Tum etiam quod ſexennio & amplius ante, quàm monaſterium fundaretur, hæc viſio contigerit: etenim futuros euentus diabolus prænoſſe nequit.

Hac illa viſione conſternata, agere cum marito cœpit, cum prolem ſibi rerum dator omnium Deus negaſſet, videri operæ ſe pretium ac dignum Deo opus facturos, ſi ſuis è facultatibus Monialibus quibuſdam

buſdam monaſterium erigerent. Nec abnuit pio coniugis ſtudio maritus (quòd etiam pius eſſet, & vxori morem gerere ſtuderet) & deliberare ſecum cœpere, quonam potiſſimum in loco ipſum conderent. Illa in natali ſuo ſolo id erigi cupiebat; verùm ipſe, variis allegatis impedimentis, hoc illud loco erigi, minime conſentaneum fore aſſerebat, & ab hoc ipſam propoſito diuertere ſtudebat. Hæc dum agitant, ipſa Dux Albana Velaſcium ad ſe euocat: ad quam cùm veniſſet, ſuadet vt Albam cum familia ſua commigraret, illo ibi functurus magiſtratu, quem ſua in familia ei dare decreuerat. Is cùm ad Ducem veniſſet, viſurus quod illa munus ei vellet concredere, & ipſam conueniſſet: ab eodem non abhorruit, eſto tam id compendioſum non eſſet: atque illud quo Salmanticæ fungebatur. Hoc cognito, coniux contriſtata eſt, quòd (vti dixi) ab opido illo eſſet alienior: at audito & certior facta, nullos palatinos apud ſe poſthac hoſpitaturos, nonnihil placari cœpit. eſto non vſque adeò contenta foret, quòd Salmanticæ libentiùs & magis ſecundùm deſiderium habitaret. Velaſcius ergo cùm ædes coëmiſſet, ipſam per litteras eodem inuitauit. Venit illa quidem, eſto non libenter & inuita: magis verò abhorruit, cùm vidit domũ à marito coëmptam. licet enim optimo ſita eſſet loco, & ſatis ampla, paucis tamen illa diſtincta erat cubiculis, vnde prima nocte ſatis malè contenta fuit. Vt ergo poſtera luce primùm in aream deſcendit, & porticum, & ſub ea puteum conſpexit, ſtatim animo recurrebat, hunc ipſum ſanè eſſe locum, quem per viſum iam antè, Andrea Apoſtolo ſibi apparente, conſpexit: vidit inquam locum, non tamen Apoſtolum, nec pratum, nec flores, eſto & hunc & hæc, illa imaginationi ſuæ optimè impreſſa & haberet tunc, & etiam modò habeat. Viſis his non mediocriter obſtupuit, & ſimul apud ſe ſtatuit, iſthoc loci monaſterium conſtituere. Atq; exinde Albana ei commutatio voluptati eſſe & placere cæpit, nunquam inde recedere ſtatuens. Vnde & contiguas compararunt ædes, vſq; dum monaſterij quod moliebantur, termini ſatis ampli & lati forent. Cogirabat autẽ ſecum ipſa identidem, atque anxia animo verſabat, cuiuſnam potiſſimũ inſtituti moniales illuc induceret: volebat enim eas & numero pauciores eſſe, & ſtudioſiſſimas ſolitudinis ſectatrices. Hac ipſa de re cum duobus diuerſorũ Ordinum Sodalibus communicauit, viris bonis ijſq; doctis. Hi ſatius aſſerebant fore ſuas in alia piæ caritatis opera, facultates impendere; quòd maxima Monialium pars ſuo ſtatu vix eſſet contenta, & alijs parui momenti rationibus allatis. quòd enim cacodæmonem opus hoc malè haberet, hinc ipſum diſturbare omnimodis ſatagebat: vnde, quæ ipſi afferebant argumenta & in contrarium rationes, ei vt placerent & commoda

viderentur, effecit. quare cũ hoc ei opus hi diſſuaſiſſent, & diabolus adhuc magis in illo diſſuadendo inſtaret, timere & turbari cæpit, & à monaſterio fundando fieri alienior. quem ipſa animum ſuum etiam marito communicauit. Viſum proinde illis, cùm huiuſmodi viri id diſſuaderent, ipſorumq; intentio eſſet, Deo gratiſſimum obſequium præſtare, ab hoc propoſito animum diuertere. Vnde in eam venere ſententiam, vt potiſſima fortunarum parte in dotem patrueli, quẽ Tereſa habebat, ſororis, quam cariſſimam habebat, filio, Velaſcij conſobrinam ducturo tradita, reliquam in mutuum animarum poſthanc vitam ſubſidium alijs pijs operibus dedicarent: quòd patruelis ille, adoleſcens eſſet bonus, pius, & ſatis iuuenis. Id quidẽ vtriq; ſummopere placuit, & ipſum pari cõſenſu efficere ſuo tempore decreuere. Sed, cùm Dominus longè aliud facere conſtituiſſet, ipſorum propoſitum parũ profuit & prorſus euanuit: nã vix deni & quini effluxere ab hoc propoſito dies, cũ patruelis ille in graue adeò derepentè incidit ægritudinẽ, vt ex eæ non multò pòſt exſtinctus ad Dominũ migrarit. Mors hęc ipſa cũ nõ mediocri ſtupore ac timore cõpleuiſſet, ſimul animo recogitare cæpit: vti Ionas Propheta vltricem Dei manũ ſenſit, ꝙ illius eſſet, iuſsis obluctatus, nõ ſecùs ſibi Deo vindicante cariſsimũ hunc nepotẽ morte ſublatum, quòd diuina exequi monita neglexiſſet, & illi dare vellet quę Deo antè dedicare decreuerat. quę illi opinio firmiſſimè inſedit. Ex illo tempore apud ſe ſtatuit, nulla de cauſa monaſterij fundationem intermittere; quæ & voluntas marito eius inſedit, etſi quomodo illam opere perficeret, prorſus ignoraret. Illi, namq; Deus inſpirare & ſuggerere videbatur id, quod hodie peractum viderunt: illi vero quibus ipſa rem ſignificabat, & quale Monaſterium vellet, deſcribebat, ipſam ridebant, quòd quæ ipſa vellet, nuſquam habituram illam dicerent: & in primis Confeſſarius quidam ex ordine Sancti Franciſci, vir doctus & magni nominis. vnde ipſa non mediocriter eſt contriſtata. Cùm verò contigiſſet Sacerdotem hunc aliò foras proficiſci, & multa is coram de monaſterijs his B. Virginis de Monte Carmelo, quæ hinc inde tum fundabantur, inaudiſſet, omniaque eorum inſtitura accurate per ſe ipſe inquiſiſſet; Albam reuerſus; eas illi ſe reperiſſe ſignificat monachas, quas adeò ſolicitè quæreret: quare iam Monaſterium quod volebat, & quomodocumque vellet, conderet. Cuncta ex ordine quæ audierat, ei retulit, & ſuaſit, vt mecum hac ipſa de re ageret, vti etiam fecit.

Multum verò laboris & moleſtiæ in cum ipſis paciſcendo & ſtipulando ſubiimus. eius namq; ſemper fui ſententiæ, vt ijs monaſterijs quæ piorum eleemoſynis non victitarẽt, abunde neceſſaria omnia ſuppeditanda dicerem, ne quid à conſanguineis aut alio quopiam Monachæ

hæ necessitate premente postulare cogerentur, sed ad victum & vestitum necessaria omnia, domi ijs darentur, infirmæ verò & ægræ bene haberentur. nam è necessariorum defecta multa sequi solent in commoda & inconuenientia. Et certè, ad multa monasteria facultatibus & annuis reditibus non dotata, construenda, numquam mihi animus aut fiducia in Deum deest: certa quippe sum, numquam ipsum illis defuturum, aut necessaria non daturum: vt verò eisdem prouentus, & quidem modicos, assignari patiar, numquam animum habeo: imò verò eadem mallem non fundari.

S. Mater sua monasteria vult sine reditibus stabiliri, aut cũ sufficientibus.

Tandem rationi & æquitati accedentes, sufficientes pro numero Monacharum reditus nobis assignarunt; & (quo nomine plurimum illis debeo) sua excessere domo, quò nobis eam cederent, & ipsi in aliam satis incommodam commigrarunt. Die itaque Apostoli Pauli conuersioni sacro, anno M.D.LXXI. ad gloriam Dei, Sanctissimum Altaris Sacramentum huc illatum est, & peracta frudatio: quo in loco optimè diuinæ Maiestati seruitur: det ipse, vt hocce eius obsequium semper maius & maius fieri possit.

Particularia quædam de nõnullis horum monasteriorum monialibus referre quidem cæperam, rata tum temporis cùm hæc ipsa in aliorum manus venirent, & passim legerentur, illas, quæ modò in viuis sunt Moniales, mortuas futuras: tum etiam, vt quæ pòst venturæ sunt, ad bona hæc principia vlteriùs producenda animarentur: at posteà mihi visum est, non defuturum aliquem, qui meliùs, & particularius, nec tali cum meru, qualem ipsa habui, id præstet: cùm illos me horum participem esse, arbitraturos existimem: vnde etiam multa scribere omisi, quæ qui vidit & cognouit, non potest ea ceu miraculosa (sunt quippe admodũ supernaturalia) non habere, horum nulla hic referre volui, vti nec illorum, quæ ad oculum & manifestè patuit, illarum per preces Dominum fecisse. Vereor sanè & dubito, ne in annorum, quibus monasteria hęc fundata sunt, assignatione aliquando errem, tametsi omni qua possum diligentia eorum meminisse allaborem. at, quia parum id refert, & postea facilè is emendari error potest, pono eos, quàm possum proximè illorum recordari. Si quis verò in his intercurrat error, modicum sanè discrimen id erit.

Cur suarũ monialium laudes scribere nolit.

Caput XX.

Agitur de fundatione conventus Segobiensis, à glorioso Ioseph cognominati, qui anno M.D.LXXIII. est erectus.

IAm suprà commemoraui, me, postquam Salmanticensem & Albanã domos fũdassẽ, & antè quã Salmãtinæ Moniales ædes proprias haberẽt, à P. Pe-

à P. Petro Fernandio (quicā tempestate Commissarium Apostolicum agebat) triennio in Incarnationis monasterio Abulæ commorari iussam: item quomodo me idem, visa Salmanticensium Monialium necessitate, Salmanticam ablegarit, vt propriam illis domum compararem. Ibi cum agerem, mihi inter orandum Dominus ait, Segobiam vt concederem, nouum ibidem monasterium conditura. Hoc mihi fieri penitus non posse videbatur, quod Superioribus non iubentibus illinc me nefas esset discedere, & quod P. Comissarius Apostolicus Petrus Fernandius, tum quidem alia fundari per me domicilia non æquis animis pateretur. neque vero id ipsa sine ratione ab eo mihi negandum arbitrabar, quod conductum, quo in Incarnationis agere me oportebat, nondum exspirasset. Hæc agitanti rursus mihi Dominus significat, facultatem vt ab Fermandio exigerem; hanc enim ab eo haud dubiè concedendam. Salmanticæ tum temporis agebam, vnde misso epistolio paucis hoc illi perscripsi, cū amplissima mihi iam olim à Reuerendissimo Patre nostro Generali facta esset ad vbiuis locorum, si quando daretur occasio, cœnobia constabilienda potestas, & iam commoda alicuius in ciuitate Segobiensi excitandi sese offerret oportunitas, quod loci Episcopus, simul & respublica ab eo fundando non abhorrerent, non posse me hoc illi non significare, vt quidem meæ ipsius conscientiæ paci priuatim consulerem, ijs verò quæ ipse statueret, me paratam acquiescere, itaque securam & quietam me fore. Hæc ipsissima epistolæ fuere verba, nihil illis addendo, nec demendo: adiungeam præterea, id mihi videri ad Dei obsequium mirificè futurum. Facilè videre fuit, Maiestatem illius id velle. etenim ipse lectis litteris, plenam mihi rei perficiendæ potestatem dedit. mouit inopinatus hic illius assensus mihi stuporem, quod longè secùs sentientem haud multò antè simili in euentu eum perspexissem.

A Domino Segobiam abire iubetur.

Quocirca iam inde Salmantica curaui, domum vt amici mihi conducerent. etenim, post Toletanæ & Vallisoletanæ domorum fundationem, didiceram, longe esse satius, nonnisi adita iam possessione, domum propriam conquirere; idque multis de causis quarum ea sanè præcipua erat, quod domibus emendis obolum non haberem; possessione vero iam capta, & sede fundata, Dominus mox de pecunia necessaria prospiceret; præterea quod tum meliùs sitas & commodiores per otium conquirere liceret.

Satius esse domū conducere, quam emere ad cœnobium fundandum.

Agebat tum Segobiæ honesta quædam Domina Anna Ximenia cognominata, quæ olim viri nobilis & primogenij possessoris vxor fuerat. Hæc Abulam semel ad me visitandam excurrit; eratque Dei

Anna Ximenia elogium.

seruī-

ſeruitio & cultui addictiſsima, eiuſque vocatio ſemper fuerat Religioſam vitam profiteri. Vnde, cum hocce cœnobium erigeretur, ipſa ſimul & filia, quæ ſemper piam ſanctamque duxerat vitam, ei nomina dederunt. quam vero & in coniugali, & in viduali vita ſenſerat moleſtiam & tædium, illi Dominus eo, quod ex Religioſa poſtea percepit gaudio, duplicatò rependit. & mater, ſimul & filia, ſemper admodum recollectæ, & inſignes Dei ancillæ fuerant. Ipſa ergo domum nobis conduxit, & rebus omnibus neceſſarijs illam inſtruxit & apparatu domeſtico, nec non ſuam ſacrario ſupellectilem comparauit: vnde mihi nullatenus hic laborandum fuit. At, ne qua ſine labore & moleſtia fundatio perageretur, vt taceam, me tum vehementiſsimæ febris ardoribus diuexatam fuiſſe, & ſtomacho imbecilliori alijſque inſuper malis languiſſe; incredibili animæ tum ariditate & ſpiſſa caligine laborabat, accedentibus adhæc plurimis corporis doloribus, quorum vehementia ad trimeſtre penè durauit. Quin etiam per annum medium, quo illic egi, numquam deinde commoda vſa ſum valetudine.

Ipſo S. Ioſephi die Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentũ huc intulimus. etenim licet, Epiſcopi facultatem & vrbis aſſenſum iam impetraſſem, nolui tamen eius diei peruigilio clanculo circa veſperam domum adire. Iam abhinc multo tempore hæc mihi facultas data erat; ſed, quod in Incarnationis conuentu agerem, & iam alium Superiorem haberem, quàm Patrem noſtrum Generalem, fundationem hanc peragere non potueram; adhæc ipſam Epiſcopi, qui loco tum præſidebat cum id ciuitas volebat, licentiam nonniſi verbo & oretenus habebam, quam ab ipſo nobis procurarat honeſtus Eques Segobienſis Andreas Ximenius, qui de illa in ſcriptis habenda parum laborabat, neque etiam mihi talis magnopere neceſſaria videbatur. ſed decepta ſum. Vt enim Epiſcopi Vicarius intellexit, iam monaſterium fundatum eſſe, acri cruciatus ira illuc aduolat, ſacrum vlterius celebrari vetat, eumque qui iam celebrarat, in carcerem compingere volebat, fratrem inquam quemdam Diſcalceatum, qui vna cum P. Iuliano de Auila, & alio Dei famulo qui me comitabatur, Andrea Gaitano dicto, illuc profecti erant. Erat hic Andreas Albæ equeſtri genere ortus, ipſumque iam abhinc annis aliquot ad obſequium Dominus à mundi vanitatibus quibus porro ſatis immerſus erat, vocarat. hunc porro ipſe ita iam peſſum dederat & proculcarat, vt aliud, quàm quomodo Domino magis placeret & obſequeretur, iam non ſpectaret. Idcirco autem hæc de illo, hoc loco, referre volui, quod in ijs quæ ſequentur fundationibus, aliquoties illius facienda erit mentio, quoniam inſignem in ijſdem mihi operam præſtitit, & impigrè laborauit: cuius virtutum ſi

Segobienſis cœnobii initia.

Antonij Gaitani elogium.

hic texere catalogum & ſeriem vellem, non tam citò poſſem abſoluere: quæ verò hic nobis maximè neceſſaria erat, eſt, quòd ita ſit mortificatus, vt famulorum qui nos comitabantur, nullus, ita ſuo officio in obſequendo & laborando in ijs quæ opus erant fungatur, atque ipſe. Orationi vero mirè deditus eſt, & tot ei Dominus gratias præſtitit, vt, quidquid alijs moleſtum & laborioſum videretur, illi placeat, arrideat & facile ſit. Talis eſt omnis labor & moleſtia, quam in hiſce fundationibus ſuſcipit, adeò vt tum hunc, tum P. Iulianum de Auila, ad has peragendas Dominus ſingillatim delegiſſe videatur; quamquam ſuam Iulianus iam inde à primi monaſterij initio operam nauarit. Horum comitum pietati & ſinceritati aſſcribendum videtur & Deus dediſſe, vt omnia mihi bene ſuccederent. Illorum verò colloquia & ſermones per viam, erant de rebus diuinis, aut eos, qui aut noſtro in comitatu erant, aut per viam occurrebant, edocebant. adeò vt omnimodis, & per omnia diuinę Maieſtati famularentur. Quare par eſt, cariſſimæ, eam quæ fundationum harum hiſtoriam legerit, agnoſcere & ſcire, quàm ijs multum debeat; vt, cùm ſine vllo commodo ſuo, tantum in hoc bono, quo vos iam fruimini, quod hiſce in monaſterijs agatis, laboris ſuſceperint, eos Deo in orationibus commendetis, & aliquam ſaltem è precibus veſtris ipſi vtilitatem ſurripiant. Sanè ſi noſſetis, quàm multas noctes & dies laborioſas habuerint, quæ per viam paſſi ſint incommoda & difficultates, credo equidem libentiſſimè id vos facturas.

Segobienſis cœnobij initia turbulenta.

Vicarius ergo templo noſtro noluit excedere, ſed lictorem, neſcio qua de cauſa, ad eius aditum conſtituit. Terrorem id, fateor, aliquem incuſſit illic præſentibus, at me nihil, quodcumque demum poſt captam iam poſſeſſionem accideret, omnino turbabat; ſi quid timebam, id erat antè, quàm caperetur poſſeſſio. Itaque Monialis cuiuſdam, quam fortè mecum duxeram, conſanguineos, primarios ciuitatis illius, euocari, vt cum Vicario agerent, eique, habere me ad hoc faciendum ab Epiſcopo facultatem, ſignificarent. Non ignorabat is hanc, vti poſtea ipſemet dixit; at hoc illum malè habebat, quod illum rei huius certiorem & participem non feciſſemus. quod certè, meo iudicio, peius longe fuiſſet. Is tandem cõſenſit, ſacrorum dicendorum poteſtatem dans, at Sanctiſſimi Sacramenti cuſtodiam negauit, De quo parum laborauimus. Ad aliquot menſes iſthoc in ſtatu res noſtræ fuere; vſque dum alias ædes comparauimus, & vnà cum illis magnas in caput noſtrum lites arceſſiuimus. tametſi iam antè ſat litium cum Patribus Franciſcanis ob alias, quæ prius in vicinia coemptæ erant ædes, habuiſſemus: at ob poſteriores illas liteſ nobis

bis mouerunt Sodales quidam Religioſi à Mercede cognominati, nec non Capitulum & Canonici, quibus emphyteuſeos ius in domum illam erat. Quam, ô bone Ieſu, difficile eſt cum diuerſis hominum opinionibus decertare & rem habere! cum enim rem iam confectam mihi habere videbar, tum alia ex alia difficultas ſubnaſcebatur. nam ſatis non erat, quæ poſtulauerant omnia ipſis concedere, quoniam ſtatim aliud & aliud incommodum afferebant. Hoc ipſum, ita dictum, nihil quidem eſſe videtur, at id ferre & ſubire, nimis quàm multum fuit. Quidam Epiſcopi patruelis, qui in eadem Eccleſia Prioré & Canonicum agebat, quidquid poterat, noſtri cauſa faciebat, nec non Licentiatus Heredius, inſignis Dei famulus. Cum Canonicis tandem, multo ære perſoluto, res feliciter compoſita eſt, at non cum Patribus illis Mercenarijs: vt ergo ad nouas illas ædes tranſiremus, quam occultiſſimè id fieri oportuit. Vbi verò nos iam de facto (etenim vno atque altero ante feſtum Archangeli Michaelis die migrauimus) in illas tranſiiſſe compererunt, pecunia accepta nobiſcum paciſci, ſatius & præſtabilius iudicarunt. Imprimis vero me in hiſce difficultatibus cruciabat, quod, cùm nonniſi ſeptem mihi octove à Præfecturæ Incarnationis triennio exacto dies deeſſent, Abulam inde me digredi neceſſariò, muneris cauſæ, oporteret. Domino ergo diſponente & dirigente factum, vt omnia ita compoſita & ex voto conſtituta ſint, nulla vt amplius exinde nobis lis fuerit: vnde biduo aut triduo poſt, ad Incarnationis cœnobium digreſſa ſum. Sit nomen eius in perpetuum benedictum, quod tales & tantas mihi numquam non gratias contulit, omneſque illius creaturæ eum laudent & celebrent. Amen.

CAPVT XXI.

DESCRIBITVR FVNDATIO COENOBII VEASENSIS, quod à Sancto Ioſepho Saluatoris vocatum, & anno M.D.LXXIV. in Sancti Matthiæ feſto fundatum eſt.

EO ipſo tempore, quo (ſicut ſupra commemoraui) iam inde ab Incarnationis Salmanticam proficiſci iuſſa ſum, & ibidem verſarer, honeſta quædam domicella Veaſenſis, miſſo nuntio, nec non litteris, quas Curionis aliorumque mittebat nomine, me inuitauit, vt illo in opido cœnobium conditum venirem; & verò de domo minimè laborarem, etenim ipſam ſe iam paratam habere, vt ſola, omnibus iam paratis, monialium quæ ipſam incolerent, requireretur præſentia. Ergo nuntium, de opidi ſitu, commodis, & incolis ſum percontata: qui multa mihi eiuſdem bona commemorauit, nec iniuria: eſt

S. Mater Veaſiũ inuitatur, ad conuentũ fundandũ.

namque locus amœnus, ſalubris, & cæli ſatis temperati. Sed cum viderē quantum inter illum & Salmanticam locorum eſſet interuallum, ſtultum mihi videbatur de ea fundatione cogitare: atque imprimis, quod Commiſſarium Apoſtolicum (qui nouæ huiuſmodi cœnobiorum fundationi ſi non aduerſaretur, ſaltem non fauebat) aſſenſum in illam præbere oporteret. Quare initio decreui, illo non monito, dicere, nequaquam me in præſens illam poſſe fundationem admittere. at poſtea mihi viſa ſum, quod is ipſe Salmanticæ tunc verſaretur, male factura: ſi illo inconſulto & non monito rem hanc non ſuſciperem, quod à Reu. P. N. Generali mihi eſſet iniunctum, nullam quæcumque ſe offerret, fundationem repudiare. Ipſe ergo his litteris viſis, nefas mihi dixit videri, piorum illorum virorum, quorum ſe pietate ac benignitate mirificè reſpondit recreatum, deſiderio non ſatisfacere, nec morem gerere, quare miſſis Veaſinni litteris, illis ſignificarem, ad illos fore vt quamprimum, accepta ab Ordinario per ipſos poteſtate, excurrerem. verùm addebat, hanc ipſam minimè ab illis obtinendam indubitatè crederem. quòd enim id Equitum S. Iacobi opidum eſſet, aliunde conſtare ſibi, id genus facultates, ne multorum quidem ſpatio annorum, ab alijs ſimili in caſu impetrari potuiſſe. quare illis per litteras meas ſpem omnem non adimerem. Interdum hoc ipſa mecum perpendo, &, quomodo id quod Dominus fieri velit (eſto id ipſi etiā nolimus) ad exitum deducatur & perficiatur, vt, etiam ignari, nec ſcientes, illius ſimus adminicula & inſtrumenta: ſicuti hac in re R. P. F. Magiſter Petrus Fernandius, qui Commiſſarius erat, inſtrumentum fuit. vnde ipſe, Equitum pace ac poteſtate iam impetrata, eam à parte ſua denegare minimè potuit. Sed hac ratione res peracta & facta eſt. Hoc Veaſenſe Cœnobium, in honorem S. Ioſephi, in feſto Apoſtoli Matthiæ anno Domini M.D.LXXIV. fundatum eſt. Hæc autem eius fuere principia & initia, ad laudem & gloriam Dei. Commorabatur ſub idem tempus hoc in opido generoſus Eques, nomine Sanctius Rodericius de Sandoual, natalibus illuſtris, & opibus affluens: vxorem is habebat etiam nobilem Catharinam Godineſiam, quæ inter alias proles maſculas, duas ei peperit filias, quæ huius fuere monaſterij fundatrices; maiori nomen fuit Catharinæ Godineſiæ, minori vero Mariæ Sandoualliæ. Illa quartum decimum ætatis annum egreſſa vix erat, cum eam Dominus ad obſequium ſuum vocauit, antè vero adeò à mundo nuncium remittendo erat aliena, vt quaſcumque ei pater ſuggereret nuptias, velut ſe indignas ac minores, repudiaret. At cum quadam die in cubiculo (erat hoc poſt cænaculum, in quo pater eius tum agebat, cum nondum è lecto ſurrexiſſet) fore

Mirabile initiū Conuentus Veaſenſis.

fortè crucis Dominicæ, quæ ibidem conſpiciebatur, titulum legiſſet, repentè ex illius lectione, dextræ diuinæ potentia penitu immutata fuit. nam cùm animo verſaret & volueret matrimonium id, quod ſatis honeſtum & optabile oblatum tunc ei erat, intra ſemetipſam dicere cæpit: Hem, quàm paucis & modicis pater meus contentus eſt, dum maioratus poſſeſſore ſponſo mihi inuento quieſcit. ego verò id ago & molior, vt ſtirps mea à me initium habeat, ipſaque familiæ ſim princeps. A matrimonio ergo alienior fieri cæpit: quòd nimis quàm vile & abiectum ei videretur, alicui homini ſeſe ſubijcere. vnde nam verò hæc in ſe ſuperbia oriretur, ipſa neſciebat. Sed nouerat Dominus, qua illam via iuuare & ad ſeſe trahere vellet. quare benedicta eius ſit miſericordia.

Catharina Godineſia conuerſio ad Chriſtum.

Eo ergo momento, quo Crucis titulum legit, luculenta ac ſplendida menti illius aborta lux eſt, ad veritatem ipſam perſpiciendam; perinde ac ſi in obſcurum quemdam locum ſol deſubitò ingrederetur. & hac luce irradiata, conſiderationis oculos in Dominum in cruce fixũ, ac ſanguine fluido vndiquaq; perfuſum coniecit: cogitauitq; quàm ibi is malè habitus eſſet, nec nõ ſummam & ſingularem eius humilitatem, quàm verò longè diuerſum ab eo ipſa iter inſiſteret, dum per ſuperbiæ ſemitam pergeret. Aliquantiſper hac in cogitatione haud dubiè hæſit, quòd illius ſpiritum Dominus ſuſpendiſſet. Inſtillata tum quoq; ei à diuina Maieſtate magna & perfecta propriæ vilitatis ac miſeriæ cognitio, nec non voluntas qua etiam vilis ab omnibus haberi volebat, adhæc ingens, incitatumque propter eum patiendi deſiderium, quo pati optabat, quidquid aliàs Martyres paſſi erant: quin & profunda quædam ari ni humilitas, & tanta ſui ipſius deteſtatio, vt, niſi fuiſſet quòd Dei offenſa præcedere debuiſſet, de perditis & propudioſis mulierculis vna eſſe voluiſſet, quò hac ratione omnium digitis notaretur. vnde ſeipſa deteſtari & abhorrere, magnæque auſteritatis ſubeundæ deſideria concipere cœpit, quæ etiam poſtea reipſa & opere eſt executa. Hoc quoque momento caſtimoniæ ac paupertatis vota, inſigni animi generoſitate concepit, tantuſque mentem illius inceſſit alienæ ſe voluntatis ſubijciendi ardor, vt huius dumtaxat voluntatis explendæ ergô haud grauatè ſe in Mauricam captiuitatem, alieno patitura imperio, abduci ſiuiſſet.

Omnes hæ virtutes in ipſa ſtabiles permanſere, facilè vt videre fuerit, fuiſſe hanc ſupernaturalem quamdam Domini gratiam (vti poſtea commemorabo) quò omnes eum homines deprædicarent. Eſto tu benedictus, DEVS meus, in æternum, vt qui vno in momento animam deſtruas, & mox rurſus conſtruas

ſtruas & reficias, quid hoc eſt Domine; percontari hic ex te velim id, quod olim te rogarunt Apoſtoli tum, cum cæco lumen reddidiſti, petentes, *Quis peccauit, hic an parentes eius?* Sed ego hic econtra peto, Quis tam ſingularem gratiam promeruerit? Non ipſa: iam enim ſuprà diximus, quibus illam è cogitationibus & moliminibus eduxeris, cum hanc illi gratiam præſtitiſti. Quam ergo magna & profunda ſunt indicia tua Domine? Tu noſti, quid facias, & ego vix ſcio quid dicam; cùm opera, & iudicia tua incomprehenſibilia ſint. Eſto proinde in æternum glorificatus & laudatus, cum etiam plura & maiora præſtare valeas. Hoc ni eſſet, quid de me foret? Quid ſi fortè Mater eius tantæ huius gratia ex parte cauſa fuerit? tanta namque eius erat pietas & religio, vt ea forſan bonitatem tuam (vtpote qui pius & benignus es) induxerit, ad ei concedendum, vt in vita ſua tantam in filiabus ſuis virtutem conſpiceret. Subinde mecum ipſa perpendo, & conſidero, tales te ſolere gratias diligentibus te præſtare, tantumq; ijs bonum conferre, quale eſt, iis dare id per quod tibi ſeruiant.

Hæc animo dum verſat, ingens ab imis cubiculi penetralibus ſtrepitus, vt omnia loco moueri ac ſubrui viderentur, eſt exauditus: qui etiam omnis è quodam illius angulo, in quem ipſa conceſſerat, prodire & oriri videbatur. Audiuit præterea terrificos quoſdam vlulatus & fremitus: qui quòd aliquo temporis ſpatio durarent, patrem (qui, vti dictum eſt, nondum lecto ſurrexerat) inſolito timore complerunt: adeò vt toto corpore perhorreſcere & tremere cœperit. quare perculſus & conſternatus, togam ſumit, ſtrictoque gladio in locum irruit, & expalleſcens, filiam quid rerum ſubeſſet, ſciſcitatur. Ipſa nihil ſe vidiſſe cum diceret, vlterius in aliud conclaue interius penetrat. cumque nec ibi quidquam vidiſſet, filiam iubet ad matrem ſe conferre: cui iniunxit, ne illam ſolam eſſe ſineret, & quidnam audiſſet, ex ordine narrauit.

Facilè hinc patet, quàm diabolus ægrè ferat, cùm animam, quam iam vt ſuam reputabat, manibus & poteſtati ſuæ videt eripi, (adeò is ſcilicet bono & ſaluti noſtræ aduerſatur.) Non miror ſanè, eum, cùm clementiſſimum Dominum tot ſimul alicui gratias præſtare videt, ita obſtupuiſſe, & talia doloris & indignationis ſuæ argumenta dediſſe: præſertim quòd intelligeret ac videret, ſe, per gratiarum, quæ in anima illa ſedem ſtabiliebant, theſaurum & opulentiam, multas animas, quas iam vt ſuas habebat, amiſſurum. Etenim certa ſum, numquam tam magnas Do-

minum

minum alicui gratias conferre, quin simul earum plures, quàm ipsum qui eas recipit, participes faciat. Nihil horum ipsa cuipiam dixit: sed ardens vitæ monasticæ profitendæ desiderium concepit, cuius rei cum facultatem instantissimè à parentibus peteret, numquam tamen ab ijs illam potuit impetrare. Erga cum triennio toto eam postulasset, & illos assensum præbere nolle cerneret, ipso S. Ioseph die, honestum & simplicem vestitum, matre sola rei huius conscia (à qua haud ægre potestatem monasticam vitam suscipiendi obtinuisset: etenim patri nihil audebat indicare) assumpsit, itaque ad templum publicè perrexit; vt, cum semel in eo visa publicè & ab omnibus esset, hunc ponere deinde non iuberetur. itaque etiam factum est, & patrem dissimulare oportuit. Toto hoc triennio bonas aliquot horas orationi impendit, & quibus poterat modis sese mortificare, prout eam Dominus instituebat & suggerebat, studuit, non raro etiam in aream domesticam prodiens, frigida vultum perfusum solaribus illico radijs siccandum exponebat, vt formæ facto dispendio omnes à sui coniugio, quod nihilominus plurimi ambiebant, deterreret. Adeo nemini quid imperare & dominari volebat, vt, cum ei paternæ familiæ cura concredita esset, itaque ancillis & mulieribus alijs quid imperare eam oporteret (quod aliter fieri non poterat) ipsa tamen ex humilitatis studio, exspectans vsque dum dormirent, illarum pedes exoscularetur; dolens & anxia quod ipsæ, cum sese meliores essent, sibi seruirent. Quod verò interdiu à parentibus aliarum rerum tractatione distineretur, somnum corpori suffurata integras propè noctes orationi dicabat adeo vt sæpè tàm parum somni caperet, vt, nisi supernaturales adfuissent supperiæ, corpus trahere ei impossibile fuisset. Austeritates vero & flagella frequentissimè vsurpabat, quod nemo esset à quo ipsa regeretur, & cum nemine conferret. Inter alias, per quadraginta ieiuniorum dies continuos ferreis contentam hamis loricam patris nudo accinxit corpusculo. Oratura abditum quemdam locum captabat, vbi eam cacodæmon vanis & notabilibus illusionibus exagitabat. fuit non rarò cùm à decima vespertina ad vsque auroram in precando numine perseueraret. Quadriennium prope totum hisce exercitijs vacauit; quo exacto, in alijs maioribus eam Deus sibi voluit seruire, grauissimis inquam & pænosissimis morbis, continenti videlicet febri, diro hydrope, cardiacis doloribus, nec non gangræna, quam incidi oportuit. Septendecim ipsis annis hæc ipsam ita detinuit inualetudo, vt nonnisi dierum aliquot

sanitate

ſanitate vſa fuerit. cùm quintus harum gratiarum, morborum, inquam, ageretur annus, patrem contigit intermori.

Soror vero eius, quatuordecim annorum virgo, vno poſt, quam Catharina veſtium ornatum depoſuiſſet, anno etiam exuuias ſæculi, (quarum antea elegantiam ſplendoremque perditè ſectata fuerat) texuit, communi veſte ſe induens: & exinde etiam inſiſtere continenter precibus, pijſque mentis exercitijs cæpit. Huc illas non modicè ipſa mater exſtimulabat, & qua poterat ope, pia illarum exercitia & deſideria promouebat: à qua etiam illis data facultas, vt mundano faſtu & nobilitatis proculcatis inſignibus (quamquam ſtirpe eſſent nobiles) teneras puellarum manus ad puellaria opera & litterarum lectionem edocerent, idque gratis, ſed tantum vt hac ratione interim occaſionem haberent ad mollibus illarum mentibus doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, & Deum rogandi methodum rationemque tradendam. Inſignem hac illæ via fructum faciebant: etenim multas ad ſe alliciebant puellas, in quibus, quam in puellari ætate didicere morum honeſtatem, & laudabiles conſuetudines, etiamnum relucere & emicare cernimus.

Pia hæc occupatio & exercitium non fuit diuturnum: nam cacodæmon, quod ferre bonum hoc opus non poſſet, parentibus perſuadere cœpit, fore, vt in magnam ſui ac familiæ dedecus & infamiam cederet, quod ipſarum proles gratis edocerentur. hoc, vti & morborum violentia & grauitas, in cauſa fuit, vt pium hoc exercitium abrumpere ſint coactæ. Quinto poſt patris mortem anno, mortua quoque eſt harum Virginum mater; &, quoniam Catharinæ vocatio ſemper fuerat, vitam Religioſam & clauſtralem ſuſcipere, ſed numquam adhoc à parentibus impetrare veniam potuerat; hinc illico, hac occaſione oblata, deſiderium hoc exequi procurauit, & alio propterea proficiſci (nam Veaſij cænobium nullum erat.) Sed conſanguinei eis, (cùm fortunis ac facultatibus affluerent,) in maias Dei ceſſurum obſequium affirmarunt, hoc ipſo ſi in loco cænobium nouum conderent. Sed, quod opidum hoc ad Equites commendatarios S. Iacobi ſpectaret, ad hoc generalis ipſius Ordinis Concilij conſenſus neceſſarius erat. Vnde ipſum Catharina impetrare incepit: ſed is tam difficulter haberi & obtineri potuit, vt quatuor ipſis annis, poſt magnos labores & ſumptus, nihil penitus actum ſit. Vſque dum ipſi Regi hac in cauſa oblatus libellus eſt, nihil obtinere tum ipſæ, tum amici potuere: quare tanta in re hac obtinenda apparuit difficultas, vt Catharinæ conſanguinei dicerent; fatuum eſſe vlterius petendo inſiſtere; ſuaderent proinde, rem hanc vt animo ponerent. Addebant inſuper, quod tam im-

tam imbecilli attritaque esset valetudine (vti suprà dictum est) semper vt lecto affixa hæreret, vix vlla in Monialium congregatione locum sibi dandum speraret. Quibus illa confidenter pronũtiauit, si vnius mensis spatio sibi plena à Deo sanitas restitueretur, certissimum eam documentum ipsi diuinæ voluntatis fore, qua hoc condi cœnobium vellet: actum se illius ergò curiam adituram. Hæc cùm diceret, semestri, eoque amplius, lecto, prostrata valetudine, affixa decubuerat, & octennio ipso omni propè membrorum vsu destituta vixerat. Toto illo tempore continuis iactata fuerat febribus, lenta quoque interiora aderat phthisis ac marcor hecticus: accesserat hydrops, ac tam vehemens hepatis inflammatio & ardor, vt etiam trans stragula adstantes is afflaret, & ipsa etiam induſia adureret (adeò intensus erat) quod fidem propè superare videtur. Ego ipsa è medico scisitata sum, num verè huiusmodi illa tum morbis laborarit: qui etiam non mediocriter obstupescebat præter hæc, demum articularis eam in manibus æquè ac pedibus morbus cruciabat.

Ecce autem in glorioſi Martyris Sebastiani peruigilio, quod tunc in Sabbatinum diem incidebat, tam perfecta & plena ei reddita sanitas est, vt, ne miraculosa illa res in populum innotesceret, ipsa nesciret quomodo eam tegeret. narrauit porro, Domino valetudinem sibi reddente, tanto se tremore subitò introrsum fuisse correptam, vt in supremo eam vitæ agone versari crederet soror. vidit verò ipsa magnam in corpore suo mutationem, quin & aliam in anima; adeò scilicet illa in melius profecit. Adhæc noua hæc valetudo & sanitas magis ipsam recreabat, quòd hoc pacto monasterij fundationem procurare sibi iam liceret, quàm priùs ipsum desiderium patiendi. Nam iam inde ab initio, quo eam Dominus ad se vocauit, talem ei sui ipsius abnegationem & detestationem indidit, parui vt omnia faceret. simul etiam asserit, tam vehemens se in animo patiendi desiderium sensisse, vt Deum enixissimè & ex animo rogaret, vt omni genam sibi patiendi materiam suggereret. In quo petitioni & postulatis ipsius diuina Maiestas morem gessit; etenim illo, quo dixi, octennio plusquam quingenties illi aperta vena est, vt taceam pluries admotas ei cucurbitulas cum scarificatione, cuius indicia & cicatrices in corpore etiamnum existentes satis id ipsum produnt. In cuius plagas etiam sal subinde iectus, quòd salutare & vtile id medicus quidam censeret, ad virulentiam & acrimoniam, quam lateris quidam dolor causabatur, eliciendam. plus quam vicies hoc ei remedium adhibitum est. Id porrò magis in ea mirandum, quòd, cum medicus aliquo dè pœnosis hisce remediis adhibẽdum pronuntiaret, ipsa interim

priùs anima non concideret, ſed magna cum auiditate ac deſiderio tempus illud exſpectaret, quo ipſum erat executioni mandandum. quin & ipſoſmet medicos exſtimulabat & incitabat, præſertim cùm cauterio caro illi eſſet inurenda, quod ob gangrenam & alios id genus morbos ſatis erat frequens. Cauſam, ob quam hæc omnia deſideraret, eam eſſe dicebat, vt probaret & periculum faceret, num quæ martyrio finiendi vitam, habebat deſideria & voluntas, vera forent.

Vt ergo ſe valetudini reſtitutam conſpexit, Confeſſario & medico ſuaſit, aliò vt ſe conduci facerent, vt vulgò crederent homines, aëris cælique mutationi valetudinis recuperationem aſſcribendam. Sed id illi vetabant; imò verò medici rem propalarunt: quòd de eius valetudine iam antè deſperaſſent, quia tam putrem identidem exſpuebat ſanguinem, vt pulmonum particulas exſpuì cenſerent. Triduo ipſa in lecto hæſit, quòd ſurgere non auderet, ne quis rem intelligeret; ſed quia tam ſanitas, quam infirmitas, celari nequit; hinc omnis illius conatus & ſimulatio fruſtranea fuit. Narrauit ipſa mihi, ſe, cùm menſe Auguſto ſuperiore Dominum precaretur, vt vel ingens hoc vitæ religioſæ cænobijque condendi à ſe deſiderium auferret: vel aliqua eius perficiendi rationem ſuggereret; certam de valetudine recuperanda intus factam eſſe, quò confirmato corpore per quadrageſimales ferias facultatem ipſa impetratura in curiam abiret. Addidit præterea, toto illo tempore, tametſi morbi & languores indies etiam ingraueſcerent, numquam ſe, quam à Deo acceperat recuperandæ valetudinis ſpem, deponere potuiſſe. Et, tametſi bis, extrema vnctione eſſet inuncta (& quidem ſemel in ita præſenti mortis diſcrimine, vt diceret medicus, fruſtra Curionem ad vngendum aduocari, cum ante illius aduentum ipſa eſſet exſpiratura) ſemper tamen confidebat & in Domino ſperabat, fore, vt Religioſa moreretur. Non dico autem, illam iam inde ab Auguſto illo ad vſque S. Sebaſtiani feſtum, bis hoc extremæ Vnctionis Sacramentum ſuſcepiſſe; ſed priùs.

Fratres illius & conſanguinei, vt gratiam & miraculum quod in ea Dominus erat operatus, tam inexſpectò ei ſanitatem reddendo, perſpexere, iter illius & profectionem impedire noluere, tametſi ſtolidum id illis & diſſentaneum videretur. Trimeſtri in curia hæſit, nihil dum impetrans; at poſtquam Regi libellum ſupplicem ſuis ipſa manibus obtulit, is, cognito Diſcalceatis Monialibus erigendæ, ſedis copiam peti, eam illi confeſtim dari imperauit.

Porrò

Porrò quod ad Monaſterii fundationem ſpectat, ſatis eam, nonniſi Deo operante & peragente perfectam fuiſſe videre fuit, quòd eam Superiores, cùm & locus procul eſſet diſſitus, & reditus perexiguus, admittere voluerint. Quòd enim Maieſtas illius fieri vult, non poteſt non fieri & executioni mandari. Quapropter anno M. D. LXXIV. ſub quadrageſimalis ieiunij initia eò ſe Moniales primùm contulere: quas opidani magna cum pompa, hilaritate & ſupplicantium ritu excepere. Omnibus porro in generali magna propterea oborta lætitia eſt; nam, etiam ad paruulos vſque, nemo non videbat opus eſſe, quod ad Dei optimi maximi gloriam mirificè faceret. Monaſterium porrò, quod à S. Ioſepho Saluatoris nomen traxit, hac ipſa Quadrageſima, die Sancti MATTHIAE natalibus ſacro fundatum eſt. Eadem quoque die ambæ ſorores ſacrum religionis habitum ſuſcepere. CATHARINAE porro valetudo indies fiebat melior ac robuſtior, eius autem demiſſio animi, parendi voluntas promptiſſima, & vt ab omnibus vilipenderetur deſiderium, ſatis ſignificant, eius deſideria vera fuiſſe, & ad Domini obſequium tetendiſſe. Sit ipſe benedictus in ſæcula.

Eadem quoque mihi inter alia multa narrauit, ſibi ab hinc annis viginti, cùm ſe ad nocturnam quietem compoſuiſſet, animo accuratè ſoliciteque verſans, quænam in mundo Religio maximam vitæ perfectionem ſectaretur, vt illi repertæ ſe totam ipſa deuoueret, ſomnianti hoc viſum exhibitum. Anguſtiſſimum per callem incedere ſe putabat, præcipitijs & voraginibus horrendis vndique obnoxium inter hæc Religioſum de Diſcalceatorum cætu conſpicit (cùm autem F. Ioannem de Miſeria, Fr. Laicum Ordinis huius, qui Veaſium excurrit cùm ipſa ibidem agerem, conſpexiſſet, hunc eumdem ſibi videri ait, qui aliàs ſibi inter ſomniandum apparuerat) ſibiq; decentem audit, *Mecum veni ſoror.* quo dicto, quamdam in domum ab illo conducitur, in qua ingentem Monialium multitudinem vidit nulla porro domum hanc illuſtrabat lux, quàm quod à candelis ardentibus, quas manu illæ geſtabant, lumen promicabat confeſtim ab eiſdem ſciſcitatur, ecquodnam vitæ inſtitutum profiterentur. Nulla verbum illi reſpondit; ſed omnes velum capitis attollentes, ore blando ac renitenti riſerunt. Et certiſſimo aſſerit, eoſdem ſe tunc vultus notaſſe, quos habere videtur eas quas hactenus conſpicata ſorores eſt. Reliquarum verò præfecta, ipſius manu arrepta, ait: *In hunc tu cœtum coopta re volo filia*: ſimul vitæ quam

Viſio admirabilis.

profitebantur, leges & Conſtitutiones exhibens. Interim ipſa tanto animi gaudio delibuta ſomno expergiſcitur, vt ſe inter Cælitum choros & iubilos verſatam crederet. ceterùm quidquid ex oſtenſis ſibi in viſo Conſtitutionibus memoria inſculptum hæſerat, ad animum reuocatum ſcripto commiſit. Multum porro effluxit temporis antè, quàm horum quidquam Confeſſario, aut mortalium cuipiam aperiret. Et nemo erat, qui & hoc de inſtituto aut Religione quidquam diceret. Cùm ergo iſthuc in opidum quiſpiam de Societate IESV Sacerdos, qui omnium illius deſideriorum probè conſcius erat, fortè poſt appuliſſet; huic ipſa quidquid in ſcriptum retuliſſet, haud grauatè oſtendit, ſeque beatiſſimam fore ſignificauit, hanc ſi ſibi Religionem inuenire contingeret: fore enim vt ſe quamprimùm huic dedicaret. Is porro horum cum monaſteriorum notitiam haberet, Ordinem illum eſſe B. Virginis de monte Carmelo, ei dixit: tamen id illi tam clarè ad intelligendum non aperiret: ſed illorum ei Monaſteriorum, quæ ego tum fundabam, mentionem faceret. His igitur compertis mihi, vt ſuprà ſignificatum eſt, litteras & nuntium miſerunt. Quo autem tempore reſponſum meum accepit, adeo grauiter ægrotabat, vt ſpiritualis illi Pater perſuaderet, hac vt cura ſepoſita, de iſthoc inſtituto amplectendo vltra non ageret: nam eſto etiam hunc in cætum ad lecta iam eſſet, ex eo dimittendam videri, nedum iam admittendam. Hæc illam dehortario cùm non parum affligeret, feruentes in preces effuſa & anxia, ſic Dominum eſt precata: *Domine & Deus meus, te ſcio eſſe qui omnia potes. eia ergo animæ meæ vita, aut hoc à me deſiderium amoue, aut eius adimplendi mihi viam modumque oſtende.* Magna hæc cum fiducia proferebat, Beatiſſimam Dei Matrem, per eum quem tum, cùm filium ſuum dilectiſſimum mortuum, gremio ſuſtinuit, ſenſit dolorem rogans, pro ſe vt apud Dominum intercederet. Vnde ei introrſum in animo in hæc verba vox accidit: *Crede & exſpecta: ego enim ſum qui poſſum omnia: ſanitatem recuperabis: qui enim efficere potuit, ne tot tantæque ægritudines, quæ ex ſe mortales erant, vllum vitæ tuæ detrimentum inferrent, multò minori eas negotio à te poterit auferre.* Tanto autem ſibi aiebat verba hæc robore & certitudine dicta fuiſſe, nullatenus vt dubitare poterat, quin votorum ſuorum futura eſſet compos, tametſi aliæ plures, tum & maiores in eam ægritudines ingruerent, quoadusque plenam ei Dominus (prout dictum eſt,) ſalutem daret. Sanè quæ hoc in euentu circa ipſam contigere, incredibilia propè ſunt, &, niſi ipſa medicum, eiuſque domeſticos & alios interrogaſſem (adeò ſcilicet ego improba

proba sum) res certè erat huiusmodi, vt non multum quis peccasset, si aliquam in narratione eius exaggerationem permissam fuisse crediderit. Tametsi autem imbecillis & infirma sit, vires nihilominus iam habet ad regulam seruandam, & corpus satis firmum; præterea magna animi est hilaritate, & singulari in omnibus (vti iam antè notatum est) humilitate prædita, quæ omnibus nobis egregiam Dei dilaudandi materiam suggerit. Ambæ verò tam perfectè integréque suas sine vlla contradictione fortunas Religioni consignarunt, vt, etsi deinde in ipsam non cooptarentur, nullum tibi esset ius eas repetendi, aut vllam propterea mercedem poscerent. Magna in seniore relucet abnegatio tum consanguineorum tum patriæ; vnde etiam semper procul ab eis abesse desiderat; & hoc ipsum etiam enixè à suis Superioribus contendit. tanta tamen & tam singularis eius est obedientia, vt Veasij etiam cum gaudio commoretur. Hæc quoque in causa fuit, cur monialium chorum frequentantium velamen sumpserit; omnimodis namque petebat, non in illarum, sed ministrantium sororum numerum ascribi. vsque dum meam illi sententiam perscripsi, multa ad hoc argumenta adferens, quin & eam increpans, quod non ea qua oportebat, promptitudine Patri Prouinciali pareret: neque enim hoc maioris meriti materiam esse & alia id genus depromens, asperius eam habendo. Hæc verò loquendi ratio ei longe gratissima est, nam gaudet summopere cum increpatur. Sic demum ad hoc potuit induci, tametsi contrarium quam maxime vellet. Nihil de hac anima audio vel intelligo, quod non eo referatur, vt Deo sese gratam exhibeat: atque idem reliquarum omnium de ea iudicium est. Dignetur eam Maiestas ipsius in hoc proposito confirmare, eiusque virtutes & gratiam, quam ei contulit, ad maiorem gloriam & obsequium suum indies adaugere. Amen.

Caput XXII.

Hispalensis conventus à S. Iosepho appellati fundatio describitur. Primum in eo sacrum ipso SS. Trinitatis festo, anno Domini M.D.LXXV. celebratum est.

Veasij cum agerem, Concilij Commendatariorum facultatem, ad Caruacæ fundationem inchoandam, exspectans, illuc ad me visitandum appulit quidam Ordinis nostri Discalceatorum Pater,

Hieronymus Gratianus Discalceatis aggregatur, & eius elogium

Hieronymus Gratianus de Matre Dei vocatus, qui non ita pridem Compluti cum ageret, in Ordinem noſtrum cooptatus erat. Vir erat egregiè doctus, ſummi ingenij, & cumprimis modeſtus, & toto vitæ ſuæ tempore tam continuus virtutum omnium cultor & amator, vt in renouatæ primigeniæ Carmelitarum regulæ & Ordinis huius bonum B. Virgo eum ſelegiſſe videatur. Hic Compluti habitans, ab Ordinis noſtri habitu aſſumendo ſatis erat alienus, eſto non à vita Religioſa profitenda. etſi enim parentes ipſius, quod gratia & beneuolentia apud Regem valerent, & præclara omnia filij indoles polliceretur, quid aliud intenderent, ipſe tamen alia longe ſpectabat. Pater eius, qui Regi à ſecretis erat, volebat vt calamo rem ageret, & non militiæ aſſueſceret, eumque proinde ſibi in ſecretariatus officio ſucceſſorem deſignabat. At ipſe, quod ætate adhuc eſſet iunior, adeò huc non propendit, vt magna lacrymarum vi effuſa ab eo impetrarit, vt Theologiæ ſibi operam dare liceret. Animum is iam ad Societatem IESV applicarat, quin etiam in eamdem iam cooptatus erat, ſed, neſcio qua de cauſa, illius ingreſſum ad dies aliquot differendum cenſuere. Narrauit is mihi, omnes quæ ſibi occurrebant delicias & recreationes, ſemper ſibi graues & pænoſas fuiſſe, quod hæc ſibi via ad cælum minimè conducere, neque tuta eſſe videretur. Semper autem ſtatas ſuas orandi ſeruabat horas, & ordinariam mentis recollectionem, eratque honeſtatis ſeruandæ per omnia ſtudioſiſſimus. Eodem porro tempore ſummus quidam amicus eius Paſtranæ Ordinis noſtri habitum aſſumpſit, S. Theologiæ etiam Doctor, F. Ioannes de Ieſu cognominatus. Neſcio autem an hanc ob cauſam, aut quod de Ordinis noſtri magnitudine, excellentia & antiquitate tractatum ſcripſiſſet, erga eumdem affici cæpit. Etenim tam illi volupe erat, omnia quæ ad ipſum ſpectant, legere, & hæc ipſa illuſtrium auctorum teſtimonijs comprobare, vt ſæpè ſcrupulos conſcientiæ ſenſiſſe ſe diceret, quòd alia maioris momenti ſtudia & electionem intermitteret, quod ab hiſce auelli non poſſet; vt omnes recreationis ſuæ horas his ſolum impenderet.

O Sapientiam & potentiam Dei! quam ipſi parum effugere & diuertere poſſumus id, quod ipſe fieri vult! Videbat Dominus, quantopere opus hoc quod Maieſtas ipſius inchoarat, huiuſmodi viro opus haberet. Equidem frequenter ob gratiam & beneficium in hoc nobis datum eum laudo ac celebro: etenim ſi ſumma

cum

cum contentione & enixè Maieſtatem eius rogare voluiſſem, talem & Ordini virum daret, qui ſub hæc primordia, omnia quæ ad eum ſpectarent diſponeret ac dirigeret; tantum ab eo petere virum neſciuiſſem, quantum in iſthoc nobis dedit. Sit ipſe propterea in æternum benedictus. Cùm ergo nihil minùs quàm de Ordine hoc capeſſendo cogitaret, rogatus eſt vt paſtranam, cum conuentus noſtri illic Præpoſita (nondum enim is conuentus diſſolutus & translatus erat) acturus, vt Virginem illa quamdam in familiam ſuam cooptaret, ſeſe conferret. Quæ non diuina Maieſtas media vſurpat! forſitan enim, ſi illuc ſe ad habitum Religioſum ſumendum conferre decreuiſſet, tam multi ei aduerſati fuiſſent, numquam vt id perficere potuiſſet. Sed Beatiſsima Virgo MARIA, cuius ille indefeſſus eſt cultor & perſtudioſus, ſibi impenſum obſequium non aliter ei remunerari voluit, quàm ſuum ei veſtitum elargiendo. ipſam proinde mediatricem fuiſſe exiſtimo, quo hanc ei Dominus gratiam præſtaret; nec non in cauſa fuiſſe, vt & ipſe hunc aſſumeret, & tam bene erga Ordinem eius ſemper affectus fuerit. noluit enim, vt tam ardens ei ſeruiendi deſiderium habenti, ad ipſum opere exequendum deeſſet occaſio. Illi namque ſolemne & ordinarium eſt, opem & auxilium præſtare illis, qui ſub ſuum præſidium confugiunt. Madriti puer cùm ageret, ſæpè quamdam B. Virginis imaginem, erga quam peculiari quodam affectu ferebatur (quæ vbinam eſſet, non recordor) ſalutatum abibat, eamque dominam & amicam ſuam nuncupare ſolebat; eamque quàm frequentiſſimè viſitabat. Munditiem illam & caſtitatem, quam ſemper vſque dum vixit, is coluit, ipſa hauddubiè illi à filio impetrauit. Dixit, viſam ſibi ſubinde imaginem illam oculos lachrymis ſuffuſos, ob plurimas quæ aduerſus filium ſuum committuntur offenſas, habuiſſe. Hinc magnus quidam in eo impetus & deſiderium animarum iuuandarum, nec non intenſus ac vehemens, cum in Deum videret peccari, animi dolor & ſenſus naſcebatur. Itaque erga proximi animarum bonum propendet, vt omnis ei labor, ſi aliquid per eam ſeſe proficere poſſe ſperet, illarum cauſa ſuſceptus perexiguus eſſe videatur. hoc ipſa per experientiam & reipſa in multis laboribus quos ſubijt, perſpexi.

Cùm ergo BEATA VIRGO Paſtranam eum velut circumuentum conduxiſſet, (putabat namque ipſe illuc ſe ad Monialì cuidam veſtem impetrandam abire) ecce Dominus ita rem diſpoſuit, vt eam ipſemet ibidem ſumpſerit. O ſecreta

iudicia

iudicia Dei: & quomodo, nolentes nos disponit, vt nobis gratiam conferat, & animæ illi bona quæ fecit opera, atque ædificatiuum, quod semper dederat vita sua exemplum, nec non intensum quo glorioſæ eius matri famulari volebat, desiderium remuneraretur! etenim Maiestas eius hæc semper maximis quibusdam muneribus & præmijs iudubiè compensare solet.

Pastranam ergo cùm appulisset, Præpositam est, vt Virginem illam in suum contubernium admitteret, allocutus; imò verò cum ea egisse videtur, vt apud Dominum ipsa precando efficeret, quo ipse in Ordinem posset admitti, vt primum ipse cum ea agere cæpit. etenim tam suauis & blanda eius conuersatio est, vt plerique qui cum eo agunt, eum diligant (est hoc gratia à Domino dari solita) vnde etiam ab omnibus Religiosis ac Monialibus ipsi subditis summopere amatur. Nam tametsi nullum delictum impunè esse sinat (etenim de Religionis & Ordinis incremento semper sollicitus est quàm maximè, inque eo procurando assiduus) nihilominùs eam morum suauitatem & lenitatem præfert, vt nullus aliquam de ipso conquerendi occasionem habere posse videatur. Cùm igitur idem huic Præfectæ accideret, quod alijs omnibus, summopere desiderauit, vt Ordini ipse huic nomen daret. Hoc ergo desiderium Monialibus suis patefecit, vt viderent scilicet etiam atque etiam, quanti hoc sua interesset (tunc namq; admodum paucos, & penè nullum ei similem Ordo vniuersus virum habebat) ac Dominum precibus inducerent, ne illum inde digredi pateretur, nisi habitu Carmelitano assumpto. Hæc autem Priorissa insignis & feruens Dei ancilla est; vt, etiam eius vnius orationem à Deo exaudiri dignam fuisse censeam, quanto verò magis, tot sanctarum animarum, quæ ibidem congregatæ erant? Nulla non hanc in se prouinciam suscepit, & ieiunijs, corporis castigationibus, & feruentibus orationibus diuinam Maiestatem continenter fatigabant: Vnde etiam eam induxere, vt hanc nobis gratiam faceret. Vt enim P. Gratianus Conuentum Fratrum adijt, tantamque ibidem vigere religionem vidit, nec non tam insignem Domino seruiendi occasionem ac materiam (atque imprimis, quod Ordo esset glorioſissimæ eius Matri, cui ille vsque adeò famulari auebat dedicatus) cor illius cæpit adamplius in mundum non reuertendum emoueri. Et, quamuis multas ei cacodæmon econtrà difficultates & remoras obijceret, atque inprimis quem ipse dolore & cruce suis allaturus esset parentibus, qui vsq; eo ipsum diligebant, quemque liberis suis (quos habebant in vtroq; sexu plurimos) aliquando consulturum & auxilio futurum certissimo sperabant; attamen ipse, hanc Deo, cuius causa relinquebat reliqua omnia,

curam

curam committens, Virginis esse famulus, cliens & Religiosus; eiusque habitum assumere apud se firmissimè constituit. Quare hunc etiam magno vniuersorum, ac præsertim Præpositæ & Monialiũ omniũ plausu ac gaudio suscepit: vnde hæ Domino summas identidem agebant gratias, quod suis hoc Deum Opt. Max. beneficium precibus & orationibus contulisse existimarent. Toto tirocinij sui tempore eam humilitatem & abiectionem prætulit, quam etiam nouitiorum minimus. Inprimis verò eius virtus eluxit & probata est tum, cum illius loci Priore absente, frater quidam admodum iuuenis, vix doctus, & pauciſſimis naturæ dotibus, nec vlla ad regendum prudentia instructus, & sine vlla experientia (etenim nonnisi pauculis annis in Religione vixerat) ipsi in Rectorem & Præsidem datus est. Vix credat quis, quam is suos rigidè haberet, quibus eos austeritatibus & mortificationibus attereret: & quoties id mecum recogito, obstupesco, quomodo eas subditi ferre possent, præsertim similes viri; adeo vt spiritu illo, quem illis dederat Deus, ad illas sustinendas, sanè opus esset. Vnde etiam exinde patuit, Religiosum illum melancholicæ passioni valdè obnoxium fuisse; adeò quidem vis, vbicumque agat, etiam subditus, fratribus suis molestus & grauis sit, quanto verò magis cum alios regeret; eò quod melancholicus illi humor valde dominetur. Ipse quidem bonus Religiosus est; Deus verò subinde permittit, talis vt error committatur, tales inquam homines gubernaculis admoueantur, vt ij quos ipse amat, in obedientiæ virtute exerceantur ac perficiantur. ita hic factum fuisse, verisimile fit. Vnde in huius rei meritum, maximam Deus lucem in rebus ad obedientiam spectantibus P. Hieronymo de Matre Dei contulit, ad suos postea subditos instituendos, vtpote qui tam bona habuit ad in ea sese exercendum, principia. Vt verò in omnibus quæ nobis opus sunt, aliquam haberet experientiam, vtque per omnia probatus foret, trimestri antè, quam professionem votorum emitteret, maximis exagitatus fuit tentationibus; at ipse, tamquam strenuus filiorum B. Virginis Mariæ ductor futurus, egregiè illas superauit & victor euasit: nam cum illum cacodæmon maximè & vehementissimè inducere satagebat, vt habitum assumptum exueret, ipse econtra votum faciendo sese illum non dimissurum, quin imò vota ipsa concipiendo, illius vim & potentiam eludebat. Mihi quoque deinde tractatum, quem durantibus illis tentationibus conscripsit, legendum dedit, qui magnum sanè deuotionis spiritum in me excitauit; simul etiam ex eo apparet, quo eum Dominus modo in tentationibus expugnandis corroborarit.

Videbitur fortaſſe cuiquam veſtrum ineptum & abſurdum, quòd tot animæ ſuæ ſecreta & particularitates ipſe mihi aperuerit: forſitan id fieri permiſit Dominus, vt hoc illa loco ipſa commemoratem, vt ipſe ſuis in creaturis laudetur & celebretur: noui enim, ipſum ne Confeſſario quidem ſuo, aut cuipiam alteri tantum, quantum mihi, eorum patefeciſſe. Subinde aliquâ ad hoc faciendum habebat occaſionem, quod ei, tum ob prouectiorem meam ætatem, tum ob ea quæ ex alijs de me audiebat, aliquam rerum habere videretur experientiã. Aliarum rerum, de quibus agebamus, occaſione hęc aliaque mihi aperiebat; quæ tamen non eſt opus hoc loco deſcribere, ne æquo ſim longior. & certè adhuc multum me ipſa inhibui, ne, ſi fortè hæc aliquando in illius manus incidant, aliquam ei propterea moleſtiam pariam. Reuera minùs facere non potui, & nefas putaui, eius qui huic primigeniæ Regulæ renouationi tantopere contulit & præfuit (cùm antequam hæc in manus illius incidant, adhuc valde diu futurũ ſit) memoriam non facere aut recordari. Etſi enim is primus non fuerit, qui eam inchoauit, aliquando tamen fuit, cum malè me haberet, quod eadem eſſet inchoata, niſi tam magnã de Dei miſericordia ſpem ac fiduciam habuiſſem. Loquor autem de conuentibus Fratrum: etenim conuentus Monialium, quæ eius bonitas & benignitas eſt, hactenus ſemper felicem progreſſum & ſucceſſum habuere: quin & fratrum domus non malè procedebant, ſed tale habebãt fundamentum ac principium, vt propediem prolapſuræ viderentur: quod enim per ſe ipſæ ſingillatim Prouincialem non haberent, à Patribus Calceatis regebantur. Porro qui eas regere potuiſſent, qualis erat F. P. Antonius de Ieſu (is inquam qui rem exorſus erat) plenam hanc poteſtatem non habebant, neque etiam Conſtitutiones à Reuerendiſſimo Patre Noſtro Generali datas ſtabilitaſque habebant. Nam in ſingulis conuentibus fratres agebant, quod ipſis bonum & expediens videbatur; qui, vſque dum ab aliquo ſuæ profeſſionis & Regulæ regerentur, maximas paſſi ſunt difficultates. hoc enim huic, illud illi placebat & ſequendum videbatur. quod certè me non rato, mirum in modum cruciabat. Cui rei & inconuenientiæ Dominus per P. F. & Doctorem Hieronymum de Matre Dei ſuccurrendum putauit: hic namq; Commiſſarius Apoſtolicus mox eſt creatus, plenamque & abſolutam auctoritatem & poteſtatem ſuper omnes Diſcalceatos & Diſcalceatas accepit; quin & in illorum vſum Conſtitutiones condidit: quòd enim nos Moniales, eas iam tum à Reuerendiſſimo Patre Generali accepiſſemus, nullas pro nobis concepit, ſed pro illis, idque vi poteſtatis ab Apoſtolica Sede acceptæ, nec non per præclara naturæ talenta, quæ vti iam ſu-

iam ſuprà retuli, à Domino acceperat. Vt primum eos viſitauit, omnia tam bonum in ordinem & ſtatum redegit, ſatis vt appareret, eum à diuina Maieſtate adiuuari, & à Beatiſſima Virgine Deipara delectum, qui Ordinis ipſius negotia curaret. Illam igitur ego ſupplex rogo, apud filium vt efficere dignetur, vt is eum aſſiduè foueat, iuuet, promoueat, ſimul & gratiam det, ad in illius obſequio ſemper vlterius progrediendum. Amen.

Caput XXIII.

Fundationem Conuentus Hispalenſis proſequitur.

Antequam ergo P. M. F. Hieronymus Gratianus de Matre Dei Veaſium ad me videndum excurriſſet, eum de facie non videram, tametſi id ſummopere hactenus deſideraſſem: quamquam inuicem aliquoties per litteras allocuti eſſemus. Vt ergo cognoui eum illic adeſſe, maximopere ſum gauiſa; valdè enim eum videre optabam, quòd tam præclara de ipſo & ſalutaria inaudiſſem. at magis gauiſa ſum tunc, quando coràm cum eo tractare cæpi: ita namque mihi is placuit, vt, qui illum apud me dilaudarant, ſatis adhuc eum perſpexiſſe non viderentur. Cum autem ipſa tum varijs afflictionibus & vexationibus oppreſſa eſſem, certè vt illum primum vidi, omne, quod illius opera nobis euenturum eſſet bonum, repræſentare mihi Dominus videbatur: adeò vt omnibus illis diebus tantam tamque exceſſiuam in animo meo conſolationem & gaudium ſentirem, vt me ipſa reuera ſtuperem. Illius Commiſſariatus nonniſi ſuper Conuentus Bæticenſes tunc quidem extendebatur; at Veaſij verſantem ad ſe Legatus Apoſtolicus euocauit, ſimulque Caſtellanæ Prouinciæ Diſcalceatorum Viſitatorem eſſe iuſſit. Tantò porro ſpiritus meus tunc exultabat gaudio, vt Domino gratijs agendis per dies illos ſatiari non poſſem, & aliud quid facere nollem. *S. Mater P. Gratianum videre & audire optat.*

Hoc ipſo tempore ſubmiſſa fuit facultas ad nouum Carauacæ conuentum fundandum; ſed longè ea alia, quàm ad meum propoſitum & intentum neceſſaria erat, vnde de nouo nuntius ad curiam mittendus fuit. Graue mihi ac tædioſum cum primis erat tanto illic tempore exſpectare; vnde in Caſtellam redire conſtitui; iam tum enim fundatricibus ſcripſeram, nullatenus eum, niſi certa quædam particularitas, quæ facultati deerat, concederetur, fundandum. Vnde denuo ad aulam mitti nuntium oportuit. Quod autem P. Hieronymus Gratianus, cui monaſterium illud iam tum ſubiectũ erat, quod totius Prouinciæ

Bæticæ Commiſſarius eſſet, ibi tum verſaretur, nihil ſine eius voluntate fieri aut decerni poterat: vnde rem totam cum eo communicaui. Illi porro videbatur, fore, vtſi ſemel inde diſcedere & abire me contingeret, fundatio Carauacenſis penitus concideret; adhæc, non parum ad Dei gloriam futurum, ſi Hiſpali conuentus quidam conſtitueretur: quòd ei haud difficile futurum videbatur, eò quòd quidam auctoritate pollentes & opibus, etiam domum ſtatim conſignare parati hoc ipſum ab illo petiſſent. Adhæc quòd Archiepiſcopus ſingulari Ordinem hunc ſtudio complectebatur, rem longè gratiſſimam illi ſeſe facturum hac ratione exiſtimabat. vnde ſtatutum eſt, vt cum Prioriſſa & Monialibus, quas Carauacenſi ſedi deſtinaueram, Hiſpalim concederem, tametſi animo à conuentibus in Bætica fundandis, varias ob cauſas, ſemper fuerim alieniore. Imò verò, ſi, cum eſſem Veaſij, priùs opidum illud in Bætica eſſe intellexiſſem, minimè illuc conceſſiſſem; quod autem me decepit, eſt, quòd, quamuis opidum, & ager Bæticenſis iuris non ſit, quod non niſi quatuor aut quinque inde leucis initium habet, ab ipſo tamen ipſa prouincia dependeat. Vt tamen vidi Superiorem huius animi eſſe, ilico eiuſdem iudicio ſententiæque acquieui. hanc namque mihi Dominus gratiam facit, vt Superiores ſemper & in omnibus bene mandare & ratione niti cenſeam; tametſi aliam fundationem iam molirer, & rationes prægnantiſſimas haberem quo minùs Hiſpalim adire vellem.

Hiſpalenſis Conuentus fundandi occaſio.

Statim ergo omnia quæ ad iter hoc neceſſaria erant, præparari cæpere, quoniam æſtiui calores ingruebant, & iam Pater Commiſſarius Apoſtolicus Gratianus ad Nuntium abierat: vnde cum ſolitis comitibus meis, P. Iuliano de Auila, Antonio Gaitano, & fratre quodam ex Ordine Diſcalceatorum, & aliquot Monialibus Hiſpalim contendi. Curru vehebamur prorſus tectæ; hæc namque erat noſtra per vias incendi conſuetudo: cùm verò in hoſpitium veniſſemus, cubiculum aliquod, commodum vel incommodum, occupabamus, & ad eius ianuam ſororem collocabamus, quæ quibus opus habebamus, intro ferebat; imò verò nec illi qui nos comitabantur, illuc ingrediebantur. Omni qua potuimus, feſtinatione vſi, Hiſpalim die Iouis ante Dominicam SS. Trinitatis appulimus, cùm intenſos per viam æſtus & calores ſenſiſſemus. Nam (quamquam diebus feſtis à viando abſtinebam) dico vobis, cariſſimæ, quòd, cùm ſol radijs ſuis currus ita intensè & iugiter feriret, in illis, quaſi in Purgatorio, agere videbamur. Subinde de inferno cogitabāt, aliàs ex amore Dei, aliquid & facere, & pati proponebāt ſorores, itaq; cū gaudio & animi iucūditate iter cæptum

Quā itineris rationē Diſcalceata ſeruarent.

Quæ in itinere Hiſpalenſi S. Mater tulerit incōmoda.

ptum prosequebantur: sex enim illæ, quæ me comitabãtur, tã bonæ & feruentes erant, vt mihi cum illis etiam ad regiones Turcarum proficiſci anſura videar, & ipſæ ad mortem pro Domini nomine patiendam vires habituræ, aut (vt melius dicam) eas ab ipſo accepturæ. Hæc namque illarum erant deſideria, & aſſidui ſermones; adhæc erant in orationis & mortificationis ſtudio cumprimis exercitatæ; quòd enim ibi procul ab alijs conuentibus erant futuræ, illas expreſſim in hanc ſedem deligere ſtudui, quas magis ei commodas futuras, & meliùs ei quadraturas exiſtimabam. Et tales certè eas eſſe oportuit, pro ratione difficultatum & procellarum, quas hoc in loco ſubiere: quarum aliquot, & quidem maximas, hic tacebo & referre omittam, eò quòd aliquas particulares perſonas fortaſſis notarem.

Inter alias ipſarum moleſtias & vexationes, fuit illa non poſtrema, quod me pridie feſti Pentecoſtes ardentiſſima occuparit febris. Illarum ad Deum clamores & preces in cauſa fuiſſe autumo, vt malum illud vlteriùs non increuerit, nec ingraueſceret: numquam enim me in vita talis occupauit febris, quin ſemper vlteriùs ea progrederetur, & aliud ex ſe malũ cauſaretur. Erat ea huiuſmodi, vt, prout quidem mei tunc impotens eram, lethargo & phreneſi laborare viderer. In mali lenimentum aqua me ipſæ conſpergebant. Sed hæc ita ſolis æſtuabat ardore, vt perexiguum ex ea ſentirem refrigerium. Non poſſum, quin vobis hic referam, quàm incommodum hac in neceſſitate nacta ſim hoſpitium: aſſignatum namque in eo nobis fuit paruum quoddam cubiculum ſub tecto ſitum, nullam prorſus habens feneſtram; cuius ſi hoſtium aperiretur, omnis mox ſolis æſtus eodem penetrabat de foris ingrediens. Credatis autem oportet, ſolem longè æſtuantiorem & intolerabiliorem hic eſſe quàm in Caſtella ſit. Tali verò in lecto Moniales me collocarunt, vt in ſolo cubare & humi maluiſſem: eius namque ea erat inæqualitas, vt, cùm hinc in altum tumeret, illinc profundum deprimeretur, acutiſsimis conſtratus è ſaxis videretur. Quid nõ eſt infirmitas & morbus? nam in bona valetudine omnia toleratu facilia ſunt. Quare ſatius tandem duxi hinc ſurgere, & inde nos abire: præſtare namque mihi videbatur, feruores ſolares aperto in campo excipere, quàm quos anguſtum illud gurguſtium afflabat. Quàm verò miſera illorum, qui apud inferos damnati ſunt, ſors eſt! hi enim numquam ſedem ac ſitum mutare poterunt: nam, quamuis nonniſi ex vna pœna in aliam fiat mutatio & migratio, nihilominus aliquod hæc afferre alleuiamentum videtur. Et ſanè mihi contigit, vt, cùm intenſum in quapiam corporis parte & extremũ dolorem ſentirem, ſi deinde in alia alius æquè intenſus & grauis me opprimeret, aliquod mihi hæc

mutatio ſolatium & lenimen afferre videretur. ſic & hoc loco mihi factum eſt. Nihil verò (quantum quidem recordor) me cruciabat, quòd tali in ſtatu me conſtitutam viderem: at Moniales, comites meæ, longè certè maiorem quam ego dolorem ſentiebant. Placuit autem Domino, vt ipſa morbi vehementia & intenſio nonniſi ad vnum duraret diem.

Antè paulò (an biduo, neſcio) aliud accidit nobis infortunium, quod certè aliquantulum nos ſolicitas & anxias reddidit. Cùm enim Bætis nauigio tranſmittendus eſſet, rectà illo in loco vbi funis ducebat, trajicere cum curribus non potuimus, vnde obliquare, & ad latus deflectere pontonem nonnihil oportuit; tametſi funis obliquantibus ſemper aliquo modo vſui eſſet. ſed cùm qui funem ductilem tenebant, eum è manibus dimiſiſſent, aut (neſcio quo caſu) is illis elapſus eſſet, ecce ſecundo cæpit flumine, aquarum impetu ponto, nullo retinente funè, remis nullis, cum curru noſtro ferri. Nautæ ego vicem magis multo miſerabar, cùm quòd eũ tã afflictim obnitentem viderem, tum quod in præſentiſſimo ageremus diſcrimine. Omnes extemplò trepidi vocem tollebant, nos verò ad precandum Deum conuertebamur. Videbat hæc eminus ex arce ſua vir nobilis, ſubmiſitque de ſuis qui nobis laborantibus opem ferret. nam ne tunc quidem ponto funem penitus amiſerat; at fratres qui nos comitabantur eum adhuc in manu habebant, totis viribus retinere conati; ſed is erat aquarum impetus ac rapiditas, vt licet omnes iunctim obniterentur, nonnemo tamen ſubinde prolaberetur. Magnam certè deuotionem mihi cauſauit ipſe nautæ filius, quem etiam numquam poſſum obliuiſci: puer hic (vt mihi quidem videbatur) decem aut vndecim erat annorum: vt enim hic adeò laborantem & anxium patrem ſuum vidit, ita eius ſortem complorare cæpit, vt ipſa hoc viſo Dominum laudauerim. Sed ſicut nullum Maieſtas illius immittit infortuniũ, quin ſemper ipſius in eo ſe exerat pietas; ita & hoc loco factũ eſt: etenim ponto ne ſe vertente, & in vado quodã arenario ſubſiſtente, quòd ab vna parte modicum eſſet aquæ, periclitantibus alij auxilio eſſe potuere. Præterea hauddubiè à via (quòd iam nox eſſet) aberraſſemus, niſi qui proximo è caſtello venerat, in regiam nos viam reduxiſſet. Non cogitaram hiſce de rebus, quæ parui momenti ſunt, hoc loco tractare, quòd iam alias permultas alibi de incommodis & malis per viam ſucceſſibus commemorarim: vnde certa ſum, mehorum commemoratione tædium legentibus adferre, quòd æquo in illis fuerim diffuſior.

Longè quàm priora hæc, magis me vexauit & afflixit id quod vltimo Pentecoſtes feſto nobis contigit. Summa celeritate tota nocte

nocte vsæ eramus, vt ante lucem Cordubam peruenirem us, itaque sacrificio Missæ interessemus, vt à nemine mortalium conspiceremur. Conducebamur ergo in templum, quod trans pontem situm erat, vt occultiùs in eò lateremus. Iam illum transire parabamus, sed frustra: etenim sine facultate pontem transire curribus nefas erat, & hæc erat ab vrbis præfecto concedenda. Antequam verò illa impetraretur, duæ & amplius horæ effluxere, quòd homines nondum surrexissent: & multi vndiquaque affluebant, visum quales essemus: sed parum hoc curabamus, quòd currus ita obducti essent, vt nemo nos videre posset. Vt verò allata fuit licentia, non poterant currus, quòd latiores essent, per angustam pontis portam transire, vnde eos necesse fuit serra decurtari & transitui aptari. in quo etiam satis multum spatij effluxit. Tandem cum ad templum veniissemus, & P. Iulianus de Auila sacrum celebraturus esset, ipsum hominibus plenum erat, quod locus à Spiritu sancto denominatus esset; vnde de more solennis hic futura erat supplicatio, ac dein verbi diuini prædicatio. quam nos solennitatem ignorabamus. Hæc cum vidi, maximopere indolui, &, meo iudicio, sanè præstitisset, non audito sacro inde discedere, quàm in tam confertam hominum multitudinem nos dare. Verum alterius opinionis erat Iulianus de Auila, &, quod bonus esset Theologus, illius opinioni omnes nos parere & consentire oportuit; hic enim ni fuisset, reliqui comites fortasse meam sententiam secuti fuissent; in quo haud dubiè grauius erassemus, tametsi nesciam, an meam vnius sententiam ipsa essem secuta. Non procul templo exscensionem fecimus: nam, quamquam nostram nemo videre faciem posset, (etenim longis eam velis semper cooperiebamus & tegebamus) satis tamen ad nouitatem, & stuporem spectantium ciendum erat, quod nos velatas, & crassioribus pallijs albis qualia nobis vsitata sunt, amictas, & sandalijs calceatas cernerent; vti reueta fuit. Hæc alteratio & turbatio omnem certè febrim pridianam à me abstulit; nam certè ea tum mihi, tum alijs omnibus nimis quam grauis erat. Porro mihi templum ingredienti vir quidam probus obuiam procedens, seq; viæ ducem præbens, turbam ingruentem submouit. quem etiam rogaui, vt in sequestratum à populi strepitu sacellum nos conduceret: qui nobis in eo morem gessit, eoque occluso recedens, nos rursum inde dum digredi templo voluimus, eduxit. Hicipse non ita multò post Hispalim venit, & cuidam Ordinis nostri Patri retulit, credere se, sibi, ob exhibitum hoc quale quale nobis officium & piam caritatem, nihil minus opinanti opimam obtigisse, Deo dante, hereditatem. Verè vobis dico, carissimæ, quamuis hoc forsan

S. Matrè graui erat ab alijs conspici.

ſan vobis nihil eſſe videbitur, mihi hoc ita graue & pænoſum viſum; vix vt me pœnoſius quid meminerim ſubijſſe; populus enim tanto impetu & tumultu hucingruebat, ac ſi tauri furibundi irruiſſent. Vnde nihil mihi accidere potuit optatius, quàm inde quamprimum excedere; etſi aliam diei tranſigendi commoditatem in vicinia non haberemus; vnde æſtum illius nos ſub ponte quodam vicino apricando declinare oportuit.

Hiſpalenſis cœnuentus cum labore fundatur.

Hiſpalim cum veniſſemus, in domum quam P. Marianus (qui aduentus noſtri iam factus erat certior) nobis conduxerat, conceſsimus. Equidem omne negotium iam tum ex voto confectum opinabar: etenim, ſicut ſuprà inſinuaui, Archiepiſcopus miro erga Diſcalceatos ſtudio rapiebatur; quin etiam interdum me per litteras quam officioſiſſimè compellarat. Nihilominus magnum me hic laborem & vexationem ſubire oportuit; quod Domino id ita videretur. Archiepiſcopus namque à Monialium eſt cœnobijs, quæ certis non conſtarent prouentibus, admittendis maximè alienus, nec immeritò. Hoc autem obfuit (dicam potiùs profuit) ad opus iſtud perficiendum & exequendum: ſi enim rei huius antè, quàm huc appuliſſem, fuiſſet conſcius, facultatem adhoc certè haud quaquam eſſet elargitus. Sed, quoniam P. Commiſſarius & P. Marianus certiſsimè opinabantur, pergratam illi ſe rem facere, quod me huc venire feciſſent (& certè aduentus meus illi quàm gratiſsimus exſtitit) hinc illi de hac re nihil ſignificarunt; &, ſi ſignificaſſent, forſitan, bene ſe facturos ſperantes, maximum in hoc errorem commiſiſſent. Etenim in reliquorum monaſteriorum fundatione ante omnia Ordinarij locorum licentiam obtinere pro more habeo, vti etiam Sacroſancta Tridentina Synodus faciendum præcipit. In hac verò non ſolùm eam vt iam conceſſam ducebamus, verùm etiam (vti iam dixi) inſigne nos Ordinario hac ratione obſequium præſtare (vti reuera etiam præſtabamus) exiſtimabamus: vti etiam poſtea intellexi & comperi. Verùm, nullam omnino Dominus fundationem, ſine magno meo labore & moleſtia, perfici voluit, vt modo quidem hoc, alias alio modo exagitarer.

Vt ergo in domum, quæ nobis (vt dictum eſt) erat conducta, venimus, ſtatim (vti facere ſolebam) eius inire poſſeſſionem cogitabam, vt diuinum in ea recitare officium poſſemus. At P. Marianus, qui rem inchoarat, & illic erat, tergiuerſari, & rationes cur differēda res eſſet cœpit afferre, ac ne me affligeret ac contriſtaret, planè quod res erat dicere nolebat, diſſimulans. at, cùm quas adferebat rationes, ſufficientes non eſſent, ſtatim in quo ſita eſſet difficultas, intellexi, in eo nimirum quod licentiam Archiepiſcopus non dediſſet. Vnde dicere & perſuadere

dere mihi cæpit, vt annuis censibus Monasterium stabiliri permitterem, aut simile quid, cuius non satis recordor. Tandem verò sine vlla dissimulatione dixit, Archiepiscopum non vsque adeò in Monialium monasterij fundationem propendere, atque iam inde ab eo tempore, quo dignitate Archiepiscopali functus esset (functus autem erat ad annos plurimos tum Hispali, tum Cordubæ, estque feruens Dei famulus) nulli se hanc potestatem fecisse, præsertim si sine reditibus ac possessionibus fundandum monasterium esset; ac proinde eam nulli se facturum. Quod perinde erat, ac dicere, ipsum planè non fundandū. Mihi id admodū molestum & graue erat, Primò, q̃ in ciuitate Hispalensi res ageretur (quam quā id facere potuissem, si voluissem:) quia si in monasterijs nonnullis reditus admissi, in paruis opidis id fuit, quia nisi hi admitterentur, illa fundari non potuissent; quia alioquin, vnde ea alerentur, non suppeteret Deinde, quod post sumptus itineris vnus terminus solum mihi reliquus esset; quin etiam nihil nobiscum tuleramus, præterquam vestes quibus eramus indutæ, nec non aliquot tunicas & calyptras, & alia quæ nobis, dum curru veheremur, ad vultum tegendum vsui erant. vnde etiam, quò comites nostri possent eò vnde profecti erant reuerti, pecuniam mutuatitiam conquirere oportuit, quam amicus quidam, quem Antonius Gaitanus illic habebat, mutuo dedit, quod vero ad suppellectilem domesticam comparandam necessarium erat, P. Marianus mendicato quæsiuit. Adhęc domum propriam non habebamus; adeò vt impossibile videretur conuentum illic fundari. Quare non sine summa dicti Patris rogatione, & velut importunitate factum arbitror, vt Archiepiscopus tandem nos sacrum ipso SS. Trinitatis festo celebrare permiserit: & hoc primum fuit. Vetuit tamen, ne ære campano ad sacra signum daretur, nec ipsum de loco superiori suspenderetur; sed iam antè suspensum erat. Quindecim diebus, & amplius illo in statu res nostræ fuere, adeò vt ipsa statuerim, nisi P. Commissarius & P. Marianus obstarent, cum Monialibus meis, parua admodum cum animi ægritudine Veasium reuerti, quo cum illis Caruacensem fundationem ordirer. Sed multo maiorem illis diebus pressuram habui, sed, quia bonæ memoriæ non sum, hinc non satis recordor quamdiu ea durarit, sed arbitror plus mense durasse; quòd iam tum grauius & peius illi videretur, re infecta nos inde discedere, quàm monasterium iam fundatum esse statim in vulgus innotescere. Numquam verò me P. Marianus permisit ei litteras scribere, sed ipse paulatim verbis blandioribus, nec non litteris Madrito à P. Commissario missis, eum leniuit. Vnum hoc me in conscientia consolabatur & eam tranquillabat à scrupulis, quod primum

Hispalensis canobij adita possessio.

sacrũ bona illius cũ venia celebratũ esset; semper quoque in choro officium diuinũ recitabamus. Subinde quoq; me per aliquẽ visitari iubebat, simul denuntians semel propediem ad me excursurum. quin & vnũ è domesticis Sacerdotibus misit, qui sacrum primum hic Deo offerret. vnde liquidò apparebat, omnem hanc turbationem meam aliò non tendere, quàm vt me anxiam & solicitam redderet. quamquã non tam mea, aut Monialium mearum causa angebar, quàm quòd Patrem Commissariũ anxium scirem. Quoniam enim ipse me illuc ire iusserat, hinc maximopere angebatur, &, si quod impedimentum interueniisset, quàm vehementissimam afflictionem sensisset. Et certe multas adhoc timendum habebat rationes.

Sub idem tempus accessere ad me Carmelitæ Gaudentes, sciscitantes, ecqua tandem auctoritate monasterium hoc fundassem; quibus cum acceptas olim à Reuerendissimo Patre nostro Generali litteras ostendissem, quiescentes vlteriùs inquirere desierunt. si enim scituissent, quàm parum Archiepiscopus erga hoc cœnobium esset animatus, haud dubiè hæ ad illos quietandos & pacandos litteræ satis non fuissent. sed hoc omnes latebat; imò nemo non persuasum habebat, bona illius cum venia & assensu cuncta fieri. Tandem, Deo dante, factum, vt nos ipse visitatum venerit; cui ego eam quam nobis faceret iniuriam, exposui: qui ad extremum facultatem mihi dedit, quidquid statueram exequendi; quin & deinceps, si qua poterat, & quæcumque se dabat occasio, semper se beneuolum, ac partium nostrarum fautorem declarauit.

CAPVT XXIV.

HISPALENSEM S. IOSEPHI CONVENTVS FVNDATIONEM prosequitur, quantumque in proprijs ædibus habendis laboris ac difficultatis subierat.

Hispalenses quã lente & male prosederet.

VIx credat quisquam, in ciuitate adeò copiosa, & tot opulentos inquilinos habente, qualis Hispalensis est, minorem monasterij fundandi occasionem & oportunitatem fuisse, quàm in omnibus in quibus hactenus fuerã opidis: imò adeò adhoc deesse hic oportunitas videbatur, vt subinde apud memetipsam reputarem, è re nostra nõ esse, hac nos in ciuitate conuentum habere. Nescio autem, an cæli climati hoc sit ascribẽdum: nonnunquam enim audiui dicentes, diabolos hic ad tentandum potentiores esse quàm alibi: tametsi Deo hanc illis potentiam dante: vnde etiam me hic acriter impetiuisse videntur: nam numquam quoad vixi, ita me pusillanimem & meticulosam vidi, atque ibi

que ibi me fuisse comperi. adeò vt meipsa vix nossem; quamquam ea, quam de Domino habere soleo, fiducia me non desereret: sed natura adeo discrepabat ab ea quam habere solebam, ex quo Hispalensis cœnobij tractationi me immisceo, satis vt intelligerem suam Dominum ex parte manum subtraxisse, vt scilicet ipse maneret qui est, & ego viderem, si quem aliquando habuerim animum & animositatem, à me ipsa eum non habuisse.

Cum ergo iam inde ab eo quo dixi tempore illic vsque ad initium Quadragesimæ penè mansissem, nulla tamē aut domus emendæ fiebat mentio, aut qua ea emeretur pecuniæ habendæ, imo ne quidem eius qui pro nobis sponderet, vti in alijs opidis habueramus, inueniendi spes affulgebat: etenim illæ, quæ Patri Commissario serio spoponderāt, in ordinem sese ingressuras, ac propterea enixissimè, Moniales aliquot vt hunc conduceret, rogarant, viso eiusdem rigore, & ei ferendo impares sese existimantes, deficiebant; vt sola vna, de qua postea loquar, ingressa sit. Iam tempus instabat, quo propediem Bætica excedere iubenda eram: quòd alia prægnantia negotia aliò me vocarent. Permolestum sanè & pænosum mihi erat, Moniales illic sine certa domo relinquere, tametsi viderem me nihil omnino hac in re posse, eò quòd gratia, quam alijs in partibus Dominus mihi facit, vt scilicet habeam aliquem, qui hisce in operibus me adiuuet, me hic deficeret. Placuit autem Deo, vt ijs diebus frater quidam meus, Laurentius Lepedius appellatus, qui triginta & quatuor annis in India commoratus erat, inde rediret: cui etiam longè quàm mihi indignius & grauius visum est, Moniales propriam domum non habere. Is ergo egregiè nobis præsto fuit, præsertim in ea procuranda & habenda domo in qua modò agimus: quamquam ipsa tunc quoque sedulò & feruenter apud Dominum rem hanc vrgebam, eum precans ne me Monialibus domum nondum habentibus hinc abire sineret; quin & his ipsis iniungebam, vt idem ei negotium in precibus commendarent, nec non B. Ioseph. Adhæc Beatissimam Virginem Matrem frequentibus precibus & supplicationibus nobis fauentem reddere procurabamus. His ergo adminiculis & fiducia animata, nec non quòd frattem meum rem nostram cordi habere cernerem, de domibus quibusdam emendis tractare cæpi, sed, cùm res omnis iam propè confecta esset, & de emptione penè conuentum, ilico ipsa in momento penitus concidebat. Quadam ergo die de hoc ce negotio mihi cum Domino inter comprecandum agenti, petentiq;, vt, quoniam ipsę illius essent sponsæ, eique omnimodis placere quàm maximè satagerent, eis de domo prospiceret, dictum fuit: Iã

Dominus Matris negotia curat.

te exaudiui, mihi rei eius curam committe. His ego verbis erecta & planè gauisa fui, quòd mihi iam tum in manibus domum habere viderer. Et reuera ita factum est. Impediuit verò Maiestas ipsius, ne quamdam, quæ quidem omnium ad gustum erat, (quòd optimo sita esset loco) attamen adeò ruinosa & malè materiata erat, vt sola nuda eius area empta fuisset, & quidem multò minoris, quàm eæ sunt ædes coëmptæ in quibus modò habitant, emeremus. Iam omnis facta conuentio, & de pretio inter partes pactum erat, nihil vt faciendum aliud restaret, quàm emptionis tabulas conficere. Ego non vsque adeò huc propendebam, quòd hæc domus cum vltimis illis, quæ inter orandum audieram, verbis minimè conuenire videbatur: illa enim (quantum quidem ipsa colligebam) bonas nobis ædes dandas denotabant ac spondebant. vnde Dominus disposuit, vt is qui eam nobis quamquam insigni suo cum compendio venderetur, aliquod tamen obstaculum per se obijcerer, ne tabulæ eo quo stipulati eramus, tempore fierent. itaq; nulla nostra culpa, stipulationi & venditioni renuntiare nobis licuit. Quod certè non contemnenda Domini gratia fuit: neque enim toto vitæ omnium, quæ ibi tum agebant, Monialium tempore planè ea accommodari domus potuisset: quod certè illis perquam molestum fuisset: adhæc quæ ad hoc necessaria erat, pecunia illis deerat. Multum huc operæ insignis quidam Dei famulus contulit, qui ferè iam inde ab initio quo huc primùm appulimus, cognito nobis deesse, qui sacrum nobis celebraret, quotidie illud apud nos celebratum veniebat, quamquam & domicilium eius longè à nostro dissitum esset, atque æstus diurnus vehementior. Nomen illi est Garcias Aluarius, vir vitæ integerrimus, & magno apud omnes in pretio ob varia bona opera, quibus totum se impendit, habitus: qui si fortunis abundasset, nihil penitus nobis defuisset. Hic ergo, quòd domum nosset, stolidè nos facturas aiebat, si tantum pro ea pecuniæ persolueremus. Atq; hoc ipsum quotidie nobis oggerebat, amicè monens, vt ab illa coëmenda animum prorsus auocaremus. Vnde frater meus & ipse viderunt domum illam, in qua in præsens commoramur: quæ adeò illis placuit (nec immeritò, cùm & Dominus ipsum vellet) vt biduo triduoue ipsæ confectæ sint tabulæ.

Nota Dei prouidentiam erga S. Matrem

Non parum verò laboratum est, vt ad illam transiremus: qui enim illã inhabitabat, tam citò inde egredi nolebat; adhæc fratres Minores (quòd in vicinia habitarẽt) statim instare cæperũt, ne vllatenus in illã trã. siremus. adeò quidẽ, vt, nisi coëmtionis instrumẽta & litteræ tã firmiter confectæ fuissent, Deum summopere laudassem, si ea dissolui & irritari potuissent: videbã quippe nos obligatas sex aureorum millia (tot enim domus ipsa cõstiterat) soluere, & tamẽ illius capere possessionẽ nõ posse. At

se. At eius opinionis nō erat Prioriſſa, ſed Dominū laudabat, q irritari contractus & cōuentio nō poſſet, quod maiorē ei Maieſtas fidē & animoſitatē daret in hac domus comparatione, quā mihi; quam & in omni adeò re illam præferre credibile eſt, quod multo me ſit melior. Amplius menſe his in anguſtijs hæſimus, ſed tandem Deo viſum, vt Præfecta, ego, & aliæ duæ Moniales de nocte ſilenter ad illam tranſiremus, ne prædicti Monachi quidquam horum reſcirent antè, quam adita eſſet poſſeſſio. quāquā non ſine timore, nam qui nobiſcū ibant, quaſcumq; viderēt per noctem vmbras, monachos ſibi videri aiebant.

Vt primum illuxit, bonus Sacerdos Garcias Aluarius (qui è nocturnis comitibus vnus fuerat) primum in ea ſacrum celebrauit. itaque tandem timere deſijmus. Quam vero Ieſu bone, multos huiuſmodi in poſſeſſionibus capiendis timores ſubij! Quare ſæpenumero mecum ipſa perpendo, ſi, cum non ad malum faciendum, ſed ad Domino obſequium præſtandum abirem, tantus me occupabat metus ac timor, qualem non habeant illi qui malefacere proponunt, quod in Dei & proximi iniuriam tendat. Quale inde lucrum & commodum exſpectent, aut qualem haurire è tam graui in caput ſuum pondere accerſendo, voluptatem queant, neſcio.

Non aderat tunc fortè ibidem frater meus; ſeceſſerat enim ad tempus ob errorem aliquem qui in tabulis conuentionis commiſſum, quod nimium rem acceleraſſemus, vnde etiam magnum monaſterio damnū impendebat; quod verò ipſe noſtro nomine ſpopondiſſet, hinc eum quæritabant, quo illum cuſtodiæ traderent. quod certè maximopere nos afflixiſſet, eò quod peregrinus & exterus ipſe eſſet, vti etiam reuera afflixit: nam tamdiu in afflictione fuimus, quoaduſque aliquod ipſe pignus vendentibus ad illorum ſecuritatem dediſſet. Exinde verò melius res peragi cæpit, quamquam ad aliquod tempus lites nobis non defuerint, quo maius meritum foret. Interea temporis ipſæ in aliquibus cubiculis inferioribus recluſæ eramus; ipſe vero toto tempore operarijs & fabris aderat: ac nobis interim de cibo & victu quotidiano proſpiciebat, vti & prius ſatis diu proſpexerat: nam quoniam nondum paſſim innotuerat omnibus, hic monaſterium eſſe (quod in priuata quadam domo habitaremus) pauca eleemoſynarum ſubſidia ſuppeditabantur, niſi fortè à pio quodam ſene, Carthuſianorum (quorum domus hic *delas Cueuas* appellebatur) Præpoſito, qui inſignis Dei famulus eſt, atque Abulæ è familia Pantoiana natus. Hic ſingulari quodam erga nos quam primū atque huc venimus amore, & ſtudio rapi cæpit, vt ſperem fore, eum, quamdiu ſuperſtes erit, omnimodis nobis auxilio & ſubſidio futurum,

& ſemper benefactorem noſtrum fore. Ideo vero iſtud hic ſcribo, cariſſimæ, vt, cum hæc legeritis, Maieſtati illius commẽdetis (vti par etiam eſt) eum qui nos tam egregiè adiuuit, vti & alios, tam adhuc vita fungentes, quàm ea antè defunctos. huic ergò ſancto viro plurimum debemus. Menſem fermè integrum, ſi rite recordor (nam in diebus exactè ponendis ac numerandis vſque adeò bonam memoriam non habeo, itaque aliquando errare poſſem; proinde ſemper ſubintelligatis oportet, plus aut minus, cum parum id referat) hoc in ſtatu egimus. Quo durante frater meus in ædem ſacram è cubiculis quibuſdã adoptandam, & omnia domus membra inſarcienda ita totus incubuit, nihil vt nobis oneris aut agendum incumberet.

Omnibus ergo iam concinnatis & inſtauratis, optaſſem quidem ſine ſtrepitu atque apparatu vllo Venerabile Sacramentũ huc inferri, & vlli moleſta eſſe non gaudeam, ſi quando aliter fieri poteſt aut declinari; quam ego opinionem D. Garciæ Aluario ſignificaui; qui exinde ipſam cum Præpoſito Carthuſienſi communicauit. hi verò ita res noſtras ſeriò curarunt, vt proprias curare ſtudioſiùs non poſſent; vnde eis placuit, quò cœnobium magis in populum innoteſceret, ſolenni ritu ac feſtiua pompa illationem hanc celebrari. Qua etiã ſuper re cùm Archiepiſcopũ ipſum conſuluiſſent, eorũ is ſententiæ haud inuitus accedens, ſtatuit, vt de quadam Parochiali æde, Venerabile Chriſti corpus, magna pompa, vniuerſo clero, & Sodalitatibus nonnullis conuenientibus, & viris publicis adornatis huc transferretur. Vt dictum, factum. nam bonus Garcias Aluarius cum Monaſterij noſtri clauſtrum (quod tùm plateæ vicem præbebat) tũ templũ rite adornauit & inſtruxit, ſcitas quoq; hinc inde aras adoptauit, aliaſq; elegantiarum varietates ad deuotionẽ excitandã induxit. inter ceteras aquã è malorũ aureorũ cytinis expreſſam, per tubos in perpetui fõtis modũ fluere fecit, nobis hũc nec procurantibus, nec petentibus, tametſi, cùm iã factus is eſſet, inſignem deinde nobis deuotionẽ excitarit. Et ſanè maximopere gauiſæ ſumus, cùm templi noſtri encænia tanta cũ ſolennitate peragi, ac vias publicas adornatas, nec non tam feſtiuũ ſymphoniacorum & inſtrumentorũ muſicorũ concentũ videremus; vt mihi Sanctus ille Carthuſianorũ Prior, nihil vmquã tale ſe Hiſpali vidiſſe affirmaret, ac manifeſtè appareret, ſolius Dei id opus fuiſſe. Vnde etiam ipſemet ſupplicationi interfuit, quãquã nulli hacten⁹ interfuiſſet, ipſe verò Archiepiſcopus Auguſtiſsimũ Angelorũ panẽ huc detulit. Hic ergo videtis, cariſſimæ, pauperculas Diſcalceatas ita iã ab omnibus honoratas fuiſſe; & antè paulo etiã aqua illis defutura & denegãda videbatur, tametſi fluuius vrbis huius aqua quam maximè abundaret. Quanta autem

hominum ad ſolennitatē hanc affluxerit multitudo, vix quiſq̄ credat.

Res admirabilis quæ contigit eo die, quo Ven. Euchariſtia in Hiſpalenſem domum illata eſt.

Hoc etiam die prodigioſum quid contigit & notabile, vti etiam omnibus, ante quorum id oculos factum eſt, viſum. Cum enim plurima in plauſu ignea miſſilia miſſa eſſent & crebro bombardarum fragore omnia identidem reboaſſent, ac ſub veſperam, ſupplicatione iam finita denuo hæc ipſa plauſus argumenta repeterentur, caſu neſcio quo in puluerem ſulphureum, tametſi pauculum, ignis illapſus eſt; is tamen qui puluerem habebat, non ſine miraculo à flamma læſus non fuit. adhæc cum aduſque cænobij faſtigium flamma repens adſcendiſſet, cuius laqueare byſſo tenui adornatum erat, ecce fornicis quidem lapides tetram ab ipſo fumo fuliginem induerunt, ipſa tamen extima byſſus tenuiſſima, quæ omnium iudicio prima flammam concipere debuiſſet, cum eſſet ſubflana & coccinea, inuiolata nec colorem mutaſſe viſa fuit, perinde ac ſi nec ignis, nec fumus eam afflaſſet. Quotquot rem viderunt, obſtupuere. Moniales verò Dominum dilaudarunt, quod ipſarum neceſſitati proſpexiſſet, cum, vndenam nouam byſſum compararent, pecuniam non haberent. crediderim, diabolum ob feſtiuitatem quæ contigerat, & quod nouam rurſus Dei domum videret, indignatum hoc ſeſe modo aliquatenus de nobis vlciſci voluiſſe. Sed Maieſtas illius hunc impediuit. ſit ipſe benedictus in ſæcula. Amen.

CAPVT XXV.

EAMDEM FVNDATIONEM PROSEQVITVR. REFERT AD-hæc nonnulla de Moniali, quæ huic conuentui prima nomen dedit: quæ ſanè quam maximè notanda ſunt.

CONſiderare vobiſcum poteſtis, cariſſimæ, quodnam noſtrum ea die fuerit gaudium & conſolatio. De meipſa certè dicere poſſum & ſcio, meum quam maximum fuiſſe: imprimis vero, quod viderem me in tam bona beneque ſita domo Moniales relinquere, quodque monaſterium iam ſatis cognitum in vrbe eſſet, & quod in domo Moniales eſſent, quæ potiſſimam debitorum & æris alieni, quod eius emendæ nomine contractum erat, partem poſſent diſſoluere, adeo vt etiam per eas quæ ad complerum numerum deerant (quantumlibet parum in dotem attuliſſent) debita diſſolui poſſent. Inprimis autem & maximè me recreabat, quod labores & afflictiones aliquot ſubiiſſem, cumque iam aliqua fruitura quiete eram, inde me diſcedere oportuit. Cum enim Dominica proxima ante Pentecoſten anno M.D.LXXVI. ſolennitas hæc encæniorum celebrata eſſet, ſtatim proxima die Lunæ inde diſceſſi: calor enim & æſtus quotidie fiebat vehementior

S. Mater Hiſpali domo iam fundata quæ primum diſcedit.

& ſi

si fieri potuisset, non libenter ipsis festis Pentecostalibus in itinere fuissem; imò verò Malagone eadem celebrare animus erat, vti & ad dies aliquot ibidem subsistere, ac propterea tantopere festinaram. Non placuit autem Domino, vt vel saltem vno die in templo illo sacrum audirem. Discessus meus non mediocriter Monialium gaudiũ ac consolationem imminuit, easque magnopere contristauit, quod toto illo anno simul egissemus, & tam multas (vti dictum est,) simul afflictiones subijssemus, quarum grauissimas tamen hic non descripsi, vt, quantum mihi videtur, vna Abulensi fundatione excepta, (cui sanè nulla quoad difficultates & labores comparari potest) nulla tanto mihi labore steterit, quanto hæc quòd afflictiones & angores illius maximè intimi & interni essent. Vtinam verò Maiestas diuina dare dignetur, semper vt sibi in ea obsequium præstetur: hoc enim si fiat, omnes quas subij, exagitationes & labores mihi quam minimæ videbuntur: & certè, ita idipsum futurum spero: incepit siquidem Maiestas eius pias sanctasque animas quasdam adhanc domum pellicere: ex ijs enim quas mecum duxi, (quę fuerunt vniuersum quinque) illæ, quæ remansere, quàm fuerint bonæ, iam tum aliquatenus declaraui, cùm dici plurima de ipsis possent ac quod dixi minimum sit.

Prima Monialis Hispalesis qualis fuerit.

In præsens verò de prima, quæ huic conuentui nomen dedit, aliquid dicere volo, quod quæ dicam, vobis fore scio vt placeant & recreationem adferant. Erat hæc honesta quædam virgo, religiosissimis parentibus genita, pater porro illius monticola est. Hanc, adhuc puellam, penè septennem, quædam è matertetis, quod liberis careret, sibi dari à matre petijt, quo ipsam penes se educaret: ergo cùm in familiam matertera admississet, quædam mulieres quæ illi sub spe facultatum illius semel possidendarum, ptiusquam puella hæc domum illius venisset famulantur, videntes ipsam tam lautè, amanter & deliciosè haberi, ex æmulatione quadam suspicari cœpere iam se frustrandas ijs quę sperabant: colligentes ex amore atq; affectu quo hanc ipsa prosequebatur, facultates in ipsam transferendas. quare diabolico quodam facto hanc occasionem auferendam, & rem suam stabiliendam putarunt, puellam apud materteram accusantes, tamquam si in illius vitam conspiraret, deque ea de medio tollenda cogitaret: eaque de causa vni de suis aliquot nummos ad toxicum & arsenicum coëmendum dedisse. Matertera cùm hoc inaudisset, statim (quòd omnes tres rem hanc iunctim asseuerarent) credidit, vti & puellæ mater, quæ est mulier pia & religiosa. Vnde ipsa puellam, in familiam suam denuo recepit, existimans sese in ea pessimam quamdam ac flagitiosissimam mulierem educare. Dixit porro mihi ipsa Beatrix de Matre Dei (ita namque

namque appellatur) matrem plus quàm anni ſpatio, in ipſam virgis atque alijs diris modis ſæuijſſe, & humi cubare iuſſiſſe, vt hac ratione ipſam ad rei huius ſceleratæ veritatem confitendam adigeret. Cum autem puella diceret, nec rem feciſſe ſe, nec noſſe quidem quid eſſet arſenicum, mater multo id exiſtimabat deterius, quod eam in facto negando etiam peruicacem & obſtinatam cenſeret. Quare mater mirum in modum ſeſe affligebat, quod eam in pernegando adeo contumacem cerneret. Mirum ſane fuit, puellam factum confeſſam non eſſe, quo ſe à tormentis illis liberaret, at Deus eam, quod eſſet innocens, mouit & impulit, vt veritatem ſemper fateretur. Et, quoniam Maieſtas eius ſemper tuetur ac protegit eos qui culpa carent & innoxij ſunt, duas illarum mulierum tam graue occupauit malum vt inſanire præ rabie viderentur. vnde puellam illam clanculò ad ſe euocarunt, & commiſſa aduerſus ipſam machinationis veniam rogarunt; quin etiam iam ad extremum vitæ redactæ, dicta & commenta omnia reuocarunt & negarunt, tertia vero, Deo permittente è puerperio mortua eſt. Deniq; omnes tres, nonniſi ſummo cum tormento, vita exceſſere in procuſæ aduerſus innocentem illam puellam calumniæ caſtigationem. Hoc ego non ſolum ex ipſa, ſed & ex ipſa matre poſtea (quæ dolebat, cum eam in Religione iam agere videret, quòd eam ita cruciaſſet & cecidiſſet) intellexi, vti & alia multa particularia, è quibus ſatis colligere eſt, quam frequentes & graues illius cruciatus fuerint. Cumque mater præter ipſam liberos non haberet, & religioſiſſima eſſet mulier, Deo permittente factum, vt ipſa filiæ ſuæ eſſet tortrix, cum tamen ſummo eam amore proſequeretur. ipſa porro eſt mulier & pietate & varijs virtutibus præſtans.

Punitio calumniatium innocentem.

Cum vero puella hæc duodecimum ætatis annum paululum exceſſiſſet, contigit illam in libro quodam S. Annæ vitam legere; vnde magnum erga montis Carmeli incolas Sanctos affectum & deuotionem concepit, quod Sanctæ Annæ mater ſæpius ad illos excurriſſe ibidem diceretur (Emerentianam eam vocari exiſtimo.) Ex eo autem tempore tam ſingulari erga B. Virginis Ordinem cœpit affectu ferri, vt ilico & habitum illius aſſumendi, & caſtitatis votum emiſerit. Vnde, ſiquando poterat, ſolitudinem & receſſum frequentabat, orationique ſolicitè incumbebat. Vnde factum, vt multas ei Dominus, nec non Beatiſſima Virgo Mater gratias conferrent, & quidem admodum inſignes & ſingulares. Quàm maximè quidem ipſa Religionem ingredi volebat, ſed hũc parentibus animum & propoſitum declarare non audebat; neſciebat præterea, vbinam hunc Ordinem reperiret. Notandum porro cumprimis eſt, quod cum Hiſpali huius inſti-

tuti cœnobium eſſet,(quamquam Regulæ mitigatæ)numquam tamen ipſa de eo quidquam intellexerit,vel audiuerit,vſque dum aliquid (& quidem nonniſi poſt multos annos)de hiſce nouis,quæ fundabantur, monaſterijs cognouit.Cumautẽ iã ad ætatẽ nubilem peruenifſet, deliberarunt & ſtatuerunt parentes inter ſeſe,cuinam eam collocarẽt potiſsimum,quod admodum iuuencula foret,& alios præter illam liberos non haberent;nam quamuis multos habuiſſet fratres,omnes tamẽ iam demortui erant & ipſa,quam minus ceteris diligebant, in viuis & ſuperſtes manſit. Nam quando ei id quod ſupra retuli contigit, fratrẽ in viuis adhuc habebat,qui eius cauſam acriter propugnans, parentibus dicebat minimè crederent ea quorum ſoror inſimulabatur.Matrimonio verò iam ſtatuto concluſo,adeo vt ipſa ei minimè refragatura putaretur,& parentibus hoc ei iam ſignificantibus, ipſa, quod matrimonij numquam ineundi votum emiſerat,eis aperuit;adeoque in ipſo fuit conſtans, nulla vt ratione,tametſi etiam propterea necaretur, ipſum vellet violare.

Quamobrem parentes,vel quod diabolus eos dementaret, vel quod Deus eam Martyrem eſſe vellet,& multa pati,exiſtimabant eam fœdum aliquod facinus commiſiſſe,propter quod matrimonium inire nollet,quod iam fidem à parte ſua ſponſo addixiſſent, & hunc propterea infamem reddi cernerent;virgis eam ita ceciderunt, adeoq; in illam ſeuerè animaduerterũt,vt etiam eam vellent ſuſpendere & præfocare,mirũ vt eſſet,eã emortuã nõ eſſe:at Deus,qui ad maiora reſeruabat,in viuis eam conſeruauit.Ipſa verò mihi retulit,ſe in fine vix quidquam tormentorum aut pœnarum ſenſiſſe:etenim in mentem tunc reuocabat,quidnam Sancta Agnes olim paſſa eſſet, quod Dominus id ei in memoriam reduceret;imo mortem ſibi quam iucundiſsimam futuram fuiſſe,denique ad trimeſtre in lecto ita elumbem & fractam decubuiſſe,vt ſeipſa mouere de loco in locum non poſſet.

Certe vix credibile videatur,quomodo de puella, quæ numquam à latere matris diſcedebat, quæque patrem admodum cautum & circumſpectum(vti quidem intellexi)habebat,parentes tam graue malum ac flagitium ſuſpicari potuerint:ſemper namque ſancta, honeſta,& eleemoſynis adeo dedita fuit,vt,ſi quid ipſa nummorum aut rerum nanciſci poſſet, id in pauperes erogaret. Si quando Dominus gratiam alicui præſtare vult,vt quid patiatur aduerſi,multa ad hoc media inuenit;quamuis iam abhinc annis aliquot filiæ ſuæ virtutem ipſis perſpiciendam dediſſet; adeo vt, quidquid in pauperes diſtribuere ipſa vellet,hoc illi ab his quam libentiſſimè ſubminiſtraretur, omneſque perſecutiones & afflictiones iam in recreationes ac delinimenta ver-

ta verterentur. Quamquam ob ipsum quod habebat, Religiosæ vitæ profitendæ desiderium, omnes ei recreationes molestæ ac graues viderentur. itaque (prout mihi narrauit) magnis in angustijs & doloribus viuebat.

Porro tredecim aut circiter annis antequàm P. Gratianus Hispalim veniret, cùm etiam ne vel minima Carmelitarum Discalceatorum ibi esset memoria; cùm ipsa quadam die cum parentibus & alijs duabus vicinis colloqueretur, contigit, illuc quemdam Ordinis nostri fratrem, grossioris panni veste (qualem modò gestant) indutum intrare. Dicebant, illum vultum viridum, vegetum ac venerabilem prætulisse, tametsi adeo senex esset, vt barba, quæ admodum erat longa, à filamentis argenteis constare videretur. Hic se iuxta ipsam stitit, & lingua quam non intelligebant aut ipsa, aut quisquam alius, eam nonnihil alloqui cœpit. cumque iam loqui desineret, tertiò ipsam signo crucis communiuit, dicens: *Deus te, ô Beatrix confortet.* quo dicto mox abijt. Toto eo tempore, quo senex ille ibidem fuit, nemo sese loco mouebat, sed omnes obstupescebant: Percontabatur eam Pater, quisnam is esset. Ipsa verò putabat illum ei notum esse. Vnde surgentes, solicitè eum quæsiere: sed exinde amplius non comparuit. Ipsa verò mirum inde gaudium & consolationem sensit; & quotquot aderant, sunt admirati videntes rem plusquam humanam esse. vnde magni eam, vt dictum est, facere cæperunt. Omne illud tempus (quod quatuordecim annorum fuisse credo) interim, & post factum illud, elapsum est; ipsa verò interea semper Domino seruiebat, eumque identidem rogabat suo vt desiderio satisfaceret. Moram tam diuturnam pertæsa iam erat; cùm P. Hieronymus Gratianus illuc appulit: cumque die quadam ad concionem audiendam in templum Trianense (quo in loco pater illius habitabat) sese contulisset, nesciret tamen eum qui concionaturus esset, P. Gratianum futurum, vidit hunc ipsum ad benedictionem capiendam prodire. Cuius vt illa habitum & pedes non calceatos vidit, mox illi in memoriam is, quem olim viderat, Religiosus venit, & talem omnino illius vestem fuisse; tametsi vultus & ætas vtriusque discreparent; quòd P. Gratianus nondum triginta annorum esset. Narrauit illa mihi, tam magno se tum introrsum gaudio delibutam fuisse, vt penè animi deliquium pateretur. quamuis enim intellexisset, iam tum in Trianensi vico monasterium erectum esse, nesciebat tamen id illius Ordinis esse. Ex illo ergo tempore operam dedit, vt P. Gratiano confiteretur. Imò verò & hoc caro illi stare voluit Deus nam sæpius quidem illum adiuit, is tamen eius confessionem excipere

noluit: quòd enim esset iuuencula & satis formosa, hinc ipse cum huiusmodi personis agere (quòd hoc in genere valdè circumspectus sit) subterfugiebat. Cùm ergo quodam die in templo amarissimè lachrymaretur (nam & ipsa circumspecta & honesta erat) petijt ex illa mulier quædam ecquid subesset. Cui illa, iam dudum se aiebat occasionem, ad illi Patri, qui tum illic fortè confessionibus excipiendis vacabat, loquendum captasse; sed hactenus se illi loqui minimè potuisse. Hæc verò confestim ipsam ad eum conduxit, rogans vt virginis huius confessionem excipere dignaretur: vnde generalem vitæ totius confessionem apud eum instituit. Is ergo vt animam tot virtutum ornamentis instructam vidit, miram intra se consolationem sensit, simul & ipsam est consolatus dicendo, fieri posse vt Moniales Discalceatæ aliquando hac in vrbe sedem figerent: ac tum facturum se, vt ipsa in Ordinem illarum cooptaretur. Quod & præstitit: nam primum quod nobis mandauit, fuit, vt illa ante alias, & prima admitteretur; quòd animæ illius status ad plenum illi satisfaceret: Quod etiam illi declarauit, cùm huc primùm concederemus. Inprimis verò curauit, ne id parentes sui intelligerent aut resciret; si enim sciuissent, nulla Religionis ingrediendæ ratio suppetisset.

Ceterùm SS. Trinitatis festo, se à mulieribus quibusdam, quæ illam assiduè comitabantur, dolo subduxit; quod enim confiteri vellet, mater cum ipsa non venerat, Discalceatorum autem monasterium, in quo ipsa semper confitebatur, & cui multas eleemosynas ipsa erogabat, tum etiam, eius operâ, parentes, satis procul à domo distabat. Porro cum quadam muliere, Dei ancilla, priùs conuenerat, vt ad domum illius concederet; quare mulieribus comitantibus à se ablegatis, statim sese redituram ait: cui hæ minimè refragantur, quod mulier illa tota Hispali vt insignis Dei ancilla esset cognita, vtpote quæ illustria & mirabilia opera præstaret. Hacque ratione tempus & commoditatem habuit, ad habitum & pallium suum grossum secum asportandum. quod equidem nescio quomodo portare & ferre potuerit. Sed gaudium & amor, quo agebatur, onus leue faciebat. Vnum hoc metuebat, ne forsan in proposito suo impediretur, & agnosceretur, quod ita onusta incederet. Alia namque longe hæc incedendi erat ratio, quàm præferre solebat. Sed quid non facit amor Dei? ita namque hic se gerebat, quasi si honorem nullum habuisset; neue vllius rei recordabatur, quàm ne fortè suo in proposito impediretur. quare etiam statim ei ianuam aperuimus: ego verò matrem eius statim rei huius certiorem reddidi:

quæ

quæ vt primum illam intellexit, sui impos quodammodo præ stupore, reddita est; tandem verò agnoscere se confessa est, qualem filiæ suæ gratiam Dominus fecisset; vnde hanc, tametsi non sine difficultate, orbitatem suam tolerare cœpit; nec propterea indignari, adeò vt illi loqui noluerit, quemadmodum alias facere constat; imò verò magnas continuò nobis faciebat eleemosynas.

Hic igitur Iesu Christi sponsa optatissimo suo gaudio frui cæpit, quæ tam erat humilis, & quælibet facere parata, vt scopas illi è manibus auferre numquam non nos oporteret, cùm tamen paterna in domo tam delicatè esset enutrita. adeò vt omnis illius recreatio esset labor & operatio. Ex hac autem quiete & gaudio fiebat, vt quamprimum toto corpore pingueſceret: quo parentes viso, adeò sunt gauisi, vt iam lætarentur, quod eam in statu Religioso conspicerent.

Cùm iam vota esset emissura, bimestri scilicet aut trimestri ante (ne tanto bono sine labore & difficultate potiretur) grauissimis exagitata tentationibus est: non vt propterea à votis emittendis animum auocaret, sed id illi & intolerabile videbatur, tamquam si obliuioni traditum esset, quàm multis ipsa annis boni huius, quod iam habebat, causa in angustijs & pressuris vixisset: quin & diabolus adeò eam acriter impugnabat, vt vix ferre posset. Nihilominus, maxima sibi facta violentia, eum superauit, ita vt etiam in tentationum & angustiarum suarum medio vota edere decreuerit. Dominus Iesus, qui vlterius roboris illius periculum facere nolebat, sed ipsum iam satis perspectum habebat, triduo antè quàm profiteretur, eam visitauit, & particulari quodammodo est consolatus, dæmonemque ab ea effugauit. Adeò namq; consolatione delibuta fuit, vt triduo illa extra se esse videretur præmentis gaudio. Nec immeritò: etenim gratia & visitatio suprema notabilis fuerat. Non multò verò post, quàm monasterium hoc ingressa esset, patrem eius contigit ex hac vita migrare: vnde mater eius eodem in cœnobio monasticam vestem induit, & omnes ei facultates suas eleemosynæ nomine legauit: adeo vt & mater, & filia, magna cum quiete & animi gaudio hic agant, summaque omnium Monialium cum ædificatione, seruientes ei ex animo qui hanc ipsis gratiam præstitit. Vix dum annus elapsus est, cum & alia quædam virgo, reluctantibus & inuitis admodum parentibus, in hunc est conuentum coopta ta. Sic ergo Dominus suam hanc domum, animabus adeo ei seruire paratis, nulla, vt vitæ austeritas, nulla clausura grauis illis appareat, indies replere pergit. Sit ipse in perpetuas æternitates benedictus & laudatus, Amen.

CAPVT XXVI.

CARAVACENSIS COENOBII FVNDATIO DESCRIBITVR. Ipso primo anni die Sanctißimum Altaris Sacramentum anno M.D.LXXVI. in id illatum est: nomen verò S. Ioſephi ei inditum.

INterim dum Abulæ in S. Ioſephi agerem, ad Veaſenſem, quæ iam ſuprà deſcripta eſt, fundationem peragendam iam iam abitura, adeò quidem, vt nonniſi ſarciculæ nobis conficiendæ eſſent, quibus ad iter neceſſaria imponerentur; venit ad me miſſus Carauaca hæc ſola de cauſa nuntius, cum litteris domicellæ cuiuſdam cognomento Catharinæ. his mihi illa ſignificauit, tres honeſtas virgines, poſtquàm cuiuſdam Patris è Societate Ieſu concionem audijſſent, in domum ſuam ſe ſubduxiſſe, nec ante ex ea egredi decreuiſſe, quàm illo in opido monaſterium fundaretur. Id illas credo cum hac Domina ſic tractaſſe & tranſegiſſe; hæc enim erat, quæ illas in hac fundatione peragenda maximè iuuit. Erant hæ è primarijs opidi illius nobilibus prognatæ. Vna patrem habebat Rodericum de Moya, inſignem Dei famulum, ſummæque prudentiæ virum. Simul inter ſe tantum facultatum habebãt, quantum ad ſimile opus inchoandum ſatis erat. Nouerant adhæc, quidnam in horum monaſteriorum fundationibus Dominus feciſſet; etenim Patres Societatis Ieſu, qui rei huic ſemper auxilio & ſubſidio qua poterant, fuere, hæc eis declarauerant.

Caravacen. ſis monaſterij occaſio.

Ego autem, vt pium harum virginum deſiderium & feruorem perſpexi, quodq; à tam procul B. Virginis Ordinem conquirerent, magno pietatis ſenſu erga illas mota fui, bonoque earum propoſito more gerere conſtitui. cognito verò, locũ non procul Veaſio abeſſe, plures ſolito mecum Moniales illuc conduxi. Nam, quantum è litteris apparebat, non dubitabam, quin facilè inter nos conueniremus. Vnde ſtatui, Veaſenſi fundatione conſtabilita, illuc me quamprimũ conferre. Sed quoniã Dominus aliud facere decreuerat, omnia mea propoſita & decreta parum iuuere: nam, quemadmodum iam antè in Hiſpaleſi fundatione dictum eſt, ipſa Concilij Commendatariorũ licentia eo tempore primum data eſt: atque ideo interim dum illa impetraretur, res (quamquam ipſa illuc me conferre planè decreueram) intermiſſa eſt. fatendum tamen eſt, me, dum Veaſij de oppidi illius ſitu inquirerem, intelligeremque illud ſatis remotum eſſe, & hinc illuc proficiſcentibus viam adeo difficilem eſſe, vt, qui Moniales viſitatũ abirent, Prælatos & Superiores magnam in proficiſcendo moleſtiam ſubire oporte-

oporteret (quod haud dubiè illis displiceret) non satis ad hanc fundationem inchoandam animo propendebam.

Quia tamen bonam Caravacensibus illis spem dederam, P. Iulianū de Avila & Antonium Gaitanum rogavi, illuc se conferrent, visuri, quidnam rerum esset, &, si ita illis videretur, cœpta dissolverent. Hi Caravacam cum venissent, rē penè desperatā, & depositā compererūt, non quidē ex parte earū quæ futuræ erant Moniales, sed Dominæ Catharinæ, à qua tamen vna res omnis dependebat, quæque illas in quadam ædium suarū parte, tamquā si iā tum in claustro religioso agerent, ab alijs secretas, fouebat. Ipsæ verò Religiosæ adeo in proposito suo constantes erant, ac præsertim duæ (eæ inquam quæ de facto futuræ erant Moniales) vt P. Iulianum ab Avila & Antonium Gaitanū vsque adeo suas in partes pertraxerint, vt, priusquam hi inde recederent, fūdationis tabulas & instrumenta confecerint; illisque confectis ad me redierint, Virgines illas planè contentas & gaudio delibutas relinquentes. ipsis vero tum harum, tum soli & opidi bonitas mire placuerat, vt satis eam deprædicare & dilaudare non possent, vti nec itineris difficultatem satis extollere.

Ego verò stipulationis tabulas vt vidi confectas, ipsam tamen commendatariorum facultatem æquo diutius differri, bonum Antonium Gaitanum (quod is mei causa, omnem difficultatem laboremq; libenter suscipiebat, tum etiam, quod ipse & socius rē cordi haberent) denuo illuc, vt fundatio optatum ad exitum perduci & perfici posset amandaui: quocirca his solis isthæc adscribi & attribui fundatio debet: nam si hi illuc se non contulissent, & cum fundatoribus conuenissent, ego certè de meo parum huc contulissem. Dixi ergo, illuc abiret, & orbitam ac cancellos, illa in domo in qua adeunda esset possessio, & Moniales commoraturæ, vsque dum proprias & commodas ædes inuenirent, collocaret. Quapropter ea de causa ad plures dies illic hæsit: nam in Roderici de Moya (qui, vti iam dixi, harum puellarum vnius pater erat) cum ædium suarum partem hunc in vsum libenter nobis dedisset, omnia hæc ad aliquot dies accommodabat.

Cùm vero iam facultas submissa, & ego in procinctu vt illuc abirem iam essem, intellexi inter alias conditionem hanc additam esse, vt Commendatarijs domus subiecta esset, ipsisque Moniales obedientiam præstarent: in quam ipsa consentire prorsus non poteram, quòd Carmelitarum, & proinde B. Virginis Deiparæ is Ordo esset. Vnde de nouo eam peti opus fuit. nam in hac, & Veasensi fundatione aliter fieri ac transigi non potuit. Sed Rex noster, qui in præsens quidem est Philippus Secundus, hanc mihi gratiam præstitit, vt,

cum

cum ei scripsissem, mandarit vt quæ peterem mihi concederentur: adeò scilicet is gratificari & fauere gestit Religiosis, ijs inquam, qui professionis suæ regulam sequuntur & exactè seruant: cognito namque ecqua nostra esset in hisce monasterijs viuendi ratio, primigeniamque in ijsdem seruari regulam, in omnibus & vbique nobis se propitium reddidit. Quapropter etiam atque etiam vos rogo, carissimæ, vt particulari semper modo pro eius Maiestate fiat oratio, vti & modo ea apud nos fit.

Interim dum denuo ad Curiam pro impetranda facultate legatio mittitur, ego, Patre Commissario (qui tum erat, vti & modo est, P. Hieronymus Gratianus de Matre Dei, sicuti antea retuli) iubente, Hispalim profecta sum, vnde miseræ illæ domicellæ vsque ad primum sequentis anni diem inclusæ manere: nam cum primum Abulam ad me scripsere, mensis Februarius agebatur. Facultas quidem non diu dilata est, sed, quòd ipsa procul distarem, & varijs oppressa essem malis, illis succurrere, pro tunc non poteram; quamquam sortem illarum miserarer, eo quod sæpe ad me scriberent, suamque orbitatem identidem exponerent. Vnde nefas putaui, diutius eorum vota & expectationem frustari. Quod autem illuc me abire videretur, impossibile, cùm quod locus adeò esset remotus, tum quod fundatio in qua versabar, nondùm planè esset confecta; hinc P. Hieronymus Gratianus Visitator constituit, vt saltem Moniales, quæ fundationis initia ponerent, illuc se, tametsi ipsa non adessem, quæ Malagonensi in domo interim manserant, ferè conferrent.

Illa procurauí vt Præposita esset, quam optimè munere suo functuram credebam (est namque multo me melior) quare omnia necessaria secum sumpta, cum duobus Patribus Discalceatis ex Ordine nostro, se in viam dederunt; nam P. Iulianus de Auila & Antonius Gaitanus iam abhinc diebus aliquot ad proprias sedes reuerterant: quòd autem locus valdè dissitus esset, & tempus satis importunum (finis videlicet Decembris) illos euocare & congredi nolui. Carauacam vt appulere, magno totius populi plausu, & summo & illarum virginum, quæ adeo reclusæ fuerant, gaudio exceptæ fuere. Fundatū porro monasterium, & Sanctissimum Altaris Sacramentum primo anni Millesimi quingentesimi septuagesimi sexti die illarum est. Eodem ipso die duæ illarum Religiosum sumpsere vestem; tertia vero, quod melancholica cumprimis esset, & clausuram pati vix posset (nedum tantam vitæ austeritatem & pœnitentiam) cum quadam sorore sua ad paternas ædes voluit reuerti.

Videte, carissimæ, Dei iudicia, quantumque ad ei seruiendum teneamur,

neamur, nos, quas, ſque dum profeſſionem emitteremus, perſeuerare, vtque iugiter in domo Domini velut propriæ Beatæ Virginis filiæ maneremus, conceſſit. Mirum certè, Maieſtatem eius voluntate & facultatibus Virginis huius, ad fundationem monaſterij huius, vti voluiſſe; &, eo ipſo tempore quo potitura eſſet eo quod tantopere deſiderarat, robur & animum eam defeciſſe, & ab humore melancholico ipſam ſe expugnari ſiuiſſe; cui omnem non rarò, imperfectionum & mutationis noſtræ culpam imputamus. Vtinam diuina Maieſtas eius quàm abundantiſſimè ſuam nobis donet gratiam, per hanc namque fiet, vt nihil nos impediat, quo minùs ſemper in eius obſequio progrediamur: præterea, omnes quotquot ſumus protegat & faueat, ne tam bonum & illuſtre principium noſtra inertia ignauiaque intercidat, ſicuti facere dignatus eſt, vt ipſum à miſerabilibus mulierculis, quales ipſæ ſumus, initium & ortum haberet. Quare nomine eius vos rogo, ſorores & filiæ meę, hanc vt gratiam identidem ab eo eflagiteris, & vnaquæque earum quæ pòſt venturæ ſunt, ſibi perſuadeat, in ſeſe primigeniam & reformatam Ordinis B. Virginis regulam denuo incipere & refloreſcere, & nullatenus in vllam mitigationem inducendam conſentiat. Cogitate verò, etiam minima quæque aditum & ianuam ad maxima pandere, & vobis neſcientibus, & ne quidem neſcientibus, mundum ſubingreſſurum. Mementote, per paupertatem & labores perfectum ad exitum perductum eſſe id, quo vos iam quietè & pacificè fruimini; &, ſi rectè aduertatis, videbitis, potiſſimam harum domorum partem, non tam ab hominibus, ex parte, quàm à potenti Dei manu fundatam & ſtabilitam eſſe: gaudet porro Maieſtas illius ea promouere opera quæ ipſemet facit, niſi nos à parte noſtra impedimento ſimus. Vndenam enim, putatis mulierculam quamdam, qualis ipſa ſum, vires & robur ad tam magna opera patranda habituram? vtpote quæ & ab alterius manu & poteſtate dependebam, ac ne vel obolum habebam, nec aliquem qui mihi vllum ſubſidium adferret. nam frater ille meus, qui in Hiſpalenſi fundatione auxilio fuit, quique aliquid facultatum & animi, nec non bonam voluntatem & aliquatenus adiuuandum habebat, in India tum verſabatur. Videte, cariſſimæ, dexteram Excelſi: an ideo mihi honor attributus, quòd nobili eſſem ſtirpe edita? quibuſcunque ex partibus rem inſpicere voletis, illius id opus eſſe cõperietis. quare nefas eſt, nos ipſum vel in minimo imminuere, eſto id vitæ, honoris & quietis noſtræ fiat cum compendio, idque eo magis, quòd hæc omnia hic iunctim & ſimul habeamus. Vita namque eſt, ita viuere, vt mortem, vel vllos vitæ huius ſucceſſus haud quaquã metuamus, ſed eamdẽ, in omnibus animi ſerenitatem & gaudium præferre, qualem omnes quotquot eſtis iam

S. Mater hortatur ad regulæ intergritatem ſeruandam.

Vita vera Religioſæ quæ ſit.

habetis; nec non illam prosperitatem & affluentiam, qua nulla haberi potest maior, qualis est paupertatem non exhorrescere, sed eam potius desiderare. Cui vero rei assimilem interiorem simul & exteriorem pacem, quam semper habetis? in vestra porro manu est, cum illa mori & viuere, quèadmodum mori vidimus illas, quas hactenus hisce in monasterijs vidimus mori. Si enim à Deo semper petatis, vt hoc ipsum vlterius producat & adaugeat, nullamque in vobis ipsis fiduciam habeatis, suam ille misericordiam vobis non denegabit, dummodo semper in ipso spem & fiduciam collocetis, & generosas & animosas vos præbeatis; etenim Maiestati illius id quam gratissimum est. Nolite metuere, vt quidquam vobis desit, & numquam reijciatis eas quæ in Ordinem admitti postulant (dummodo illarum desideria & naturæ talenta vobis placeant) si forte illis necessaria ad hoc subsidia desint, dummodo intentio illarum sit vt maiore hic cum perfectione Domino seruiant; neq; etiam, si fortunæ bonis careant, si modò ab animæ & internis bonis sint instructę: alia namque via in duplum vobis Dominus rependet id quod per hanc lucrari & comparare putabatis.

8. Mater plures admisit pauperes quam diuites.

Magnam ipsa rei huius habeo experientiam. nouit quippe Maiestas eius, me, quantum recordor, nullam vmquam ob rei huius defectum in ordinem suscipere prætermisisse. Testari id poterunt plurimæ illæ quæ solo Dei ipsius intuitu & causa admissæ sunt, vti vos ipsæ non ignoratis. Et certe in veritate asseuerare vobis possum, non tantum me gaudij in animo sentire solitam, dum opulentam aliquam admitto, quàtum, cum illas quæ solo Dei amore suscipiuntur: imò vero locupletiores semper me timere faciebãt; pauperculæ autem spiritum mihi & animum dilatabant, earumque admissio tanto me replebat gaudio, vt mihi præ mentis iubilo lacrymæ erumperent. & est hoc quam verissimum. si ergo cum domus aut emendæ aut restaurandæ erant, Dominus tam fideliter nos iuuit, cur non facturus est idem, habentibus iam nobis vbi viuamus & habitemus? Mihi credite, filiæ, per id vos facturas dispendium, per quod facturas vos putatis compendium. Quando autem quæ admitti postulat, facultates habet & bona, nullas tamen alias obligationes & debita, si fortè alijs eas relinquere velit qui fortasse ijs opus non habebunt; consultius sanè fuerit, vt vobis eas in eleemosynam det: aliter enim si faciat, patui id in vos affectus signum esse sentio. semper vero illi quæ admitti postulat, proponite, vt de facultatibus quas habebit disponat & faciat id quod viri docti ad maiorem Dei gloriam facere indicabunt. Malum namque foret, si ob alium quàm eum quem dixi finem & scopum, ab aliqua quæ admit-

admittitur facultates peteremus. Plus longè namque lucramur per hoc quòd illa faciat quod Deo ſuo debet (maiore inquam cum perfectione) quàm per quodcumque facultatum ſecum ferre poteſt: cum aliud non ſpectemus (nec vt aliud ſpectemus permittat Deus) quam vt Maieſtati eius in omnibus, & per omnia, obſequium præſterur. Et quamquam ipſa inepta & miſerabilis ſum, tamen tum ad honorem & gloriam eius, tum verò vt gaudeatis, recogitantes quomodo hæ domus eius fundatæ ſint, dico, numquam me illarum negotio (inhiſce inquam fundationibus) nec in re qualibet, quæ harum occaſione mihi quomodolibet occurreret (tametſi etiam nullam omnino fundare potuiſſem, niſi ab hac intentione vel paululùm deflectendo) quidquá facturam fuiſſe, aut etiam feciſſe, quod Dei voluntati vel minimùm repugnare, aut cum ea vſquequaque non coincidere noſſem, ſecundum id quod Confeſſarij mei conſulebant; qui, ex quo hæc ago, ſemper viri maximè docti, & egregij Dei famuli fuere: &, quantum quidem recordor, numquam mihi aliud in mentem venit, aliamue intentionem habui.

Forſitan fallor, ac multa fortè commiſerim quæ ignoro, itaq; infinitæ meæ erunt imperfectiones. Nouit hoc Dominus, qui veraciſſimus & æquiſſimus eſt ludex; ac proinde plura de meipſa nõ dico, quàm ſcire & noſſe potui. Video adhæc euidentiſſimè, hoc à me profectum non eſſe, ſed ex eo quòd Deus opus hoc fieri volebat: quòd ergo ſuum id opus eſſet, ideò mihi aderat, hancq; gratiam præſtabat. Ideo namque id refero, cariſſimæ, vt noueritis, maiorem veſtram erga eum obligationem eſſe, & ſciatis, ea quæ hactenus facta ſunt, ſine vllius iniuria, læſione, ac præiudicio facta eſſe. Benedictus ſit ille, qui omnia hæc fecit, & hominum qui nobis auxilio fuere, caritatem & beneuolentiam excitauit. Vtinam verò Maieſtas illius ſemper nos protegere, & ſimul gratiam dare, ne poſt tot fauores acceptos nos ingratas præbeamus, dignetur. Amen.

S. Matris labores in hiſce fundationibus ſuſcepti.

Iam vidiſtis cariſſimæ, aliquas me difficultates & vexationes paſſam eſſe (quamquam credam eas quas ſcripſi minimas eſſe; ſi enim ſingillatim eæ & enucleatim dicendæ eſſent, infiniti eares laboris ac tædij eſſet) tum in vijs & itineribus, tum in aquis, niuibus, deuiatione, & (quod maximum) quòd ſæpè tam infirma fuerim valetudine, vt aliquando (neſcio an non id iam antè retulerim; etenim id in prima profectionis die contigit, cum videlicet Malagone Veaſium peteremus) febri æſtuarem, & tot ſimul malis oppreſſa eſſem, vt viæ qua eundum erat longinquitatem conſiderans, meque ita conſtituram cernens, Patris noſtri Eliæ Ieſabelem fugiẽtis, recordarer, ac dicerẽ: *Quomodo hoc perferre*

Potera Domine tuum est hoc aduertere. Et certè Maiestas eius, ita me debilem & infirmam videns, subitò me à febre, necnon ab omnibus morbis, qui extremi erant, liberauit. Porrò iam inde ex eo tempore quo id contigit vsque nunc, inde liberationem hanc ortum habuisse mihi persuasi, quòd quidam Sacerdos, insignis Dei famulus, illuc esset ingressus: & forsan id ideo factum: quidquid sit, ipsum saltem malum, tum interius, tum exterius, repentè & in momento me deseruit. Valetudine ergo confirmata, corporales labores æquo animo perferebam. Porro in multorum ac variorum hominum conditionibus ferendis (quod certè in singulis penè vrbibus occurrebat & necesse erat) non parum mihi laboris subeundum erat. Adhæc, in filiabus & sororibus meis, cùm de vno loco in alium proficiscendum erat, deferendis, satis magnam me crucem & molestiam (quòd eas singulari quodam amore complectar) sensisse vobis asseuero: præsertim cùm cogitabam, quòd eas ampliùs visura non essem, magnumque earum dolorem & lacrymas (quamuis ab aliarum rerum affectu & amore multum elongatæ sint) vicissim intuerer. Hanc verò illis Dominus gratiam dare noluit, forsitan vt sic ipsa maiorem patiendi materiam haberem, quòd illas vnicè diligam, tametsi hunc illis amorem, quantum poteram, conarer abscondere, ne eum ipsæ agnoscerent. vnde etiam subinde eas obiurgabam & reprehendebam; tametsi parum per hoc proficerem: etenim amor quo me hæ prosequuntur, vehemens est, &, quantum permultis è rebus videre est, verus ac sincerus.

Intellexeritis adhæc, hasce fundationes non solùm annuente Reuerendissimo P. Nostro Generali factas esse, verùm etiam postea sub præcepto obedientiæ iubente & mandante. neque hoc solum, sed etiam, quoties noua aliqua sedes ac conuentus erigebatur, summopere sese hac noua erectione lætari, mihi scribebat. Et sanè, maxima, quam in laboribus omnibus meis sentiebam, recreatio & alleuiamentum erat, quòd illum adeò re hac recreari & gaudere viderem: putabam namque me, hanc illi recreationem & gaudendi materiam dando, aliquod Domino obsequium præstare, quòd esset meus Superior: præter hoc, eum quam maximè diligebam. Verùm cùm dictas fundationes perfecissem, à fundando aliquantisper cessatum est, vel quòd Dominus aliquam mihi requiem indulgere dignatus sit, vel quod cacodæmonem malè haberet, tot sedes, in quibus obsequium Domino præstaretur hinc inde fundari. At satis videre fuit, id per Reuer. Patris nostri Generalis voluntatem non stetisse: is namque, cum eum per litteras rogassem, ne mihi nouorum conuentuum erectionem præci-

Qua sit causa quod à fundãdo aliquantisper cessarit.

præciperet, in illa re se minimè mihi morem gesturum rescripserat. etenim tam multos is fundari cupiebat, quot in capite haberem capillos.

Porro antequam Hispali reuerterer iam inde è Capitulo quodam Generali (in quo par & æquum videbatur vt approbaretur ac laudaretur quòd aliquod Ordini factum esset incrementum) ab eiusdem diffinitoribus mihi iniunctum est, non modò vt nullas posthac nouas erigerem sedes, verùm etiam, ex omnibus iam erectis vnam mihi eligerem, in qua deinceps quietè viuerem, nec quacumque de causa illinc egrederer. Quod certè velut carcer est. etenim nulla est Religiosa, quam Prouincialis ob res ad bonum Ordinis necessarias ex vno loco ad alium (id est ex vno monasterio ad aliud) mittere non possit. Id verò grauius mihi erat, quod Pater noster Generalis animo à me iam esset alieniore, esto valde sine causa & immeritò; sed maleuoli & suspicaces homines eum suas in partes pertraxerant, quibus ille credebat. Quod certè valde me angebat. Adhæc duo aduersum me testimonia, & quidem in magni momenti rebus, tunc producta & procusa sunt. Vt verò misericordiam Domini videatis, cariſſimæ, illiusque Maiestatem non derelinquere eum qui ex animo illi seruire desiderat, dico vobis, non modò nullum me inde dolorem, verùm etiam summum & accidentale quoddam gaudium sensisse. Adeò vt iam non miret, Dauidem Regem ante arcam Domini euntem saltasse: etenim tunc quidem, ipsa aliud nihil prò magnitudine gaudij quod intra me sentiebam, facere voluissem: nam quomodo illud celarem ac regerem nesciebam. Cuius rei quænam sit causa, scire nequeo: nam in alijs grauioribus oblocutionibus & contradictionibus, in quibus aliquando sum versata, simile quid hactenus non sensi: vna tamen earum quæ de me sparsæ erant calumniarum, satis grauis & infamis erat. Ceterùm illa posthac nullibi fundandi inhibitio (nisi illæ Reuerendiss. Patris Generalis indignatio accessisset & displicentia) maximã mihi afferebat quietem, & tranquillitatis erat materia, ac res quã ipsa persæpè exoptaui, vitam scilicet meam posse in quiete finire: tametsi qui id ipsum procurabant, id minimè spectarent aut cogitarent, sed talem sese hac ratione mihi afflictionem dare arbitrarentur, qua nulla posset dari maior: etsi fortasse aliqua alia bona intentione ad hoc faciendum mouerentur.

Vetatur plura erigere monasteria.

Subinde quoque me recreabant maximæ illæ oblocutiones & cõtradictiones quas in fundationibus illis conficiendis experta sum, quarum aliæ quidem è bona intentione proficiscebantur, aliæ alia ex causa ortum habebant. at certè tale me vllo è labore & afflictione

gaudium sensisse non memini, quale ex hoc quod iam antè paulò retuli. Etenim fatear necesse est, vel vnam harum trium rerum, quæ simul & iunctim me tunc impetiuere, alio tempore nimis quàm sufficientem mihi afflictionis causam futuram fuisse. Credo equidem gaudium meum inde præcipuè ortum habuisse, quod cogi putarem, cùm creaturæ mihi tam malè rependerent, ipsi tamen creatori satisfacerem. Didiceram namque, eum, qui è rebus terrenis & hominum laudibus gaudium ac satisfactionem quærit, valdè falli ac decipi, vt nihil dicam de exiguo qui inde sequitur fructu hoc quippe ipsis lubet & videtur hodie, cras illud, & de quo hodie bene loquuntur, postea malè loquentur. Tu verò Domine & Deus meus, qui immutabilis es, esto in æternum & in sæculum sæculi benedictus. quisquis tibi ad finem vsque fideliter seruit, sine fine in æternitate viuet.

Fundationũ scribendarum, intermittendarum & repetendarũ quæ fuerit occasio.

Incepi porro (vti dixi initio) hasce fundationes describere iussu R. P. M. Ripaldij Societatis Iesu, qui tum Salmantini Collegij Rectorem agebat, & quo ipsa, cum in S. Iosephi monasterio in illa ciuitate erecto agerem, Confessario vtebar, anno scilicet millesimo quingentesimo septuagesimo tertio. Iam tum aliquas scripto commiseram, at postea, ob ingruentes occupationes, à scribendo destiti. Vnde etiam in ijs vlterius pergere non decreueram, tum quòd dicto Patri amplius non confiterer (quia is iam alio migrarat) tum quod quidquid scribo & scripsi, magnò mihi labore constat, tametsi omnem, quemcumque in eo subij laborem, vt bene impensum reputem, vti & quidquid hactenus mihi ex obedientia iniunctum est.

Hoc quidem firmiter & plane apud me constitueram, at P. Commissarius Apostolicus (qui modo est P. M. F. Hieronymus Gratianus de Matre Dei) mihi vt in ijsdem pergerem & absoluerem, præcepit. Ipsa verò ei aperiebam quàm parum adhoc haberem otij, nec non alia multa afferebam, quæ ad me ab hoc onere excusandam, pro tunc quidem mihi (quòd adeò immorigerá sim) in mentem veniebant. Imprimis vero causabar ingentem quæ inde mihi secutura erat, de fatigationem & lassitudinem. At ille nihilo secius mihi iniunxit, vt paulatim, & quomodocumque possem in earum scriptione vsque ad finem, progrederer. vti & feci, parata & contenta, vt, quidquid malè dictum scirent & intelligerent, ipsum eraderent. Imo forsan fieri potest, vt, quod mihi optimum videtur, ipsis videatur pessimum.

Absolutum porro opus hoc est hodie, ipsa inquam Sancti Eugenij vigilia, decimo quarto Nouembris die, anno millesimo quingẽtesimo septuagesimo septimo, in monasterio Toletano, à S. Iosepho appel-

appellato, in quo modo, R.P. Commissarij Apostolici Magistri fratris Hieronymi Gratiani de Matre Dei, quem modo Discalceatorum & Discalceatarum primitiuam Regulam sectantium Superiorem habemus, quique etiam eorum qui Mitigatam sequuntur, per Bæticam Visitator est constitutus, iussu & præcepto habitationem habeo; ad honorem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui regnat, & per omnia sæcula in æternum regnabit. Amen.

Cæterùm ex amore Domini nostri Iesu Christi, sorores meas & Moniales, quæ hæc lecturæ sunt, rogo, vt me Maiestati illius commendent, quò mei misereatur, & à pœnis purgatorij liberet, ac, si in ipsum detrudi promerear, ad sui fruitionem & conspectum admittat. Cùm verò, quamdiu in vita futura sum, hoc opus visuræ non sitis, post mortem saltem is quem in eo scribendo cepi, labor & defatigatio, aliquod mihi lucrum adferat, nec non ingens illud, quod in scribendo habui desiderium, vt aliquid dicere possim quod vobis consolationi sit, si modò ipsum legere permittamini.

Cùm in Abulensi Monasterio agerem pridie festi Pentecostes, intra eremitoriolum Nazareth recluſa, ac singularem quamdam gratiam, quam illo iam ante viginti circiter annos die aliàs mihi Dominus præstiterat, animo voluerem, magnus quidam spiritus impetus & feruor me occupare cæpit, qui & mentem à se alienauit. In magna hac recollectione, à Domino intellexi quod modò referam, vt scilicet eius nomine Patribus Discalceatis significarem; quatuor res obseruare vt procurarent, quas quamdiu obseruarent, tamdiu fore vt ipsorum Religio semper in melius creſceret, cùm verò negligerent, scirent à suo illam fundamento desciscere & retrocedere. Prima erat, vt omnes superiores concordes & conformes inter se essent. Secunda, vt, quamuis de facto multos habituri essent conuentus, in singulis tamen pauciſſimi essent fratres. Tertia, vt cum sæcularibus quàm rariſſimè conuersarentur idque nonniſi ad animarum ipsorum bonum ac salutem. Quarta, magis operibus docerent, quàm verbis. contigit hoc anno Milleſimo, quingenteſimo, septuageſimo nono: Et quia hoc certiſſima est veritas, hinc meo id nomine subsigno

Teresa De Iesv.

Caput

CAPVT XXVII.

NARRAT FVNDATIO MONASTERII IN OPIDO VILLA-nona de la Xara.

HIspalenſi fundatione iam conſtabilita, à fundando per quadrienium & amplius ceſſatum eſt, cauſa fuit, quòd magnæ ac graues derepentè aduerſus Diſcalceatos & Diſcalceatas exortæ ſint perſecutionum procellæ: quamuis enim permultæ hactenus contra nos inſurrexiſſent, nulla tamen ita fuit grauis atque hæc vltima, vtpote quæ fuit huiuſmodi, vt, quidquid factum erat hactenus ſummo eſſet in periculo, ne penitus ſubuerteretur & concideret. Satis ergo patuit, quàm diabolo ſanctum hoc principium quod Dominus inchoarat, moleſtum & exoſum eſſet, quodque videret id opus illius eſſe, quando quidem progreſſum & incrementum habebat. In Diſcalceatos, ac præſertim Superiores ipſorum, grauis hæc falſorum teſtimoniorum & obloquiorum, (quia omnes penè Patres mitigatæ regulæ illis ſe opponebant) procella deſæuijt. Hi ergo Reuerendiſſimum Patrem noſtrum Generalem ita perpulerunt, vt, quamuis vir eſſet vitæ integerrimus, & ipſemet facultatem dediſſet vt omnes conuẽtus fundarentur (vno excepto Abulenſi, qui fuit primus, is enim annuente Pontifice, Romano erectus eſt) omni contentione obſtiterit, ne pluta Diſcalceatorum monaſteria fundarentur: nam erga monaſteria Monialium ſemper bene animatus manſit. Quoniam vero illorum ipſa rebus prout poteram opitulabar, aduerſum me ſtomachari & indignari cæpere: quod certè maximum fuit, quod hiſce fundationibus pertuli, tormentum & afflictio; tametſi ea fuerint plurima. Etenim vt opus, quod ipſa ad oculum videbam ad Dei obſequium & Ordinis noſtri incrementum tendere, promouere & iuuare deſinerem, non patiebantur viri longe doctiſſimi, quibus ipſa tum confitebar: alia autem ex parte aduerſari me ijs quæ Superiorem meum velle videbam, ipſa mihi morte grauius videbatur. nam præterquam, quod eum amare obligabar eò quòd ſuperior meus eſſet, aliunde etiam mirificè erga eum afficiebar, & ſanè hoc illi debebatur. Vt autem verum fatear, tametſi in hoc illi morem gerere & gratificari quàm maximè vellem, minimè tamen poteram, quod Viſitatores haberem Apoſtolicos, quibus parere neceſſe me erat. Moritur interea Nuntius Apoſtolicus vir ſanctus & mirus virtutum fautor & cultor, qui proinde inſigniter erga Diſcalceatos afficiebatur.

Procella ad. uerſus Diſcalceatos exorta.

Illius

Illius in locum alius ſufficitur, quem propterea Deus ſubmiſiſſe videbatur, vt aliquam nobis patiendi materiam ſuggereret. Pontificem ſummum aliquo conſanguinitatis titulo is attingebat, & haud dubiè Dei ſeruus erat. Sed mox vt huc venit, Patrum Calceatorum & Gaudentium negotia ſerio cordi habere, & ſtudiosè promouere cœpit; &, ſecundum ea quæ illi de nobis relata erant, viſum illi expedire, vt, hæc quæ iam data erant, principia, vlteriùs non procederent. Vnde etiam mox ſummo cum rigore hæc ipſa executioni mandare cæpit, eos condemnando, carceri mancipando, aut proſcribendo, quos ſibi in hoc cœpto reſiſtere poſſe putabat.

Ante, & plus alijs, exagitati ſunt F. Antonius de Ieſu, is inquam qui primi Diſcalceatorum Monaſterii fundamentum fuit, nec non P. Hieronymus Gratianus, quem pro defuncto Nuntius Apoſtolicum Gaudentium Patrum Viſitatorem conſtituerat. Aduerſus hunc, & P. Marianum de S. Benedicto, nouus ille Nuntius maximè inſurrexit. Qui qualeſue, Patres hi fuerint, iam antè in Superioribus fundationibus declaraui. In alios etiam Patres, è grauioribus & celebrioribus animaduertit, ſed non eo quo in priores, rigore. his ergo anathematis propoſita pœna indixit, ne quis verbum illa de re amplius faceret. Satis verò apparebat hæc omnia Deo dirigente fieri, ipſiuſque Maieſtatem ad maius aliquod bonum, vtque bonorum illorum Patrum virtus magis hac ratione innoteſceret (vti etiam innotuit) permittere. Quocirca quemdam ex mitigato Ordine Monaſterijs noſtris tum Monialium, tum Religioſorum Viſitatorem præfecit. Qui ſi id, quod cogitabat, in illis inueniſſet, nimis quam grauiter nos afflixiſſet, quamquam adhuc ſat magnam afflictionem paſſi ſumus, quemadmodum aliquando ſcripto committet, qui meliùs quàm ego, id poterit præſtare. Ego vero hæc obiter tantum & velut per tranſennam tango, vt, quæ pòſt venturæ ſunt Moniales, norint, quantopere ipſæ ad perfectionem ſemper promouendam ſint obligatæ, cùm iam velut complanatum inueniant, quod Monialibus hodie viuentibus tam caro ſtetit: etenim illarum nonnullæ illo in tempore ſatis multa propter ſiniſtra illa teſtimonia & calumnias perpeſſæ ſunt: quam ſanè magis miſerebar quàm mei ipſius: nam quod ego patiebar, adeò non me affligebat, vt potius gaudium inde & voluptatem caperem. Perſuaſum habebam, mei vnius cauſa turbidam hanc tempeſtatem coactam eſſe, meque in procelloſum mare, adinſtar Ionæ, conjecta, fore vt vniuerſa procella detumeſceret. Benedictus ſit Deus & laudatus, qui veritatis patrocinium ſuſcipit. vti hic ſuſcepit. Etenim Rex noſter Philip-

pus, cognito quid rerum ageretur, & audito quæ Discalceatorum esset viuendi ratio & institutum, nostri patrocinium suscipere dignatus est, adeò vt à solo Nuntio causam nostram noluerit iudicari; sed quatuor ei sua ipse sponte designarit assessores, viros graues, & horum tres esse iusserit Religiosos, quò causæ nostræ æquitas melius discuteretur. Horum vnus erat P. M. F. Petrus Fernandius, vir vitæ sanctimonia, doctrina, iudicioque præstans; qui iam aliàs in Castellana prouincia, Apostolici Commissarij, & Visitatoris, tum Gandentium, tum Discalceatorum, munere functus erat. Norat is rei veritatem, & quænam tam horum quàm illorum, esset viuendi ratio; etenim aliud nihil ipsi desiderabamus, quàm id innotesceret.

Rex Philippus Discalceatos iuuat.

Vbi ergo primum intellexi, hunc à Rege virum ad causæ examen & cognitionem denominatum esse, rem vt confectam habebam, quemadmodum etiam deinde, quæ Dei misericordia est, confecta est feliciter. Det Maiestas eius, vt id ad gloriam & honorem suum cedat. Tametsi verò permulti Hispaniæ Proceres & Episcopi summopere festinarent, ad Nuntium de rei totius veritate certiorem reddendum: hæc tamen omnia nihil profuissent, si Rege Deus vt instrumento vsus non esset. Quamobrem, carissimæ, eum quàm maximè obligatæ sumus semper nostris in orationibus Domino commendare, vti & omnes eos, qui causam tum ipsius, tum B. Virginis Dominæ nostræ, defendendam suscepere. quocirca id vobis etiam atque etiam commendo. Iam igitur liquidò videtis, carissimæ, quam paruaad vlteriùs fundandum supperteret oportunitas. quare assiduè iugiterq; orationibus insistebamus, & pœnitentias frequentabamus, quo quæ iam fundatæ erant domus, Deus vlteriùs conseruaret, si illis ad suum honorem vti vellet.

Sub huius grauioris tempestatis, quam adeò paucis perstrinxi (etenim propterea exigua ea vobis videbitur, quæ tamen permagna & multa fuit, & tamdiu durauit) initium, cum Toleti iam ab Hispalensi fundatione reuersa anno M. D. LXXVI. agerem, quidam opidi Villanoua de la Xara Sacerdos mihi à Magistratu & senatu loci illius litteras attulit, quibus ille petebat vt ad nouem virgines quæ in S. Annæ eremum iam ab hinc annis aliquot simul sese receperant, & in domuncula quæ ei vicina erat, commorabantur, in id admittendas, ad Monasterium illic fundandum excurrerem. tanta porro hæ in recollectione & sanctitate viuebant, vt vniuersam opidi permouerent multitudinem, ad pijs ipsarum desiderijs, quibus Moniales esse volebant, satisfaciendum,

endum. Litteras quoque suas hac de causa ad me miserat loci illius Parochus, Augustinus Eruias cognominatus, vir doctus iuxta, ac pius: pietas autem eius in causa erat, vt, quantum posset, opus hoc sanctum promoueret. Mihi vero ea res minimè admittenda videbatur, idque ob hasce rationes. Primo, quod tam multæ essent, quare nimis quàm difficile mihi fore videbatur, vt quæ iam certæ vitæ rationi assuetæ erant, ad nostrum sese institutum accommodarent. Secundo, quod nihil propè haberent, quo sese sustentarent, & opidum vix mille numeraret ciues: adeo vt ad eleemosyna viuendum vix ratio affulgeret; & quamuis resp. illarum se necessitatibus prospecturam spoderet, minimè ea durabilis ac perpetua futura promissio videretur. Tertiò, quod carerēt domo. Quartò, quòd ab aliis monasterijs opidum hoc distaret. Et, quamuis harum virginum probitas omnium sermone probaretur, certè quòd illæ mihi visæ non essent, scire non poterā, nū, quæ in hisce monasterijs talenta requirimus, hæc ipsæ præferrent. Vnde constitui, postulata prorsus negare. Vt tamen in eo consulto procederem, Confessario meo, qui tum erat Doctor Velascius, Canonicus & Cathedraticus Toletanus, viro docto æquè ac pio, quique modo Oxomensem Episcopum agit, rem communicare volui. pro more namque habeo, nihil vmquam è proprio cerebro & iudicio, sed huiusmodi virorum è consilio agere. Is ergo vt litteras vidit, remque ex ordine intellexit, suasit postulata prorsus non reijcerem, sed aliquam illis spem facerem: cum enim tot simul corda in vnum, Deo mouente, scopum collinearent, euidens id signum esse, Deum in eo sibi complacere, & id in suum obsequium dirigere velle. Illius ergo consilio acquieui, vt nec planè petita concederem, nec negarem. Interim verò dum impensius hæc per litteras, etiam per aliorum interuentionem qui negotium conficerent, petuntur, in annum vsque octogesimum protracta res est, quod semper inconsultum & stolidum mihi videretur eam concedere: at, cum responderem, numquam ex professo & de plano rem negare poteram.

Villanouani canobij exordia.

Factum interea, vt P. F. Antonius de Iesv in monasterio, quod à B. Maria de Auxilio nomen habebat, & tribus ab Villanoua leucis dissitum erat, exilium suum perficeret, & subinde illuc verbi diuini prædicationis ergo excurreret. quin & ipse loi c Præpositus, qui & modo est, P. F. Gabriel de Assumptione, vir apprimè prudens, & insigniter sanctus, sæpius ad idem opidum veniebat: quod ambo Doctori Eruias perfamiliares essent.

Cum ergo ſanctas haſce ſorores ſubinde conuenirent, ita erga illarum virtutes affici cœpere, vt, cùm à ciuibus, tum Doctore perſuaſi & impulſi, rem illam in ſe ſuſceperint, & per epiſtolas quàm inſtantiſſimè mihi commendare cœperint. Cumque ipſa in Malagonenſi Cœnobio (qui locus ſex & viginti leucarum, quin & amplius itinere à Villanoua aberat) agerem, idem Prior ad me, hac de re coràm acturus, excurrit, quid in ea fieri decernique poſſet ediſſerens; addebat, ipſum Doctorem Exuias, monaſterio iam fundato, trecentorum aureorum reditum annuum, è beneficij ſui penſione percipiendorum, aſſignaturum, dummodo ad hoc faciendum, ei à Romana Curia daretur facultas. Valdè autem incerta mihi ea res videbatur, quin & quamdam diffidentiam redolere, quòd, ipſo iam fundato id, vnà cum exiguo illo cenſu quem ipſæ habebant, ſatis ſuperque eſſet. Vnde plurimas P. Priori rationes, è quibus ipſe colligeret minimè expedire rem fieri, deprompſi, quæque, vt mihi quidem videbatur, ſufficientes erant: monens, vt & ipſe, & P. Antonius de Ieſu, rem ſeriò examinarent, ipſorum conſcientiæ eam me committere dictitans; putabam quippe, eas quas ijs afferebam rationes, ad ipſam euertendam, & non planè efficiendam; ſufficere. Vt ergo inde digreſſus eſt, conſiderare mecum cœpi, quantopere huc ipſe propenderet, & fore, vt de hac re ad Prælatum quem nunc habemus, Magiſtrum inquam F. Angelum de Salazar, referret, vt ſua is auctoritate eam admitteret: vnde eum, celeritate vſa, præuerti, ab illo impenſe per litteras petens, ne ad hoc facultatem concederet, meas illi rationes exponendo: & ipſe prout quidem poſtea mihi reſcripſit) numquam eam dare voluerat, niſi in quantum in id ipſa conſentirem aut approbarem.

Seſquimenſis (neſcio an non & amplius) effluxerat, cum mihi, cogitanti rem iam plane diſſolutam & impeditam eſſe, redditæ ſunt à tabellario, ſenatus litteræ, quibus ille ſignificabat ſimul & ſpondebat, nihil eorum quæ quomodocumque neceſſaria erant, illis defuturum; ipſe quoque Doctor Eruias ſeſe obligabat ad id quod ante iam dixi, accedebãt & litteræ duorum illorum Patrum, qui quàm enixiſſimè negotium vrgebant. Maxima autem mei timoris cauſa erat; quod non ſimul ſorores in Ordinem admittendæ eſſent: exiſtimabã namque fieri poſſe, vt hæ contra eas quę iam admiſſæ erant & veteranæ factionem quamdam inter ſe (vti fieri ſolet) excitarent; tum etiam, quod certi nihil ac ſtabile ad illarũ ſuſtentationẽ haberi viderem. q̃ enim nobis offerebatur, non erat huiuſmodi, vt ad admittendũ iure me poſſet cõpellere adeo vt me valde perplexãm & ancipitẽ videre. Verum poſtea

compe-

comperi, hunc solo dęmone auctore timorem in me excitatum fuisse: q satis ad hoc mihi animi à Domino daretur: nã tanta mea tunc erat pusillanimitas ac diffidentia, nihil vt Deo fidere viderer. Sed feruentes sanctarum illarum animarum preces tandem longè efficaciores fuere & plus potuere.

Ergo die quadam, cùm à sacra communione surgerem, & hoc Deo (vti sæpè faciebam) negotium seriò comendarem (nam causa, cur semper bene illis responderem, erat, quòd vererer, ne quo modo aliquarum animarum profectum & bonum impedirem: etenim nihil magis semper desidero, quàm aliquam a dinuenire & excogitare posse rationem, vt Dominus laudari & coli posset, & plures existerent, qui ei possent obsequium facere) Maiestas illius acriter me obiurgauit, petens; quibusnam reliquæ quæ hactenus erecta erant domicilia, thesauris fundata essent: & mandans hanc vt domum admitterem, vt quæ partim suum in obsequium, partim in animarum salutem cederet. Verba autem Dei adeò sunt efficacia, vt intellectus non solùm ea intelligat, sed etiam ab ijsdem ad veritatem intelligendam illustretur, simul etiam voluntas ad illa opere exequenda disponatur. Quod etiam hic mihi contigit: nam non solùm volupe mihi fuit monasterium hoc tunc admittere, verùm etiam grauiter mihi deliquisse & noxam insignem contraxisse visa sum, quòd tamdiu rem distulissem, & humanis rationibus plus æquo nixa essem, cùm quæ in sacra hac Religione. Maiestas ipsius hactenus fecit, adeò omnem humanam rationem & captum transscendisse viderim.

Dominus S. Matrem reprehendit quod domũ hanc nõ admitteret.

Vt ergo fundationem illam admittere planè iam constitui, necessarium cumprimis mihi videbatur, vt cum ijs, quæ ibi mansuræ erant, Monialibus me illuc ipsa conferrem, idque ob plurimas quæ mihi tunc occurrebant rationes & causas, tametsi ipsa corporis constitutio iter hoc mihi tunc dissuaderet, quòd ægra admodum Malagonem peruenissem, & ægritudo nondum me deseruisset. Sed tamen, quòd è re diuina id fore censerem, id superiori meo indicaui, petens, vt illud ipse mihi faciendum præscriberet, quod expedire magis iudicaret. Is ergo non modò fundandæ domus potestatem fecit, verùm etiam addito imperio mandauit, vt illius fundationi præsens interessem, & quas cuperem monachas mecum cõducerem. quod certè non parum mentem meam afflictauit, quòd hæ habituræ essent inter illas, quæ ibi iam commorabantur. Re ergo cum Domino per preces communicata, è Toletana domo vnam, quæ futura erat præfecta, duas verò è Malagonensi, nec non aliam quæ futura erat Vicaria, assumpsi. quod verò res hæc tam feruenter & frequenter esset per orationem ab illius Maiestate petita,

delectus hic optime cessit. quod ego certè permagni feci; etenim in fundationibus quæ è solis nostris Monialibus inchoantur, tanta non est difficultas, & omnia facili negotio accommodantur.

P. F. Antonius de Iesu, & R. P. Prior Gabriel de Assumptione, nos accersitum venerant. Cumque resp. omnia nobis necessaria suppeditasset, sabbatho ante Quadragesimale ieiunium, decima tertia Februarij die, anno octuagesimo Malagone discessimus. Ita porrò rectè valebam, numquam vt ægrotasse viderer, ita vt meipsa obstupescerem, perpenderemque quanti referret, propriã debilitatem & inualetudinem non morari, cùm de diuini cultus & gloriæ augmento agi videmus; quæcumque demum in contrarium insurgat contradictio & ablocutio. potens namque ipse est, è debilibus facere robustos, & ex ægris recte valentes & quamuis hoc etiam minimè faceret, nihil certè animæ nostræ accidere vtilius potest, quam aliquid pati. Ad quid enim vitam & sanitatem habemus, quam vt tanti Regis & Domini causa eam prodigamus, vtque honorem illius intuentes & spectantes, nostri ipsorum obliuiscamur? Hanc viam si insistatis, carissimæ (mihi credite) numquam quid vobis malè cedet. Equidem fatear oportet, meam mihi nequitiam & imbecillitatem sæpè timoris & dubitationis occasionem fuisse. attamen non memini, me, ex quo Discalceatarum habitum mihi Dominus dedit, quin etiam aliquot annis antè (quæ illius est misericordia) è singulari eius gratia, ab id genus tentationibus superatam succubuisse, & quod ad illius obsequium maximè facere nossem, quantumcumque id arduum ac difficile foret, faciendum non suscepisse. Satis autem video, quam id exiguum esset, quid quid à parte mea præstabam: at plura non cupit Deus, quam resolutionem illam ac propositum, vt reliquum ipse à parte sua præstet. quare sit ipse in perpetuum benedictus. Amen.

Per monasterium B. Virginis ab Auxilio cognominiatæ, de quo iam supra egi, & quod tribus à Villanoua milliaribus remotum est, transire nos oportebat, & illic aliquantisper hærere, vsque dum aduentus nostri opidanos certiores fecissemus: ita namque conuentum erat; me vero Patribus illis quibuscum ibamus, per omnia obedire par erat. Monasterium autem hoc intra siluarum est abdita, & in solitudine satis deuota: cui cùm propiores fieremus, fratres vnà cum Priore ordine incedentes nobis excipiendis obuiam processere: & quod essent discalceati, & tunicis suis grossioribus induti, omnibus nobis deuotionis sensum, mihi verò quamdam animi teneritudinem attulerunt, quòd florida primorũ Ordinis nostri Patrum tempora hac in imagine videre viderer, hiq; hoc in agro florum candidorũ

Discalceati Patres Sanctam Matrẽ excipiunt.

& fra-

& fragrantiſſimorum ſpeciem referrent. & certè tales eos in conſpectu & iudicio Dei eſſe credo: etenim, niſi iudicans fallor, valdè fideliter hoc in loco is ſeruitur. In ædem porro ſacram agminatim me conduxere, cantantes *Te Deum laudamus*, idque vocibus modeſtis & mortificatis. aditus porro illius ſubterraneus eſt, velut per cauernam, quæ ſpeciem referebat eius, in qua Pater noſter Elias delituerat. Ego certè tantùm interiùs gaudio delibuta eram, vt, ſimile quid ſenſura, etiam longius multò iter libenter ſuſcepiſſem: quamquam ſatis alioquin dolerem, quòd iam tum mortua eſſet ſancta illa mulier Catharina de Cardona, cuius opera monaſterium hoc Deus fundauit; quia, tametſi ſummopere id cuperem, illam videre non merui.

Ceterùm non abs re mihi fore videtur, aliquid hoc in loco de illius vitæ referre, nec non quibus iſtud hic monaſterium modis Dominus fundari voluerit, quod tantum tam multis per vicina opida hominibus fructum & vtilitatem (prout quidem è variis intellexi) attulit: vtque ſanctæ huius pœnitentia viſa, cariſſimæ, videatis, quàm ipſæ in poſtremis hæreamus, ſimul etiam nouum Domino feruenter ſeruiendi propoſitum concipiatis: cùm nulla ſit ratio, quò ipſæ minus præſtemus quàm illa, cum tam delicata & illuſtri ortæ proſapia non ſimus atque ipſa. Nam quamuis parum id importet, id eò tamen refero; quòd ſemper admodum delicatè, & pro ratione familiæ ſuæ (erat namq; Ducum de Cardona ſanguis, vnde etiam vulgò Domina Catharina de Cardona vocabatur) eſſet educata. Poſtquam verò iam pœnitentiæ ſe dare cœpiſſet, quoties mihi litteras ſcribebat (ſcripſit autem aliquoties) aliud ijs nomen non ſubſcribebat, quàm *Peccatrix*. Qui verò vitam eius ſcripto committent, quæ de ea antè, dicenda erunt, quàm ingentes haſce gratias ei Dominus conferret, nec non alia multa quæ eodem ſpectant, particularius & enucleatius proſequentur. Ego verò hic aliud de ea non dicam, quam quæ ex ijs qui cum ipſa conuerſati ſunt, & fidem merentur, audiui, ſi fortè ad veſtram ea notitiam non peruenerint.

Catharina de Cardona. elogium.

Quamdiu ergo Catharina hæc inter magnates & ſæculi huius Principes vixit, ſemper magnam animæ ſuæ rationem habuit, pœnitentiæq; exercendæ perſtudioſa fuit. Huius autem amor ac deſideriũ aſſiduè in ipſa creuit, nec non voluntas in illum ſe locũ conferendi, in quo ſola Deo ſuo frui poſſet, ſeque totam aſperitati (nemo vt in ea ſibi impedimento eſſet) impendere. Hoc ipſa conſilium ac voluntatẽ Confeſſarijs ſuis cum ſæpius aperiret, numquam hi ei ad hoc facultatem dare voluere. quod enim mundus hodierna die ita diſcretioni ſtudeat, & magnarum gratiarum, quas Deus vtriuſque ſexus ſanctis, qui olim

in de-

in deserto ei seruierunt, contulit, penè sit oblitus: hinc certè non miror, id illis propositum stolidum ac stultum visum fuisse. At quia veris desiderijs Maiestas illius semper fauet & adest, quò sic illa operi aliquando possint mandari; illo dirigente factum, vt Patri cuidam ex Ordine S. Francisci, cui nomen Franciscus de Torres, (quem ipsa familiariter noui, & vt sanctum virum reputo, quique iam ab hinc annis multis mirum in austeritatibus subeundis, & oratione colenda feruorem prætulit, necnon plurimas persecutiones & aduersitates perpessus est) deinde confessa sit. Nouit scilicet is optimè gratiam, quam Dominus præstare solet illis, qui quo illam recipiant, totis viribus connituntur. quare auctor & suasor ei fuit, vt moram omnem abrumpens, vocationem, ad quam Maiestas ipsius eam vocabat, sequeretur: nescio an hæc ipsissima eius verba fuerint, verisimile tamen est ipsa fuisse, cum eadem ab ipsa mox executioni mandata sint,

Suum illa propositum Eremitæ cuidam Compluti agenti aperuit, eumque rogauit vt secum proficisceretur; ea conditione vt nulli mortalium id dein significaret. Venerunt tandem ad locum, vbi hoc monasterium postea constructum est: vbi cùm illa angustam quamdã reperisset spelunca, quę ipsam vix caperet, ipse digressus est. Quòverò illam amore actã & impulsam putamus? etenim minimè curabat, aut solicita erat de eo quod comederet, de periculis in quæ incidere poterat, de infamia denique; quæ illam sequeretur tum, cùm iam inter homines non compareret. Quàm verò sancta hęc anima amore ebria esse debebat, quàm absorpta in eo vt nullus sibi in sponsi sui fruitione esset impedimento! quàm etiam determinata, ad amplius ad sæculum nõ reuertendum, cùm omnes eius delicias & gaudia sic à se abdicasset! Accuratè hoc consideremus, carissimæ, ac videamus, quomodo ipsa simul & semel euicerit & expugnarit vniuersa. Nam quamuis non minus & inferius sit quod ipsæ facitis, dum sacram hanc Religionẽ ingredimini, Deo voluntatem vestram dedicatis, & tam continuæ clausuræ professionem & votum emittitis, nescio tamen an primi hi feruores in nõnullis non intepescant, nosque ipsas rursus aliquibus in rebus amori nostro proprio non subijciamus. Det diuina Maiestas, vt hoc ita se non habeat; sed vt, sicuti sanctam hanc mulierem in nobis à mundo sequestrandis, eoque fugiendo, imitamur, ita etiam interius totaliter extra eum simus.

Multa sanè de mira vitæ eius austeritate inaudiui; at crediderim, nonnisi minimam eorum partem innotuisse: cùm enim tot annos insolitudine illa egerit, & incredibili asperitatis subeundæ arderet desiderio (cùm nullum haberet, qui impetum illius inhiberet ac reprimeret) verisi-

verisimile sanè est, diris ipsam in corpus suum modis sæuijsse. Hoc solum de illa referam, quod quidam ex ipsamet intellexere, atque inprimis Moniales nostræ Toletanæ, quas data opera ipsa inuisum abijt, & quibuscum simpliciter ac candidè (vti & cum alijs quibuslibet facere solebat) velut cum sororibus suis conferebat: magna namque eius erat simplicitas & candor, quemadmodum & humilitas eius magna erat. Et quoniam nihil se à semetipsa habere norat, hinc ab omni vanæ gloria nimis quam erat aliena; vnde voluptate ei erat gratias, quas ei Deus opt. max. faciebat, aliis referre, vt illarum adminiculo nomen illius posset laudari & glorificari. Quod sanè admodum periculosum foret in iis qui ad hunc statum non peruenere: nam propriæ laudationis notam saltem non effugerant; sed hanc & sinceritas & sancta simplicitas ab hac haud dubiè immunem præstabat; numquam enim hunc in ipsa defectum à quoquam audiui. Dixit autem, ad octennium se in illa specu mansisse, & ibi sæpius nonnisi herbis & radicibus agrestibus victitasse. Postquam enim tres illi panes, quos ei reliquerat eremita qui ipsam illuc duxit, defeciissent, amplius nihil habebat: vsque dum eam pastorellus quidam inuenit, qui ei deinde de pane & farina prospexit. nihil enim ipsa aliud comedebat, quàm tortas quasdam ad ignem excoctas, idque nonnisi post triduum. Certum autem est, nam & Religiosi ibidem commorantes id testantur, ipsos (idque postquam iam fracta asperitaribus erat) aliquoties ei, vt haleculâ, aut aliud quidpiam comederet præcepisse, cum iam scilicet monasterii fundationem procuraret; ipsam verò damnum inde potius, quam commodum aliquod sensisse. Numquam autem, (quantum quidem ipsa noui) bibit vinum. Ingenti & crassa quadam catena in tergum suum sæuiendo disciplinas faciebat, idque sæpius per duas horas, aut sesqui horam. Cilicia verò eius tam erant acuta & aspera, vt mulier quædam quæ è peregrinatione rediens apud illam, ibidem dormitura, manserat, mihi dixerit, se, cùm dormire se fingeret, vidisse illam cilicium suum exuentem, ipsumque quòd planè sanguinolentum esset, eluentem & mundantem. Multo verò grauius id erat tormentum (vti ipsa iis quas dixi Monialibus retulit,) quod à dæmoniis patiebatur: nam frequenter ingentium molossorum forma ei apparebant, inq; humeros illius conscendebant; alias verò ad instar colubrorum ac serpentium; ipsa verò nequidquam illorum aspectu terrebatur. Etiamsi monasterium iam condidisset, semper tamen ad specum suam se conferebat, in eaque dormiebat, nisi fortè cum diuinis officiis volebat interesse. At prius, quàm id constitueretur, ad quoddam fratrum Redemptionis captiuorum monasterium, (quod quarta leucæ parte inde distabat) sacri audiendi causa se, & quidem

interdum genibus adrependo, conferebat. Veſtis eius extima erat è panno groſſiori, vti & tunica; & ita conſuta & formata, vt virilis eſſe veſtis videretur.

Poſtquam autem tot annis illic ſola egiſſet, voluit Dominus illius nomen diuulgari. hinc omnes circumquaque incolæ tanta in eam deuotione & affectu ferri cæperunt, vt aſſiduè ad alloquendum affluenti multitudini ſatisfacere vix poſſet. vniuerſos porro magnæ cum caritatis & amoris ſignificatione alloquebatur. Quo autem diutiùs illic agebat, eo etiam cum tempore maior hominum ad eam fiebat confluxus. cui verò eam alloquendi fiebat poteſtas, is magnum aliquod ſe beneficium conſecutum arbitrabatur. Adeò autem hoc illi graue & moleſtum erat, vt ſe per hoc diceret enecari. Nam ſubinde tanta cunctum vicinum vndiquaque campum opplebat multitudo, vt poſtquam illic fratres ſunt commorati, non aliter ab ea expediri poſſent, quàm eam in ſublime efferendo, vt ſic ſubiectam multitudinem ſua manu benediceret. itaque ſe ab ea expediebant. Poſtquam iam octo ipſos annos in hac ſpelunca (quæ iam capacior erat, qui enim eam viſitatum veniebant, eam adauxerant) manſiſſet, in grauem incidit ægritudinem, è qua ſe morituram putabat, & hæc omnia in dicta ſpelunca contingebant.

Exinde auidè deſiderare cœpit, vt illic quoddam Fratrum Monaſterium excitaretur; atque iſthoc deſiderium ad aliquod tempus habuit, neſciens tamen cuius potiſſimùm Ordinis ipſum faceret. At cùm quodam tempore, coram crucifixo, quem ſemper penes ſe habebat, oraret, oſtendit illi Dominus in viſione album pallium; & hinc intellexit, ipſum Diſcalceatorum Carmelitarum eſſe debere; cùm tamen hactenus non intellexiſſet, tales in mundo vſquam religioſos exiſtere: quia tum temporis nonniſi duo eorum erecta erant monaſteria, Manzeranum videlicet ac Paſtranenſe. Inquiſiuit hauddubiè quis hic ordo eſſet, cumque cognouiſſet, tale Paſtranæ monaſterium eſſe, & Principiſſæ Ebolienſi, Roderici Gomezij Principis (ad quem Paſtrana pertinebat) vxori iam ab olim perfamiliaris fuiſſet, illuc ilicò conceſſit, vt quod ipſa tantopere cupiebat, monaſterium aliquando erigi poſſet. In Paſtranenſi verò Cœnobio, in templo S. Petri (hoc namque ei eſt nomen) B. Virginis ipſa habitum aſſumpſit, tametſi Monaſticam vitam aſſumendi aut vota emittendi intentionem non haberet: neque enim vmquam ad huiuſmodi vitæ genus propendit (quòd alia eam via Dominus conduceret) eò quod vereretur, ne, quam habebat ad auſteritates ſubeundas,

& insolitudine agendum, intentio per obedientiam & iussum Superioris impediretur.

Omnibus fratribus præsentibus habitum Beatæ Virginis de mõte Camelo assumpsit: interfuit inter alios P. Marianus (cuius iam ante in hoc fundationum tractatu mentionem feci) qui mihimet narrauit, tali se tunc in raptu & suspensione spiritus fuisse, vt planè sensus omnis & motus expers esset. Et hoc in raptu multos se Ordini huius vidisse Fratres & Sorores mortuos, hos quidem decollatos, alios verò tibijs & brachijs truncatos, tanquam si martyrio afficerentur: hoc namque in ea visione declaratur. Et sanè non est is huiusmodi, vt quid dicat, quod non viderit. Adhæc spiritus eius hisce suspensionibus non est assuetus: neque enim Dominvs per hanc eum viam conducit. Deum rogate, carissimæ, vt verum id sit, & tantum nostris temporibus bonum promereri, nosque de illarum numero esse possimus.

Ergo iam inde à Pastrana incepit pia illa Catharina media procurare, quibus hocce monasterium constitui posset. Atque ideo ad Aulam, quàm alias tam generosè & libenter reliquerat, reuertit: quod illi non exigua mortificatio fuerit oportet. Non defuere hic ei oblutiones & molestiæ. Etenim cum domo quopiam egrediebatur, ingruentem in se hominum multitudinem à se abdicare non poterat. & hoc omnibus in locis fiebat, ad quæ se conferebat: alij namque eius præscindebant tunicam, alij pallium exterius. Toleti quoque tum fuit, & ibi est apud Moniales nostras hospitata. quæ quotquot sunt, mihi constanter asseruere, tantam ab ea promanasse fragantiam, vt quem etiam vestes & cingulum eius exhalabant (postquam scilicet id ipsa deposuit, Monialibus aliud ei dantibus, & hoc ab illa tollentibus) odor, Dei Optimi Maximi laudandi esset occasio, quoque ei fiebant viciniores, eo & odorem fuisse intensiorem, cùm tamen vestes ob calorem, qui tum satis vehemens erat, malè potiùs tunc olere debuissent; (scio autem Religiosas non mentituras, at veritatem dicturas:) vnde factum, vt singularem omnes erga eam affectum, & venerationem conceperint. In Aula autem & alibi eæ, quæ ad monasterium constituendum necessariæ erant, pecuniæ ei suppeditatæ sunt; vnde etiam, postquam ad hoc facultatem obtinuit, ipsum fundauit.

Eo autem in loco erectum est templũ vbi eius fuerat spelunca: vnde ei alia separata, & extra viam sequestrata parata est. erat in ea sepulcrũ

concameratum, in quo vtplurimùm noctu & interdiu versabatur. Sed non diu ibi egit: neque enim deinde vltra quinque annos & dimidium, postquam ibi monasterium erectum fuit, superuixit: quin imò etiam illud ipsum quod vixerat, communem naturæ ordinem transgredi & superare videbatur; adeò scilicet aspera eius vitæ ratio erat. Demortua autem est (prout quidem mihi iam videtur) anno Domini M.D.LXXVII. eiusque funus maxima cum pompa & solemnitate celebratum est. Nam vir quidam nobilis, quem Ioannem de Legione vocabant, multum in eius exequias auri impendit. Corpus illius, in quodam B. Virginis (cuius illa perstudiosa fuerat) sacello tamdiu depositum iacet, vsque dum templum eo quod iam est, capacius construatur, in eoque benedictum eius corpus eo quo par est honore & cultu condatur. Deuotio porro, quæ illi monasterio propter illam defertur, valdè singularis est; vnde hæc & huic, & omnibus locis vicinis aspirata & afflata videtur; præsertim vbiquis eremum & speluncam, in qua vixit priusquam monasterium constituere decreuisset, consideraſt. Narratum mihi est, adeò ei molestum & graue fuisse, quòd tam multos ad se videndam homines confluere conspiceret, vt alium in locum sese conferre voluerit, vbi nemo de ipsa quidquam nosset, at omnibus ignota esset. Vnde Eremitam illum, à quo hunc in locum conducta erat, ad se euocauit, rogatura vt alio sese conduceret. Sed is iam defunctus erat. At Dominus Deus, qui decreuerat, vt hic B. Virginis conuentus isthoc in loco erigeretur, id non permisit, nec vllã oportunitatem ad hoc ei dedit: quia (sicuti dixi) egregiè illi ibi seruiri credo. Omnes enim Religiosi optimè adhoc dispositi sunt: quin & apertè in illis videre est, quod ab hominum turba sequestrati & in solitudine viuere gaudeant: atque in primis Prior, quem etiam, mediis è delicijs ad habitum hunc assumendum Dominus euocauit, vnde etiam egregiè id ei compensauit, dum illos ei in spirituales conuertit. Magnam is illic nobis ostendit charitatem: quia & è templi sui suppellectile dedit nobis, quæ ad id quod fundatum abibamus, adornandum requirebantur. Nam quòd sancta illa mulier apud plurimos magni nominis homines ita accepta esset, hinc earum templum satis erat sacris ornamentis instructum. Quamdiu verò ipsa illic egi, miram in animo consolationem sensi, quamquam etiam non sine magna confusione, quæ mihi etiam nunquam adhæret: quod viderem, illam quæ isthoc in loco tam austeram & asperam vitam duxerat, tam fuisse mulierem, atque ego sum, quin etiam multo quo ego, delicatorem fuisse, quòd tam illustri esset sanguine edita, deinde non tam grauem peccatricem, atque ipsa sum: nam quoad hoc nulla inter nos ambas

instituì

institui potest comparatio, quin etiam, multo maiores me à Domino gratias omnimodis recepisse; quodque modo (prout quidem peccata mea grauia sunt) in inferno non ardeam, maxima sanè est gratia. Verùm vnicum quod habebam ad eam (si quomodo possem) inuitandam, desiderium me solabatur. Sed parum id est: nam (vt video) omnis vita mea in solis desiderijs mihi transijt, opera autem nulla facio. Sed ipsa Dei misericordia, in qua semper fiduciam habui, per sacratissimum filium eius Iesum Christum, nec non B. Virginem Mariam, cuius ipsa habitum (quæ Domini bonitas est) gero, mihi propitia sit.

B. M. Catharinam de Cardona in visione videt.

Cùm autem quadam die in sancto illo templo, à communione surgerem, magna quædam animi recollectio, vnà cum suspensione me occupauit, ita vt sensuum omnino expers essem. In illa ergo spectandam mihi se per visionem intellectualem sancta illa mulier dedit, veluti corpus quoddam glorioſum, aliquot Angelis comitata, mihique dixit, ne me cæptus labor fatigaret, sed in hisce fundationibus semper progrederer. Vnde intelligebam (quamquam signanter id non exprimeret) ipsam me apud Deum iuuare. Dixit mihi præterea & aliud quid, quod non est hoc loco scribendum. His ergo verbis valdè animata sim, & ingens laborum suscipiendorum concepi desiderium: speroque in Domini bonitate, fore vt tam bono auxilio & subsidio, vti sunt hæ illius orationes, in partem veniente, aliquid efficiam. Hic videtis carissimæ, quomodo omnes illius labores iam finem acceperint, at gloriam quam iam habet, nullum habere finem. connitamur iam totis viribus, per amorem Domini vos obsecro, hanc sororem nostram imitari, nos ipsas mortificando & contemnendo, vti se ipsa contempsit; itaque iter nostrum perficiemus, cùm omnia tam celeriter prætereant, & tam cito finem accipiant.

Prima autem Quadragesimæ Dominica, pridie inquam festi Cathedræ Sancti Petri, in festo videlicet Sancti Barbatiani, anno M. D. LXXX. Villanouam de Xara deuenimus. Hoc eodem die est diuinissimum Altaris Sacramentum in S. Annæ templo sub summum Sacrum collocatum. Ipse verò senatus totus, cum aliquot aliis, nec non Doctor Eruias, ad nos excipiendas obuiam processit, ex sessionem verò fecimus in templo parochiali, quod satis erat ab æde S. Annæ.

Honorificè Villanouæ excipitur.

Tanta autem totius populi, erat lætitia, vt magna sim consolatione perfusa, videns, qua Sacratissimæ Virginis Deiparæ Or-

dinem hilaritate & gaudio admitteret. Eminus festum campanarum sonum audiebamus. Cùm verò templum iam ingressæ essemus, Hymnum *Te DEVM laudamus*, canere cæpere, alternantibus inter se versus illius tum cantoribus musicis, tum ipso organo. Hoc decantato, Sanctissimum Altaris Sacramentum in ferculo quodam, & in alio B. Virginis effigies, ferebatur, additis crucibus & vexillis. Magna cum pompa & auctoritate ipsa supplicatio procedebat: in qua nos pallijs nostris albis amictæ, nec non vultum velis cooportæ, in medio iuxta Sanctissimum Sacramentum gradiebamur, & iuxta nos fratres nostri Discalceati, qui satis multi huc confluxerant. Aderant quoque Franciscani (nam illorum hoc in opido monasterium est) nec non Religiosus quidam ex Ordine Sancti Dominici, qui casu illic versabatur: qui tametsi solus hic esset, summopere tamen gauisa sum, illum habitum hic spectans. Quod autem via esset longior, & varia per eam erecta altaria, subsistebant per interualla, ac tum aliquod Ordinis nostri elogium recitabatur, quod certè non mediocrem in nobis deuotionem excitabat, atque inprimis, quod omnes magnum illum Deum, quem præsentem habebamus, dilaudarent & celebrarent, quodque illius intuitu, tantus septem pauperculis discalceatis, quæ hic aderamus, honos haberetur. Etsi vero hoc tunc considerarem, nihilominus magna introrsum confusione replebar, quod cogitarem me inter illas numerari & incedere, ipsosque omnes (si me pro meritis meis tractassent) aduersum me insurgere debuisse.

Illius humilitas.

Ideo autem huius, quo Beatæ Virginis habitum affecere, honoris tam prolixam narrationem instituj, vt Dominum laudetis, eumque rogetis, hanc vt fundationem suum in honorem & laudem conuertat. Etenim (vt fatear quod res est) maius tum sentire soleo gaudium, quando multa cum contradictione & laboribus fundatio quapiam peragitur, talemque vobis libentius describo & propono. Quamquam fatendum sit, sorores illas (quæ ibi commorabantur) sexennio propè toto, saltem plus quam quinque annis & medio, postquam scilicet in hocce Sanctæ Annæ monasterium ingressæ sunt, satis molestiarum subijsse, vt taceam extremam illarum paupertatem, nec non laborem quem in victu lucrando subibant (numquam enim eleemosynam petere sustinuere: idque ne ciues putarent, ideo illas ibi agere, vt sibi resp. de victu prospiceret) nec non magnam illam quam vsurpabant austeritatem, tum frequenter ieiunando, ac tenui cibo famem pellendo, tum durè cubando, & augustè admodum habitando. quod in tam

arcta

arcta clausura, quam semper hæ coluere, nimis quam graue & pænosum erat. Maximam verò illis afflictionem & dolorem (prout mihi quidem postea retulere) attulit intensissimum illud, quo se habitu Religioso vestitas videre cupiebant, desiderium & voluntas, vtpote quod & noctu, & interdiu, grauissimè ipsas affligebat, eò quòd illum se diem numquam visuras esse arbitrarentur. Vnde omnis ipsarum oratio, vtplurimum lacrymis condita, alio non tendebat, quam vt hanc ipsis Deus gratiam faceret. Cumque aliquod subinde impedimentum obijci, & rem propè negari viderent, summopere affligebantur, suamque propterea adaugebant austeritatem. Ex eo, quod operæ manuum sibi colligebant, & è quo victum parabant, lucro aliquid subinde demebant, genium defraudantes, quo tabellarijs ad me proficiscentibus debitam mercedem persoluerent, nec non (quantum quidem paupertas ipsarum patiebatur) ijs qui aliquod ipsis hac in re subsidium dare poterant, gratificarentur. Postquam vero eas tractaui, earumque vitæ sanctitatem perspexi, satis videbam, illarum tum orationes, tum lacrymas in causa fuisse, vt illas Ordo noster admitteret. Vnde maiorem thesaurum esse duxi, tales in eo animas agere, quam si amplas possessiones & reditus haberent: sperofque fore, vt ea res maximè sit progressura. Vt ergo in domum illam ingressæ sumus, vniuersæ ad ostium ab intro stabant, suam vnaquæque indutæ vestem. Sic enim erant vestitæ, vti dum primum illuc ingressæ sunt; numquam enim Beatarum habitum assumere voluere, hunc nostrum assidue iugiterque exspectantes: tametsi quem gestabant, satis honestus & modestus esset. satis vt ex eo appareret, illas parum de seipsis ac cultu corporis sollicitas esse, ita scilicet tenuiter & inculte vestitæ erant; & omnes propè vsque adeo deformatæ, satis vt pateret, valdè austeram eas vitam duxisse. Multis cum lacrymis, quas summum gestientis animi exprimebat gaudium, nos excepere; quas satis apparebat fictas non esse. Singularis porro earum virtus elucet in vultus lætitia quam præferunt, nec non in humilitate & obedientia quam Præpositæ, & omnibus quæ ad hanc fundationem venere, præstant: quibus quomodocumque gratificentur, ignorant. Verum aliud non verebantur, quam, ne, cum summam ipsarum inopiam, & angustam habitationem vidissemus, inde mox re infecta discederemus. Nulla ipsarum, superiorem inter eas egerat, sed vnaquæq; earum, magna cum humilitate, laborabat quantum poterat. Duæ, quæ ætate prouectiores erant, cum necesse esset, externa & domestica negotia procurabant,

rabant; aliæ vero cum nullo mortalium nec loquebantur, nec loqui etiam volebant. Clauem in ianua numquam habuere, sed dumtaxat pessulum; nulla quæque ad ianuam sese conferre audebat: sed quæ natu erat maxima, responsa dabat & accipiebat. Perexiguum verò capiebant somnum, quo victum sibi lucrarentur, & de statutis orandi horis nullam perderent: etenim sat multum temporis orationi impendebant, festis vero diebus diem integrum ei dedicabant. P. Ludouici Granatensis, & F. Petri de Alcantara librorum directionem & normam in vitæ suæ & orationis ratione per omnia sequebantur. Vt plurimum, officium diuinum recitabant, quamuis valde parum legere nossent (nam vna dumtaxat illarum peritè legit:) idque ex Breuiarijs quæ inter se minimè conuenirent; nam Sacerdotes nonnulli quædam in quibus iuxta veterem vsum Romanum legebatur, (quòd illis ipsi vtpote antiquatis amplius non vterentur) Breuiaria dederant; ex alijs verò legebant prout poterant. Quòd autem legere vix scirent, hinc multas huic recitationi horas impendebant. In eo tamen loco officium non recitabant, vnde eas alij deforis audire potuissent. Deus, credo, bonam earum intentionem & laborem quem assumebant, in bonam partem admiserit: nam verisimile est, eas quàm pauciſſima bene recitasse & pronuntiasse. Postquam verò P. Antonius de Iesu cum ijs agere cœpit, suasit, aliud officium non recitarent, quàm ipsum B. Virginis. Habebant suum domi furnum, in quo panem coquebant. Omnia autem ordinatim bona cum dispositione fiebant, tamquam si habuisset quæ singula ipsis imperasset, superiorem. Ego hæc videns, non potui Dominum non laudare; &, quo magis cum iis conuersabar & agebam, eo magis illuc me venisse gaudebam. Equidem propter multos, quos subire me oportuisset, labores, nollem (vt mihi videtur) huc, ad animas hasce consolandas, venire neglexissem. Quæ verò è comitibus meis illic mansere, postea mihi retulere, aliquàm se primis diebus contradictionem sensisse, sed, cùm ipsas paulatim magis magisque nossent, virtutemque ipsarum perspicerent, summopere se gauisas fuisse quòd inter illas habitare sibi contigisset; vnde magnopere erga ipsas afficiebantur. Multum sanè potest sanctitas & virtus. Certè, comites meæ erant huiusmodi, vt, quamuis multum in hac cohabitatione difficultatis & laboris inuenissent, ipsum tamen cum Dei gratia & auxilio haud difficulter & generosè exsuperassent. Quæcumque autem soror hoc in se desiderium non sentiet, illa se veram Discalceatam esse non existimet: cùm non tam recreationes, quàm vt aliquàm patiendi materiam habeamus, desiderare debeamus, quò sponsum nostrum quapiam in re imitemur: vtinam Maiestas illius gratiam ad hoc nobis concedere dignetur.

Religiosa pati velit, nõrecreari

Hoc

Hocautem modo illa S. Annæ eremus frequentari cœpta est, & initium habuit. Habitabat olim in hoc in loco Sacerdos quidam Zamorrensis, qui alias Ordinis Carmelitani fuerat, mire erga gloriosam matrem S. Annam deuotus: huic nomen erat Didacus de Guadalaiara; vnde is in domus suæ vicinia hoc eremitorium condidit, habebat autem ad sacrum audiendum satis bonam commoditatem. Quod autem singulari erga hanc ædem studio afficeretur, Romam abijt, indeque reuersus litteras, quibus hocce templum & eremitorium visentibus magnæ & variæ indulgentiæ concedebantur, secum detulit. Erat hic, magnus virtutū cultor, & serio ad seipsum reflectens. Cùm autem ex hac vita decederet, testamento suo iussit, vt illa domus, & quidquid præterea possidebat, in monasterij pro Carmelitanis Monialibus ibidem erigendi fundationem cederet, &, si hoc commode executioni mandari non posset, Capellania quædam erigeretur, cuius possessor sacra aliquoties per hebdomadam celebraret; monasterio verò iam fundato, ad nulla is sacra tunc obligaretur. Plusquam viginti annis hoc modo Sacellanus ibi fuit, vnde possessio etiam satis est imminuta: nam (tametsi hæ Virgines domum occupallent, solum tamen eius vsum habebant; Sacellanus verò in alia quæ ad Capellaniam spectabat, domo habitabat, quam etiam nunc, vti & reliquum (tametsi id valde exiguum sit) cedere detrectat. sed tam magna Dei est misericordia, vt gloriosæ animæ suæ domui fauere non sit negecturus. Det Maiestas eius, vt in illa semper ei seruiatur, & vniuersæ cum creaturæ perpetuò dilaudent. Amen.

CAPVT XXVIII.

AGIT DE FVNDATIONE PALENTINA: NOMEN MONASTERIVM id habet à S. Iosepho B. Virginis de platea; fundatum id anno Dom. Octogesimo, ipsa S. Regis Dauid festiuitate.

MIhi à Villanouana fundatione iam reuersæ Superior iniunxit, vt, ita perente Reuerendiss. Domino Aluaro Mendosio Episcopo Valentino (fuit is, qui primum monasterium S. Iosephi Abulæ erectum admisit, & semper ei fauit, quin & in omnibus quæ ad Ordinem hunc spectant, numquam non fauet: qui, cùm Abulensi Episcopatu relicto ad Palentinum transijsset, Dominus ei desiderium iniecit, vt aliud sacri huius Ordinis monasterium illic erigi procuraret) Vallisoletum excurrerem. Vallisoletum cum veniissem, tam atrox me inuasit ægritudo, vt ex ea cuncti me demorituram putarent.

P. Aluari Mendosij elogium.

S. Matris morbus & eius effectus.

rent. Adeò autem ab eo proposito aliena mansi, & adeò mihi visa sum hoc in negotio quidquam non posse præstare, vt quamuis Vallisoletani nostri conuentus Priorissa, (quæ hanc fundationem quàm libentissimè vidisset) importunius id & perstudiosè à me peteret, vllatenus tamen id mihi persuadere non possem, aut, quomodo huic initium darem, nescirem. Etenim monasterium hoc sine reditibus & in paupertate fundandum erat; dicebatur porro mihi, nullatenus ipsum ibi posse sustentari, quòd opidum satis tenue esset. Iam penè annus effluxerat, ex quo de huius, & simul de Burgensis fundatione tractare cœperam. Initio sanè tantam in eo difficultatem non inueniebam, tunc verò permulta mihi in contrarium occurrebant inconuenientia, cùm tamen alia de causa Vallisoletum non venissem. Nescio autem, an horum causa esset grauior illa infirmitas, & debilitas, quæ mihi è morbo remanserat; an verò diabolus, qui bonum quod posteà ibi factum est, impedire volebat. Certè, miror & miseror (de quo etiam sæpè apud Dominum conqueror) quòd misellæ animæ tantum corporis inualetudine & morbis adhærescat, ita vt leges huius obseruare debere videatur: vsque adeò scilicet eam necessitates suas & alia plurima subire cogit. Quod mihi vna è maximis vitæ huius miserijs & laboribus esse videtur, præsertim quando non adest simul generosus & heroicus animus, qui ipsum subijciat & expugnet. etenim, quòd corpus malè valeat, & maximis doloribus & cruciatibus afflictetur (tametsi id alioquin laboriosum & graue sit) parui admodum facio, dummodo anima experrecta sit ac vegeta, ipsa namque Deum tunc laudat, & vniuersa à manu eius prouenire considerat. at, dum vna ex parte patitur, & ex alia non operatur, terribile quid est & intolerabile; præsertim si talis anima sit, quæ intensissima sese desideria aliquando habuisse comperit, tum quam vel interioris, vel exterioris recreationis capiendæ, sed sese totam, quanta quanta est, magni Dei sui obsequio impendendi. Nullum quippe aliud tunc hic remedium subest, quàm patientia, & propriam agnoscere miseriam, diuinæque sese voluntati permittere, vt de se is faciat & statuat, quodcumq; & quomodocumque voluerit.

Dolendum quod corpus tantùm animam possit.

Ita quidem tunc ipsa constituta eram, tametsi paulatim iam conualescere, & meliusculè habere inciperem: sed tanta mea tunc erat imbecillitas, vt & fiduciam quam mihi tum, dum aliqua harum fundationum inchoanda est, Deus opt. max. dare solebat, perdidissem. omnia quippe, mihi impossibilia videbātur. vnde si tunc aliquē, qui me, animādo corroborasset, incidissē, is sanè quā maximē mihi profuisset. sed hominū alij magis timere me faciebant, alij (esto

alij

aliquam mihi subinde spem facerent) meam tamen auferrent, expugnare pusillanimitatem non poterant.

P. Hieronymus Ripalda suadet B. Matri vt in suis fundationibus pergeret.

Contigit forte fortuna, illuc quemdam Societatis Iesu Sacerdotem tunc appellere, Patrem inquam & Magistrum Ripaldam, quem satis diu Confessarium habui, virum doctrina æquè ac pietate in Deum eximia. huic ipsa, quis animæ meæ esset status, aperui, eumque me in Dei locum accipere velle dixi, declararet proinde mihi, quid sibi videretur. Is ergo multum me exstimulare & animare cœpit, hanc inertiam meam senio ascribi debere dictitans. Verùm sat ipsa videbam, eum non rectè in eo censuisse: etenim hoc tempore adhuc senior sum, eam tamen iam minimè sentio. Non dubito quin & ipse satis id nosset; sed hoc dixerit, vt me reprehenderet atq; obiurgaret, eò quòd hunc à Deo angorem & tædium prouenire, minimè crederet.

Hæc Palentina fundatio vna cum Burgensi simul tum tractabatur: & tam ad hanc, quàm ad illam, nihil penitus habebam, sed non erat hoc anxietatis meæ causa, quia etiam cum minori & tenuiori subsidio eas auspicari soleo. Nullatenus ergo cœpto vt desisterem, P. Ripalda edixit: idem quoque antè paulò Toleti mihi dixerat quidam Societatis eiusdem Prouincialis Balthasar Aluarez cognominatus. Tum quidem rectè valebam; vnde satis hoc mihi esse debuisset ad resoluendum & determinandum; at tamen, quamuis permagni id mea interesset, planè rem resoluere non potui; eò quòd vel diabolus, vel (sicuti dixi) infirmitas me vinctam quodammodo tenerent. sed exinde melius multò valui. Vallisoletana Præposita, quantum poterat, me iuuabat & in oneris partem veniebat: summopere namq; Palentinam fundationem perfici desiderabat: at, quoniam adeò me videbat tepidam, hinc etiam timidius agebat. Veniat ergo iam verus calor, cùm nec homines, nec ferui Dei quidquam efficere possint, & frigidi sint: vnde satis videre erit, sæpè non esse me quæ facit, cùm nihilomino faciam, sed illum qui ad omnia potens est.

Cum ergo die quadam à communione sacra surgerem, ita fluctuans & dubitans, & ab omni fundatione aspicanda prorsus aliena, Dominum rogaram, lumen mihi vt daret, ad voluntatem eius in omnibus faciendã. neq; enim tepor meus erat huiusmodi, vt hocce mihi desideriũ vel in minimo vmquam defecerit. Dominus ergo per modum increpantis mihi dixit: *Quid times? quando vmquam tibi defui? idem qui hactenus fui, sum modò: noli negligere duas hasce fundationes perficere.* Quam, ô Magne Deus, verba tua ab humanis verbis discrepant! vnde ita resoluta & animata mansi, vt ne totus etiam mundus contradicens ab hoc me proposito reuocare potuisset. quare statim ea de re tracta-

Dominus S. Matrem timorē coarguit.

tractare cœpi, & Dominus mihi ad eam media suppeditare. Duas ergo Moniales assumpsi, ad ædes ex illarum dote coëmendas: & quamuis mihi ab omnibus diceretur, non esse possibili Palentiæ nos ex eleemosynis viuere, perinde id erat, ac si mihi plane non diceretur; etenim, si reditus stabiles in fundatione monasterij admitterem, iam tum videbam nullâ id ratione tunc quidem posse fundari; cùm autem iam Deus ipsum fundari iuberet, certa eram fore vt Maiestas eius prouideret. Quapropter (esto nondum penitus confirmata essem valetudine) illuc proficisci statui, & si tempus admodum rigidum esset: nam in SS. Innocentium festo Vallisoleto, eo quo dixi anno, discessi. quia vir quidam nobilis illius loci, domum quam ipse ab anni sequentis initio ad vsque festum S. Iohannis conduxerat, nobis cesserat, quòd is alibi habitatum se contulisset. Vnde ipsa cuidam ciuitatis illius Canonico (esto eum non nossem, sed quidam de amicis eius mihi, illum Dei famulum esse dixerat,) fuiipsi; simul etiam firmiter mihi impressi, illum Domini illius intuitu insignem nobis operam præstiturum; quemadmodum in alijs vsque modò perfectis fundationibus videre fuit, quòd in vnaquaque harum aliquem velut submittat, qui nos adiuuet; videt namque Maiestas eius quàm ipsa parum per me præstare valeam. Eum ergo per litteras rogaui; vt, quàm fieri posset secretissime, domum illam mihi curaret euacuari (ab alio enim incolebatur,) at non diceret ad quem illa vsum pararetur. Nam quamuis aliqui de primoribus suam erga nos propensionem ostendissent, ipse quoque Episcopus satis per se propenderet, longe tamen censebam esse satius rem celari & ignorari. Adeò porro exactè Canonicus Reynosius (ita namque vocabatur is ad quem scripseram) cuncta præstitit, vt non solum demum euacuari curauit, verum etiam lectos & alias multas commoditates, satis abundanter nobis præparavit. Et certè ijs opus habebamus; erat namque intensum frigus, & dies hesternus, satis nobis molestus fuerat, idque ob spissam adeò nebulam, vt inuicem vix videremus: sed vt verum fatear, parum quietis habuimus; quoad vsque præparassemus locum, in quo postridie sacrum dicendum esset, priusquàm nesciret quispiam nos illic adesse, compertum namque experientia, ira in hisce fundationibus fieri inprimis expedire. Si enim hominum iudicia & sententias inquire incipiamus, diabolus ilico omnia turbabit; ac licet is nihil omnino possit euincere, saltem nos in quietat. Sic ergo factum est: statim namq; postridie manè (cum penè discceret) Missam ibi celebrauit Sacerdos quidam, qui nos comitatus erat, Porras cognomento, insignis Dei famulus; nec non alius Sacerdos, Vallisoletanũ Monialiũ fautor & amicus Augu-

Palentini monasterii initia.

Cur S. Mater omnia in fundationibus clam peragi vel iuv.

Augustinus de Victoria nominatus, qui mihi pecuniam ad domum instruendam mutuo dederat, & per viam satis lautè & amice nos habuerat. Eramus vniuersum, me annumerata quinque Moniales; & vna laica, quæ iam à multo tempore me est comitata, sed tam insignis Dei famula, & adeo discreta, vt plus me iuuare possit, quam aliæ chorum frequentantes. Tota illa nocte parum dormiuimus, tametsi (sicuti dictum est) via pridiana satis difficilis & molesta fuisset ob continuam pluuiam quæ ceciderat. Gaudia porrosum quod eo monasterium die fundaretur, quod tunc de Rege Dauide, erga quem ipsa mirè afficior, Officium diuinum recitaretur. Hoc ipso ergo manè Illustriss. Domino Episcopo rem iussi significari, qui necdum sciebat nos Palentiam adueniisse. Vnde quamprimum, magna cum charitate, quam numquam non erga nos ostendit, ad nos excurrit, omnem quo opus haberemus panem sese subministraturum pollicitus, suoque œconomo mãdauit, de multis rebus necessarijs nobis vt prouideret. Tantum porro ordo hic ei debet, vt, quisquis hasce fundationes legerit, eum tam viuum, quam mortuum Domino per preces commendare teneatur. quod è charitate eum rogo & obsecro. Tanta verò populi totius fuit voluptas & gaudium, eaque ita vniuersalis, vt pacem alibi non viderim: etenim nullus omnino fuit: cui hæc res displiceret. Ad quod multum iuuit, quod constaret ipsum Episcopum ita velle; est enim is popularibus & omnibus suis admodũ carus & acceptus. quin & omnis populus tam bonæ & generosæ est indolis, vt talem alibi vidisse non meminerim: vnde quotidie magis & magis, hoc me in opidum monasterium illud inuenisse gaudeo.

Aluari Mẽdosii in cœnobium Palentinum caritas.

Quoniam autem domus in qua morabamur, nostra non erat, hinc statim de alia emenda tractare cœpimus: nam tametsi hæc ipsa vendibilis esset, quia tamẽ valde importuno sita erat loco, displicebat. Videbamur autẽ per subsidiũ pecuniariũ, quod è monialibus quæ illic admitti debebant, habebã, audacter & cũ fundamẽto ea de re agere posse. quod tametsi esset exiguũ, eo tamen in loco satis erat magnũ: quamquã, si bonos illos, quos nobis dedit, amicos Deus non submisisset, omnia nihil iuuassent. Nam bonus ille Canonicus Reynosius alium Canonicũ, amicũ suũ, cognomento Salinas, magnæ charitatis & ingenij virũ huc induxit: qui iunctim & communi studio rem hãc non secus corã habuere, ac si propria fuisset, imo vero, vt puto, plusquã propriã, quin adeo sẽper ex animo cõuẽtus huius cõmodis studuere.

Est hoc in opido ædicula quædam B. Virgini sacra, religione & pro cultu admodum celebris adinstar eremitorij concinnata, cui nomen B. Virgo de Platea; quæ tum à vicinorum opidorum incolis, tum

à Palentinis ciuibus mira deuotione colitur, vt plurimi vndiquaq; ad eã confluant, viſum Reuerendiſſ. Domino, quin & omnibus ciuibus, nos ſi circa illã ædẽ habitaremus, oportunè habitaturas. Nõ habebat quidem ipſa domum, ſed duas contiguas; quæ ſi emerentur, in noſtrũ ea vſum tẽplo illo accedente, ſatis futuræ videbãtur. Illius conferẽdi ius penes Capitulũ, & Sodalitium quoddam in ipſo erectũ erat: vnde de eo impetrando ſeriò agi cæptum eſt. Capitulum quidem ſtatim aſſenſit, ſed cum ſodalibus illis ſatis magnæ fuere difficultates; at tandem ipſi etiam ceſſerunt, quia, ſicuti dixi, opidi illius incolæ ſatis ad pietatem propendent, & magis quàm vſquam vllos vidi. Vt autem domuum illarum domini nos in eas propendere viderunt, pluris æquo eas facere cæperunt; nec immerito. Ego verò illas inſpicere volui: at eæ adeò mihi diſplicuerunt, planè vt eas habere nollem, nec nõ ijs qui nobiſcum illuc ibant. Poſtea autẽ liquido apparuit, diabolum hic multa in aduerſum à parte ſua molitum eſſe; quod male eum haberet, nos illuc veniſſe & ſedem fixiſſe. Duobus verò Canonicis qui rẽ omnem curabant, videbantur domus illæ ſatis procul ab Eccleſia Collegiata diſtare (vti etiam reuera diſtant) ea tamẽ in opidi parte ſitæ ſunt, quæ præ alijs populoſior eſt. Tandẽ conſtituimus, quod domus illæ nobis non quadrarent, aliam conquirere. Quãobrẽ duo illi Canonici tanto rẽ hãc ſtudio & diligẽtia procurare & efficere cæperunt, vt eſſet id mihi non mediocris Dominũ laudandi occaſio, nihil prorſus vt omitterent, quod huc aliquo modo facere poſſe videretur. Placuit illis inter ceteras quædam, quæ ad quãdam cui *Tamayo* nomẽ, pertinebat: habebat hæc loca nonnulla ſatis bene concinnata & inſtructa, quę nobis nõ male quadraſſent, vicina adhæc erat ædibus viri cuiuſdam primarij, Suetij de Vega nominati, qui qua poteſt nobis fauet, cui vti & alijs eiuſdẽ vici hominibus pergratũ fuiſſet, illuc habitatũ veniſſemus. Domus illa ſatis quidẽ capax non erat, ſed vnã cũ ipſa alia nobis offerebatur; verũ, nec hæ ambæ ſimul commodã nobis dare habitationẽ potuiſſent. Quod ergo tam multa mihi de illa referrẽtur, quam maximè volui rem tandẽ aliquando confici: at Domini illi nihil antequam eam ipſa inſpexiſſem facere voluere. Ego, quod pergraue mihi eſſet, in publicum prodire, illorumque prudentiæ ſatis confiderem, vt eo me conferrem, in animum inducere nõ poteram. Sed tãdẽ inducta eo me contuli, eam inſpectura, vti & illas B. Virginis de platea, quamquam intentionẽ non haberẽ illas emendi; ſed vt prioris illius dominus videret, alias etiam domos ſuppetere, neque neceſſario nos ipſius domum emere debere. Hæ autem (vti dixi) adeo mihi diſplicuere, vt & ijs quæ mecum ibant, vt etiam modo miremur, quomodo illæ nobis tunc ita incommodæ videri potuerint. Quapropter

aliam

aliam domum inspectum iuimus, cum intentione & quasi certæ, illã & non aliam coemendam. Et quamuis sat multas in illa difficultates inueniremus, quibus etiam valdè difficulter occurri posset, eas tamen dissimulauimus. Nam vt templum in ea construi posset (& quidem satis incommodum & difforme) omnia loca quæ in ea ad habitandum commoda erant, necesse erat auferri. Terribile certè quid est, iam tum resolutum & deliberatè plane, in rem aliquam ferri. nam id (vt verum fateat) me recreauit & placuit, vt parum de me ipsa fiderem: tametsi non essem tunc sola quæ decipiebar.

Tandem rursùs conuenimus cum intentione non aliam emendi quã hanc, & quod venditor popoſcerat pretiũ: esto enorme foret, ei offerendi & hanc mentem nostrã ei, q̃ iam vrbe abesset, quãuis nõ procul distaret, perscribendi. Impertinens certè cuiquam videatur, tanto tempore me in domus emptione occupatam fuisse: sed iudiciũ suspẽdat, vsq; dũ videat, quẽ diabolus finẽ & intentionẽ habere debuerit, ne illas ædiculæ B. Virginis contiguas ædes emeremus: q̃ quotiescũq; mecũ recogito & recordor, non possũ nõ timere. Cùm ergo (vti iã dixi) oẽs ita in aliã illam domũ propẽderent, vt aliã quã hanc emere nollẽt, postridiè cũ sacro interessem, agitare magna cũ perplexitate animo cœpi, consulto ne priores illas emere negligerẽ: hinc tanta me occupauit inquietudo, vt penè toto tẽpore Sacri me quiescere nõ permiserit. Inter hæc ad Sacrosanctũ Eucharistię Sacramentũ accedo, & ecce in eiusdem sumptione hæc verba. *Hæc tibi quadrat*, audiui, quorum ea fuit vis & energia, vt planè me fecerint animum à priore illa quam mente designaram auocare, & in priores illas ædes propendere.

Suadet S. Matri Dominus emere ædes apud ædiculam B. Virginis de Plasen.

Cum verò durum mihi videri inciperet, rem vsque eò productam, quamq; ij qui nobis tam impigrè & solicitè opitulabantur, tam impensè desiderabant, dissoluere repente, & velut abrumpere; respondit mihi Dominus: *Ignorant illi quæ multis illo in loco delictis offendar: quibus per vestram illic habitationem via præcludetur.* Cogitare tũ mecum cœpi, an non aliqua hoc illusio foret: quamquã nõ idcirco, vt de eo certa essem. nam ex ijs quos in me operabatur motibus, & operatione, liquidè satis perspiciebã, hunc esse spiritum Dei. quocirca is statim mihi dixit, *Ego sum.* His ego auditis valdè serenata mansi, & quæ me antè occuparat turbatio, prorsus euanuit. At nesciebam, quomodo quod iam factum erat infectum redderem, & quomodo apud sorores meas quæ de illis ædibus apud ipsas iam toties siniſtre locuta erã, earum incommoditatem tam diuersimodè & variè exaggerando, & quod ob nullã rẽ mũdi non vellẽ quin eas vidissemus ante, quàm ad eas transiremus, reuocarem. Quamquã de hoc vsque adeò non laborabam; q̃ iã tum viderem,

illas

illas ratum habituras quidquid ipsa hoc in genere facerem; sed verebar, ne illi qui secundæ domus emptionem maximè desiderabant, me vt vanam & mutabilem existimarent, quòd tam citò opinionem meam mutarem. quam ego rem, vt turpissimã & intolerabilẽ, detestor. Verùm omnes illę cogitationes ne vel minimùm me emouere & impedire potuerunt, quo minùs in ædes illas B. Virginis propenderem. Nequeiam recordabar, quòd non essent commodę & bonæ. Nam & Moniales vel vnum peccatum veniale impedire possent; reliqua omnia incommoda domus mihi nullius esse momenti videbantur; &, prout mihi quidem videtur, vnaquæque illarum, si sciuisset quod ego sciebam, eiusdem haud dubiè mecum intentionis fuisset. Hac etgo rei dissoluendæ ratione vsa sum. Regnosio Canonico tum ipsa confessario vtebar (erat hic vnus è duobus illis qui me adiuuabant) quamquam huiusmodi res ad spiritum spectantes nondum ei communicaram, quòd nulla dum occasio, ob quam id necesse foret, sese obtulisset. Et quoniam hisce in fundationibus semper facere soleo, quod Confessarius mihi faciendum consulebat, quò maiore cum securitate & certitudine in illis procederem; hinc id ei sub sigillo arctissimæ taciturnitatis aperire constitui. nam non satis me resolutam & propensam sentiebam ad non exequendum id quod iam cælitus intellexeram, quin simul magnam in meipsa propterea repugnantiam & molestiam sensissem. Si tamen id iussa fuissem omittere, certe omisissem: fiduciam namque habebam in Domino, fore scilicet vt Maiestas eius (quod aliàs non semel vidi (Confessario, quamquam alterius sit opinionis, præciperet vt is faceret id quod ipse fieri vellet.

Primum ergo ei dixi, Dominum sæpiùs hac ratione me instruere & docere solere; & hactenus multa satis argumenta & indicia me vidisse, è quibus hunc eius esse spiritum nossem. simulque ei aperiebam, id quod contingerat. addebam verò, paratam me facere quidquid faciendum ei videretur, esto id mihi quam grauissimum foret. Ipse verò, quòd prudens, sanctus, & qualibet in re boni sit consilij (tametsi iuuenis) licet aliquam hinc obloquij occasionem hominibus dandam videret, non tamen omittendum censuit quod ipsa à Domino audieram. Dixi ergo, consultum fore, si nuntium interea exspectaremus, quod consilium ipsi etiam placuit. Etenim fidebam in Domino fore vt ipse prouideret. Vti etiam factum est: cùm enim domino domus tantum obtulissemus, quantum volebat & petierat, rursus trecentos vltra condictum à nobis aureos petijt. quod certè quædam stultitiæ species videbatur: quoniam pluris æquo illam nobis vendiderat. Hinc

ergo

ergo ad oculum patuit, Deum sese huic negotio immiscuisse. possessori namque commodum quàm maximè erat, sic eam vendidisse, cumque iam conuentum esset, sine vllo fundamento & ratione, plus quàm stipulati essemus, popposcit. Hac ratione difficultati illi, quam dixeramus fore vt cum ipso numquam possemus expedire, occursum ex parte est; sed non plane: certum namque erat, quòd ob trecentos aureos non omitteremus emere domum, quæ monasterio cõstituendo per commoda esse videbatur. Confessario ergo dixi, opinionis & iudicij mei nullam vt rationem haberet, si modo id ipse faciendum iudicaret; sed socio & collegæ suo apertè significaret, me eius iam sententiæ factam esse, vt ædes illæ B. Virginis caro viliué pretio quoquo modo coemerétur. Viuacissimo hic & acerrimo est ingenio, adeò vt, quamuis eorum quæ facta erant nihil ei dictum sit, repentinã tamen hanc mutationem videns, non dubitem quin tale quid subesse sit imaginatus. Vnde factum, vt vlteriùs me quoad hoc non cõpellarit aut vrserit. Satis postea ad oculum omnes vidimus, quàm magnũ in alia illa domo emenda errorem admisissemus: nam iam non possumus non satis admirari, videntes quot partibus hæ illi præstent & meliores sint: vt interim taceam (quod sanè præcipuum est) quòd nemo non videat, quod eo in loco Domino eiusque glorioßissimæ Matri seruiatur, multæque peccandi occasiones hac ratione præscindantur: eò quòd singulis noctibus plures illic excubias agerent, in quibus (quòd locus desertus & velut eremitorium esset) multa poterant committi, quæ diabolus ægrè ferret auferri & impediri; nos verò gaudebamus, quòd dilectæ Dominæ & patronæ nostræ in aliquo seruire possemus. Et certè valdè male factum erat, quod tàm diu id distulerimus, nam ad aliud quid non oportebat nos respicere. Liquidò ergo iam patet, in multis nos rebus diabolum tunc excæcasse: nam in his multæ sunt commoditates, quæ alibi vix reperiantur; deinde populo vniuerso, qui hoc vnicè cupiebat, hac ratione gaudij materiam dedimus: ijs quoque, qui vt aliam coemeremus cupiebãt, postea valdè placuit, quòd ad has commigrassemus. Benedictus sit ille in æternũ qui in hac re lumen mihi dedit, quale semper is mihi dat quoties aliquid bene facio. nam quotidie magis & magis obstupesco exiguam meam, quã in rebus omnibus habeo, habilitatẽ & talentũ. Nolite autem putare, hoc me ex humilitate dicere; cum hoc ipsum quotidiè magis magisque perspiciam: vt Maiestas illius velle videatur, vt tum ego, tum omnes alij apertè cognoscant & videant, ipsum solum esse qui opera hęc præstet; velle quoq;, vt (quemadmodum olim cæco per lutum visum restituit) sic res quæpiam tã cæca atq; ipsa sum, faciat

quod cæcum non sit. Nam multa (vt verum fatear) in hac re erant, quæ (sicuti dixi) magnam cæcitatem includebant; hinc quotiescumque rei huius recordor, vellem sanè Dominum propter illã de nouo laudare: at, vt video, ne ad hoc quidem apta sum; vt nesciam quomodo me ipse toleret. Benedicta sit misericordia eius in æternum. Amen.

Ergo duo illi viri pij B. Virginis clientes, in ædibus illis comparandis festinarunt; & (vt mihi videtur) satis eæ vili precio coemptæ sunt. Quia hi in re serio allaborarunt. Vult namque Deus, vt in singulis hisce fundationibus, ij qui nos adiuuant, aliquam merendi materiam habeant: ego vero nihil omnino præsto, vti iam alias sæpè dixi; & vellem numquam non possem dicere; quia verè sic est. Etenim illi & in domo adornanda, & in pecunia etiã mutuo danda (ego enim ea carebam) & in fideiubendo pro illa, insignem operam præstiterunt. Nam priusquam alijs in locis fideiussorem inueniam (& quidem pro minori summa) satis mihi laborandum & sudandum est. Nec immerito: quia nisi venditores Domino confiderent, ante sciunt me non obolum habere. At tantam mihi Maiestas eius hactenus gratiam præstitit, vt, quicumque pro me fideiusserunt, nihil amiserint, sed ad vsque vltimum quadrantem summa pro qua spoponderant, receperint. quod ego maximam gratiam reputo.

Cum vero venditoribus domorum duo illi fideiussores minimè satisfacerent, ipsum Prouisorem (qui vocabatur Prudentius, & non scio an rectè recorder; ita enim mihi iam dicitur: nam quia eum vulgo Prouisorem nuncupabamus, nesciebam quod propriè nomen haberet) conquisierunt. Tantæ hic est caritatis, vt multum illi deberemus, & etiam modo debeamus. Hic ex illis sciscitatur, quonam abirent; hi se ad illius domum, vt sua fideiussionem hanc manu signaret, properare respondent. Subrisit ille, & ait. Itane me pro tanta summa fideiubere vultis? & mox, ne mula quidem sua descendendo, sponsionem signauit. Quod exulceratis hisce temporibus quam maximè ponderandum est, & plurimi faciendum.

Palẽtinorũ caritas.

Vellem equidem caritatem, quæ Palentiæ tam vniuersaliter, quam particulariter viget, pluribus verbis dilaudare, & nullam eius laudem omittere. nam, vt verum fatear, hæc primitiuæ Ecclesiæ tempora redolere, aut saltem hodierna die & modo non multum in vsu esse videbatur; nam cum nos viderent reditibus carere, seque insuper nos alere debere, non modo nos nostraque tuebantur, sed etiam singularem à Deo gratiam sibi in hoc fieri censebant. Et sanè, si res prout oportet consideretur, verum dicebant: nam, esto aliud hinc bonũ profectũ non esset, quã quod iã vnũ amplius in ciuitate tẽplum esset,

esset, in quo sanctissimum Altaris Sacramentum reponatur, ea sanè vt magna habenda esset. sit ipse in æternum benedictus, Amen.

Iam enim satis apparet, obsequium ei aliquod ex huius monasterij hocce in locò constitutione præstitum esse ; quòd ibidem impertinentiæ & dissolutiones aliquæ committerentur , quæ modò sublatæ sunt, nec iam committuntur. Nam , quòd plurimi illic excubias agerent, & locus per se desertus & solitarius esset , non omnes , deuotionis & pietatis intuitu , se illuc conferebant. cui rei iam paulatim ocurritur. Ipsa quoque Beatissimæ Virginis imago satis indecorè & incommodè sita erat : vnde ei Aluarus Mendosius loci Episcopus sacellum quoddam ære suo construi curauit ; paulatim quoque alia in glorioſæ huius Virginis honorem & gloriam ordinantur, cuius filius sit in sæculum sæculi laudatus. Amen.

Vt ergo iam domus aptata & concinnata est, solenni huc transire Moniales pompa, cum transiturę iam essent, idem Antistes iussit; idque intra Octauam festi Ven. Sacramenti factum est. Vnde etiam ipse, ea dumtaxat de causa , Vallisoleto Palentiam reuertit , vniuersum quoque Capitulum , & Religioſæ familiæ , & omnes propè opidi ciues , lata vocum perstrepente harmonia , conuenere. Nos verò inde iam à domo, in qua agebamus, quadrato agmine, pallijs nostris albis indutæ , & faciem velo opertæ , in modum supplicantium , ad vicinam quamdam ædiculæ B. Virginis paræciam deductæ sumus. Prædicta quoque imago nobis obuiàm allata est, & Ven Euchatistia hoc è templo assumpta , insigni cum ordine & pompa in templum nostrum illata est. magnus tum in omnibus excitatus est pietatis sensus. Plures verò aderant Moniales, nimirum quæ ad Sorienſem fundationem simul inchoandam illuc venerant, omnes verò candelas ardentes manibus gestabant. Credo equidem Dominum die illò valdè laudatum fuisse. Det ipse vt ab omnibus creaturis semper laudetur & benedicatur. Amen.

Carmelitæ Discalcenti & Calcenti quando ab inuicem diſiunctí.

Palentiæ verò cùm agerem, visum Domino, vt Discalceatorum & Calceatorum Carmelitarum tunc fieret separatio , & suum singuli Prouincialem haberent; quod ipsi ad nostram quietem & tranquillitatem quàm maximè cupiebamus. quocirca ampliſſimum ad hoc Breue Apostolicum (Philippo Rege nostro Catholico id petente) Roma nobis allatum est, eiusq; Maiestas (vti iam antè cœperat) egregiè nos hac in re iuuit. Itaq; admodu Reu. P. F. Ioanne de las Cueuas Ordinis D. Dominici, qui tũ Talabricensem Priorẽ agebat, ac Romæ à sua Maiestate designatus & expresse nominatus erat, vir sanctitate & prudẽtia, quali hanc ad rẽ necessaria erat, eximia, iubente, Cõpluti cõgregatio

celebrata est. Sumptus verò omnes de suo præstitit Rex, eiusque iussu & imperio Vniuersitas omnis illis est opitulata. Celebrata porro congregatio est in Discalceatorum collegio, quod illic est à S. Cyrillo cognominatum, & quidem admodum pacificè & magna animorum consensu & concordia. Electus autem in Prouincialem est P. M. F. Hieronymus Gratianus de Matre Dei. Quòd autem illi Patres hoc quomodo peractum sit, alio in loco scripserint, non erat cur de illo ipsa quid scriberem. Ideò verò ipsum tetigi, quòd, me in hac fundatione occupata, Dominus rem hanc ad gloriam & honorem glorioſæ Matris suæ, quæ est Ordinis sui, qui hic ipse noster est, velut domina & protectrix, tantopere facientem perfecerit. Ego verò tantum tunc in animo meo gaudium sensi, quantum hac in vita possem accipere. Iam enim plusquam quinq; supra viginti anni effluxerant, quibus plurimos labores, persecutiones & afflictiones subieram, quos longum hic esset referre. & solus verò Dominus eos nosse potest. quale autem ex eo quòd rem iam perfectam videre, sensérim, in animo gaudium, nec non quod habebam desiderium, vt omnes propterea Dominum mortales laudarent, & nos diuinæ eius Maiestati sanctũ huic Regem nostrum Philippum, cuius opera & intentione eam Deus ad tam felicem exitum conduxerat, (tanta namq; diabolus versutia negotium hoc concusserat, vt, nisi Rex manum ei adhibuisset, ipsum collapsurum penitus fuisset) commendaremus, nosse & intelligere nemo potest, nisi qui labores & exagitationes toleratos nouerit. Iam verò omnes in pace sumus, tam Calceati, quàm Discalceati, nemo nobis in Domino nostro seruiendo impedimento est: quapropter, fratres & sorores meæ, cũvestris orationibus ipse sit auxiliatus, illius Maiestati seruire festinate. Videãt præsẽtes, qui rei huius sunt testes oculati, quæ nobis contulerit beneficia, & à quibus laboribus & inquietudinibus nos liberarit; eo verò qui post venturi sunt (cum omnia iam complanata & composita inueniãt) ex amore Domini obsecro, vt nihil quod ad perfectionẽ vllatenus faciat, intercidere patiantur. Ne scilicet propter eos dicatur de nobis, quod de Ordinibus nonnullis dicitur, qui suæ institutionis tantũ laudant primordia, (quia nos iam incipimus,) dent verò operam, vt semper de bono in melius proficiant. Considerent, diabolum rebus minimis & minutissimis foramen & aperturam facere, per quas deinde maximæ se insinuent: & ne vmquam dicant, *Nihil hoc est, hæc extrema sunt*. Nam omnia, carissimæ, magnum quid sunt, modo impedimento sint vt vlterius non procedatur. Per Domini amorem vos rogo, recordemini, quàm omnia citò prætereant, qualemque nobis Dominus gratiam fecerit, ad hunc

S. M. hortatur ad perfectionis conseruationẽ.

hunc nos Ordinem vocando; quantaque eum maneat pœna, qui aliquam relaxationem inuehere incipiet. Sed veſtros in ſtirpem & propaginem è qua deſcendimus, ſanctorum inquam illorum Prophetarum, oculos ſemper coniicite. Quàm multos in cælo habemus Sanctos, qui habitum hunc geſtarunt! & ſancta quadam præſumptione confidamus, fore nos aliquando per Dei gratiam & auxilium tales, quales ipſi ſunt modò. certamen modico durabit tempore, cariſſimæ, finis autem æternus eſt. relinquamus ergo illa quæ in ſeipſis nihil ſunt; ea verò ſectemur, quę ad finem qui finem non habet, nos conducant, quò magis eum diligamus & ſeruiamus, cùm in perpetuas æternitates ipſe victurus ſit. Amen.

Caput XXIX.

Fundatio Conventus Sorienſis, vel Numantini, à Sanctiſſima Trinitate denominati: fundatus is eſt anno Dom. M. D. LXXXI. primum verò ibi ſacrum celebratum eſt in die feſto S. P. N. Eliſæi.

Palentiæ cùm verſarer, in ea quam dixi fundatione perficienda, Epiſcopi Oxomenſis litteræ mihi redditæ ſunt. Nomen huic Doctor Velaſquius, cum quo, cùm in primaria Eccleſia Toleti Canonicum & Cathedraticum ipſe ageret, aliquos ego timores & ſcrupulos tum in meipſa ſentiens, communicare de animæ meæ negotijs procuraui; quòd eum virum doctum, & zeloſum Dei famulum eſſe noſſem; quocirca eum importunis precibus rogaui, animæ vt meæ regimen ſuſciperet, mihique confitenti operam daret. Is autem, quamuis varijs negotijs diſtineretur, cùm id eum ex amore Dei rogaſſem, meamque ipſa neceſſitatem conſideraſſem, tam libenter id præſtitit, vt obſtupuerim: vnde toto eo tempore quo Toleti hæſi, (quod certè ſatis fuit diuturnum) eo confeſſario vſa ſum, & de animæ rebus cum ipſo contuli. Idque omni, quo licuit, cum candore & ſimplicitate, prout ſemper facere mihi moris eſt. Tantum porro mihi profuit, vt ſtatim ac cum illo contuli, timores me relinquere inceperint. Alia, (vt verum fatear) præterea mihi fuit cum illo agendi cauſa, quam hoc loco non expedit commemorare. At de facto maximam mihi vtilitatem attulit: nam è ſacræ Scripturæ teſtimonijs certam & ſecuram me reddebat: quæ certè ratio mihi maximè expedit, cùm nimirùm certa ſum eos qui mihi illa depromunt, ex ſe etiã doctos eſſe & multa noſſe; vti de illo viro certa eram, accedente præſertim

Sorienſis conuentus initio.

Doctoris Velaſcij Epiſcopi Oxomenſis elogium.

sertim vita eius bona. Litteras porro has mihi scripsit Soria, vbi tum quidem ipse versabatur: in his autem scribebat, mulierem quamdam nobilem, cuius ipse illic confessiones excipiebat, secum de quodam Monialibus nostris cœnobio fundando locutam esse; sibique hoc non incongruum videri; ei vero dixisse se rem mecum haud difficulter transacturum. quamobrem illuc me ad fundationem inchoandã conferrem, nec secùs sentiendo sese apud illam confunderem: itaque, si id expedire & congruũ censerem, certiorem se per litteras redderem; actum se me euocaturum. Equidem maximopere gauisa sum: nam (vt omittam fundationem illam expedire mihi visam) summopere desiderabam nonnulla ad animam meam spectantia negotia cũ eo communicare, eumq; coram videre: nam, ob ingentem quem mihi attulerat fructum, insignem erga eum amorem conceperam.

Huic aũt fundatrici nomẽ erat Beatrix de Veamõte & Nauarra (q à Nauarræ Regibus genus ducat) D. Francesij de Veamonte genere & natalibus illustrissimi filia. Aliquot illa annis nupta, nullos cõceperat liberos, ceterùm fortunis & opibus abundabat. Iam verò à multis annis secum statuerat, quoddam Monialium monasterium condere. Itaque super hoc negotio cum Episcopo Velascio tractauit; qui ei huius Ordinis B. Virginis Discalceatarum mentionem fecit. quod illa audiens, adeo huc propendit, vt quam citissimè hanc rem executioni per eum mandari voluerit. Est vero mulier cum primis blanda, suauis moribus, generosa austeritatis sectatrix, denique insignis Dei famula. habebat hęc Soriæ domum bonam, bene materiatam, & satis commodè sitam. hanc se nobis daturam spopondit, vnà cum omnibus quæ ad monasterij fundationem erant necessaria. addidit præterea quingentos aureos annuos, ad nummum vigesimum computandos. Episcopus vero templum se datutum promisit, satis bonum, & omnibus ex parte concameratum, quod erat parœciæ cuiusdam vicinæ, quod addito quodam ambulacro & vestibulo, satis vtile nobis esse poterat. Non incommodè autem id facere potuit, quòd templo vix esset de reditibus prospectum, & aliæ satis multæ in vicinia ædes sacræ sint vnde ipsam Parœciam alteri adnexuit. Hæc omnia suis ipse in litteris mihi significauit, quas ego mox cum P. Prouinciali, qui fortè hic tum aderat, communicaui: cui, vt & omnibus amicis nostris, placuit, vt illi per certum ac proprium tabellarium rescriberem, vt me venirent accersitum: quod Palentina fundatio iam tum confecta esset. Ego vero summo propterea affecta sum gaudio, idque ob eam quam dixi causam.

Incepi ergo seligere & euocare Moniales, quas illuc mecum assum-

assumptura eram, quæ vniuersim fuere septem (illa namque Domina potiùs plures habere volebat, quam pauciores) & præter has vna laica nec non socia mea, & ego. Venit porro certus quidam nuntius inde missus, summa cum festinatione, ad nos accersendas, & quidem satis commodè: quia scripserat, velle me duos Discalceatos Patres mecum assumere. Sumpsi ergo mecum P. F. Nicolaum de Iesu Maria magnæ discretionis virum, Genua oriundum. Habitum Religiosum is induit, annum agens plusquam quadragesimum, vti mihi quidem videtur, saltem in præsens tot annorum est certè nō diu est, quòd eum assumpserit: verùm breuissimo tempore tantum is in virtutibus fecit incrementum, satis vt appareat, à Domino eum electum esse, vt in hisce persecutionibus & exagitationibus Ordinem propugnaret. quippe mirum in modum tunc temporis eum iuuit. reliquorum namque qui eum tueri poterant, alij erant in exilium acti, alij in carcerem compacti, illum vero, quod munere nullo fungeretur, quia non ita pridem (vti dictum est) in Ordine fuerat, non vsque adeo curabant. Ideo vero id Deus permisit, talis vt mihi auxiliator superesset. Tantæ verò discretionis est, vt, cùm Madriti in Calceatorum conuentu ageret, tam dissimulanter sese gesserit, vt aliorum negotiorum tractandorum causa hi eum illuc venisse arbitrarentur, nec de nostris eum rebus agere intelligere possent. Vnde eum minimè vexarunt, sed quietum esse siuerunt. Sæpius inuicem litteras scribebamus (eram enim tunc ipsa in Conuentu Abulensi) & de iis quæ opus erat, inuicem certiores reddebamus. hoc namque permagnæ ei consolationis erat. Hinc liquidò patebit, quanta tunc in necessitate Ordo noster versaretur; cùm mei, virorum bonorum (vti quidem fertur) defectu, tanta haberetur ratio. Toto illo tempore illius perfectionem & discretionem perspexi. vnde de numero illorum est, quos ex hoc Ordine in Domino plurimùm diligo, & plurimi facio.

P. Nicolai à Iesu Mariæ elogium.

Ipse ergo, & socius eius F. laicus, nos comitati sunt. satis autem exiguum in via hac sum laborem & molestiam passa: quem enim Episcopus ad nos euocandas submiserat, satis lautè commodeq; nos habuit, &, qua poterat, vbique de bonis nobis diuersorijs prospicere procurabat. Cū enim Oxomēsem diœcesim intrassemus, adeò certè erga suum diœcesani Episcopum afficiuntur; vt, statim ac intelligerent, nos illius auspicio iussuque huc venire, commoda nobis hospitia darent. Tempus quoque satis serenum erat, & diætæ viarum non adeò longæ; vnde parum in hacce via laboris, sed gaudij multum sensimus. Audiens enim ipsa, quàm bene passim omnes de Episcopi sui sanctitate loquerentur, sensi id intra me

longè

longè maximum. In Burgum verò feria quarta pridie Octauæ Venerabilis Sacramenti deuenimus: feria verò quinta, qua ipsa agebatur octaua, sacram communionem ibi sumpsimus; postridie inquam quàm veniſſemus: ibidemque prandimus, quod ea vespera Soriam peruenire non posſemus, at noctem in templo quodam transegimus, quod aliud tunc diuersorium non suppeteret; nec verò malè nobis illic cessit. Postridie, cum sacrificium Missæ ibidem audiſſemus, hora circiter quinta vespertina Soriam deuenimus. Sanctus Episcopus in quadam domus suæ feneſtra dum illic transiremus, erat; vnde nos sua est benedictione dignatus. quo me facto non mediocriter recreauit. nam benedictio à Prælato, & sancto viro proficiscens, permagni facienda est.

Domina autem illa, fundatrix noſtra, ad domus suæ ianuam aduentum noſtrum præstolabatur, qui erat locus in quo monasterium cõstituendum erat. Quo autem in illam ingrederemur modo, vix vlla apparebat ratio: nam ingens hominum aderat vis. Neque verò nouum hoc erat: nam quocumque imus, tanta semper adest multitudo (quod mundus nouitatum sit cupidus & curioſus) vt, niſi velis faciem tegeremus, maximus nobis subeundus esſet labor; sed, cum velis rectæ sumus, tolerabile vtcumque id est. Parauerat illa capax atrium, ipsumque bene adornarat, in quo sacrum dicendum erat: nam templo, quod nobis Episcopus daturus erat, quoddam addi debebat ambulacrum. Vnde etiam postera die, qua festum S. P. N. Eliſæi recolebatur, sacrum ibi celebratum est. Omnia, quibus opus habebamus, domina illa quàm abundantiſſimè suppeditabat, noſque in illa domus parte agere passa est: in qua tamdiu recollectæ egimus, vsq; dum ambulacrum illud paratum fuit, quod ante festum Transfigurationis Domini perfectum non fuit. Illa ergo die primum in templo illo noſtro celebratum est, magna cum solennitate & hominum confluxu: quidam Societatis Iesu Sacerdos concionem habuit; quod Episcopus in Burgum conceſſiſſet: nullum enim diem aut horam elabi sinit, quo non laboret & operetur, tametsi non vsque adeo rectè valeret; quod vnius oculi vsum amiſiſſet. quod certè magnum mihi dolorem ibi attulit. etenim quam maximè indolui, qaod qui Domini noſtri obsequio ita totum sese impendebat, visum amiſiſſet. Hæc scilicet sunt illius iudicia; & hauddubie ideo hoc faciebat, vt maiorem famulo suo merendi materiam daret (quia non segnius aut minus idcirco laborabat, quam ante) vtque videret, num illius cum sua voluntate conformis esſet. Vnde dicebat mihi, non magis sese propterea affligi aut dolere, quam ſi illa cuipiam è vicinis suis ægritudo obtigiſſet: vt subinde

Doctoris Velasij in sacris sapientia solitudinis desiderium & auiditas.

inde mecum cogitarem, illi etiam minimè graue futurum, si & alterius lumen oculi illi Dominus eriperet: tunc quippe is se dicebat in eremum quamdam concessurum, vt ibi minore cum onere & obligatione Deo seruiret. Hæc enim semper illius fuit vocatio, antequam ad Episcopatum assumeretur: vti subinde mihi referebat. Imò, propemodum iam statuerat, simul omnia deserere, & intra solitudinem quamdam sese abdere. Ego verò id pati minimè poteram, quòd mihi Ecclesiæ Dei perutilis futurus videretur; vnde eum ego statum ei optabam quem modò habet: tametsi, quo die Episcopale munus ei delatum est (nam statim id ipse mihi significari iussit) magnam intra me turbationem & inquietudinem sensi, quòd grauissimum ei onus impositum videre videret. vnde me componere, aut quietare non poteram: quamobrem in chorum abij, eum Domino commendatura: vbi me Maiestas illius statim serenauit, ipsum seruitio suo perutilem & commodum fore asserens. quod ita esse, satis iam apparet. Quamuis ita vt dixi ex oculo laboret, & alios præterea graues morbos habeat (vt taceam labores eius ordinarios & communes) quater per hebdomadam ieiunat, aliasque austeritates subit: cibus illius simplex est, ac nullas habet delicias. Suam Diæcesim visitat, pedes: quod famuli eius & comites vix ferunt, deque ea re mecum subinde conquesti sunt. Illos porro oportet pios esse & virtutibus insistere, aut illius familiam deserere. Magni momenti negotia per Prouisores suos vt peragantur vix sustinet; imò credo eum ne vlla quidē ipsis committere, sed ipsemet ea facere & exequi vult. Biennio primo tā grauibus ibidē falsarum delationum exagitatus est persecutionibus, vt non possem non obstupescere, quia in iustitia administranda mirè integer & sincerus est. Illæ verò iam paulatim cessabant, &, quamuis delatores ad aulam, & ad eos, per quos ei malum machinari se & nocere posse sperabant, se contulerint: quia tamen iam virtus & bonum, quod per totam diæcesim facit, innotuere, hinc nihil omnino possunt. ipse autem tanta cum animi tranquillitate omnes eas pertulit, vt aduersarios & æmulos suos confusione repleuerit, benefaciendo illis, quos sibi malum machinari nosset. Quantumuis multa ei negotia curanda sint, semper tamen aliquod tempus illis suffurari satagit, quo orationi incumbat. Videor absorberi, & extra metā ferri, dū aliqua de sancto hoc viro bona refero. Et certè adhuc valdè pauca dixi, sed, vt noscatur & sciatur, quisnam fundationis Sorensis conuentus, à SS. Trinitate cognominati, principium & primus auctor exstiterit, vtque quæ in eo aliquando viuent Moniales consolationem sentiant; inanem operam non sumpsi: ijs enim quæ modo meo agunt, hanc scio prodesse. Quamuis autem

ipse reditum annuum non dederit, dedit tamen templum; & ipse fuit qui (vti relatum est) dominam illam ad hoc opus faciendum induxit; ad hæc, sicuti dixi, excellentis vir est pietatis, virtutis, & austeritatis.

Cum ergo iamiam ad templum aliud concessuræ essemus, & ea quæ ad clausuram necessaria erant, disposuissemus, necesse me fuit ad Abulensem conuentum cõcedere: quare quamprimum inde, per intensos æstiuos calores digressa sum: adhæc iter quod cõficiendũ erat, curribus admodũ erat importunũ. Profectus vero mecũ est Præbẽdarius quidã Palẽtinus, Ribera nomine; qui in ambulacro illo cõcinnando, nec non in omnibus rebus alijs, impigrã mihi operã nauauit, magnumque laborem subijt: quia P. F. Nicolaus de Iesu Maria, confectis iam fundationis litteris & instrumento, alio iam, vbi opera illius quam maximè necessaria erat, concesserat. Inde verò tantam ei Deus nobis benefaciendi desiderium iniecit, vt is inter alios Ordinis benefactores posset accenseri, vt vna cum ipsis eum illius Maiestati commendemus. Alius quis vt mecum veniret, nolebam, quam ipsẽ & socia mea: nam is adeo prouidus & actiuus est, vt mihi sufficeret: & quominus per viam est strepitus, eo melius id esse comperio. quæ autem hic sustinui, incommodis satis luebam quæ in veniendo habueram commoda: nam quamuis adolescens, qui viarum se ducem obtulerat, viam adusque Segobiam nosset, regiam tamen viam ignorabat. hinc sæpe in ea nos loca conducebat, vt excensionem nos facere oporteret, & vehiculum velut in humeros ob ingruentia prægrandiaque præcipitia sustollere. Si quos viæ indices assumeremus, vlterius nos non conducebant, quam quousque ipsam nossent, si autem ea vel paulo difficilior occurreret, ilico nos deserebant, à suis se negotijs domum reuocari dictitantes.

Antè verò quàm ad diuersorium perueniremus (quod quãdo fieret nesciebamus) vehementem solis æstum passi eramus, quin etiam sæpe in præsentissimo periculo versati, ne currus ipse euersis rotis prolaberetur. Ego sollicita & anxia imprimis erã, ob illum qui nos comitabatur. nam, tametsi iam ante dixissent, nos bona & debita via incedere, necesse tamen nos erat viam emensam remetiri, & eo vnde veneramus, reuerti. At ipse adeo in virtute erat radicatus, vt numquã illum stomachantem vidisse me meminerim; quæ certe æquabilitas mihi & admirãdi, & Dominum laudandi occasio fuit. Quippe vbi solida & radicata est virtus, ibi occasiones peccandi vix quidquam possunt. Ego verò Dominum laudabam, quod nos è difficili hac via educere dignatus esset.

Pridie ergo Natalis S. Bartholomei Apostoli Segobiam ad S. Iosephi

phi appulimus: vbi Moniales nostræ in metu & anxietate versabãtur, quod tam diu in via moraremur. quòd enim via perdifficilis esset, satis diu in ea hæsimus. Illæ verò benigne & perhumaniter nos excepere: nam numquam mihi Dominus laborem aliquem ac pressuram immittit, quin eum statim consolatione rependat. Octiduo eoq; amplius hîc quieui. Hæc autem fundatio adeo sine vllo prorsus labore peracta est, vt is quem iam retuli, nihili faciendus sit. quia reuera nullius est momenti. Equidem valdè contenta inde redij, quod opidum id mihi videretur huiusmodi, vt, quæ Dei misericordia est, sperem fore, vt magnum nomini eius inde sequatur obsequium, quod conuentus ille ibi sit erectus: vti iam reipsa id satis apparet. Sit ille in æternum benedictus & glorificatus. Amen.

Caput XXX.

De fundatione conventus S. Iosephi a S. Anna, in ciuitate Burgensi. Primum, in eo sacrum celebratum est, die 19. Aprilis Dominica in Albis, anno M.D.LXXXII.

IAm sexennium & amplius effluxerat, ex quo quidam è Societate Iesu, viri cumprimis religiosi, senio, litteris & spiritu commendabiles, mihi dixere, non mediocriter ad Domini gloriam & obsequium futurum, si quoddam sacri huius Ordinis cœnobium in ciuitate Burgensi erigeretur. Aliquot adhoc quoque depromebant rationes, quæ me ad hoc ipsum desiderandum non parum impellebant. Verum, quod & Ordo ipse diuersimodè exagitatus, & ipsa alijs fundationibus distenta fuissem, commodam rei huius perficiendæ occasionem non habueram.

Burgensis fundatio describitur.

Itaque cum anno octogesimo Vallisoleti agerem, fortè fortuna illac Archiepiscopus Burgensis, tunc recenter ad hunc Archiepiscopatum electus (antea namque Canariensis Episcopus fuerat, & illuc venerat) pertransijt. Vnde Aluarum Mendosium Palentinum Præsulem (quem iam sæpiùs dixi, plurimum huic Ordini fauere: ipse namq; primus fuit, qui cœnobium S. Iosephi Abulense admiserat, cùm illic Episcopum ageret; quin etiam magna exinde semper nullo non loco nobis beneficia contulit, negotiaque Ordinis huius non secùs curauit quàm propria, atque ea inprimis, quæ particulatim eum rogo vt curet) rogaui, vt ab hoc ad Burgis conuentum constituendum facultatem mihi deposceret. Qui id se quàm libentissimè facturum respondit. Quod enim singulare Domino in hisce monasterijs obsequium præstari arbitretur, hinc illi maximæ est voluptati, si quando aliquod alibi erigitur. Noluit autem Archiepisco-

pus nouus Valliſoletum intrare, ſed in S. Hieronymi conuentu extra eam eſt diuerſatus: quo eum loco Palentinus Præſul quàm humaniſſimè inuiſit, cumeoque prandit, & quoddam ei cingulum dedit, aut, neſcio quam, cerimoniam circa eum exercuit, quam ab Epiſcopali manu prouenire oportebat. Hic ergo facultatem ab illo monaſterij in vrbe Burgenſi fundandi petijt: quam ipſe quàm libentiſſimè elargiturum ſe ſpopondit, quoniam etiam tum, cùm in Canaria ageret, deſiderarat & petierat, vt ibidem aliquod Ordinis huius cœnobium fundaretur: quòd probè ſibi conſtaret, quantopere in illis Domino ſeruiretur: quòd ex ea eſſet vrbe oriundus in qua quoddam eorum fundatum erat, præterea eram ego ei familiariter nota. Quamobrem me Epiſcopus ſecuram eſſe iuſſit, vtque de facultate impetranda neutiquam dubitarem edixit; eo quòd Archiepiſcopo id quàm gratiſſimum fuiſſet. Et quia Concilio Tridentino non iubetur, vt facultas huiuſmodi ſcripto tradatur, ſed ſatis ſit Ordinarium aſſenſum in his præbere, hinc facultas ea vt data conceſſaque poterat haberi.

Iam ſuprà in Palentinæ fundationis narratione dixi, quàm illo tempore magnam in meipſa ſentirem à fundando alienationem & repugnantiam, quòd quàm peſſimè valuiſſem, vt omnes me demoriturum crederent, ac ne tum quidem planè confirmata eſſem valetudine: tametſi me hæc ipſa adeò deijcere & puſillanimem reddere non ſoleant, cùm, quæ agenda ſunt, ad Dei honorem & cultum tendere video: vnde, quænam tantæ puſillanimitatis & ignauiæ, quantam tunc habebam, cauſa fuerit, nequaquam intelligo. Si dixero inde ortam, quòd parua mihi ad illam fundationem peragendam ſuppeterent ſubſidia, alijs certè in fundationibus habueram minora. quocirca cùm illius vidi euentum, & quæ inde ſecuta ſunt, à diabolo eam profectam fuiſſe mihi perſuadeo. Vt plurimum enim ſic hactenus contigiſſe video; ſcilicet, quoties in aliqua fundatione aliquis mihi ſubeundus eſt labor (quòd me Dominus adeò miſeram & impotentem eſſe cognoſcat) ipſum mihi tum verbis, tum operibus, animum ſemper addere. Cogitaui ergo (quia in quibuſdam fundationibus, in quibus nullum me ſubire laborem oportuit, Maieſtas illius nihil mihi ſignificat) ita in illa factum eſſe. nam quòd ſciret, quidnam in ea pati deberemus, iam inde à principio corroborare me & animare cœpit (ſit ipſe pro omnibus laudatus,) quemadmodum iam antè in Palentina fundatione, de qua vnà cũ hac perficienda ſimul tractabatur, cõmemoratum eſt. Per modũ nãq; reprehẽdetis mihi dixit, ecquid timeꝛẽ? quando mihi vmquã defuiſſet? *Ego idẽ ſum, duas baſce fundationes facere ne ne-*

Labeꝫ ſubeundorũ Dominus S. Matrem præmonere ſolet.

ne negligas. Quoniam ibi narratum est, quis mihi post illa verba audita animus manserit, necesse me non est hic ipsum denuo referre. mox namque ab omni me socordia liberatam sensi. Vnde liquido patet, inualetudinem & senilem ætatem meam illius causam non fuisse: quocirca tam de vna, quàm de altera (vti antè declaratum est) tractare cœpi. Magis autem expedire videbatur, vt Palentinam prius inspicarer, tum quod id opidum esset vicinũ, tum quod tempus satis brumale, tum quod Burgensis ciuitas frigidiori esset sub climate, maximè verò vt bono Palentino Episcopo gratificemur. Vnde etiam prius ea perfecta est, sicuti iam suprà legere est. Sed quoniam, cùm ibidem agerem, Numantinæ fundationis occasio sese inexspectatò obtulit, visum mihi (quod omnia hic parata & confecta essent) satius futurum, priùs illuc proficisci, atque inde demum Burgos me conferre.

Visum autem Palentino Episcopo (prout quidem eũ ipsa rogabã,) expedire, vt rei huius, & omnium quæ gerebantur, Archiepiscopũ certiorẽ redderẽ. Vnde is etiã (postquã scilicet ego Numantiã iã concessissẽ) Canonicũ quemdã Ioannẽ Alphonsum nomine, nõ alia de causa, quã hac, expresse ad eũ destinauit. Archiepiscopus vero mihi magna cum amoris significatione respondit, nihil vsq; adeo desiderare se dicens, quàm vt illuc quamprimum concederem; quin & cum Canonico illo ad se misso accuratè de hac ipsa re egit, & ad Palentinum Antistitem rescripsit, illius discretioni & prudentia multa committens; quidquid autem hac in re ipse faciebat, ideo fieri, quod Ciues Burgenses nosset: nam illis annuentibus & consentientibus monasterium fundari oportere. Constitutum tandem inter nos fuit, vt ipsa me illuc conferrem, & cum magistratu & ciuibus primò rem transigeremus; nam, casuquo hi facultatem nobis negarent, illi saltem manus eos ligare aut impedire non posse, quo minus ipse eam mihi daret. Addebam, ipsum tum Abula præsentem fuisse, cum primum illic monasterium erigeretur, ac meminisse posse, quantæ ibi turbæ & contradictiones illius occasione fuerint excitata. itaq; eum hic simile quid velle præuenire, eò quòd minimè expediret, hic monasterium quod censum & reditus non haberet, (ad quod ipsa minime propendeo) sine facultate & assensu ciuium constituere, ac propterea illum hoc dicere. Palentinus ergo Præsul rem vt planè confectam existimabat (nec immerito) cùm, vt me illuc conferrem, suadebat; simulq; mihi misso nuntio significauit, vt Burgos abiremus. Ego verò aliquẽ animi defectum in Archiepiscopo mihi notare ac percipere videbar; vnde ei missis litteris respõdens, gratias etsi pro beneficio

mihi præstito: addebam vero, peius mihi videri, ciuibus Monasterium admittere nolentibus, ipsum erigere, quàm nihil illis indicando, rem peragere, itaque Dominationem ipsius maiori inuidiæ exponere. Augurari certè & præsagire videbar, quàm parum, aliqua excitata contradictione, in illo nobis esset fiduciæ collocandum, & subsidij sperandum, si hoc ipsa negotium ei primo proposuissem. Quin etiam id confectu perdifficile fore arbitrabar, varietate opinionum, quæ huiusmodi in rebus interuenire plerumq; solet, postea accedente Quapropter Palentino Episcopo scripsi, cum rogans, vt, quandóquidem ætatis tam parum restaret, & morbi mei, tam essent graues ad in loco adeo brumali hiemandum, hanc fundationem pro tunc quidem omitteremus, in aliud eam tempus reiicientes. Quoad Archiepiscopum verò dubium aliquod subesse non significaui, quòd & ipsum malè haberet, quòd hic inconuenientia quędam ex aduerso allegaret, cùm priùs tam beneuolum animum & insignem voluntatis erga hoc negotium propensionem ostendisset: ne ergo aliquam inter eos (sunt enim amici) dissensionem animique alienationem sererem, Numantia Abulam discessi, parum tunc quidem cogitans, fore, vt tam citò illuc redirem. valdè verò necessarium fuit, idq; quibusdam de causis, ad Abulense S. Josephi Monasterium me abire.

Catharinæ de Tholosa elogium.

Habitabat autem tunc Burgis sancta quædam vidua, Catharina de Tholosa nuncupata, è Cantabria oriunda; cuius si virtutes cõmemorare vellem, longã contexere narrationis serie possem, vti etiam, si illius pœnitentiam, orationẽ, liberales eleemosynas, caritatẽ, præclarũ ingenium & auctoritatem referrem. Duas hæc in Vallisoletano Ordinis nostri cœnobio, à Conceptione Deiparæ matris vocato, filias (idq; nisi fallor, iam à quadriennio) collocarat: postea & alias duas Palentino dedicauit, exspectans vsq; dum ipsum constituere tur; quare etiam prius, quàm inde recederem, eas illuc deduxit. Quæ quatuor adeò bene singulę profecere (vtpotè à tali matre institutę & educatę) vt Angelos sanctitate referre videantur. Amplas satis illis dabat dotes, & omnia necessaria quàm abundantissimè: ipsa namq; rebus abundat, & quidquid facit, facit quàm cumulatissimè: & potest quidem; cum opulenta sit ac locuples.

Palentiæ ergo cum ageret, tam certò nobis sperabamus facultatem ab Archiepiscopo dandam, vt nullatenus de ea dubitandũ videretur: eam itaq; rogaui, mihi domũ pretio conducibilẽ cõquireret, vt in ea adire possessionem possemus, in qua & reticulatos cancellos, & orbem versatilẽ adaptaret, meisq; rationibus pretium horum asscriberet, nam nolebã vt vel minimã de suo impenderet, sed vt mihi tantum mutuaret. Tam ardenter porro hanc ipsa fundationẽ perfectam vide-

videre cupiebat, vt permoleſtũ illi fuerit quòd tunc ea confecta non fuerit. Vnde, me Abulã (vti dixi) profecta, & nihil minùs quã de fundatione hac conficiẽda cogitãte, ipſa minimè ceſſauit aut quieuit; nã, cũ à ſola facultatis Magiſtratus impetratione negotiũ totũ dependere illi videretur, eã (nihil omnino mihi indicãdo) procurare cœpit. Habat nãq; duas vicinas magnæ auctoritatis feminas, & permagnas Dei ancillas, matrẽ ſcilicet ac filiã, quæ hoc monaſterium illic videre cumprimis deſiderabant. Matri nomen erat Maria Manricia, quæ filium habebat Senatorem Alphonſum à S. Dominico Manricium cognominatum: filia verò, Catharina vocabatur. Ambæ inſtanter ab ipſo petierunt, vt rem hanc in Senatu proponeret. Is ergo Catharinam de Tholoſa conuenit, petens ecquo nos dicere poſſet fundamento niti: neq; enim facultatem à ſenatu datum iri, niſi aliquod ſubſidium haberemus. Ipſa ſe ſpopondit, domum ære ſuo, (ſi aliunde nobis non ſuppeteret) comparaturam, ac de victu proſpecturam: vti & fecit. itaque ſupplicem libellum ſuo ſignatum nomine ſenatui obtulit. D. Alphonſus rem adeò ſcitè propoſuit & conduxit, vt ab vniuerſis Senatoribus facultatem hanc, & quidem in ſcriptis, obtinuerit, quam & Archiepiſcopo videndam dedit. Cùm verò de hoc illa negotia agere cœpiſſet, per litteras mihi ſe de illo agere ſignificauit. Ego illam nugari & me ridere exiſtimabam: ſcio namque quàm ægrè monaſteria nullis dotata cenſibus admittantur, quod verò neſcirem, ac ne cogitarem quidem, ipſam facturam ſe ſpopondiſſe, quod poſtea fecit, longè alia ad hoc mihi opus eſſe auctoritate videbatur.

Cum ergo intra octiduum feſti S. Martini, hoc ego negotium Domino per orationem commendarem, animo reputare cœpi, quidnam ipſa, ſi à Magiſtratu iã ea facultas daretur, facerem. etenim parũ tutum & expediẽs mihi videbatur, corpore adeo præ morbis attrito, quibus frigus quam maxime officit (erat namque id tunc ſatis vehemens) Burgos me abire. nã temerarium erat, tam longũ me iter ſuſcipere, cũ nonniſi nuperrimè à tam longo & difficili (quale me, dum Numantia reditem, habuiſſe dixi) redijſſem. Timebam quoque vt Pater Prouincialis id mihi non permitteret. Putabam proinde Palentinam Præpoſitam non incommodè eo poſſe mitti, quod rebus omnibus iam diſpoſitis, & difficultatibus ſuperatis, non multum negotij immineret. Dum autem hoc mecum voluo, & ab itinere ſuſcipiendo animũ prorſus auoco hæc mihi Dominus verba dixit, è quibus iam tunc facultatem datam fuiſſe, liquido perſpexi: *Noli frigora hæc curare: ego nãq; pro vestrũ calore, omni diabolus ope cõnititur, vt hãc fundationẽ diſturbet, tu vero omni e-*

Redemptor S. Matrem aditer Burgenſe animat.

contra

contra à parte mea connitere, vt ad exitum ea perducatur: & ne negligas ipsa te illuc conferre: nam magnum inde commodum resultabit. Mox ergo opinionem & sententiam mutaui, tametsi corpus in ijs quæ laborioſa ſunt & difficilia, ſubinde repugnet, licet non minus & propoſitum pro magno illo Deo quidquam patiendi: vnde ei dixi, hoſce debilitatis meæ ſenſus non curaret, nec ijs quo minus ea quæ ſibi viderentur, mihi imperaret; ſua namque ope & auxilio ſuccurrente me eadem præſtituram. Nimium tum magna deciderat nix, & intenſum erat frigus: &, quod me maxime intimidabat, & ſegnem reddebat, infirma eram valetudine: hanc enim ſi bonam habuiſſem, reliqua omnia nihil eſſe mihi viderentur. Inualetudo porro, hac in fundatione vt plurimum me exercuit: frigus verò tam fuit hic exiguum (quantum ſaltem ipſa ſenſi) vt tantum tamque intenſum Toleti ſenſiſſe mihi videar. E quo colligere eſt, Dominum ea quæ mihi dixerat reipſa compleſſe, fidemque liberaſſe.

Non multis poſt diebus, reipublicæ facultas ad me tranſmiſſa eſt, vna cum litteris Catharinæ de Tholoſa, eiuſque amicæ, alterius illius Catharinæ, quibus me feſtinare cogebant, quod, ne quod impedimentum interueniret, timerent: quia iam recenter illuc fratres Minimi aduenerant, aliquod ſui Ordinis cænobium erecturi; quin etiam Carmelitæ Calceati iam dudum erat quod apud Magiſtratum inſtiterant, vt illic ſibi conuentum fundare liceret; nec multo poſt Monachi à S. Baſilio cognominati eodē appulere. Qui magno nobis impedimēto eſſe poſſent: etenim cōſideratione dignum eſt, tam multos vno eodemque tempore nos ad monaſterium, Ordinis quemque ſui, fundandum concurriſſe: nec non magna Domini, ob eminentem ciuitatis huius caritatem, dilaudandi materia: nam eſto reſp. proſperitate qua ſolebat, non gauderet, multumque à priſtino ſplēdore decidiſſet, eos tamen omnes quam libentiſſime admiſit. ſemper quidem ciuium & ciuitatis illius caritatem deprædicari audiui, ſed non putabam eam tam intenſam & eximiam eſſe. Hi quidem illis, alij alijs Religioſis fauebant & patrocinabantur. Sed Archiepiſcopus, omnia quæ ſuboriri poterant, incommoda perſpiciens tam multa inibi monaſteria fundari verabat, ratus hac ratione alijs Ordinibus Mendicantium, eleemoſyna viuentibus, aliquam iniuriam fieri, eò quod hi ſe vix ſuſtentare poſſent. Et forſan ipſimet eum propterea adierant, aut diabolus hanc technam inuenerat, quo ingenio illud bonum, quod loco & opido, in quod multa monaſteria inducit, Deus adferre & accerſere ſolet, auferat: tam enim is poteſt plurima quam pauciora ſuſtentare.

Hæc

Hæc igitur fuit causa, cur sanctæ illæ mulieres adeò me festinare vellent: nam (prout quidem voluntas mea erat) libenter statim me in viam dedissem, nisi quædam me negotia remanere coëgissent. Cogitabam namq;, meam obligationem, ad videndum ne tam bona à parte mea elaberetur occasio, maiorem multo esse, quàm illarum quas tam serio & impigrè in hanc rem incumbere videbam. E verbis autem, quæ à Domino intellexeram, magnam colligebam nobis instare contradictionem & repugnantiam: at intelligere nequibam, à quo, aut vndenam ea esset prouenturа. Etenim Catharina de Tholosa iam tum mihi scripserat, domum in qua ipsa commorabatur certò destinatam esse in qua adeunda esse possessio, ad hæc magistratum, nec non Episcopum, facultatem apertissimè cõcessisse. Quamobrem intelligere non poteram, à quo hæc enascitura esset contradictio, quam cacodæmones erant excitaturi: neque enim dubitabam, quin ea quæ audieram, verba à Domino venissent. Maiorem porro Dominus superioribus lucem communicet oportet: nam cum Patri Prouinciali scripsissem, vt me (prout cælitus iussa eram) illuc abire sineret: facilè quidem mihi assensum præbuit, & facultatem eundi dedit: at petijt quamprimũ, nũ ab Archiepiscopo licentiam scripto cõprehensam haberem. Respondi, Burgis mihi scriptum esse, cum ipso rem communicatam fuisse, &, cùm Magistratus facultas & peteretur, & data iam esset, ipsum eam comprobasse, nec refragatum esse. proinde tam ex hoc, quàm è verbis quæ is hoc in casu erat prolocutus, videri nos ea de re certos esse posse.

Cererum P. Prouincialis vnà nobiscum ad hanc fundationem proficisci volebat. partim credo, quòd tum impedimentis & negotio vacaret, nam antè paulò per Aduentum conciones habuerat: partim quòd Numantinum Conuentum eum visitare oportebat (nam ex quo is fundatus erat, nondum eum viderat) neque verò procul à via sua necesse eum erat deflectere: partim denique vt valetudini meæ per itinera & vias prospiceret, quòd & tempus esset frigidum & immite, & ego tam vetula & infirma: quod vitam meam aliquomodo sua referre existimarent. Et certè quædam diuinæ prouidentiæ ordinatio fuit: nam viæ erant tales (vtpote tot aquis vndiquaq; oppletę) vt & ipsum, & socios eius eò proficisci necesse fuerit, quò coràm explorarent vbinam curribus incedendum esset, & ad vehicula cænosis locis subinde inhærentia educenda coadiuuarent: maximè verò in via media inter Palentiam & Burgos. adeò vt summo nos periculo tunc exposuerimus, quòd per id tempus in viã nos dedimus. Verum quidé est, dixisse mihi Dominum, *Ire potestis: nolito metuere: ego namq;* vobis-

vobiſcum ero & vos adiuuabo. eſto P. Prouinciali tunc temporis id non ſignificaſſem: id tamen mihi in maximis periculis & difficultatibus, in quæ ſubinde incidebamus, permagnę conſolationi erat: præſertim illo in loco, *cui à Pontonibus* nomen eſt, qui haud procul Burgis eſt. In quo aqua vſque eò increuerat (& quidem ad ſatis magnum ſpatium) vt in tantum pontibus ſuperſtaret, vt hi nec apparerent, nec qua incedendum eſſet dignoſceremus: ſed tam hinc, quàm illinc aqua profundiſſima vndiquaque latè reſtagnaret. Adeò vt magna quædam temeritas eſſet, illac nos tranſire, ac præſertim curru vectos: ſi enim cum vel modicum in latus vergere cõtingat, iam iam ab aquarum vorágine abripiendus videtur. vnde etiam quidam è comitatus noſtri curribus in præſentiſſimo merſionis fuit periculo. Vnde ductorem quemdam è proximo diuerſorio, vadorum & tractus huius locorum peritum accepimus. nam certè ipſa admodum periculoſa ſunt. Quam autem diuerſoria incommoda fuerint, dici nequit: quòd enim viæ eſſent præpeditæ, hinc integras & perfectas diætas conficere non poteramus: etenim carrucæ noſtræ vt plurimùm cæno infixæ inhærebant, vnde etiam equos & iumenta è nonnullis diſſolui oportebat, quò aliæ è cænoſis illis præcipitijs educi poſſent. Magnis certè cum difficultatibus Patres noſtri, qui nos comitabantur, ibi ſunt conflictati: habebamus namq; aurigas quoſdam, adoleſcentes ignaros & ſatis improuidos. Porro ipſa Patris Prouincialis præſentia permagno nobis ſolatio & alleuiamento erat; quòd is omnem in partem ſedulus excubaret: adhæc adeò ingenij ſit ſuauis ac placidi, nulla vt difficultate terreri, aut de ſolita mentis conſtantia dimoueri poſſe videretur. vnde quod ſummum & difficillimum erat, adeo ipſe reddebat facile, nihil vt eſſe appareret. quamquam & circa Pontones non potuerit non timere: quis enim non timeat, vbi ſe in aquarum gurgitem, nullo viarum apparente indicio, nullo ad manum nauigio, ferri videt? quin & ipſa, quantumuis me Dominus adeò ſecuram antea eſſe iuſſiſſet, timui: quidni ergo ſodales meæ & comites? Vniuerſim eramus octo, duæ quæ mecum erant redituræ: quinque quæ Burgis remanſuræ, quatuor inquam chorales, & vna laica. Nondum, credo, dixi, quomodo P. Prouincialis vocaretur. eſt F. Hieronymus Gratianus de Matre Dei, de quo iam aliàs mentionem feci. Ego verò è faucibus grauiſſimè laborabam, quod me malum in via tum, cùm Valliſoletum peterem, occupauit, accedebat ad id febris, quæ me minimè deſerebat. cibum autẽ, quam difficillimè & ſummo cum dolore traijciebam. Hoc erat in cauſa, vt, quæ in via ſubeunda erant incommoda & difficultates non adeò ſentirẽ. Hoc

Pericula quæ in via Burgenſi S. M. ſubierit.

porro

porro malum vsq; modò, ad finem inquam mensis Iunij, durabat: esto non tam intensum, (& quidem multis partibus,) nihilominus sat multum mihi doloris & cruciatus afferebat. Omnes porro satis bene affectæ & animatæ erant. etenim post pericula exhausta & superata, ijs iam præteritis iucundum erat de ijsdem loqui. Magnum sane quid, est ex obedientia pati, illis præsertim quibus eadem adeò frequens & ordinaria est, vti hisce Monialibus nostris est.

Posthæc viarum incommoda, per plurimaq; aquarum pericula, quæ antè quàm eo veniremus subeunda erant, Burgos tandē appulimus. Voluit autem P. Prouincialis, vt priùs sanctam crucifixi effigiē visitatum abiremus, quò nostrorum ei negotiorum successum commendaremus, vtq; interea adueſperasceret, quod satis tempestiuè ad vrbem appulissemus. feria quadam sexta, pridie conuersionis S. Pauli, vigesima sexta Februarij die vrbem inuecti sumus. Decreueram vero, statim atq; venissem, fundationē inchoare, eaq; de causa multas à Canonico Salinas (cuius in Palentina fundatione mentio facta est, cuiq; hæc Burgensis non minore labore constat) mecum tuleram, nec non aliorum virorum grauium & auctoritate valētium, ad consanguineos & amicos, quos illic habebant, vt hi nostro negotio sese propitios præberēt & fauerent. Vti etiam fecere: nam statim, postera die omnes me visitatum venerunt, nec nō magistratus significari nobis iussit, adeo sese priùs promissorum non pœnitere, vt etiā se, quod aduenissē, summopere gaudere dixerint: videre proinde ac diceret, quanam mihi ipsos in re putarē obsequium posse præstare. Visa porrò (si quis enim metus nobis fuerat, à parte magistratus semper fuerat) tanta eiusdē in nos propensione ac beneuolētia, rē vt planè confectam ducebamus: cumq; etiam Archiepiscopum, inscijs omnibus, aduentus nostri certiorem reddere vellemus, (ne per densissimam pluuiam ad Catharinæ de Tholosa ædes tenderemus) quo is ad sacrum quamprimum dicendum facultatem nobis daret:) vti pleriſque alijs in locis facere consueui) ob eam tamen quam dixi causam id hic commodè fieri non potuit. Nocte illa satis iucundè & suauiter requieuimus (quod nos sancta illa mulier laute & iucunde satis exciperet) esto eæ mihi deliciæ caro magnoq; labore steterint. Ingens enim & luculentus focus (etsi in camino) ad nos exsiccandas, structus, vsque eo mihi nocuit & obfuit, vt caput sequenti die attollere nō possem: vnde me necesse erat eos, qui me visitatum veniebāt, in lecto iacentē, ad fenestrā ferreo reticulo cancellatam, veloq; obtenso tectam alloqui & respōsa dare. quod certe mihi cūprimis pœnosum fuit, quod dies is esset, quo rebus expediēdis necessario vacare me oportebat.

Archiepiscopus Burgensis est à monasterio fundando alienior.

Postridie ergo, summo manè P. Prouincialis Archiepiscopum adijt, benedictionem illius petiturus: nam aliud nihil hac in re faciendum nobis putabamus. Quem adeò mutatum & stomachantem reperit, quod suo iniussu ac sine facultate illuc veniissem, vt numquam aut ipse, illuc vt venirem, mihi mandasse, aut nihil dum hac de re hactenus factum fuisse videretur, vnde ita P. Prouincialem est allocutus, vt valde mihi sese indignari ostenderet. Ac licet tandem concederet, mandasse se, vt illuc venirem: ita tamen id sese aiebat intelligere, vt scilicet ego solarem tractatura veniissem, non vero tot simul mecum Moniales conducens. Liberet nos Deus ab indignatione quam ostendit tum, cum rem cum magistratu (vti fieri ipse volebat) iam confectam esse intellexit, ac proinde nullam vlterius esse facultatem petendam, sed fundationem dumtaxat inchoandam: ac Palentinum Episcopum (dum videlicet illum rogarem, num bene factum censeret, Dominatione illius inscia & certiore nō reddita, vrbem intrarē) mihi dixisse id minime necesse esse, quod Dominationem ipsius id summopere iam desiderare diceret. Sed omnia hæc parum apud eum proficiebant. Sic ergo res transacta est. Certè factum id ideo, quod monasterium id Deus fundari omnimodis vellet (vti & ipsemet postea confessus est:) nam si eum prius aduentus nostri certiorem feciissemus, aperte edixisset: vt non veniremus. Tandem ergo sic P. Prouincialem à se dimsit, vt ante se negaret potestatem facturum, quam domum propriam & reditus certos haberemus: alioquin, posse nos vnde veneramus reinfecta reuerti; quod & viæ iam satis essent expeditæ, & tempus commodum.

Quam, ô Deus meus certum est, ei qui tibi aliquod obsequium præstat, quam citissimè magno aliquo labore, mercedem persoluit! Quod autem pretium eo haberi potest pretiosius, ab ijs qui ex animo & sincerè te diligunt, si illius valorem intelligere initio nobis datum fuisset: tunc vero lucrum illud habere ipsæ nolebamus, quoniam omne negotium nostrum per id impediri & corruere videbatur. Dicebat enim, censum & reditum quem habere, & domum quam emere debebamus, ex dotibus quas Moniales ingredientes daturæ erant, comparari non debere. At (esto de illa re non cogitaremus) satis apparebat, pro illo quidem tempore nullatenus rei huic afferri remedium posse. At non ita videbatur mihi, semper enim certa eram, ac sperabam omnia hæc nobis in melius cessura, & nonnisi diaboli technas & molimina esse, ad rem hanc penitus disturbandam; Deum vero tandem opus suum feliciter ad exitum conducturum.

turum. Ceterùm Pater Prouincialis, his auditis, alacer & lætus inde rediit: tunc enim nullatenus est turbatus. Deus quippe id ita fieri volebat, ne ipse me obiurgaret, quòd facultatem datã, scripto (prout quidem is faciendum suaserat) committi non iussissem.

Ex amicis, qui litteras commendatitias nobis dederant, venerat illuc mecum, (vti dictum est) Canonicus Salinas: qui, vti & consanguinei eius suadebant, vt ab Archiepiscopo facultatem peteremus, vt nobis in domo in qua agebamus sacrum posset celebrari, ne per plateas, quæ admodum tunc lutulentę erant, incederemus: indecens enim videbatur & inconueniens, nos discalceatas ita foras prodire. domus enim hæc commodum satis ad hoc locum habebat, vtpote quæ Patribus Societatis Iesu, cùm primùm Burgos venerunt, & quidem octo annorum spatio, vicẽ templi præbuerat. Itaq; non incõueniens futurum nobis videbatur, si ibidem loci possessionem caperemus, vsq; dum domum aliam haberemus. Numquam verò impetrari ab Archiepiscopo potuit, vt ibi nos sacrum audire sineret, tametsi duo Canonici id ipsum quàm instantissimè ab eo efflagitarent. Aliud verò non concessit, quàm vt, postquam censum stabilem iam haberemus, illic fundationem auspicaremur, donec domum propriam haberemus: atque quin etiam datis fideiussoribus nos sibi promittere voluit, illam nos empturas, indeque emigraturas: Hos verò quam primum inuenimus: etenim cõsanguinei & amici Canonici Salinas ad hoc sese obtulere, Catharina verò de Tholosa roditus sedaturam spopondit, vt sic fundationi initium daretur. Inter hæc dum disquiritur quomodo aut vnde census cõstituendus esset, tres & amplius hebdomades effluxerunt. nos interea sacrum non audiebamus nisi solum festis diebus, ac tũ quidem summo mane. Ego verò febricitabam, & satis malè valebam. Sed Catharina de Tholosa ita nobis abunde de omnibus prouidebat, vt ego quàm iucundissimè agerem: & mense integro tam copiosè tantòq; animi alacritate nos in quadam ædium suarum parte à ceteris sequestrata aluit, ac si singularum mater esset, Pater Prouincialis eiusq; comites diuersabantur apud quemdam ex amicis eius, qui eodẽ secum in Collegio olim litteris operam dederat: nomẽ ei Doctor Mansus, Magistralis & Theologalis ibidem in primaria æde Canonicus. Graue verò ei & permolestum erat, quòd tanto tempore illic se morari oporteret, & nesciret quo se à nobis modo posset subducere. fideiussoribus ergo productis, & reditu constituto, Archiepiscopus Prouisori rem in manus tradi iussit, quam primum vt expediretur fore pollicitus. Diabolus certe huic se insinuare & immiscere debebat: nam, postquam hic

eam mature examinasset, vt nullam iam superesse difficultatem existimaremus, & iam prope mensis effluxisset, ex quo Archiepiscopus consenserat, vt eo quo dictum est modo res perageretur, misit mihi Prouisor schedulam, in ea, non ante potestatem fundandi nobis datum iri, dicens, quam proprias ædes haberemus: nolle namque Archiepiscopum iam, vt in domo in qua agebamus, fundationem inchoaremus, quod esset ea humida, & platea in qua sita erat, admodum tumultuosa & inquieta. adhæc, nescio quos scrupulos & difficultates nobis mouebat circa reditus certitudinem, & alia nonnulla, tamquam si tunc primum res inciperet; & nisi ita faceremus, non esse quod amplius instaremus: denique, domum Archiepiscopo placere debere.

Magna certe fuit Patris Prouincalis, cum hoc vidit, atq; adeò omnium, animi ægritudo: certum namque est, ad situm aliquem monasterio condendo accommodum coemendum, multo opus esse tempore. Permolestum quoque ei erat, videre, quod ad Sacrum audiendum nos oporteret foras prodire: nam quamuis templum non ita procul distaret, & ipsæ quodam in Sacello secreto, nemine nos conspiciente, id audiremus, ei tamen & nobis longe id erat molestissimum. Vnde is id moleste ferens, tunc (vt credo) decreuit, vt irrita re, vnde veneramus, rediremus. Ego vero ei minimè assentire poteram, cum præsertim in memoriam reducerem id quod mihi Dominus ante dixerat, vt scilicet ex eius parte rem auspicarer. hinc adeo certo, eam conficiendam, sperabam, vt vix aliquam hac è tergiuersatione molestiam sentirem. Solum me affligebat, quod P. Prouincialem afflictum mæstumque cernerem, ac dolebam inprimis, quod is nobiscum venisset, vtpote quæ nesciebam, quantum deinde nobis amici ipsius (vti postea referã) essent auxiliaturi. Me ergo in hac afflictione constituta, comitibus quoque meis adhuc magis afflictis (quamquam illarum afflictione non tangerer, sed sola P. Prouincialis) Dominus mihi, etiam in oratione non agenti, hæc verba dixit, *Iam confortare Teresa*. Hoc ego animata monito, maiore iam generositate P. Prouincialem cohortor (& certè Maiestas illius hanc ei haud dubiè etiam suggessit) vt inde ad sua negotia digrederetur, nosque Burgis relinqueret, quod iam quadragesimales feriæ imminerent, quibus illum alibi conciones habere necessario oportebat.

Dominus sanctam Matrem consolatur.

Ipse ergo & amici quidam operam dederunt, vt nobis aliquot cubicula in nosocomio à Conceptione denominato, in quo & Venerabilis asseruabatur Eucharistia, & quotidie sacrum perageba-

tur,

sium ; at non ita nobis. etenim vidua quædam commodissimo ex illis cubiculo conducto (etsi nonnisi post semestre huc esset commigratura) non modo cedere aut mutuo dare ipsum nobis noluit, verum etiam graue ei erat, quod quædam cubicula in solario, recto, rimoso vicina, & è quorum vno ad eius cubiculum aditus patebat, nobis essent attributa. Vnde, cùm satis ei non esset, illud forinsecus occludere, clauemque penes se asseruare, etiam clauos trabales introrsum iussit infigi, itaque vsui ineptum reddidit. Adhæc, Sodales, loci putabant nos nosocomium nobis arrogare & vsurpare velle (quæ certè suspicio nimis quàm à nobis erat aliena; volebat videlicet nobis Deus maioris meriti materiam dare. Vnde coram Notario, tam P. Prouincialem, quam me spondere iubent, nos inde, quandocumque nobis dicerent, statim egressuros Hoc mihi porro omnium videbatur difficillimum: timebam namque, ne vidua, quæ & opulenta erat, & consanguineos plurimos habebat, cùm id illi in mentem veniret, nos inde subito iuberet excedere. At Pater Prouincialis (vtpote prudētior & circumspectior) voluit nos facere quidquid hi fieri iuberent, vt illuc quamprimum transire possemus. Alia vero loca nobis non dabant, quàm vnum cubiculum cum quadam culina. Sed, qui nosocomij huius curā habebat, Ferdinandus de Matança, insignis Dei seruus, alia insuper duo cubicula nobis attribuit, in quibus externos ad colloquium admitteremus, in quo permagnā is nobis caritatem fecit, qualem & erga omnes numquam non exhibet: vt qui pauperum causa nihil non præstat. Quin & Franciscus de Cueuas, qui supremus Cursorum Magister hic est, & nosocomij huius curam peculiarem habebat, beneuolū nobis se exhibuit, & quibuscumque in rebus potuit, semper nostrum se tutorem & patronum præstitit.

Benefactorum in hisce principijs ideò mentionem facio, vt, quæ quæ iam viuunt Moniales, & quæ pòst futuræ sunt, eorum suis in precibus, (vti par est) memores sint, eosque Deo commendent, fundatoribus enim hoc quàm maximè debetur. Quamuis vero mea intentio initio non fuerit, vt Catharina de Tholosa fundatrix domus huius esset, quinimo ne quidem id cogitauerim, id tamen bona eius vita apud Dominum promeruit; vt qui hoc modo rem omnem disposuit, & ordinauit, vt hic ei titulus merito denegari non possit. Nā vt omittam, q̄ domū emerit, & de suo soluerit (ni enim hoc fuisset, remediū adhoc nullū suppetebat,) dici sane nō potest, quāto oēs Archiepiscopi, tergiuersationes & remoræ ei labore steterint. Maxima namq; ei erat afflictio & crux, vel tm̄ cogitare, ré hāc collapsurā esse, & exi-

& exitũ non habituram; numquam verò à nobis benefaciendo ceſſabat. Licet autem noſocomium hoc ſatis ab ædibus illius eſſet remotum, nihilominus magna quadam cum beneuolentia & affectu penè quotidiè nos viſitabat, omniaque quibus opus habebamus, ſubmittebat. Tametſi maleuoli eam identidem carperent & ſugillarent, adeò vt, niſi animum & generoſitatem quam habet haberet, cauilli illi ſatis eſſent ad eam à cœpta beneuolentia reuocandam. Ego verò, quantum ipſa pateretur, nec non afflictionem eius videns, ſummopere intra memetipſam affligebar: licet enim eam vt plurimum me celaret & tegeret, nonnumquam tamen diſſimulare non poterat, ac præſertim cùm hi eam in conſcientia tangerent: habet enim eam cũ primis bonam & timoratam, vt, quantumuis magnam indignandi occaſionem nonnulli ei darent, numquam tamen eam vel verbum quod Deum offenderet, proloquentem audiuerim. Dicebant ergo, illam rectè ad infernum tendere; nam quomodo id facere poſſet, quod faciebat, cum liberos haberet? Ipſa verò quidquid faciebat, nonniſi arbitrio & conſilio virorum doctorum faciebat: ego namque (eſto ipſa fortè ſecùs cenſuiſſet) ob nullam omnino mũdi huius rem quippiam eam facere permiſiſſem, quod facere nefas fuiſſet, tametſi propterea etiam mille monaſteria omitterentur fundari, nedum vnum dumtaxat. Sed quia id quod tractabatur, occultò & ſecretò fiebat, hinc non miror, ſi plura homines præſumerent, quàm à parte rei erat. Ipſa verò ſemper inſigni cum circumſpectione & prudentia (qua pollet maxima) omnibus reſpondebat, omniaque æquanimiter ſuſtinebat; ſatis vt appareret quandam à Deo illi induſtriam dari, ad & his ſatisfaciẽdum, & illos tolerandos; ſimul & virilem animum ſuggeri, ad omnia æqua mente perferenda. Quã verò ſerui Dei ſunt ad res illuſtres & præclaras exequendas animoſiores, quam qui illuſtri ſtirpe ſunt editi, ſi modo hic animus his deſit! quamquam ei in ſua & nobilitas & ſatis magna claritas non deſit: eſt namque valde honeſto genere edita.

Vt verò ad cæptam materiam redeam: P. Prouincialis, cùm nos iã eum conduxiſſet in locum, in quo & audire poſſemus ſacrũ, & clauſtrum aliquo modo ſeruare, Valliſoletum (quo in loco eum concionari oportebat) ire ſuſtinuit: eſto non ſine anxietate, quod nihil omnino Archiepiſcopo videret, è quo nobis illum facultatem conceſſurum ſperare poſſet. &, quamuis hanc ipſa ei ſpem facerem, hanc tamen in animum inducere, mihique credere non poterat. Et certe magnas ad hoc cogitandum habebat cauſas ac rationes, quas hoc loco non expedit referre. Si verò ipſe exiguam habebat ſpem, amici certè

certè adhuc minorem habebant, qui eum adhuc magis intimidabant & deijciebant. Ipse vt discessit, magna ex parte meam anxietatem & pœnam imminutam sensi: nam (vti iam suprà commemoraui) maxima quam sentiebam pressura erat, quòd eũ afflictum viderem. Abiens is, nobis in mandatis dedit, domum propriam habere vt procuraremus. quod certè nimis quàm difficile erat: hactenus quippe nulla dũ sese obtulerat, quam emere possemus. Amici nostri maximopere de nobis solliciti & anxij fuere (ac potissimùm duo illi amici Patris Prouincialis) simul etiam inter se decreuere, non priùs Archiepiscopo verbum de rebus nostris facere, quàm domum haberemus. Is verò semper se dictitabat maiore fundationem hanc studio ac desiderio cupere, quàm alius quispiam in ciuitate. Equidem id credo: (est namque pius cumprimis & bonus, vt qui nihil nisi quod verum est loqueretur) ex operibus tamen eius id non satis apparebat. ea namq; à nobis exigebat, quæ (prout quidem nostræ erant facultates & media) penitus impossibilia videbantur. Sed hæc diaboli erat machina & versutia, vt res hæc non fieret: sed disturbaretur. Sed, quam, ô Domine, ad oculum patet, esse, te potentem! nam ex eo ipso, quod is ad eam euertendam procudebat, rationem in ad illam melius & commodius exequendam adinuenisti. vnde esto etiam in æternum benedictus.

Iamiude à Vigilia S. Matthiæ, quo in nosо comium ingressæ sumus, ad vsq; Vigiliã S. Ioseph domos varias inspeximus: sed in omnibus quæ offerebantur, tot notabantur incommoda, vt nullam ex oblatis emere consultum esset. Proposuerant mihi inter alias, ædes quasdam viri nobilis, quæ iam à multo tempore venales fuerant: &, quamuis tot ibi Ordines domum quærerent, Deo tamen prouidente factum, vt nullis horum hæ arriderent. Iam verò id illi omnes non parum mirantur, quin imò eorum nonnaullos eam tunc non coëmisse valde deinde pœnituit. Duo de ijs aliquando mecum egerant: sed tam multi vicissim earum mihi incommoda narrabant, vt omnem erga ipsas affectum (tamquam erga rem mihi minimè expedientem) imò & memoriam iam exuissem. Cùm ergo die quadam cum Licentiato Agniario (quem Patris nostri amicum esse dixi,) quique magna cum solicitudine domum nobis vrbe tota conquirebat) agerem, isq; mihi diceret, multas quidem se vidisse, at nullam in vniuersa ciuitate commodam reperisse, atq; adeò impossibile penitus mihi videretur (prout quidé ex alijs intelligebam) vllã tunc inuenire; subitò mihi illarum vllam in mentem venit rã quibus dixi hos iam animum auocasse. Cogitaui ergo mecum, eas, quãuis ita essent incõmo-

Domus illis quadrat, quæ alijs Religiosis displicebat.

dæ ac iactabãt, præsenti tamen necessitati posse sufficere: etenim postea, si displicerent, facili negotio alijs reuendi posse. Licentiato Aguiario rem hanc aperui, eumq; rogaui, num meo nomine eas inspicere dignaretur. forma illarum exterior ei nõ displicebat, esto eas nõ inspexisset: quare eas, quãuis tẽpus tempestuosum satis & immite esset, quãprimum inspicere voluit. Earum inquilinus quòd eas vendi minimè cupiebat, nulli inspiciendas dare volebat: at illarum situs, & quantum quidem exteriùs colligere poterat, mirè ei arridebant. vnde de ijs emendis agere decreuimus. Vir nobilis, cuius eæ erant, tum in ciuitate nõ ad erat: sed Sacerdoti cuidã viro cumprimis pio earum diuendarum curam dederat: hinc verò Dominus voluntatẽ & propẽsionem iniecit, ad eas nobis vendendas, & candidè admodum ac sincerè nobiscum agendum. Cõuenimus, vt eas ipsa inspectum abiremus: ita verò statim mihi placuere, vt, tametsi duplum eius, quo venales esse audieram, pretium emptor postulasset, ipsum nõ illibenter persoluissem, atq; etiam tumvili eas mihi cessisse pretio credidissem. nam idẽ iam ante biennii, domino earũ oblatũ pretiũ erat, eo tamen eas vendere noluerat. Postero die ergo & Sacerdos, & Licentiatus cõuenere. hic cũ audisset, quodnam Sacerdos pro ijs pretium exigeret, voluisset id quãprimũ obtulissemus, & inter nos cõueniissemus. Hãc ego rem cùm amicis quibusdã communicassem, dixerunt, me, si tantum soluerem, quingentos aureos vltra condignum pro ijs soluturã. Quare cùm Licentiato hoc significassem, contrà censebat is nos etiam infra condignum daturos: esto quidquid peterent daremus. Eiusdẽ opinionis eram & ego: nã non diu quoad hoc deliberassem, quòd frustra esse ea deliberatio mihi videretur. Verùm quia de cõmuni Ordinis totius ære pretium id erat numerandum, hinc religioni mihi ducebam quidquid peterent offerre. Hæc autẽ conuentio & cõgregatio in ipsa S. Iosephi vigilia ante sacrum contigit. quare à sacro vt partes rursus conuenirent, ac tum rẽ concluderemus, edixi. Licẽtiatus autẽ vir boni iudicij est & sagax: vnde perspiciebat & augurabatur, si res in plebem diuulgari inciperet, fore vt vel eas multo carioris, vel prorsus non emeremus. vnde Sacerdotẽ spondere iussit, sese post sacrum illuc redituru: nã in omnibus nauum se & sedulum imprimis pbebat. Interim nos Deo negotium perpreces cõmendauimus, qui mihi nunc dixit: *Quid ob pecunias moraris?* quibus verbis significauit, domum illã nobis quadrare. Rogarant Moniales S. Iosephum q̃ instantissimè, vt in die & festiuitate illius domum habere posset: cumq; nõ cogitarẽt, tã citò illã inueniẽdã, tñ voris ipsarum est satisfactum. q; enim oẽs me identidẽ vrgerent & suaderẽt, vt randẽ de emptionis pretio conueni-

uenirem, tãdẽ p̃ſuaſerunt, vt conuentũ ſit. Licentiatus autẽ ianua egrediens, in Tabellionẽ, qui Deo dirigente & ordinante illac tum fortè tranſibat, incidit: cum quo intrans mihi dixit, expedire negotio huic tandẽ finẽ imponi: cõuocatiſq; teſtibus, & atrij ianua occluſa, ne quis rẽ reſciret (vnum namq; hoc metuebat) ſtipulatio, omni quæ ad eam neceſſaria erat, adhibita ſolennitate & robore, idq; in vigilia (vti dixi) glorioſi Confeſſoris S. Ioſephi, per ſummam boni huius fautoris diligentiam & prudentiam, inita confectaque eſt.

Nemo verò crediderat fore, vt tã vili illa pretio venum daret: vnde cum primum ea res in vulgus innotuit, multi acceſſere aliundè emptores, dictitãtes Sacerdotẽ illum, qui vẽditioni p̃fuerat, eã quodãmodo incẽdiſſe, & ſtipulationẽ illã vt fallacẽ, & ſubdolã reuocandã: etenim manifeſtũ in ea cõmiſsũ eſſe erroré. vnde nõ parũ calumniarum Sacerdos ille excepit. Dominos verò illius, qui erãt (vti dixi) quidã illuſtris eiuſq; vxor, quam primum certiores huius rei fecimus: qui audito, domum ſuam iam in monaſterium eſſe conuerſam, tanto perfuſi ſunt gaudio, vt pacta conuenta q; rata firmaq; eſſe iuſſerint: quamquam iam ea diſſoluere non poſſent. Poſtridie ergo venditionis confectæ ſunt tabulæ, & tertia pretij pars (vti ſacerdos ſtipulatus erat) mox perſoluta: nam in nonnullis conuentionis articulis punctiſq; non ex æquo iuſtoq; nobiſcũ agebat: ſed iniuriã illã ſuſtinuimus diſſimulãtes.

Abſurdũ fortè & ineptum cui piam videatur, tam diu me narrationi emptioris domus huius immorari, at certè, quicumq; rem hanc penitiùs conſideraruntillam ſine miraculo confectam non fuiſſe cenſuere, partim quo aut pretij quo empta eſt vilitatẽ, partim quòd omnes Religioſi qui illam inſpexerant; adeò cæcutierint, vt illam, quaſi ſibi minimè cõuenientẽ, emere neglexerint, tamquã ſi Burgis non fuiſſent: vnde mirabantur, quotquot eam inſpiciebant, quomodo hi ita cæcutijſſent, hinc eos reprehendebant, ac ſtuporis & fatuitatis coarguebãt. quin & duo Monaſteria Monialiũ (quorũ vnũ iã nuperrimè illic cõſtitutum erat, aliud verò iure vbi cæno biũ ipſarũ cõcrematum erat in vrbẽ ſe contulerat) nec nõ alia quædã p̃ſona diues, q̃ monaſteriũ quoddam fundare decreuerat, & domũ hanc inſpectã vt incongruam neglexerat. oẽs hos, poſtea q̃ ea à nobis coempta eſt, quã maximè pœnituit, q̃ à ſe empta nõ eſſet. Is autẽ p̃ ciuitatẽ ſpargebat rumor, clare vt videremus, q̃ meritò bonus Licentiatus Aguiarius, p̃curarit vt res q̃ oc. cultiſſimè perageret, taleq; ipſe à parte ſua diligẽtiã adhibuerit. verè vt dicere poſſimus, ipſũ vnũ, ſecundũ Deum, nobis domum dediſſe. Magnũ ergo ad omnia momentũ adfert, bonũ & ſolers ingenium: q̃ quia ipſe tã præclarum & eximium habet, & ſimul tã bonã ei voluntatem Deus indidit, huic eius adminiculo rẽ hanc confecit. Mẽſe & amplius

in nobis auxiliando,& designando quæ restaurari oportebat,& quidem sat paruo impendio nauiter incubuit. Quare satis apparebat, Dominum domus huius fundationem sibi soli reseruasse; quod in ea omnia penè parata & dispositа reperiebantur. Vt verum fatear,statim atque illam,& omnem eius instaurationem vidi (tamquam si expressè pro nobis constructa esset) merum mihi somnium videbatur, vniuersa tam celeriter confecta cernere. Vnde eas, quas antè passæ eramus aduersitates & difficultates,Dominus,ad tam delicioſum nos locum conducendo,abunde compensauit.etenim hortus, latè patens prospectus, & aqua eius merus paradisus deliciarum videntur. sit ipse in æternum benedictus.Amen.

Archiepiscopus statim rem hanc resciuit; vnde non parum gauisus est,quòd tam commodas ædes nactæ essemus; cuius rei causam, contradictionem suam ex parte esse credebat:& nõ sine ratione. Ego me ei magno affectam gaudio fuisse scripsi:ex eo quòd hæ illi placuissent,festinaturam quoque vt eæ quamprimum habitationi adaptarentur,vt sic mihi facultatem faceret. Ergo quamprimum, vt illuc commigrarem,operam dedi.dictum namque mihi à nonnemine,tãdiu illos velle nos in noscomio agere,vsque dum litteræ nescio quæ confectæ essent.quamuis autem inquilinus illarum nondũ emigrasset(nam etiam in illo inde excedere compellendo aliquam nos difficultatem subire oportuit)in aliquam tamen illarum partem nos recepimus.Intellexi porro,Archiepiscopum propterea non mediocriter succeuisse.Vnde ipsa eum, prout potui, placare studui: nam ꝙ bonus sit,esto irascatur subinde,statim placatur. Indignatus quoque est,cognito nos illuc reticulatos cancellos & orbitam induxisse,ꝙ in hoc morem eius voluntati gerere non videremur. Cui rescripsi, illa vt plurimũ in ædibus hominũ recollectioni studentium adhiberi solere;at,ꝙ ad monasterij formã spectaret,nondũ nos ausas fuisse velnã crucẽ illis præfigere,ne monasteriũ hæ esse viderẽtur. Et erat hoc, verũ.Quantũlibet aũt magnum is affectũ & beneuolentiã nobis declararet,id tñ ab eo impetrari nõ potuit,vt facultatẽ nobis cõcederet. Venit autem domũ inspecturus,quæ ei mirificè placuit,plurimũq; beneuolentiæ nobis ostendit,non tñ eam quam volebamus potestatẽ faciebat,esto illius concedẽdæ maiorẽ iã spẽ daret. at ꝙ litteræ quędam & instrumenta cũ Catharina de Tholosa conficiendæ essent,nõ parũ timebamus vt ipse illam negaret. At Doctor Mãcius (est is, alius ille amicus, quem P. Prouincialem Burgis habuisse dixi) illi perfamiliaris erat; hinc commodam explorabat oportunitatem, ad hoc ei in mentem reducendum, & facultatem impetrandam: etenim huic permolestum erat,res nostras isthoc in statu videre. Nam ne quidem

in domo

in domo quam emeramus (tametsi ipsa Sacellum priuatum haberet, in quo Domini illius sacrum audiebant) potestatem facere voluit vt sacrū nobis celebraretur. vnde diebus festis & Dominicis necesse nos erat foras prodire, ad ipsum vicino in templo audiendum: commodum autem id fuit, quòd hoc satis vicinum esset; tametsi iam inde ab eo tempore quo in domum hanc migrauimus, vsque dum illa in monasterij formam erigeretur, prope mensis effluxerit. Omnes viri docti aiebant, causam illam sufficientem esse ad facultatem dandam; & ipse Archiepiscopus, qui satis est doctus, ipsum etiam videbat. Adeò vt aliud cur ea differretur, in causa esse non videretur. quàm quòd Dominus nos aliquid pati volebat. Ego quidem id satis æquanimiter ferebam, sed erat quædam Monialis, quæ quoties se in plateis videret, ex apprehensione & angore tremiscebat.

Ad hæc in litteris & instrumentis conficiendis non parum difficultatis & laboris subijmus: modo enim ei satis erat quod fideiussores offerremus, modo præsente volebat pecunia venditori satisfieri, quin & alijs multis in rebus importunus & molestus nobis exstitit. Verum in hoc non tam Archiepiscopus ipse quàm Prouisor quidā, qui omne hoc negotium nobis facessiuit, culpandus est; quem si tūc temporis Deus non immutasset, numquam rem credo ad exitum conducere potuissemus. Porro quā multa Catharinam de Tholosa hic pati oportuerit, dici non potest. omnia vero ipsa tam patienter pertulit, vt me in admirationem raperet. In rebus autem necessarijs nobis procurandis numquam defatigabatur: Omnē namque quā in domo instruenda opus habebamus, suppellectilē quam libentissimè subministrauit, vti lectos & alia plurima; vtpote quæ domum satis habebat instructam, adeo vt eorum quibus opus habebamus, (esto id ipsa domi suæ non haberet) nihil nobis defuturum videretur. Alij qui monasteria nostra fundarunt, plures quidem quā ipsa facultates & possessiones eis dederūt, at quæ plures in nostra causa subierit labores, nullus est, vt quæ decuplo plus omnibus laborauit; imò, si liberos non habuisset, dedisset quidquid habere potuisset. Adeòvero lōgior hac mora ipsam conficiebat, & rei finem videre tam ardēter cupiebat, vt, quidquid illius gratia faciebat, perexiguum illi videretur.

Ego verò, cùm longam hanc tergiuersationem videre, ad Palentinū Antistitē scripsi, eū rogās, vt denuò ad Archiepiscopū litteras scribere dignaretur, vtpote qui non parum aduersus eum cōmotus erat: nam quidquid in nos ille admittebat, hic velut sibi factū interpretabatur. Quod verò maximè mirabamur, id erat, q̄ Archiepiscopus nullam se nobis aliqua in re iniuriam facere crederet. Rogaui ergo

eum, vt rursus ad eum litteras mitteret, eum monens, vt, quoniam iam de domo nobis prospectum erat, & quidquid is vellet, faciebamus, rem ad exitum aliquando conduceret. Palentinus ergo talem pro eo epistolam, apertam, mihi misit, vt, si illi hæc tradita fuisset, res nostras summo periculo exposuissemus, imo perdidissemus. Quocirca Doctor Mancius, quo tum confessario vtebar, & consultore, eam illi tradi noluit. nam, quamuis beneuolentiam & amicitiam per omnia spiraret, quasdam tamen hinc inde interim discebat veritates; quę prout quidem Archiepiscopi natura & conditio erat, satis ad illum abalienandum erant, vt qui iam tum ob nonnulla, quæ ei nuntiari iusserat, ab eo alienior nonnihil erat: cum tamen antea summi inter se fuissent amici. mihi verò significauit, quemadmodum per Saluatoris nostri mortem, qui priùs ad inuicem inimici erant, facti sunt amici; ita vice versa me eos, qui prius amici erant, inimicos inter se reddidisse. Ad quod ei respondi, hinc eum videre posse, quidnam ipsa essem. Quamquam, quantum possum colligere, omni qua poteram ratione elaboraram & curaram, ne hi ab inuicem abalienarentur, Quare iterum Palentinum, quàm potui optimis rationibus rogaui, vt alias ei litteras perofficiosas & beneuolentia plenas, mittere non grauaretur, ei ob oculos ponens, quantum per hanc rem honori diuino accederet, incrementum fecit is, quæ ab eo postulabam; quod certè permultum fuit. Sed vbi vidit, de honore diuino agi, & hac sese re mihi gratificari (vtpote qui tam continuò semper mihi est gratificatus (tandem id se facturum recepit; mihique rescripsit, quidquid hactenus in Ordinis gratiam præstitisset, sibi graue adeo non fuisse, atque has ad Archiepiscopum litteras mittere.

Tandem ergo illæ venere, quæ accedente quoque diligentia Doctoris Mancij, Archiepiscopū perpulerunt, vt facultatē optatā nobis concesserit, & per bonū Ferdinandū de Matança (qui sūmo cum animi sui gaudio eam attulit) eā nobis denuntiari iusserit. Illo autem die erant Moniales magis desolatæ, quam fuerant hactenus, & bona Catharina de Tholosa ita mœrore constrata, vt eam consolari nemo posset; vt eo ipso tempore, quo nos iam recreare & gaudio perfundere Dominus volebat, magis nos affligere voluisse videatur. Quin & ego (quæ semper hactenus bene speraueram,) Superiore nocte aliquo modo cæperam diffidere. Sit nomen eius semper benedictum & superexaltatum in sæcula.

Burgensis monasterij facultas datur.

Doctori ergo Mancio potestatem fecit, postridie sacrū apud nos celebrandi, & Sanctissimum Christi corpus illic collocandi. Ipse ergo, primam Deo hostiam obtulit, & Pater Prior monasterijs.

Paulī

Pauli, Ordinis Dominicanorum (cui Ordini, vti & Societati Iesu permultum semper debui) sacrum summum celebrauit, idque cum magna symphoniacorum & citharædorum sua sponte venientium solennitate. Omnes amici & fautores nostri maximopere gaudebant, & vniuersi prope ciues nobis congratulabantur, vtpote qui nobis quam maxime compatiebantur, quod tam male nos haberi cernerent; & quidquid Archiepiscopus in nos committebat, tam illis indignum & graue videbatur, vt subinde magis sentirem quod de ipso dici audiebam, quam quod ab ipso patiebar. Tanta autem erat tum bonæ Catharinæ de Tholosa, tum omnium Monialium lætitia, vt mihi ea deuotionem excitaret, Dominoque dicerem: *Quid, quæso, spectant, hæ ancillæ tuæ aliud, quam tibi seruire, & se propter te recluſas videre, vnde numquam possint egredi?* Vix credat quisquam, nisi qui reipsa experitur, quantum in hisce fundationibus tum percipiatur gaudium, cum ita nos recluſas videmus, vt nullus sæcularium ad nos ingredi queat. nam quantumuis illi nobis propinqui sunt & cari, tantum tamen afferre nobis illi solatium & voluptatem non possunt, quantum percipimus dum solas & recluſas nos esse videmus. Perinde hic nobiscum agi videtur, ac dum piscibus sagena è fluuio eductis, viuere prorsus non volentibus, nisi denuo in aquam conijciantur, nam animæ in profluentibus sponsi sui aquis viuere assuetæ, dum ex ijs eductæ rerũ mũdi huius retia conspicantur, verè viuere nequeũt, quoadusque sese denuo in eadem coniectas videant. Hoc autẽ in omnibus hisce sororibus video, etiãtũ per experiẽtiam scio, Moniales illas, q̃ quoddã ad foras egrediẽdũ quò inter sæculares versentur, & cũ illis sæpius agendũ, desideriũ & pruritum sentient, nõdũ aquã illã viuã de qua cũ Samaritana muliere Dominus locutus est, inuenisse, ac spõsum vultũ suũ ab illis abscõdisse, & merito quidẽ, cũ & illis voluptẽ nõ sit cũ illo tractare & cõuersari. Vereor aũt ne duplici ex causa id contingat: nimirũ, aut quod statũ hunc pure propter ipsum solũ nõ assũpserint: aut, q̃ postquã illũ iã assumpsere nõ agnosco quantã ipsis Dominus gratiã, illas sibi seligendo, & ne viro cuipiam, qui sæpè illis vitam, (atque vtinam non & animam) eripiat, subijciantur liberando, præstiterit. Anne, ô sponse mi, vere homo & Deus, gratia hæc parui facienda est? Laudemus ergo eum, carissimæ, quod nobis hanc fecerit; nec in tam magno Rege & Domino, qui nobis propter exiguos quosdam laborculos, tot quoque delicijs perfusos, quique cras finem accipient, regnum quod finem nescit, præparauit, dilaudando vmquam defatigemur. Sit ipse in perpetuum benedictus. Amen.

Clausura vita, est Religiosorum.

Ali-

Aliquot post fundationem peractam diebus, & Patri Prouinciali & mihi visus est census annuus, quem Catharina de Tholosa domui huic assignarat, incommodis quibusdam è quibus & nobis lites suboriri, & illi molestiæ exhiberi possent, obnoxius esse. Maluimus proinde Deo fidere, quã occasionẽ retinere, è qua ei quapiã intercepta, si posset licet molestia. quare tũ ob has tũ ob alias rationes, oés in Capitulo congregatæ, & annuente P. Prouinciali, ea quam nobis Catharina dederat, possessione coram Tabellione publico haud grauatè cessimus, omnesque eiusdem tabulas ei reddidimus. factum hoc quàm poterat secretissimè, ne id rescisceret Archiepiscopus, qui id velut iniuriam sibi factam esset interpretatus, esto ea omnis in monasterium hoc redunder. quando enim scitur, aliquod monasterium in paupertate & sine censu fundatum esse, non est quòd timeamus, quòd passim eleemosynæ submittantur: verùm cum hoc censum habere stabilem iam sciatur, subesse certè periculum aliquod videtur, ac ei subinde ad victum necessaria defutura. Et hoc quidem modo: nam post Catharinæ mortem aliter erat futurum. occursum tamen præsenti necessitati per duas eiusdem filias, quæ hoc ipso anno in Palentino Conuentu professionem erant emissuræ: cùm enim hæ iamvocaturæ, Palentiæ legitimæ suæ portioni renuntiassent, eamq; matri addixissent, iussit hæc vt eam renuntiationem irritam declararent, & in Burgense monasterium ius suum transferrent. Hæc, vti & dos, quam alia eiusdem filia, quæ hoc loco habitum monasticum induere voluit, attulit, vtpote cui mater legitimæ tum paternæ, tum maternæ liberam dispositionem reliquit: censui, quem priùs ipsa nobis assignarat æquiualuere. Hoc dumtaxat incommodi est, quòd hisce dotibus, de præsenti frui non liceat: at ipsa semper mihi persuasi, nihil illis vmquam defuturum. Etenim Dominus, qui efficit vt alijs monasterijs, quæ in paupertate fundatæ sunt, eleemosynæ attribuantur, aut corda hominum excitabat, vt liberaliter huic benefaciant, aut alia media suggeret, quibus se Moniales sustineant & alantur.

Sed quoniam nullum hactenus (vti quidem scio) hoc modo fundatum erat, hinc subinde Dominum rogabam, vt, quoniam vt hoc ipsum erigeretur voluisset, etiam Monialibus de rebus necessarijs & aliis omnia prouideret. vnde etiam hinc discedere, non prius voluissem, quàm aliquam Monialem habitum assumentem vidissem. Cumque quadam vice hac de re cogitarem, dixit mihi Dominus: *Quid dubitas? iam omnia confecta & absoluta sunt, bene potes abire.* quibus verbis mihi significauit, nihil necessariorum illis defuturum.

Dominus sanctã Matrẽ securam esse iubet.

turum. vnde ita solicitudinem omnem deposui, tantamq; fiduciam concepi, ac si valde opimum eis censum relinquerem, itaq; quamprimum de meo discessu agere cæpi: quòd iam tum frustra moras hic trahere mihi viderer, & aliud nihil agere, quàm in domo hac recreari & voluptatem capere (vtpote quæ mihi cum primis placebat) & alijs in locis (esto maiore cum labore) magis vtilis esse possem. Porrò Archiepiscopus & Episcopus Palentinus ex eo tempore egregiè inter se amicitiam coluerunt. Etenim Archiepiscopus statim singulari quodam modo erga nos affici cæpit, sacrumq; Religionis habitum filiæ Catharinæ de Tholosa, nec non alij Moniali, quæ hoc monasterium ingressa est, contulit. Et hactenus semper fuere aliqui, qui benignè nos, & quidem satis lautè, habuere. Nec credo, Dominum permissurum, vt sponsæ suæ cum inopia conflictentur, si modò ipsæ sicuti debent & obligatæ sunt ei seruiant. Det proinde Maiestas illius, propter magnam suam misericordiam & bonitatem, illis ad hoc gratiam. Amen.

Visum autem mihi est, hoc loco referre, quomodo Moniales Monasterij Abulensis, (quod primum omnium fundatum fuit, cuiusque fundatio alio in *loco descripta est, non autem in hoc libro) quæ in prima sui fundatione Ordinarij obedientiæ subiectæ fuerant, iam Ordinis se obedientiæ subiecerint. Quo autè tempore id fundatũ est, Abulæ Episcopũ agebat Aluarus de Mendosa, qui modò Palentinæ Sedi præest, qui quãdiu Abulæ egit, mirificè Moniales fouit & protexit. Cùm aũt ei obedientia præstaretur, intellexi à Domino, ita quidem fieri, pro tunc expedire. Et certè satis id postea apparuit: etenim in omnibus, quas exinde ordo passus est, difficultatibus, nec non in alijs plurimis rebus quę occurrerunt, egregiam certè semper in eo opem & beneuolentiam expertæ sumus? vnde etiam numquam permisit, vt ab alio quopiam Sacerdote visitarentur: atq; adeò aliud ist hoc in monasterio non fiebat, quàm quod ego ab ipso postulabam. Hac porro in obedientia septemdecim circiter annos (neque enim exactè memini) mansimus: neq; etiam, vt ea mutaretur, ipsa cupiebam. Verum postea cùm Abulensi Episcopo Palentinus Episcopatus daretur, & ego tum Toleti versarer, dixit mihi Dominus, expedire & consentaneum esse, vt Moniales S. Iosephi iam Ordini obedientiam redderent: & hoc vt fieret, ipsa procurarem. quia nisi id fieret, fore, vt monasteriũ hoc quamprimum de vigore & rigore suo remitteret. Ego verò, quòd aliàs intellexissem, consultum esse eam Ordinario loci præstari, aliquam in hisce verbis contradictionem includi rata, nesciebam quid agerem. quare rem Confessario meo,

*In libro scilicet vitæ.

Abulenses Moniales Ordini obedientiã præstare cogũtur.

qui tum erat qui modo Oxomensem Episcopum agit', & vir apprimè doctus est, 'aperui. Nullam verò hic in eo subesse difficultatem aiebat; siquidem tunc temporis prius illud fieri oportuisse, iam verò aliud expedire. (& verè illum censuisse, iam tum multis in rebus ad oculum docuit euentus) ac credere se, monasterio illi salutarius longè ac consultius fore, quòd æquale alijs monasteriis esset, quàm si solum & exemptum. Vnde Abulam me ire, & hac de re agere iussit. Inueni porro Episcopum adeò diuersa sentientem, vt nullo modo huc inclinaturus videretur: at cùm eidamna nonnulla recẽserem, quæ si secùs fieret, Monialibus possent euenire, adhæc eas ipse singulari affectu prosequeretur, rem accuratè secum cæpit dispicere. Et, quoniam boni est ingenij, & Dominus à parte sua cooperabatur, alias insuper (& quidem prægnantiores, quam ego attuleram) rationes adinuenit, vnde decreuit, quod ab eo postulabam, executioni mandare. ac, licet Sacerdotes nonnulli id minimè expedire, è contra obijcerent, nihil tamen apud eum impetrare potuere. Requirebãtur ad hoc Monialium suffragia & consensus: quarum aliquibus id nimis quàm difficile & graue videbatur. at, quoniam me vnicè diligebant, hinc rationibus, quas apud eas depromebam, acquieuere; præsertim quòd Episcopum, cui Ordo tantum debebat, & erga quem ipsa singulariter afficiebar, iam viderent aliò concessisse, quia me non semper habituræ erant. Hæc ratio permultum apud eas potuit, itaq; tanti momenti negotium tandem aliquando executioni mandatum & conclusum est. Etenim omnes reipsa viderunt, quanto in ruinæ periculo domus hæc versata fuisset, nisi hoc ita factum esset. Benedictus sit ille Dominus in æternum, qui tanta cum prouidentia & affectu, quidquid ad bonum & salutem ancillarum suarum quoquo modo spectat, procurat. Amen.

QVidquid huc vsque hoc libro continetur, ipsius S. Matris Teresæ de Iesu manu scriptum est, in libro, quem de suorum monasteriorum fundationibus conscripsit: qui, vnà cum alijs ab eadem manu conscriptis libris, in Bibliotheca Regis Hispaniarum Philippi, in regali S. Laurentij Monasterio in Escuriali repetietur. Quod autem deinceps iam sequitur, à Matre Anna de Iesu conscriptum est.

HAEC

HÆC EST CONVENTVS S. IOSEPHI IN VRBE GRANATENSI erecti fundatio, quam P. F. Hieronymus Gratianus de Matre Dei, Prouincialem agens, Matri Annæ de Ieſu vt litteris mandares, iniunxit.

MAndat mihi Reu. Veſtra, vt domus huius Granatenſis fundationem deſcribam, at, quia tam debili & imbecilliſum capite, hinc tam exiguam habeo memoriam, vt neſciam pro bene geſtorum ſim recordatura dicam tamen ea, quæ memoriæ occurrent.

Menſe Octobri anni M.D LXXXV. quartus agebatur annus, ex quo P. F. Iacobus de Trinitate, (qui viuat in pace) cum V. Reuerentiæ loco Viceprouincialem ageret, Vealenſem Conuentum viſitatum venit; in quo iam à trimeſtri aut quadrimeſtri, ipſa Præpoſitæ munere defuncta eram, & ſatis male valebam. Cumque hoc in ſtatu me P. Viſitator vidiſſet, ſerio & ſtudiosè nobiſcum agere cæpit, vt Granatam ad fundationem inchoandam excurreremus: quod multi viri graues & illuſtres & locupletes domicellæ illam ab eo inſtantiſſimè peterent, notabileſque in illam eleemoſynas ſponderent.

Nihil autem aliud (vt mihi quidem videbatur) erat, quod illū ad credendum, hos nobis in aliquo opitulaturos, impelleret, quam bona illius fides & ſinceritas. Vnde ei dixi, hæc nonniſi per modum aſſentationis & iactationis ab ijs dici, proinde eorum que ſponderent, nihil omnino futurum, imò nec loci Archiepiſcopum facultatem daturum, vt monaſterium aliquod cenſum non habens fundaretur, præſertim quod illic tot eſſent Moniales, quæ ſe vix ſuſtentare, eleemoſynis poſſent; tum quod Granata eſſet deſtructa, tum quod magna rei annonariæ quotannis eſſet innopia. Et, quamuis ille verum me dicere videret, tamen quod ſummopere conuentum quemdam deſideraret illic erigi, iterum in ſpe ſua rem optimè ſucceſſuram confirmari cæpit, dicens, Licentiatum Lacunam Parlamenti illius aſſeſſorem & auditorem, ſuam ad ipſi imprimis fauendum operam addixiſſe, vti & P. Salaſar Societatis Ieſu Sacerdotem, tametſi occultè, aſſerentes, facile negotio hanc ſe ab Archiepiſcopo facultatem impetraturos.

Ego vero omnia hæc velut incerta duxi, vti reuera erant; tametſi, quod Pater ille adeò huc propenderet, Deo rem quam affectuoſiſſimè commendarem, Moniales reliquas etiam rogans, illum vt orarent, nobis lumē dare dignaretur, quo diſpiceremus nū eā fieri

expediret. Maiestas certè illius nobis ipsum satis clarum dedit, vt eius adminiculo liquidò videremus, nullam nobis aut cõmoditatem aut fauorem humanum tunc quidem sperandum: sed, quemadmodum reliqua hactenus monasteria in sola de diuina eius prouidentia fiducia fundata erant, ita & hoc ipsum fundandum. Dominum nam. que singularem eius curam in se sumpturum, magnumq; ei in illo obsequium præstitum iri. Tunc porro hoc mihi significatum est, cùm à sacra communione surgerem, iamq; tres elapsæ hebdomades erant, ex quo P. Visitator hinc discesserat, omnimodis procurans, vt hæc res ad exitum conduceretur. Ego, tametsi ea adeò dubia foret, tot etiam rationes eam dissuaderent, eam tamen tandem exequi decreui, idq; eo ipso temporis puncto quo à Communione surgebam, & sorori Beatrici de S. Michaele, quæ erat ostiaria, & mecum ad communionem accesserat, id significaui, dicens, *Certissimò credas, Deum velle, vt isthoc Granatense monasterium fundetur: quocirca Patrem Fratrem Ioannem de Cruce ad me aduoca, vt ei tamquam Confessario meo dicam, quidnam mihi Maiestas illius significarit.*

Cùm ergo P. Ioanni de Cruce, qui meus erat Confessarius, hoc aperuissem, suasit is, vt Patri Visitatori id indicarem, vt hic quamprimum ad Reu. Vestram scriberet, quò bona illius cum venia & consensu res fieret. Hoc eodem ergo die id constitutum est, simul etiam quidquid huc erat necessarium procuratum, magno sanè omnium Patrum & conuentus totius cum gaudio, cognito fundationem hanc iam executioni mandandam. Scripsimus proinde ad Reu. Vestram, & ad Sanctam Matrem nostram Theresam de Iesu, quatuor ab ea Moniales è Castella postulantes, quæ hanc fundationem orditentur, nec non vt ipsa eam auspicaretur; quòd certi essemus eam omnimodis conficiendam. Dedimus ergo operam, vt P. F. Ioannes de Cruce cùm alio quodam Religioso illuc abiret, & omnia ad Moniales conducendas necessaria secum duceret. Quapropter is Veasio Abulam ad S. Matrem nostram Teresam de Iesu contendit, atque inde nuntium ad Reu. Vestram, quæ tum Salamanticæ agebat, destinarunt. Quæ vt litteras illorum conspexit, illicò postulata concessit, S. Matri nostræ tamen liberam earum quas mittendas dicebamus, Monialium electionem permittens. Assignauit autem Reu. illius duas è domo Abulensi, Matrem videlicet Mariam de Christo, quæ quinquennio illic Præpositæ munere functa erat, nec non sororem Antoniam de spiritu sancto, quæ de quatuor primis, quæ Discalceatarum habitum in S. Iosephi Abulæ induerunt, vna fuerat: è Toletana verò, sororem Beatricem de Iesu, quæ item

item è veteranis Monialibus erat, & S. Matris nostræ neptis. Illius verò Reuerentia huc venire non potuit, quòd ad Burgensem fundationem, quæ eo ipso tempore instituebatur, inchoandam proficisci eam oportebat. & iam à multo tempore illius Reuerentia mihi scripserat, se ad Granatensem fundationem non profecturam; quod crederet, Deum velle vt ego illam inchoarem. Mihi verò prorsus impossibile videbatur, vllam sine illius Reuerentia fundationem perficere. quo circa diem Conceptioni Deiparæ Matris (quòd eo die Moniales sine ipsa Veasium appellerent) quàm maximè sensi litteras, quas ipsa mihi miserat, legi, in quibus inter cetera aiebat, velle quidē se, ad me nonnihil recreandā, vt huc posset excurrere, sed magnum Deum nostrum aliud quid sibi præcepisse; se nihilominus certam esse, Granatæ omnia quam felicissime perfectum iri, Maiestatemque illius singulari quodam modo mihi auxiliaturam. quod etiam statim ad oculum videri incepit, vt ex ijs quæ sequuntur apparet.

Interea dum è Castella Moniales euocatur, P. Viceprouincialis Iacobus de Trinitate, Granatam venit, vt, quas in spe habebat commoditates, iam certas & reipsa haberet, vtque, dum eas iam impetrasset, nos inde per litteras euocaret. Multum certè sanctus ille vir laborarit oportet, quo eorum quæ illi oblata erant, reipsa iam aliquid consequeretur, & Archiepiscopi licentiam impetraret. At nulla prorsus hic apparuit quidquam obtinendi ratio; nihilominus pro ea qua erat sinceritate & bona fiducia, identidem Veasium litteras de plurimis quæ ei offerebantur commoditatibus mittebat. Ego hæc, videbam, eique scribebam, parum hasce sponsiones curaret, sed domum potius aliquam, in quam concederemus, quamprimum nobis conduceret, quòd iam tum Moniales è Castella appulissent. Miser autem homo discruciabatur & laborabat, quod ne ad hoc quidem opportunitas vlla appareret. Et quamuis Archiepiscopum conuenisset, ac duorum ex antiquissimis consiliarijs Ludouici inquam Mercati, & Licentiati Lacunæ, operam ad hoc adhibuisset; is tamen nolebat, vt illuc veniremus, permittere, quin imò, verbis satis asperis, maximopere nostrum sibi aduentum displicere demonstrabat. Addebat præterea, quod dissoluere vellet omnia quæ ibidem erant Monialium cænobia; atque adeo incongruum videri nouas tempore tam importuno monachas in vrbem velle inducere; cùm videlicet tantam viderent annonæ penuriam, vt ijs aduiuendum necessaria vix suppeterent: nec nō alia plura id genus, satis cruda. Vnde Senatores illi, qui ea de re agebant, magnopere stomachabantur, videntes nos

missis Veasio litteris, identidem cum vrgere, vt festinaret, dicentes, quàm pro decem Monialibus (tot nam q; venturæ eramus) parum opus esset. Clàm tamen hi Patrem iuuabant, atq; operam dederunt, vt quidam è Senatoribus ei domum conduceret. Eam vt habuit, quam primum nos per litteras euocauit, quâ quâ satis afflictus, quòd aliud, præter hoc, se subsidium non habere cerneret. Nos interea Veasij exspectabamus, quàm paratissimæ, ad minimâ illi⁹ euocationẽ & verbum illuc concedere, quò tẽ auspicari possemus. Ita namq; inter Patrem Ioannẽ de Cruce & sorores, quæ Veasium iã inde à decimatertia Ianuarij die aduenerant, conuentũ erat. Hac ergo in spe abij ad orandum, ea videlicet hora, qua vespertinam habere orationem solemus, de illis Euangelij verbis quæ ad Ioannem, dum baptizaretur Redemptor ait, *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, meditationem instituens. Cumq; valdè intrà memetipsam recollecta essem, & nihil minus quã fundationis huius recordarer, incepi derepẽtè terribiles quosdã audire clamores, velut plurimorũ horrendorũ vlulatuũ, simul in confuso sonantes: vnde mihi statim incidit, & visum est, hunc à dæmonib. strepitũ excitari, indignantibus & fremẽtibus, & fortè tabellarius cũ litteris, quibus Granatã euocabamur, iã adesse debebat. Hæc imaginãte, & recogitante me, ita mox clamores & strepitus, quos audiebã, increuere, vt viribus defecerim. quocirca in hoc deliquio in Matrẽ Prioriſſam quæ iuxta me erat, inclinans recubui: quæ me verè animi & virium defectum pati credens, aliquid quod comederem adferri iubet. Ego verò, signo facto, dixi his minimè opus esse: sed inquirerent quis ad orbitam pulsaret & admitti peteret. Illuc ergo abeuntes, viderunt tabellarium qui litteras, quibus vt nos ad iter nos compararemus, monebamur habebat.

Matth. 3.

Extemplo verò tã atrox coorta tẽpestas est, vt vniuersa terra aquis & grandine obruenda videretur: tantaq; me occupauit ex symptomate quodam infirmitas, vt emori viderer. adeò vt medici, & quotquot me videbant, nullo modo possibile censerent, vt me viæ cõmitterem: erant namq; dolores quos patiebar intensissimi, & turbationes supernaturales. hæc autẽ plus mihi addebant animi, & festinare cogebant, vt & iumenta, & quidquid ad iter nostrum necessarium erat, adornarentur, quò postridie nos in viam dare possemus. erenim dies, qui vesperam qua Tabellarius appulerat, proximè sequebatur, erat Dominicus: quòd autem malum, quo oppressa eram vehemens esset, hinc sacrum eo die audire non potui: esto chorus cellæ meæ satis vicinus esset.

Nihilominus die Lunæ sequenti, hora tertia matutina, in viam nos

nos dedimus, magno omnium quæ nobiscū veniebant, cum gaudio, quòd è suo hoc itinere magnum in diuinā Maiestatem obsequium & gloriam secuturum arbitrarentur. Satis cōmodum, per iter, habuimus tempus, tametsi viæ, ob superiores imbres, ita essent impeditæ, vt mulæ cæno vix possent emergere. Peruenimus tandem vsq; ad locum cui Dayfontes nomen, Patribus qui nobiscum veniebant (erāt hi P. F. Ioannes de Cruce, & P. F. Petrus de Angelis) & me, interea disquirētibus, quā nam tandē inuenire ratione possemus, ad fundandi licentiam ab Archiepiscopo impetrandam, ac ne ille in nobis admittendis adeò sese difficilē præberet. Ea porro nocte, qua Dayfontes peruenimus, terribilem quendam tonitrui fragorē audiuimus. vnà cum ipso decidens fulmen, & in Archiepiscopi palatium illapsum, idq; haud procul à cubiculo in quo ille somnum capiebat: bibliothecæ eius partem corripuit, atq; animalia nonnulla absumpsit. quod adeò ipsum perterrefecit, vt præ pauore & nimia cōsternatione morbum contraxerit: simul tamen inde (vt ferunt) paulò redditus sit placidior, & erga nos propensior. Ab hominum namq; memoria, tali anni tempore, Granatæ fulmen nemo viderat.

Eodem quoque die is qui P. Vicario domum, in quam ingredi nos oportebat, locarat, fidem non præstitit, &, quas Ludouico Mercato, & Licentiato Lacunæ litteras dederat, irritas esse pronuntiauit: dicens, se, cùm eas daret, nescisse, eam in monasterij vsum conuertendam: at iam, cùm hoc sciret, inde se non emigraturum, vti nec alios multos qui eam inhabitabant. vti nec etiam fecit. Quare nec domini quidem illi, qui secretò nobis patrocinabantur, nec quinquaginta millium aureorum fideiussio, quam offerebant, impetrare ab eo potuere, vt illam vacuam præstaret. Vt ergo sciuere nos Granatæ adeò vicinos esse, vt post biduū iam appellere deberemus, quid agerent nescibant. Vnde Ludouicus Mercatus Annæ de Pegnalosę sorori suæ, (quam P. Vicarius rem omnem celarat, nihil penitus ei significando) dixit: Non incōgruum foret, soror, cùm Religiosæ iam in itinere sint, te dispicere, num hic in ædibus nostris diuersari possent, quadam illarum parte ijs data, in qua separatæ sibi viuant, vsque dum angulum aliquem inueniant, in quē concedant. Illa verò, quæ iam abhinc annis aliquot oratorio suo domestico non egrediebatur, viduitatis suæ dies in luctu transigens, nec nō filiæ suæ quam vnicam habuerat, orbitatem identidem deplorans: his auditis, statim recreari, & velut sibi reddi cæpit (vti quidem ipsamet postea nobis retulit) & magna cum festinatione domum suam instruere, & quidquid ad templū, nostrumq; vsum & habitationē necessariū erat præparare:

& qui-

& quidem satis commodè & bene, esto angustè, quod ædes vt cumque angustas habebat.

In festo SS. Fabiani & Sebastiani, hora tertia matutina Granatam ingressi sumus: vt enim secreto & clam ingrederemur, tali nos hora ingredi oportuit. Inuenimus autem sanctam illam mulierem in porta plateæ, vbi nos magna pietatis ostensione & lacrymis excepit. Nos quoque eas à parte nostra fudimus, cantantes *Te Deum laudamus*, maximo opere gauisæ, quod templum, & omnes eius partes in vestibulo tam scitè accommodata videremus: quamquam, quod Archiepiscopi licentia nondum impetrata esset, ipsum occludi petij, quin etiam Patres qui illic cum P. Vicario aderant, rogaui, ne de campana pulsanda, neue de sacro tam palam, quam in occulto celebrando agerent, quoadusque Archiepiscopi beneplacitum obtinuissemus; nam Deo dante, sperabam id propediem nobis concessum iri.

Granatensis ciuis aduentus in ius.

Quare nuntium ei misi, qui nostri eum aduentus certiorem faceret, eum rogans, vt ad nos excurreret, suam nobis benedictionem daturus, & sanctissimum Altaris Sacramentum in altari collocaturus: quia, quamuis dies festus esset, decreueramus sacrum non audire, vsque dum Reu. ipsius Dominatio id constituisset. Is verò, magna cum amoris significatione, felicem nobis est aduentum gratulatus, ob eumq; se mirum in modū gaudere significauit, & cupere, vt posset surgere, ad primum apud nos sacrum dicendum; at, quia modo male valebat, suum se Prouisorem mittere qui ipsum celebraret, & faceret quidquid ipsa vellem. Vnde cum Prouisor, eodem illo mane, hora septima venisset, eum, vt sacrum celebraret, nosque omnes Sacra communione reficeret, simul etiam Sanctissimum altaris Sacramentum suis manibus inferret, illatumq; apud nos reliqueret, rogaui. quod ipse mox magna cum sollennitate præstitit.

Aderant duo illi Confessarij in templo nostro, nec non tanta hominum aliorum multitudo, mirum vt esset illos tam cito id rescire potuisse: nam octaua diei eiusdem qua appuleramus, hora iam sanctissimum Sacramentum constitutum erat, & plurima illic sacra celebrabantur. Vniuersa ciuitas tam confertim confluebat, perinde ac si indulgentia iubilearis apud nos lucranda fuisset. & communis omnium vox audiebatur esse nos sanctas, & vrbem suam à Deo, nos in illam inducendo, visitatam esse. Hoc eodem die Dom. Ludouicus Mercatus, & Licentiatus Lacuna Archiepiscopum, qui è turbatione, quam ob fulmen duabus ante noctibus prolapsum contraxerat, male valebat, visitatum abire. Inuenerunt autem eum ob nostrum aduentum

uentum stomachantem, & multa indignantis animi verba proloquentem. Vnde petebant, si tam molestum Dominationi ipsius esset, quod illuc veniissemus, cur facultatem concessisset? etenim iam monasterium constitutum esse. Quibus ille, Aliter facere non potui; satis magnam in hoc naturæ meæ vim intuli: nam æquis oculis nullas possum Moniales aspicere. At licet admiserim, nihil illis dare decreui. nam ne quidem eas quæ meæ sunt curæ concreditæ sustentare possum. Vnde & verbis, & facto ipso paupertate nostra frui cæpimus. Nam licet Anna de Pegnalosa eleemosynam nobis conferret; erat tamen ea satis exigua: ab alijs verò ne obolus quidem submittebatur, quod illius in ædibus nos agere viderent: ad quam quod tam multi assiduè pauperes confluebant, & ipsa omnibus prope monasterijs & nosocomijs ciuitatis illius beneficiebat, hinc putabant, nobis apud illam hospitantibus nihil deesse posse: vnde tali cum inopia illic conflictauimus, vt sæpe sustentare nos non potuissemus eò, quod Domina illa contribuebat, nisi nostri nobis Patres Discalceati iam inde à suo conuentu à Martyribus denominato, subinde panem & pisces submisissent: esto & ipsis vix sufficeret, quod annus satis fuisset sterilis, & maxima per Beticam esset annonæ caritas. Quoad lectum tam parum nobis prospectū erat, vt culcitras plures non haberemus, quam per viam habuissemus, quæ erant tam paucæ, vt tantum duæ aut tres in ijs dormire possent. vnde alternatim super storeas quæ in choro erant, potissima pars dormitum ibamus. Et erat hoc nobis ita suaue & gratum, vt, quò eo frueremus incommodo, necessitatem qua premebamur, nulli hominum aperiremus, imò eam tegere & occultare (maxime apud Dominam illam: nequam illi molestiam inferremus) omnimodis conaremur. Ipsa verò, quod nos ita contentas & gaudentes videret, nosque vt sanctas & pœnitentiæ sectatrices sibi imagineretur, non reflectebat annon pluribus opus haberemus, quam quas ipsa nobis attribuebat. *Eius persas.*

Tali in statu potissimam temporis, qua in ædibus illius diuersatæ sumus, quod septimestre fuit, partem transegimus. Toto vero eo tempore, iam indè à primo die, quo huc appulimus, multi viri graues, & ex omnibus Religiosis Ordinibus plurimi nos inuiserunt: qui de nulla re alia loquebantur, quam quanta foret temeritas, nos isthæc monasteria tanta in paupertate, & adeo sine omni subsidiorum humanorum fundamento auspicari velle. Quibus respondebamus, eo magis nos diuinis subsidijs gaudere & frui, &, quod iam sæpius diuinam pro nobis solicitudinem expertæ essemus, & pro-

uidentiæ eius periculum in varijs conuentuum noſtrorum fundationibus feciſſemus, minimè nos taliter ea fundare incipere veretj; imò deſiderare, vt nullus alio quam iſthoc modo erigereturj hunc namque nos vt ſecuriorem & certiorem reputare. Quare plurimi his auditis, & quod ita lætas nos & contentas in tanta clauſura viderent, videbant: nam, vt clauſuram & clauſtrum noſtrũ ſeruaremus, ſatis ſolicitæ eramus. vnde etiam ipſe Ludouicus Mercatus, qui in eadem domo habitabat, numquam nos ſine velo conſpexit, & nemo nos aliquo è ſigno vultus potuit dignoſcere. In quo certè plus non faciebamus, quam ſemper facere ſolitæ ſumus, ſed quod hac in vrbe rarum id eſſet, hinc mirum id illis & ſingulare videbatur.

Plures, & quidem omnis generis, ad nos veniebant, rogantes in ordinem & ad habitum admitti; &, cum pluſquam ducentæ eſſent, quæ ipſum peterent, ne vnam quidem dignam & aptam iudicauimus, quam iuxta præſcriptum conſtitutionum noſtrarum poſſemus admittere. Hinc plurimis illarum de hac re ne loqui quidem volebamus; alias verò differebamus, dicentes neceſſe eſſe, prius illas modum noſtrum & formam viuendi noſſe, noſque interea hic deſideriorum & vocationis ipſarum periculum facere; denique, vſque dum domum aliam inueniremus, pluribus quam iam eramus, admittendis locum non eſſe. Illam quidem diligentiſſimè quærebamus, ſed quæ quadraret nec venalem, nec locabilem, aliquam inuenire poteramus.

Eram ipſa tunc aliquo modo anxia, quòd tam parum nobis à Granatenſi populo viderem venire ſubſidij; quoties autem hac de re cogitabam, audire mihi videbar, ab aliquo illa Redemptoris noſtri verba mihi oggeri, *Quando vos miſi prædicare ſine ſacculo & calceis, aliquidne defuit vobis?* Et anima mea mihi reſpondebat, *Minime*: idq; magna quadam cum fiducia, Maieſtatem eius quam abundantiſſimè nobis tum in ſpiritualibus, tum temporalibus proſpecturam. Interea tamen ſacris & concionibus abundabamus, celeberrimis quibuſque Sacerdotibus & prædicatioribus ſuam hic operam, etiam plerumque non rogatis, offerentibus. Volupe autem illis erat, noſtras cõfeſſiones excipere, noſtrumque viuendi inſtitutum noſſe; itaque interior illa pax & ſecuritas, quam à Deo mihi datam fuiſſe dixi, quod nihil vnquàm nobis eſſet defuturum, quotidie magis & magis adaugebatur; quemadmodũ liquet ex eo quod mihi ſtatim atque huc veni, contigit. Etenim magna quadã cũ grauitate, vel particularitate, interius versũ illũ Pſalmi audire viſa sũ, *Scapulis ſuis obumbrabit tibi & ſub pennis eius ſperabis.* Illico

Pſal. 90.

P. Con-

P. Cõfessarium meum, (qui erat P. F. Ioannes de Cruce, & P. Ioannes Baptista Ribera Societatis Iesu, quocum omnia quæ mihi tum in confessione, tum extra illam occurrebãt, communicabã) rei huius certiorẽ reddidi. Vtriq; autẽ visum est, hoc veluti signum & pignus à D. o datũ esse, è quo colligeremus, fundationẽ hanc feliciter cõfectũ iri, quemadmodum iam ab hinc quatuor annis (tot enim effluxere) confecta est. Sit nomen eius benedictum: nam, vti mihi affirmarunt Moniales quæ ad hanc fundationem auspicandam venere, numquã in vita sua Maiorem Maiestatis ipsius sibi vilæ sunt habuisse præsentiam, & communicationem intimiorem, quàm toto illo tempore.

Satis id apparuit in profectu spirituali, quem & ipsæ indies in se sentiebant, & quem (vti alij referebant) suo in alijs vrbis huius Monialium monasterijs exemplo causabant. Etenim è Præside Dom. Petro Castrio intellexi, maximam ab eo tempore, quo ipsa huc venimus, in illis (Monialium inquam aliorum Ordinum, quales Granatæ plurimæ sunt) mutationem apparuisse. Ad alias, quas Dominus nobis (vti dixi) præstitit gratias, accedebat & illa maxima, quòd Dominum nostrum Iesum Christum in Sanctissimo Altaris Sacramento personaliter nobis iam adesse sentiremus, adeò vt præsentiam eius corporalem etiam visibiliter sentire videremur. Et erat hoc adeò generale & ordinarium, vt de eo sæpè inter nos ipsas ageremus, dicentes, numquam alibi tales in nobis effectus Sanctissimum Eucharistię Sacramentum esse operatum, quales hac in vrbe: nam iam inde à primo quo illuc id illatum est momento hanc nobis consolationem & gaudium attulit, quæ in nonnullis etiam vsque nunc durat, esto non tam sensibiliter, atque in primis septem illis mensibus. *Ven. Sacram. menti effectus.*

Illis autem exactis, tandem domum pretio locabilem inuenimus, in quam nos R. V. (quæ tunc Baësa expresse ad commoditatibus nostris prospiciendum venerat) quàm occultissimè; domino eius insciо, (quòd eam inquilinus, qui eam incolebat, vacuam reddiderat) traduxit. Nulla autem alia præter hanc haberi tunc potuit: vsque dum decem post menses, Dominus illustres quasdam huius ciuitatis virgines seriò permouere cæpit, vt, Confessariorum suorum opera adiuuante, esto sine parentum & consanguineorum facultate, (etenim hi permittere noluerunt, vt tam asperum Ordinem ingrederentur) secretò habitum nostrum assumerent.

Ergo paucorum dierũ interuallo, sex virginibus magna cũ solẽnitate, sed nõ sine magna cõsanguineorũ turbatione, & ciuitatis totius

obſocutione habitum dedimus. Etenim terribile quid illis & inſolitum videbatur, noſtri Ordinis veſtem aſſumere: vnde multi (prout intelleximus) ſuas ſolicitè admodum filias vt cuſtodirent allaborabãt. nam primæ quam recepimus (eſt hæc ſoror Maria Anna de Ieſu) pater & mater nõ multò pòſt, quàm ingreſſa eſt, de mortui ſunt: & ſparſum erat in vulgus, ipſos præ triſtitia & dolore exſpiraſſe. Verùm tumquam ipſa triſtitiam aut pœnitentiam aliquam prætuliſſe, audita eſt, quòd eſſet ingreſſa, ſed ſummum quoddam gaudium & ergà Deum gratitudinem ob ſingularem ſibi collatam gratiam, quòd ad noſtrum eſſet Ordinem vocata. quod ſatis tum in ipſa, tum omnibus quæ ingreſſæ ſunt, quin & in reliquis quæ poſtea ſunt admiſſæ, apparuit. Quæ cùm ad votorum profeſſionem admiſſæ eſſent, illis quas attulere dotibus, domum emere procurauimus: &, tametſi de plurimarum emptione iam conueniſſemus, vt etiam tabulæ & inſtrumenta confecta eſſent, nullius tamen emptio exitum felicem habuit: quo, aduſq; tandem Ducis Seſſani domum capere decreuimus. Licet autem in illa emenda plurimæ difficultates apparerent, adeò vt ſtultum nobis videretur huc nos propendere (quod & omnes qui audiebant cenſebant) tamen, quòd Granatæ ea conuenientior, & meliore ſita loco nulla eſſet, de illa emenda agere conſtitui. eò quòd ſoror, quæ mihi à ſecretis eſt, (quam, quòd R. V. facile viſura ſit, à quanam manu hæc ſcripta ſint, hic non nomino) iam abhinc biennio & ampliùs certò mihi aſſeuerauit, Dominum tertiò ſibi dixiſſe, in illa præfati ducis domo Conuentum tandem ſtabiliendum. Tanta autem cum certitudine id ipſa intellexerat, nihil vt ipſum impedire & ſubuertere poſſet. vnde etiam ita factum eſt, vti Reu. Veſtra nouit, & in illa iam habitamus.

* *
* *

ANNA DE IESV.

CON-

CONCEPTVS AMORIS DIVINI,

SVPER QVÆDAM CANTICI Canticorum verba

à S. Matre TERESA DE IESV conscripti.

SVMMARIVM EORVM QVAE TOTO HOC TRACTATV continentur, ad clariorem doctrinæ eiusdem intelligentiam à Patre Hieronymo Gratiano concinnatum

HIs in Conceptibus S. Mater Teresa, sex amoris diuini modos, qui è sex alijs orationis modis sortum habent, proponit, & quinque Cantici Canticorũ loca declarat. vniuersa autem hæc doctrina in septem Capita diuidetur.

In primo (vt liquidò verba illa, *Osculetur me Dominus*, &c. & alia sequentia declaret) ostendit, quam difficile sit verum S. Scripturæ sensum inuenire, atque cum inuestigare, non esse mulierum, sed virorum, & quidem bene doctorum. Veruntamen si Deus hunc ipsis in oratione & spiritu ipsarum det, non esse eum reijciendum; sed potius, ad maiorem Dei honorem & gloriam, & animarum bonum, manifestandum. Adhæc, nonnulla Cantici Canticorum verba, tametsi vilia & abiecta, nec tantam puritatem præ se ferre videantur, si tamen ritè intelligantur, altissima inuoluere mysteria, atque ore Dei & sponsæ Christi digna esse. *Cap. I. De Canticorũ sensu.*

In secundo autem capite (optima namq; rei alicuius grauis & magni momenti intelligendæ ratio & modus est, per eiusdem contraria) quo verum Dei amorem, ac veram quam anima cum Christo habet pacem (cuius symbolum est osculum *Cap. 2. De falso amore.*

culum quod ſponſa poſtulat) declaret, nouem falſæ pacis, & fallacis & imperfecti amoris modos proponit. Quæ Doctrina permagni momenti eſt, quò conſcientiam ſuã examinet, is, qui ad perfectionis apicem peruenire cupit, vt quæ animã ſuam impediunt & detinent imperfectiones, ab ea eijciat.

Cap. 3. De vero amore. In tertio exponit, quæ vera ſit pax & Dei amor, & quæ voluntatis noſtræ cum voluntate Chriſti vnio & reſignatio, quæ è bona & vera oratione ortum habet. Itaque declarantur verba illa, *Oſculetur me oſculo oris ſui, &c.*

Cap. 4. de amore dulci E vero iſthoc amore, & Dei aſſiſtentia in illa anima, quæ ſe ab ipſo Domino amari ſentit, quædam naſcitur in corde ſuauitas, guſtus, dulcedo, & voluptas; eaque tam magna, nullum vt ſit tum temporale, tum ſpirituale gaudium, quod cũ illa queat comparari. itaque peruenit anima ad orationẽ quietis, cuius adminiculo iſthæc dulcedo acquiritur. Vnde de dulci hoc amore in quarto capite tractatur, idque ſub illis ſponſæ verbis. *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.*

Cap. 5. de amore conſtante. Capite quinto agitur de amore ſecuro, conſtante & perſeuerante, qui amori dulci ſuccedere ſolet. Anima namque iã certa, ſe à Deo diligi, diuiniſque ſe conſolationibus & delicijs inſignitam videns, ſub vmbra & protectione dilecti ſui requieſcit, arboris vitæ (quæ eſt Ieſus Chriſtus,) fructus colligens. Cùm autem huc pertingit; quando ſcilicet per voluntatis ſuæ in diuinam reſignationem (quæ eſt velut oſculum) iam tranſijt, & iucundiſſimis dulcis amoris vberibus iam perfruita eſt, in orationem fiducialem, & magnanimam, nec non in quamdam cordis altitudinem ingreditur; adeò vt, quodcumque à Deo petat, id certò ſe ab eo conſecuturam exiſtimet. Et in hac fiduciali oratione & ſecuro amore exponuntur illa Canticorum verba; *ſub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.*

Cap. 6. De amore forti. Non omnes animas Deus eadem via ducit; dona quippe ſua diuerſimodè diſpertitur, & gratias ſuas diſtribuit, cuicũq; & quomodocumque vult. Aliquæ enim non habent raptus, & exſtaſes cum quadam ſenſuum alienatione, vti animæ Chriſti, B. Virginis, & aliorum Sanctorum. Alias verò ſic cõducit, vt per amorem dulcem, conſtantem & ſecuram adeò

ſpiritus

ſpiritus in ipſis increſcat, & ad tam vehementem ac fortem amorem perueniant, vt, corpore eum ferre non valente, ipſum extra ſe educat, animamque alienatam & abreptam relinquat.

Fortis hic amor duplici è fonte promanat. Primò, ab ipſa vehementia & magnitudine ſpiritus; deindè à corporis imbecillitate: nam cùm tantam ferre lucem nequeat, manet cæcum & non videns, quoadusque ſquamæ ab oculis decidant, atque ipſum ad ſe redeat; quemadmodum Apoſtolo Paulo ſuo in raptu contigit. Cumque in diuini huius vini cellam ingreditur, amore hic in corde feruente, ſpiritus & vapor qui inde promanat, tam eſt vehemens, nec non tam potens vini huius quo repletur, vis, vt inebrietur, & extra ſe rapiatur, & ad eum orationis modum, quem exſtaticum aut raptus vocant, perueniat: tametſi intellectus & voluntas interea lumen nihilominus accipiant, & ament, atque ipſe Deus opus maximè ſublime & vtile, quod eſt, ordinare charitatem, in ea operetur, & ſic declarantur verba illa. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* Atque de his capite ſexto agitur.

Finis, ſumma, culmen omnis amoris & perfectionis eſt, magna quædam pro Deo opera facere, eaque ad propriæ animæ puritatem, Domini illius honorem & gloriam, ſalutẽ animarum proximorum tendentia. nec non, vt quiſquis labores & aduerſitates habet, cum patientia & amore eos perferat; qui verò non habet, eoſdem, quò Chriſtũ imitetur, deſideret. Eſt hic amor, vtilis, qui per flores & poma declaratur, & in oratione maximè meritoria locum habet. Hunc verò amorem ſponſa petit, dum dicit: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Ac de eo in ſeptimo & vltimo capite fit mentio. *Cap. 7. de amore vtili.*

CON-

CONCEPTVS AMORIS DIVINI,

CAPVT I.

QVAM DIFFICILE SIT SACRARVM LITTERARVM, MAXIMÈ Cantici Canticorum, sensum intelligere. mulieres, & qui docti non sunt, in iis exponendis laborare non debent: at si Deus vltrò & ex gratia in oratione hunc illis sensum dederit, eum non reijcere. denique nonnulla Cantici Canticorum verba (tametsi humilia, vilia, & à purissimo Dei, sponsaque eius, ore aliena videantur) sanctissima in se mysteria, ac sublimissimos quosdam conceptus complectuntur.

Osculetur me Dominus osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua vino, &c.

OBseruaui diligenter, videri animam (quantum hic quidem ostendit) loqui cum vna, & pacem petere ab alia persona: Dicit enim, *Osculetur me osculo oris sui*, ac statim videtur ad illum, qui cum orat, dicere, *Meliora sunt vbera tua*. Quod quomodo fiat, non intelligo: atque, ipsum non intelligere, magnæ mihi est voluptati. Etenim, vt verum fatear, non tam anima Deum suum considerare ac intueri debet in rebus, quas ingenijs nostris tam tenuibus hic in terra consequi posse videmur, quàm in ijs quæ nullo modo intelligi possunt. Vnde, singulari quodam modo vobis commendo, vt, cùm aliquem librum legetis, aut concionem audietis, aut etiam de sacrosanctæ fidei nostræ mysterijs meditabimini, si fortè ea non satis plenè poteritis intelligere, minimè defatigemini, aut ingenium vestrum in ijs minutius inquirendis & scrutandis torqueatis. nam, non est hoc mulierum, & sæpè etiam ne virorum quidem. Si quando Dominus sensum ac intellectum eorum dare dignatur, hoc Maiestas eius sine vllo labore nostro facit. Hoc dico Mulieribus, & ijs etiam viris, ad quos ex officio non incumbit, doctrina sua veritatem propugnare & tueri.

Quàm sit difficile, sacram scripturam, aut fidei nostræ mysteria intelligere: & nō esse mulierum eadē scrutari.

Iam tum enim patet, eos, quos Dominus, ad id nobis declarandum con-

dum constituit, ad hoc conniti debere, & illos in hoc etiam fructum aliquem facere: nos mulieres verò cum simplicitate id accipere debere, quod nobis Dominus dederit, quod autem non dederit non est quòd nos ipsas in eo intelligendo torqueamus: sed & potiùs, quòd gaudeamus, considerando, Deum ac Dominum nostrũ tam esse magnum, vt vel vnicũ eius verbũ mille in se mysteria contineat, ac proinde id ipsæ non satis benè intelligamus. Minimè certè meum id foret, si Latino, Hebraico, aut Græco in idiomate id legeretur: verum, quàm in nostra lingua Hispanica & materna etiam multa in Dauidicis Psalmis occurrunt: in quibus dũ vel Hispanicũ nobis declaratur, tã id nobis obscurũ est, quàm ipsum Latinũ. Quapropter semper vobis cauete, ne cogitationẽ vestram his impẽdatis, neu cerebrum torqueatis: nã mulieres plura opus non habent, quàm quæ ingenio ipsarum sufficient: & vel hoc si fiat, Dominus nobis gratiam fecerit.

Deus Animæ cùm sacræ scripturæ intelligẽtiam dabit, eam ipsa repellere non debet.

Cùm verò Maiestas illius id sine vllo nostro labore & cura nobis dare volet, nos mulieres sensum statim inueniemus: in reliquis verò humiliemur nos, & (sicuti dixi) gaudeamus oportet, quòd Dominum habeamus, cuius verba, etiam lingua nostra materna proposita, intelligi nequeunt.

Videbuntur fortasse vobis quædam in Canticis esse, quæ alio modo & stylo dici possent. sanè, prout quidem nostra stupiditas est, id ita vobis videri non mirarer. vnde etiam quosdam audiui dicentes se ab ijs audiendis aurem potiùs auertere. Ah (Deus bone!) quanta nostra miseria est! nam, vti animalibus venenatis, dũ quid comedũt, hoc in venenum vertitur: ad eundem prorsus modum accidit nobis. nã cùm è tã magnis gratijs, quas Dñs nobis hic facit (dũ scilicet nos magna illa bona, quę illũ diligens anima habet, intelligere facit, atq; dum eam, vt cum Maiestate sua loqui & deliciari possit, animat) maiorem Dei nostri amorem nos oporteret elicere; eos, prô dolor! elicimus sensus, qui tenuis nostri erga Deum amoris sensui conformes sint. Quàm, ô Domine, exiguum ex omnibus quæ nobis feciſti, bonis fructum colligimus. Maiestas tua semper modos & inuẽtiones quæritat, ad amorem quò nos prosequeris, declarandum: nos verò, vti in te amando parum versati, tam parui id facimus, vt cogitationes nostræ, ceu malè in hoc exercitatorum, eò ferantur vbi semper sunt, & magna, illa mysteria, quæ lingua hæc à spiritu sancto prolata in se includit, cogitare negligentes, ab ijsdem nos subducamus. Quid autẽ, ad nos amore ipsius accendendos, magis erat necessarium, quàm cogitare, nõ sine maxima ratione hunc stylum talem esse? Memini sanè, audire me Religiosi cuiusdam cõcionem, & quidẽ satis egregiã &

Etsi quadã Cãticorum verba vilia humilia, nec tam decentia videantur: bene tamen intellecta, maxima includunt mysteria & sẽsus.

admirabilem, sed quæ potissimũ circa delicias, quã cũ Deo spõsa habebat, versaretur. huius autẽ occasione tantus est in auditorio risus excitatus, & quæcumq; dicebat (loquebatur namq; de amore, & cõcionem quam habebat de mandato & præcepto, super quædẽ Canticorũ verba fũdabat) tam malam in partem accepta sunt, vt ipsa mecũ mirarer. Vnde ad oculũ video, rei huius (sicuti iã dixi) non aliã esse causam quàm quòd tam malè in amore Dei nos exerceremus, vt fieri non posse putemus, animam huiusmodi verba cũ Deo suo tractare.

Verùm noui ego personas nonnullas, quę ẽ contra tam magnũ bonum, tam ingentes delicias, & tantam inter timores quibus perterrebantur, securitatẽ, hinc hausere, vt sæpenumerò ingentes Domino gratias agant, quòd tam singulare & salutare animabus, quæ feruenti eum amore prosequuntur, atq; intelligũt & vident, quòd vsq; adeò sese Deus humiliet, remediũ & iuuamen reliquerit. etenim, nisi euidentẽ rei huius haberent experientiam, non possent non timere. Et noui quãdã, quæ ad multos certè annos plurimis in timoribus vixit: nulla autem omnino res eam assecurare & tutã reddere poterat, nisi quòd tandem Domino placuit, illam quædã Cãtici Canticorũ verba audire: ex quibus demũ didicit & collegit, animam suã recta via incedere. Quia, sicuti dixi, ideo id fieri mihi persuadeo, quòd anima spõsum suũ Christũ diligens, tum demũ omnes hasce delicias, languores & mortes, afflictiones & delectationes ac gaudia cũ ipso habeat, cũ propter eã omnia mũdi gaudia à se abdicauit, & in manus eius totã se resignauit & cõiecit. Idq; non verbo dũtaxat (vti nõnullos facere cõstat) sed sincerissimo & verissimo cũ amore, qui per opera perficiatur.

Quàm, ô charissimæ, Deus bonus remunerator & debitor est! habetis quoq; Dominũ ac sponsũ, qui nihil est quin videat & intelligat quapropter, quantumuis id admodum exiguum & parum sit facite propter eum quidquid facere potestis: etenim Maiestas eius hoc ipsum remunerabitur tamquam si esset quid magni momenti. nihil enim aliud spectat quàm amorem, ex quo id facietis.

Quare in hoc finem facio & dico, vt in eo quod in sacra scriptura, aut fidei nostræ mysterijs, non intelligitis, diutiùs nõ immoremini, quam vobis dixi: neq; etiam admirationẽ vobis moueant exaggeratiua illa verba, quæ Deum ad animam loqui, in illis auditis. Amor vero, quo nos ille prosecutus est, & etiam nũ prosequitur, magis me mirari cogit, & velut impotem reddit, cum ipsi simus qui sumus, quãdo eum ipsa intelligo, & video ipsum non per verba illũ nobis demonstrare, vt nõ magis operibus ipsis eũ declararit. Cũ vsq; hoc legẽdo pueneritis, vos rogo, vt in recogitãdo eo q̃ nobis ipse declarauit, & pro nobis fecit, nonnihil immoremini; cumque amorem, quem

nobis

nobis exhibet, ad oculum videbitis tam esse potentem & fortem, vt tam multa is eum pati faciat, quibus is verbis declarari potest, quæ non de nouo nobis admirationem moueant.

Vt ergo ad id quod dicere cæperam reuertar, magna in hisce verbis Sacramenta, & sublimia mysteria lateant oportet, eaque tanti ponderis, vt mihi viri docti aliquando dixerint (cum eos ipsa rogarem, mihi declararent quidnam in illis spiritus sanctus dicere velit, nec non verum eorum sensum exponerent) & etiamnum dicant, multas à Doctoribus super eadem scriptas esse expositiones, & nondum eos sensum qui satisfaciat posse adferre. Vnde vobis arrogantia & præsumptio mea nimis quam magna esse videbitur, quòd ipsa aliquid è Canticis vobis declarare præsumam. Sed hoc, mihi propositum non est (quod nimis quam parum, ipsa humilis sim) neque etiam veritatis scopum attingere me posse ipsa mihi persuadeo.

Quod autem hic specto, est, quòd, quemadmodum ipsa me eo, quod mihi Dominus intelligere dat, cùm aliquid ex iis vos dicentes audio, oblecto, id forsitan ita vos etiam consolaturum sit sicuti me. &, si id forte non fuerit ad propositum eius rei quam dicere cupio, id ipsa velut ad propositum meum faciens accipio. nam dum à doctrina Ecclesiæ & Sanctorum, præscripto non egredimur (propterea namque viri litterati horum intelligentes prius ea examinabunt, quam in manus vestras veniant) dat nobis Dominus ad hos (vti quidem existimo) licentiam: quemadmodum eam nobis dat, vt, dum de sacra eius passione meditamur, sæpe alia quædam laboriosa & pænosa, quæ Dominus tunc hauddubiè subijt, præter ea quæ Euangelistæ conscripsere, recogitemus: cumque id non ex aliqua fiat curiositate (sicuti in principio dixi) sed id dum taxat arripiendo, quod ipsius Maiestas nobis suggesserit & intelligẽdum dederit: certa sum, graue illi non esse, nos aliquã è verbis ipsius & operibus cõsolationẽ & recreationem capere. Quẽadmodum gauderet & recreationẽ sentiret Rex, si pauperculũ pastorculũ, quem amaret, & erga quẽ afficeretur, videret, dũ vestes auratas cerneret, admirabundũ, & cogitantem, quid est hoc, & quomodo ex confectæ sunt? Sic & nos mulieres nõ tam procul à diuitiarũ Domini fruitione, earũq; diuulgatione esse oportet, vt eas taceamus, crẽdentes nos eas bene intelligere, sed eas viris doctis patefacere: &, si quidem hi eas approbent, easdẽ alijs cõmunicare. Adeo vt nequidem ipsa me scopũ in ijs quæ scribo (quod Dominus nouit) putẽ tacturã, sed facturã vti pastorculus ille quẽ dixi. Consolationi certe mihi est, vobis, vtpote filiabus meis, meditationes meas proponere: in quo hauddubiè multæ inte current ineptiæ & absurditates: quamobrem, Rege hoc meo fauente,

nec non bona cum Confessarij mei venia, incipio. Det ille, vt, sicuti res alias, quas dixi, me feliciter absoluere & scopum tangere in ijs voluit, aut certè Maiestas eius pro me (forsan vt in vestrum vsum eæ cedant) etiam in hac scopum debitum attingam: sin minus, tempus saltem, quod huic materiæ, quæ tam diuinæ est, vt eam ipsa audire digna non sim, conscribendæ, aut mente peruoluendæ impendam, bene impensum reputo.

Videtur ergo mihi, in ijs verbis quæ in initio dixi, sponsa cum tertia quadam persona loqui: quæ est illa eadē apud quam agebat. Docere vult spiritus sanctus, duas in Christo esse naturas, vnā diuinā, & alteram humanā. Cui conceptui nō inhæreo: etenim propositū mihi est loqui de eo, quòd nobis qui orationi studemus, vtile futurum videtur: quāquam omnia vtilia sunt ad animandā & admiratione cōplendam animā, quæ ardenti quodā effectu ac desiderio Dominum amat. Nouit Maiestas eius, etsi subinde aliquot horum verborum expositionem audiuerim, & ea mihi petenti ab alijs declarata sit: id tamen valde rarò fuisse, & vix me illarum recordari, eò quòd satis labilem habeam memoriam: vnde illas hic depromere non potero, sed id dumtaxat quod me Dominus edocebit, & ad propositum meum faciet: & certè quoad exordium & principium hoc, nihil, quod equidem memini, vmquam audiui.

Osculetur me osculo oris sui. Quænam, ô Domine & Deus meus, hæc sunt verba, vt ea vermiculus creatori suo dicat? Benedictus esto tu, Domine mi, qui tam diuersimodè nos docere dignatus es. at quis, ô Rex meus, verbum hoc dicere audeat, nisi te concedente & permittente? Est certè res, quæ hominem admiratione compleat, vnde quis fortè mirabitur me dicere, quòd ea nullus dicere audeat.

Significatio verbi huius osculum.

Dicent me stupidam & ignaram esse: quia non vult sponsa hoc dicere, eò quòd verba illa *osculum & os* multas patiuntur significationes. clarum est enim, nos illa verba Deo dicere non posse: consultum proinde est homines simpliciores hęc non legere. fateor equidem, multos illa habere sensus: attamen anima, quæ amore ita incensa est, vt penè deliret, & sui impos sit, nullum habere vult, sed tantùm verba hæc proloqui, ne Dominus hoc illi auferat. Quid est, Deus bone, quod adeò miremur? an non potius est, opus ipsum admirari? an non sanctissimum altaris Sacramentum accedimus?

Cogitabam ipsa præterea, num forsan sponsa illam sibi fieri gratiā peteret, quā Christus postea nobis præstitit, quando, scilicet, noster cibus factus est. Cogitabā adhæc, num summam & arctam illā cōiunctionē & vnionē postularet, nimirū vt Deus fieret homo: amicitiā illam

illã, q̃ cũ humano genere ipse inijt. Certũ namq; est, osculum magnæ cuiusdam pacis & amicitiæ inter duas personas, signum esse. Quod autem pacis sint modi & genera, Dominus det vt intelligere valeamus. Vnam rem antequam vlteriùs procedam, hic dicere volo, quæ (vt mihi quidem videtur) notatu digna est, quamquam alij loco & tempori magis conueniret, sed hic dicam, ne eiusdem obliuiscamur, quòd futurum certè scio; nimirum plures esse qui ad sanctissimum Altaris Sacramentum (vtinam verò mentiar!) grauissimis in peccatis mortalibus constituti accedant: qui si animam præ amore Dei mortuam, hæc verba proferentem audirent, summopere mirarentur, ipsamque insignis audaciæ insimularent. Hoc saltem certò scio ipsos hisce & alijs id genus verbis, quæ in Canticis occurrunt, id minimè dicturos. (Amor verò illa dicit, quem quia non habent, hinc quotidie Cantica legere deberent:) & sese in illis non exercitaturos, imò illa ne quidem proferre ausuros: nam reuera illa etiam dumtaxat audita, timorem homini injiciunt, quòd magnam Maiestatem includant. Certè nimis quàm magnam tu, Domine, in Sanctissimo Sacramento Maiestatem præfers & exhibes; sed hi quòd fidem viuam non habeant, sed mortuam considerant, te sub specie panis tam humilem; hinc nihil illis loqueris; quòd ipsi id non mereantur audire. Vnde fit, vt tam sint in peccando audaces.

Quamobrem verba hæc verè timorem quemdam per se injcerent, si sibi præsens esset is qui illa profert, ad litteram & nudè accepta; non vero alijs, quos Dominus amor noster extra se rapuit. Ignoscetis mihi, quod hoc, alijs etiam plura, quamuis aliqua in eo sit audacia, dicam. At Domine mi, si osculum pacem & amicitiam denotet, cur te animæ non rogent, vt pacem cum ipsis habeas? quid autem ea meliusà te petere possumus? quod autem ego, Domine mi, rogo, idest, vt hanc tu mihi pacem cum *osculo oris* tui concedere digneris. Et est hæc, carissimæ, sublimissima quædam petitio, vti postea vobis ostendam.

(·:·)

CAPVT II.

NOVEM PACIS FALSAE, AMORIS IMPERFECTI, ET Orationis illusoriæ modi proponuntur. Est hæc summi momenti doctrina, ad verum amorem intelligendum, vtque sese animæ examinent, ac videant, per quas imperfectiones stet, quo minus ad eam quam desiderant, perfectionem perueniant.

Nouem falsæ pacis modi.

LIberet nos Deus à multis modis pacis, quam mundam habent, & numquam nos sinat eam experiri, quoniam illa ad perpetuũ bellum tendit. Quando scilicet mundanus, quispiam valdè quietè & magna in pace viuit, si in maximis peccatis cõstitutus, & in vitijs suis tam agit securè, vt eum conscientia de re nulla remordeat.

Primus eorũ qui in peccato mortali sunt.

Iam tum legistis, pacem hanc velut signum esse, diabolum & ipsũ inter se amicos esse, & illum huic, quam diu viuit bellum inferre nolle: nam nonnulli (prout quidem illorum malitia est) quo id bellum subterfugiant, (at non ex amore Dei) aliquatenus quidem ad Deum conuertentur, vitam suam emendantes; qui tamen hac via incedũt, & tales sunt, numquam in eius obsequio perseuerabunt. quòd quia diabolus probè nouit, hinc eis pro libitu de nouo voluptatum sensum injicit, ipsique denuo eius amici fiunt, vsque dum tandẽ illis ostendat, quàm falsa ipsorum pax esset. De illis non est quod loquar: tales sint in mundo; nam in Domino fore confido, tantum inter nos malum minimè inueniendum.

Secundus, Religiosorũ relaxatorii.

Posset quoque diabolus aliã paruis in rebus pacem ordiri: semper porro, carissimæ nos, quoad viuimus, timere debemus: quippe quãdo Religiosa aliquibus in rebus, quæ in se paruæ esse videntur, relaxationem quærere incipit, & ipsam diu in illis perseuerantem conscientia nullatenus remordet, mala hæc pax est, & potest ei hac via diabolus plurimũ nocere & varia mala inferre. Tale quid, verbi gratia, est alicuius constitutionis trãsgressio: quæ quidẽ in se peccatũ nõ est, ad hæc exactè aut solicitè nõ exequi q; fieri superior iniungit, esto sine malitia id fiat. Is namq; Dei locum occupat, & bonum nos est semper ei obedire: ad hoc quippe venimus, quin & videre nos assiduè oportet quid is fieri velit. Deniq; in alijs multis reculis in dies occurrentibus, quæ esto in seipsis non videantur esse peccatum, sunt tamen imperfectiones: & eas necesse est interuenire, quia mulieres sumus. Non dico ipsa, quod non sint: sed dico, vt dum eas committunt, commissa sentiant, ac sese deliquisse norint: nisi enim

fiat

fiat vti dico, fieri potest, vt diabolus propterea exultet, & animam paulatim insensibilem reddat. Si harum recularum quampiam diabolum consequi contingat, non parum (mihi crede, carissimæ,) is effecerit, & rem suam auxerit.

Vlterius autem hac in materia progredi timeo; idcircò, (propter amorem Dei vos rogo) sedulo super vos ipsas reflectite & circumspicite: necesse enim est in hac vita certamen & bellū esse; cum possibile non sit, vt tot inter inimicos, securi & in pace agamus; sed soliciti & circūspecti semper esse debemus, ac videre quomodo, tū in interioribus, tum exterioribus ambulemus. Quāobrē dico vobis, tametsi vobis aliquas Dominus in oratione gratias faciat, vbi tū ab eadem surrexeritis, sexcenta vobis impedimenta & tendiculæ occurrent, sexcentę quoq; peccandi occasiunculæ; quales sunt, hoc è negligentia transgredi & violare, illud nō rectè & prout oportet exequi; adhæc turbationes interiores & tentationes. Nō dico tū semper aut plerūq; ita euenturū, vti nec, num quā tentationes aut turbationes nobis superuenturas; imò verò eas habere aliquando summa quædā Domini gratia ac beneficium est, ita namque melius proficit anima: nam non possumus Angeli in hoc mundo esse, neq; enim ea nostra natura est.

Vt verum fatear, minimè me anima tunc sollicitam & anxiam reddit, cum eam in maximis tentationibus constitutam video: si enim amorem & timorem Domini habeat, magnum ex ijs non dubiè fructum referet. Iam tum id ipsa per experientiā noui. At si eas semper inquiete, & omnis belli expertes viuere videam (etenim in nonnullas incidi, quas etsi numquam Deum viderem offendere, semper tamen me sollicitam reddebant) numquam de ijs secura sum: vnde ego eas, si possim semper probo & tento (quia dæmon id non facit) vt videāt scilicet quid sint. Sed paucas tales reperi. Attamē fieri potest, eò quòd animā ad sublimē quamdam contemplationē Dñs iā euehat, vt hūc procedēdi modū quis cōsequatur, & ordinariè interiùs tale gaudiū sētiat. Quāuis ipsa mihi persuadeam, hos id nō intelligere, cūq; ipsū iā depurarint, suas eos pugnulas (estò pauciores) subinde habere video.

Sed vt verum fatear, equidem animabus illis non inuideo: & hoc ipsum subinde attentiùs consideraui. At illas video multo magis proficere, quæ eas quæ dictæ sunt, pugnas & repugnantias in se assidue sentiunt, quin & in rebus ad perfectionem spectantibus tam sublimem orandi modum habere, quàm hic in terra intelligere possumus.

Missas faciam animas illas, q. postq. ad multos años hūc in se cōflictū passæ sunt, talē progressū interim fecere, itaque mortificatę sūt, vt mūdo se velut mortuas esse sētiāt. Reliquæ verò, solēt qdē ordinariè

pacem

pacem habere, non tamen talem, vt imperfectiones quas admittunt, non sentiant, & vt hæ ipsas valde non affligant. Quãobrem carissimæ, per varias ac multiplices vias Dominus animas conducit; at tunc semper (vti antè dixi) vobis timeo, quando quam committitis imperfectio nullum omnino vobis scrupulum & dolorem mouet: nam ob peccatum, tametsi veniale id sit, iamtum constat, vos contristari & dolere interius debere quemadmodum (Deo laus) iam quidem sentire vos credo.

Vnum notate, & illius, (amore mei) recordemini: annon, dum quis viuus est, quantumuis parum ab acicula pungatur, id sentiet? vti & spinulæ punctura, quantumuis ea parua sit? annon ergo, si anima mortua non sit, sed viuum quemdam Dei amorem habeat, magna huius gratia est, quod, dum vel minimam regulam, quæ ei quod professæ sumus, & facere tenemur, conformis non sit, agit, eam ipsa sentiat? Quam ea anima, cui hanc Deus solicitudinem & anxietatem ingerit, Maiestati illius lectulum rosis & floribus insternit, adeo vt impossibile sit, ipsum ad cum illa deliciandum aut recreandum, nolle venire; esto aliquanto serius? Deus bone, quid nos Religiosi in monasterio agimus, tametsi mundum relinquamus? ad quid venimus? Quidnam vero potius ac melius agamus, quam sponso nostro in animabus nostris lectulos concinnare? eum namque in sponsum admittimus, dum professionem fecimus.

Intelligant porro me animæ illæ quæ scrupulosæ erant: non loquor enim de imperfectione quæ nonnisi interdum eueniat, aut de imperfectionibus, quæ percipi aut semper sentiri non queunt: sed de illo qui quidem eas ordinariè admittit, eas tamen parum curat, quod nihil ei esse videantur, quemque sua propterea conscientia non remordet, nec ab ijs sese emendare procurat. Quare iterum dico, pacem hanc valde periculosam esse, vtque ad hoc ipsæ serio aduertatis.

Quid ergo illis erit, quæ à regulæ suæ obseruantia & vigore per relaxationem multum reciderunt? non sinat autem Deus aliquam talem reperiri. Diuersimodè relaxationem hanc diabolus inducere satagere debet, Deo ob peccata nostra id permittente. Non est autem, quod pluribus de eo hic agam, nam pauculis illis quæ dicta sunt, vos visum est commonere volui.

Transeamus ad amicitiam & pacem illam, quam nobis in oratione Dominus ostendere iam incipit; de qua id dicam, quod Maiestas ipsius circa illam mihi declarare voluerit. ceterùm de ea pace nonnulla vobis dicere mihi visum est, quam dat mundus, nec non

propria

propria noſtra ſenſualitas. Nam, tametſi id alibi ab alijs meliùs tractatum & traditum ſit, quàm ipſa id dicere poſſem) tamen non habebitis fortaſſe pecuniam vnde eos libros coëmatis, quod pauperes ſitis. nec forſan erit, qui eos vobis in eleemoſynam det: hoc verò ſcriptum manet domi inter nos, atque in eo omnia ſimul & cõiuncta habentur.

Poſſet quis forſan in ea pace quam mundus dat, decipi, & quidem diuerſis modis, aliquos autẽ hîc referam, quo noſtram ipſę fortẽ deploremus, & maximopere doleamus, vtpote quę culpa noſtra ad excellentẽ Dei amicitiãnõ peruenimus, ſed q̃ parua quadã contentæ ſumus. Vbinã verò, Domine, ea nobis ſatis non eſſet, ſed recordaremur, præmium & magnum eſſe, & finem non habiturum, adhæc, poſtquam iam ad hanc tam magnam amicitiam peruenerimus, Dominum id nobis hoc in mundo etiam dare; quin etiam, multos ad montis radicem manere, qui ad eius culmen facile poſſent pertingere! Sæpius hoc ipſum in alijs reculis quas vobis ſcripſi, vobis inculcaui & dixi, & nunc iterum repeto, ac rogo, vt cogitationes noſtræ ſemper vigorentur, & animoſæ reddantur eo quod pòſt futurum eſt. Dominus autem det vobis gratiam, vt opera quoque talia ſint: & permultum in hoc ſitum eſſe, vobis perſuaſum ſit.

Sunt deinde alij, qui Domini amicitiam iam adepti erant (eo quòd peccata ſua ritè confeſsi ſunt, & eorum ipſos pœnituit) ſed vix duo tranſeunt dies, quin rurſus in eadem prolabantur. Certa autem ſum, non hanc eſſe amicitiam & pacem, quam ſponſa petit. Quamobrem, cariſsimæ, quoties imperfectionem quampiam commiſiſtis, nolite toties ad confeſſarium, quo hanc ei aperiatis, recurrere. Sine illis, fateor, viuere non poſſumus; ſed eæ ſaltẽ variẽtur & mutentur, ne quas radices in nobis agant, quæ poſtea nonniſi ægerrimè potuerunt euelli, quin & alias multas à ſe egerminare & producere poſſent. Si enim planta vel arbuſcula quæpiam plantata, quam quotidie irrigamus, tandem tam fieri poteſt magna, vt ad eam euellendam poſtea ligone & rutella opus ſit: pari modo ſeſe res habere videt, ſi quotidie vnam eandemq; imperfectionem (quantumuis ea parua ſit) admittamus: niſi eam emendare & corrigere ſatagamus: at ſi vno die aut biduo quidem illa plantetur, at ſtatim euellatur, facili id negotio fit. Hoc verò in oratione veſtra petatis oportet à Domino: nam à nobis ipſis parum præſtare poſſumus, imò verò malum ipſum etiam adaugebimus. & in horribili iudicio quod in hora mortis peragetur, permagni id noſtra intererit, illarum præſertim quas Iudex ipſe in hac

Tertia eorũ qui poſtquã ſunt cõfeſſi, eadem rurſus peccata cõmittunt.

vitæ ſibi in ſpõſas delegit. O ſummã Dei dignitatẽ, quæ nos ſomnolẽtos excitet, & feruenter incedere faciat: facite ergo Domini ac Regis huius noſtri volũtatẽ: ſed q̃ hi malè amicitiã rependunt, cùm tã citò rurſus mortales eius inimici fiant! Ingens certe Dei eſt miſericordia: quem .n. tã tolerabilẽ, facilẽ & accõmodabilẽ amicũ reperiemus? Et, quãuis hæc iniuria nõniſi ſemel inter duos amicos accidat, numquã tñ illa memoria excidet, nec tã fideles hi exinde inter ſe amici ſunt, q̃ antea fuerunt: quoties verò hi tali modo in Dei noſtri amicitia colẽda deficiẽt, & per quot annos ille nos hoc modo expectet? Benedictus eſto tu, Dñe mi, qui tanta cũ pietate nos ſuſtines, vt tuæ obliuiſci magnitudinis videaris, ne pro merito, & prout quidẽ conueniẽs foret, tã perfidã, pditionẽ, qualis hęc eſt, caſtiges. Stat⁹ hic mihi perq̃ periculos⁹ eſſe videt: nã tamerſi ea Dei ſit miſericordia, q̃ oẽs videm⁹, nihilominus multos ſæpe ſine peccatorũ cõfeſſione emori cernere eſt. Ne vero in tã periculoſo ſtatu agatis, liberet vos Deus ꝑ eo q̃ ipſe eſt.

Quarta illorum, qui ſponte & ex propoſito peccata venialia committunt.

Eſt & alia mundi amicitia & pax, minus mala quàm prior, quæ eſt illorum, qui ſerio cauent, ne quo peccato mortali Deum offendant. Qui huc peruenerunt, multum ſanè præſtitere, prout quidem mundus ſceleratus eſt. hi tamerſi ſibi à peccatis mortalibus caueãt, nihilominus aliquando, quantum quidem credo, mortaliter peccant: nã venialia parum curant, quantumuis ea etiam multa perdiem faciãt; itaque non procul à mortalibus ſunt. Dicere quippe non verentur, *Hoccine tu cures?* Et multi (quos quidem audiui) dicunt, *Ad hoc tollendum conducit aqua luſtralis, & alia illa remedia, quæ Mater noſtra Eccleſia vſurpat.* Quæ ſanè res eſt quàm maximè deploranda. Per amorẽ Dei vos rogo, cariſſimæ, vt in hoc diligentes ſitis, numquam videlicet peccatum vllum veniale (quantumlibet exiguum) idcirco admittere audeatis, quod hoc iſthoc remedio tolli noueritis. Etenim permagnũ quid eſt, conſcientiam ſemper tã mundã habere, nullum vt impedimentum vos à perfecta illa amicitia quam petit ſponſa, à Domino petẽda impediat. Nõ eſt autem amicitia illa, quæ iam dicta eſt; vtpote quæ admodum ſuſpecta eſt, idque ob plurimas rationes. Tendit namq; ad delicias, quæ homini impedimento ſunt; adhæc viam ipſa ſternit, vt in magnum teporẽ quis incidat, neque ſatis intelligat ſitne id quod agit, veniale peccatũ, aut mortale. Deus hoc à vobis malum auertat: quod enim ſe magna peccata habere non putẽt, qualia in alijs videt, hinc in falſa pace verſantur. Præterea perfectæ humilitatis non eſt, proximos vtvaldè improbos iudicare: fieri namq; poteſt, vt multo hi illis ſint meliores, quod ſua hi peccata deplorant, & interdũ magno cũ dolore & pœnitentia, & fortaſſe meliore cũ emendationis propoſito

ſtro quam ipſi: itaque fiet, vt exinde numquam Deum offendant, nec in modico nec in magno. at alii illi, quod ſeſe nullũ grauiũ illorũ delictorum agere exiſtiment, magis ſeſe in ſuis deliciis & recreationibus diffundunt: hi orationes ſuas vocales vt plurimum ſatis bene recitabunt, quia adeò ſubtilia & delicata non ferunt.

Quinta illorum qui peccandi occaſiones non deſerunt.

Eſt & aliud quoddam amicitiæ & pacis genus, quã videlicet Dominus dare incipit ijs, qui quidem nulla prorſus in re illũ vellent offendere: interim tñ à peccati occaſionibus vſq; adeo ſe nõ auellunt. Et hi, licèt ſtata ſua orandi tẽpora ſæpè habeant, Dñs quoq; ipſis teneritudines quaſdã & lacrymas det: huius tamen vitæ cómoda ac recreationes relinquere nollẽt, ſed eam cõmodã, ſuauem ac delicioſam vellent habere: & illis ad in gaudio & ſuauiter viuendũ quies illa & tranquillitas per oportuna videatur. Hoc autem vitæ genus multas mutationes & viciſſitudines includit: multũ proinde erit, ſi tales in virtute perſeuerent. Nã cũ ſeſe à voluptatibus & delicijs mundi non ſequeſtrant, ſtatim in via Domini deficere incipient, potentes quippe ſunt inimici, vt nos cõtra vim illorũ tueamur. Hæc cariſſimæ, nõ eſt pax quã ſponſa requirit: neq; vos illã etiã habere velitis, ſed sẽpervos ipſas à quacũq;, etiã minima occaſiuncula ſubtrahite, ſi modò animã indies proficere, & ipſæ in ſecuritate agere velitis. Certè neſcio, qua de cauſa vobis hæc dicã: ſed tm̃, vt pericula noueritis, q̃ ſita ſunt in eo, & cũ reſolutione & generosè à reb⁹ mundanis vos nõ ſequeſtretis: id. n. ſi facerem⁹, plurimas culpas euitarem⁹, & multũ laboris declinarem⁹.

Sexta eorũ qui in ali quo vitio ob duruere.

Tot autem ſunt modi & viæ, quibus amicitiam cum animabus colere & tractare Dominus incipit, vt numquã mihi finem factura, videar, ſi omnes quos quidem intellexi hic referre vellem: Sum enim mulier: facient proindè id Confeſſarii, & ii qui particularius cum iis tractant; & certè nonnullæ me ſatis perplexam reddunt: nihil nam. que illis, quò minùs Dei amicæ ſint, deeſſe videtur. In particulari & nominatim vobis referam de quadam perſona, qua cum nõ ita pridẽ valdè familiariter egi. Erat hæc, frequentioris cõmunionis perſtudioſa & obſeruatrix, numquã de aliquo malè loquebatur, in oratione quoq; teneriores ſentiebat affect⁹, inq; aſſidua agebat ſolitudine, habitabat nãq; ſola in domo ſua: moribus & alloquio ità erat blãda, nihil vt eorũ q̃ ipſi dicebant, eã ad iracundiã ꝓuocare poſſet (& certè p magnæ erat pfectionis) nullũ verbum malu loquebat, adhæc numq̃ nupſerat, & iã ea erat ætate, vt matrimoniũ inire iã nõ poſſet: atq; hac in pace & animi æquitate multas cõtradictiones & obloquia paſſa erat. Itaq; cu hæc omnia in illa videre ac notare, videbant hæc mihi animæ valdè ꝓuectæ, inq; oratione aſſiduæ, ſigna eſſe, eãq; in principio pmagni faciebã, & nullu eã peccatũ videre cõmittere, ipsãq; ſeriò

id cauere intelligerem. Vt ergo cum illa egi, intelligere cæpi, tam diu omnia in ea pacifica & quieta esse, quam diu de illius honore imminuendo lędendoque non agebatur: sed, cũ hoc vlcus tangebatur, cõscientiam eius tam delicatam & teneram nõ esse, sed satis stupidam & crassam. Intellexi namq;, eam, quamuis omnia quæ ei dicerentur, æquo animo perferret, tñ punctũ aliq; honoris vel æstimationis propriæ habere. Et huic miseriæ suæ adeò addicta erat, & velut imbibita, ac tam libenter varia hinc inde audiebat & addiscebat, vt mecum mirarer, quomodo hæc persona vel ad horam sola agere posset. adhæc, cõmoditates corporis satis impensè conſectabatur. Quidquid autẽ agebat, hoc velut inaurabat, & à peccato præstabat immunem: &, quantum è rationibus quas dabat, colligebam, graue illi ac molestum futurũ videbatur, si aliquibus in rebus, q̃ etiã nõ satis se ipsa intelligeret, iudicaret. nã in alijs quidẽ satis id notoriũ erat. Hinc certè me suspensã & dubiã reddebat (& penè oẽs eã vt sanctã reputabãt,) q̃ eã persecutionibus, quas se passã narrabat, aliquatenus occasionem dedisse cõperi; illius autẽ modo agẽdi & sanctitati nulla ratione inuidi.

Hæc, vt & aliæ duæ animæ, quas in hac vita vidi, ex ijs quidem quas suo ipsarum iudicio sanctas fuisse nunc recordor, plus mihi timoris incusserunt, quàm quæcumque peccatis obnoxię, quas vnquam vidi. Dominum rogate, carissimæ, nobis vt lumen det, eumque impensè laudate quòd vos ad monasteria vocarit, in quibus vos diabolus, quantumlibet conetur, tantum decipere non potest, quantum eas quæ suis in ædibus agunt.

Septimæ eorum qui sẽper propriũ iudicium sequuntur.

Quàm multæ porro sunt animæ, quibus nihil, quo minùs ad cælos euolent, deesse videtur! quòd perfectionem iuxta proprium suũ iudicium & opinionem in omnibus se quantur: sed nullus est qui ipsas cognoscat: quia in monasterijs statim & semper eas agnoui, eò q̃ ibi eas facere oportet nõ quod ipsę volunt, sed quod ipsis imperatur. In mũdo verò etsi homines verè eas cognoscere velint, eo quòd Domino hæ placere volunt, ægrè possunt: quia quidquid demũ faciũt, id iuxta propriã voluntatẽ faciũt: &, quãuis interdũ huic obsista. tur, in mortificatione tñ vsq; adeò se nõ exercẽt. Exceptis aliquibus, quib⁹ Dñs iã p aliquot annos lucẽ dedit. hi quippe semper aliquem habere desiderant & procurant, qui ipsas intelligat, cuiq; se subiiciant. Magna autẽ humilitas exiguã de se ipso confidentiam includit, &, etiamsi sint doctissimi, alieno se iudicio & opinioni subiiciunt.

Octauæ eorũ qui Deo placere, & numquã hominibus displicere volunt.

Alij quoq; sunt, qui omnia quidẽ propter Deũ reliquerũt, adeò vt nec domũ, nec facultates habeãt, adhæc ipsæ corporis cõmoditates, adeò eis nõ sapiãt, vt & ecõtra pœnitẽtiã subeãt, è nulla deniq; mũdi

huius

huius re voluptatē capiant; quod eis iam tū Dominus lucē dederit, qua videant, quam ipsi sint miserabiles: at simul magno in honore sunt, hinc nihil agere vellent, quod hominibus non æquè foret acceptum, ac Domino Magna hæc discretio est & prudentia: at valde difficulter hæc duo inter se conuenire & habitare possunt. Hoc verò res hæc malum habet, quod hi, suam imperfectionem fere etiam non intelligentes, semper magis in mundi partes quam Dei propendeant & dilaudent. Huiusmodi animas vt plurimum affligit, male habet perturbati, quidquid de ipsis dicitur (etsi id etiam vere de ijs dicatur) ad hæc crucem in humeros non sustollunt, nec amplectuntur, sed trahunt velut per terram serpentem: itaque hæc eos affligit, granat, defatigat, & discruciat, si enim ea dilecta & cara sit, portatu facilis ac suauis est. Et est hoc, longe verissimum. Vnde nec hæc, amicitia est quam petit sponsa. Quapropter videte, carissimæ, & quidem accuratè (cum quod initio dixi votum feceritis) ne in mundo sitis, mundique rebus vos occupetis. Omnia vobis molesta & crux sunt, si reliqueritis quod maius est; relinquite mūdum, delicias, commoditates, gaudia diuitias, quæ esto fallæ, hominem nihilominus recreant & demulcent. Quid timetis? Certè rem non intelligitis: nam eo quod fauorem aliquem, quem mundus vobis dare verbo vno potest, non reijciatis, hinc mille in vos ipsas curas & obligationes deuocatis: quæ tam sunt multæ (siquidem mūdanis placere velimus) vt eas referri minimè sit consentaneum, ne æquo sim longior, imò ne quidem possem.

Sunt demum & aliæ animæ (& in his finem facio,) in quibus, si modo animaduertatis, multa signa & indicia notabitis è quibus videre sit eas quidē incipere proficere, sed in viæ medio hærere, nec progredi. Hæ quidē non curant quidquid penè homines de se dicunt, honorem quoq; parui pendunt: sed in mortificatione & propriæ voluntatis abnegatione minime exercitatæ sunt; vnde facilè apparet, quod mundus ex ipsarum corpore nondum emigrarit: & licet ad omnia patiendum paratę, & iam tum sanctæ esse videantur, tamen in magni momenti rebus, in quibus de honore Dei agitur, identidem suum promouere, diuino neglecto, satagunt. Nō intelligunt hi hoc, ac putant sese non mundum, sed Deum vereri. quin etiam id quod aliquando potest euenire, & futura contingentia timent, atque ne opus quod dam pium, magni cuiusdam mali, quod diabolus ipsis declarare & indicare videtur, (cum mille annis antè, futura prędicant) causam & principium esse posse. Non sunt hæ animæ de illarum numero, quæ S. Petrum imitentur, vt se videlicet in mare abiiciant,

Nona pusillanimium, qui talentū suum abscondunt, & in amore erga proximum deficiunt.

aut faciant quod multi alij sancti fecerunt, qui animarum proximi causa propriam quietem ac vitam in discrimen vocarunt. Cupiunt hæ quidem animas Domino lucrari, at de quiete sua ne hilum amittere, nec sese in aliquod periculum conijcere. fides quoq; nõ multũ in his operatur, aut viget, quia semper proprias suas determinationes & proposita sequuntur. Vnũ hoc obseruaui, quàm pauciſſimos reperiri (præterquam in religione) qui fiduciam habeant à Deo se alendos, & conseruandos. Tantùm duas personas scio, quæ talem fiduciam habeant. quia iam tum sciunt in Religione nihil sibi defuturum: tamen si credã, eum qui verè propter solũ Deũ eã ingreditur, huius rei non recordaturum, at, quam multi, cariſſimæ, ea quæ habent nõ desererent, nisi hac de re certi & securi essent? sed quoniam alijs in locis, in quibus quædam vobis monita & documenta dedi, multum de animabus his pusillanimibus sum locuta, nec nõ de damno quod pusillanimitas hæc illis adfert, atq; etiam de bono quod causare potest, vt videlicet, si opera magna esse nequeant, magna saltem habeãt desideria: hinc de illis plura non dicam, etsi numquam in dicendo defatigarer. Cum ergo Dominus ad tam eminentem eas statum vocet, illi in eo seruiant, nec sese præ pusillanimitate abscondant. Nam, licet Religiosi sint, si fortè proximo (præsertim mulieres) prodesse nequeant: nihilominùs, per heroicas quasdam determinationes, & incensum animarum iuuandarum zelum, oratio ipsorum efficax & potens erit: imò fortasse permittet Dominus, vt etiam ipsi tam in vita, quàm à morte proximo prosint, vti iam facit Sanctus frater Didacus, qui erat Laicus, nec præter opera seruilia quidquam præstabat. & ecce, post tot à morte eius annos, memoriam illius Dominus renouat, vt nobis in exemplum sit. quare Maiestatẽ illius hoc nomine dilaudemus. Quocirca, cariſſimæ, si adhunc vos Dominus statum vocauerit, parum vobis, quò minùs ad amicitiam & pacem quam sponsa exigit, perueniatis, deest: quare valdè continuis cum lacrymis & ardentibus desiderijs eam vos petere oportet: facite quidquid à parte vestra facere poteritis, vt eam ipse nobis concedat. liquet enim, hanc eam pacem & amicitiam non esse quam sponsa petit, quamquam ei adhuc magnam Dominus gratiam faciat, quem adhunc statum perducit: quia neminem adhanc perducet, nisi qui se priùs in multa oratione pœnitentia, humilitate, & alijs multis virtutibus exercuit. Sit Dominus, qui omnia dat, in perpetuum benedictus. Amẽ.

CAPVT

Caput III.

De vera pace, de amore Dei, et vnione cum Christo, quæ ex oratione vnitiua nascitur; & vocat eam sponsa osculum oris Dei.

Osculetur me osculo oris sui.

VEniamus iam, ô Sancta sponsa, ad id quod ipsa postulas, videlicet ad Sanctam illam pacem, quæ animam animat & excitat, vt sese ad cum omnibus qui in mundo sunt confligendum disponat, ipsa interim magna securitate & pace fruatur. Item, quanta erit felicitas, hancce gratiam consequi! vt potè quæ nihil sit aliud, quam quod anima sese arcte cum Dei voluntate vniat, adeo vt nulla prorsus inter ipsum & illam sit diuisio, sed vna eademque vtriusque voluntas, eaque non verbo aut per sola desideria declarata, sed opere demonstrata. adeo vt, cognito, sponso aliquapiam re melius seruiri, tantum in se ipsa amorem ac desiderium ei placendi sentiat, vt ijs, quas intellectus ad cõtrariam faciendam ei rationes suggeret, minimè auscultet, nec timores quos obijciet, curet; at solam fidem operari sinat, adeò vt nec commodum proprium nec quietem intueatur, sed omne suum bonum & vtilitatem in hoc situm esse, demum intelligat. *Quis sit verus Dei amor, & cur vocetur osculum.*

Dicetis forsitan hoc non rectè procedere, aut ita fieri debere, cum summè sit laudabile, omnia sua quadã cum discretione agere. Sed rem vnam noteris ac consideretis velim, scilicet nosse vos, Dominum, (prout quidem scire potestis, certo namque id nemo scire potest) petitionem vestram exaudisse, & vos osculo oris sui osculari. Si enim ex ipsis effectibus id perspiciatis, non est, quod vlla amplius in re affectum defigatis, sed vt vestri ipsarum obliuiscamini, quò tam amabili sponso placeatis.

Maiestas illius varia per argumenta & signa sentiri se facit ab ijs qui hac gratia fruuntur. Qualia sunt, omnia quæ terræ huius sunt despicere, & ea tam parui facere ac reuera in se sunt, nullumque eius bonum desiderare aut velle; quod iam tum sciat & nouerit, quanta eorum sit vanitas. Nullam ex aliquo, præter quam ijs qui Dominũ suum amant, recreationem capere. Vitæ huius tædio affici. Diuitias eo in numero & pretio habere, in quo haberi debent. Et alia id genus. Hæc scilicet sunt, quæ eas docetis, qui ad similem ipsas statum euexit. Postquam ergo anima huc peruenit, non est quod timeat, nisi forte, se non promereri, quod Deus sua vti opera velit, in quantum labores & occasiones, vt ipsa ei (esto magno suo impendio) seruire possit, ei suggerit. Adeò vt (sicuti dixi) amor & fides

fides simul hic operentur, animaque vti nolit eo, quod intellectus ei proponit & docet. Eo quod hæc vnio, quæ inter sponsum & sponsam intercedit, longè alia & eminentiora eam edocuit, quæ intellectus non assequitur, quem proinde negligit & velut conculcat.

Exempla vere renuntiationis voluntatis in Deum.

Similitudine, quo melius intelligamus, rem declaremus. Ponamus, aliquem inter Mauros captiuum esse, cui pauper sit pater, sed fidus amicus; à quo nisi redimatur, nulla prorsus eius redimendi suppetat ratio: vt vero hic eum redimat, non sufficere eas quas habet, facultates, sed necesse esse, vt ipsemet sese in seruitutem captiui loco tradat. Ingens quidem, quo ipsum prosequitur amor exigit, vt sui amici libertatem antiquiorem carioremque habeat, quàm propriam: At mox sese subingerit discretio, multaque adinueniens rationes, & ait, magis ipsum sibi obligatum esse quàm alteri, ac fieri posse, vt minoris ipse roboris sit, quam alius ille captiuus, adhæc Mauros ipsum forsitan ad fidem abiurandam compulsuros, proinde consultũ non esse, in hoc sese periculum vltro conijcere. atque alia plurima id genus. O fortem & potentem Dei amorem! quam ei videntur, omnia amanti esse possibilia! Beata illa anima, quæ hanc à Deo suo pacé est consecuta, quam Dominus hic supra omnes mundi labores, molestias & pericula cõcedit: nã nullũ laborẽ formidat, quo minus tam bono sponso ac Dño seruiat; nec rationes expendit aut librat, quales illæ quas consanguineus & amicus ille quẽ diximus, adferebant.

Legeritis iam aliàs credo, carissimæ, de S. Paulino Episcopo & Confessore, & quod nec propter filium, nec propter amicum, sed & hauddubiè ad hanc tam felicem sortem peruenisset (quod nimirum Dominus hanc illi pacem dedisset) atque vt Maiestati ipsius placeret, illumque in aliquo, è multis illis quæ nostri causa ipse fecit, imitaretur, in Mauritaniam profectus sit, quo seipsũ in filij viduæ cuiusdam, quæ illius redemptionem instanter & impense ab eo efflagitabat, locum captiuum sisteret. & legistis, id ei bene successisse, & quantum ei inde bonum aduenerit, quoque cum lucro sit ad suos reuersus.

Hoc nostro tempore noui ipsa quemdam, & vos etiam eum vidistis, quod me visitatum venerit, cui Dominus tam ardentem charitatem dedit, vt multis cum lacrymis sibi dari facultatem petierit, vt se captiui cuiusdam loco posset in captiuitatem tradere. Egit hac de re mecum (erat autem ex Ordine Discalceatorum Franciscanorum P.F. Petri de Alcantara:) postquam autem instantissimè hanc sibi licentiam dari postulasset, tandem eam in scriptis à Generali suo impetrauit.

petrauit. Cumque iam bono suo desiderio satisfacturus, quatuor Algerio leucis abesset, eum Dominus ad se ex hac vita sustulit. Verisimile autem est, magnum eum propterea præmium & coronam esse consecutum. Quam multi vero discreti erant, qui id stoliditatem & vesaniam esse dicerent. Nobis quidem, qui ad tantum Domini amorem non pertingimus, stolidum id esse videtur. Sed quæ, quæso, dari maior stultitia potest, quam hunc vitæ huius somnum tanta in sapientia & prudentia nobis finiri? Det Dominus digni vt inueniamur qui cælum ingrediamur, multo vero magis, vt de illorum numero simus, qui in Deo amando tantum progressum fecere.

Iam tum ipsa video, insigni illius, ad huiusmodi res faciendas, adiumento & cooperatione opus esse: proinde vobis consulo, carissimæ, vt cum sponsa suauissimam hanc pacem semper ab eo petatis: ita namque fiet, vt omnes hosce inanes mundi timores euincatis, & magna cum tranquillitate & quiete eum oppugnetis. Annō certum est, eum, cui magnam hanc gratiam Deus faciet, vt nimirum animæ ipsius tanta cum amicitia sese vniat, à bonis ipsius maximè locupletandum? nam reuera hæc non possunt à nobis prouenire; at dum taxat ipsa petitio & desiderium, vt hanc gratiam nobis præstet. Ac ne hæc quidem, sine speciali eius auxilio & cooperatione. nam in reliquo, quid quæso, vermiculus efficere potest? Cum peccatum ita eum inertem reddat ac miserum, vt omnes virtutes a d infirmæ nostræ naturæ modulum metiamur & imaginemur.

Quid ergo remedij, carissimæ? petere, scilicet, cum sponsa, *osculetur me Dominus*, &c. si rustica quæpiam cum Rege matrimonium iniret, & filios ei pareret, an non iam filij illi de Regio sunt sanguine? si ergo animæ cuidam tantam Dominus gratiam præstet, vt is adeo sine vlla diuisione se illi vniat, quænam desideria, quinam effectus, quinam heroicorum operum filij hinc enasci poterunt, nisi per culpam ipsius steterit? *Amoris vnitiui effectus.*

Puto sanè, si magna cum fide & amore ad sanctissimum altaris Sacramentum accederemus, nos vel vna vice sic accedendo, prorsus locupletandas, quanto vero magis, cum toties illuc accedimus? Sed videmur, eheu, non nisi pro forma ad ipsum accedere; hinc tam parum inde fructus recipimus. *Hæc vnio & amor verus à perfecta communione Eucharistica nascitur.*

Quam, ô miser munde, fascinas oculos & obturatos eos tenes, illorum qui in te viuunt, vt thesauros, quibus perpetuas diuitias cōparare possent, non videant! Quam, ô Domine cæli & terræ, possibile est, vt quis, etiamnum in hac mortali vita manens, te tam particulari amicitia frui possit? quid? Spiritum sanctum tā clare id per hæc *Communicatio boni est principium vnionis.*

verba significare,& nondum nos intelligere velle, quænam sint deliciæ,quibus Maiestas ipsius his in Canticis cum animabus dissuauietur? quæ eius in illam illiciæ,quæ suauitates? Nam vel vnum horum verbum satis sit, ad nos in te penitus liquefaciendos Benedictus esto tu Domine;nam à parte tua nihil omnino amittemus. Per quot vias,per quot rationes & modos amorem nobis exhibes? videlicet per labores,per tam diram & immanem mortem,per tormenta; adhæc quotidie iniurias patiendo & semper ignoscendo. Nec per hos solùm modos,verum etiam per verba quædam,quibus animam quæ te diligit vulneras,quibus in his Canticis eã compellas, & quæ in eam,vt ijs vicissim te ipsa compellet,edoces: nescio enim quomodo quis ea ferre queat,nisi tu,vt qui ea sentit ferre valeat, opẽ ferãs ac non quidem sicuti ea ferri merentur, sed prout ea ferre imbecillitas nostra potest. Quamobrem Domine, aliud à te in hac vita non peto,quàm vt me *Osculo oris tui osculerũ*;idque taliter,& tam intimè,vt licet ab hac amicitia & vnione me diuellere cupiam,planè non possim. Sit,obsecro, Domine vitę meæ, voluntas mea ita semper à tua non recedendo subiecta,vt nihil omnino sit quod me impediat: ac dicere possim (Deus meus,& gloria mea) *vbera tua meliora* & sapidiora *esse vino.*

CAPVT IV.

DE DVLCI, SVAVI, ET DELICIOSO DEI AMORE, QVI inde prouenit,quòd Deus in anima, per orationem quietis, quæ per vbera Dei repræsentatur, habitet.

Meliora sunt vbera tua vino,fragrantia vnguentis optimis.

QVam magna, carissimæ, in hisce verbis latent secreta! det Dominus,vt ea reipsa sentire possimus:etenim non nisi difficillimè possunt ea verbis declarari. Quando ergo Maiestas illius,per magnam misericordiam suam, hanc sponsæ postulationem concedere dignatur,tali quadam amicitiæ specie cum anima tractare incipit, vt illæ solæ intellecturæ id sitis,quæ de facto id experimini. Multum de hac(vti dixi) in duobus libris (quos, si Domino placuerit, post mortem meam videbitis)scripsi,& quidem valdè speciatim ac diffusè,quia vos credo ijs opus habituras, vnde hic ea nonnisi obiter tangam:nescio autem, an ijsdem ea verbis hic potero describere, quæ Dominus illic mihi declarare dignatus est.

Ille amor dulcis maioris dulcedi.

In interiore ergo animæ parte magna quædã sentitur suauitas,eaq; tã singularis:satis vt sentiatur & appareat,Dominũ ei admodum vicinum esse.Non est hæc instar deuotionis illius, quæ homini multas solet

ſolet lacrymas elicere, & ad plorandum commonere; nam eſto hæ quamdam in illo teneritudinem cauſentur, quando aut ob paſſionẽ Domini, aut ob peccatum aliquod noſtrum ploramus; non tamẽ tã ea magnum quid eſt, atque hæc oratio de qua loquor; quam quietis nomino, ob eam quam in omnibus animæ potentijs excitat tranquillitatem; adeo vt Deum homo plane ad voluntatem & imperium ſuum habere videatur. Quamquam fatendum ſit, interdum eam & alio quodam modo ſentiri, quando nimirum anima adeo abſorpta non eſt; ſed in hac ſuauitate videtur totus homo, interior æquè atque exterior, confortari, tam quam ſi intra animæ medullas ſuauiſſimum quoddam vnguentum, adinſtar redolentiſſimæ cuiuſdam fragrantiæ, inijceretur. Nam vti, dum derepente ac ſubito in locum maxima quadam fragrantia, quam non vna ſola res, ſed multæ ſimul exhalãt, refertum ingredimur: neſcimus quiſnam is odor ſit, aut vnde promanet, ſed tamen ab eo totæ penetremur. Ad eundem modũ videtur ſuauiſſimus hic Dei noſtri amor in animam ingredi, idq; tãta cum ſuauitate, vt eam repleat, ſatisfaciat, ac delectet, intelligere tamen nequeat quid ſit. Hoc ſcilicet eſt, quod ſponſa hic conuenienter ad meum propoſitum dicit; *Meliora ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Siquidem non intelligit, quomodo aut vndenam bonum hoc ingrediatur: vellet namque, ipſum minimè perdere, vellet non mouere ſe, ac ne oculos quidem ad videndum attollere, ne ipſum abeat aut ſe ſubducat. Et quoniam eo quo dixi loco, ſcripſi quid animam hic facere oporteat, quo fructum inde capiamus, (idque tantum, ad aliquid vobis ſignificandum & declarandum eorum de quibus hic tracto) aliud hic dicere nolo, quam Dominum iã tum animæ in hac amicitia oſtẽdere, ſe velle tã arctã ac particularẽ cũ ea amicitiã colere, nihil vt inter ambos diuiſum aut ſeparatũ ſit. hic vero magnæ ei veritates cõmunicãtur. Eſt enim lux hæc tam magna, vt eius viſum perſtringat, quo intelligere ipſa nequeat quid ſit lux, ipsãque mũdi huius vanitatẽ videre & intelligere faciat, eſto magiſtrum à quo edoceatur, non, bene videat. quamquam apertiſſimè intelligat & ſentiat ipſum apud ſe eſſe. at tam bene edocta manet, eoſque in ſe percipit effectus, & in virtutibus practicandis fortitudinem, vt ſemetipſam poſtea non cognoſcat, & aliud facere, aut dicere nollet, quàm Dominum laudare. Cùm autem in hac fruitione eſt, adeò eſt abſorpta & inbibita, vt non tam in ſe eſſe, quàm diuinam quandam ebrietatem pati videatur, vt, quid velit aut petat, neſciat. Deniq; nihil ſcit de ſeipſa: veruntamen adeò extra ſe non eſt, vt eorum quæ fiunt, non aliquid intelligat aut percipiat.

nis eſt, qui naſcitur ex aſſiſtentia Dei in anima.

Suauitatis huius principium.

Varia animæ ſuauitates & guſtus.

Effectus orationis quietis.

Lux.

Claritas.

Robur in virtutibus.

De anima suspensione, quæ ab hac amoris dulcedine nascitur.

Porro cum opulentissimus hic sponsus eas ditare, & maioribus delicijs cupit perfundere, adeo eas in se conuertit, vt, sicuti dum quis ob nimiam delectationem & gaudium viribus deficit, anima se in diuinis illis brachijs suspensam esse, & diuino illi lateri & vberibus adhærere existimet: vt aliud nō faciat quam frui, sustentata nimirum lacte illo diuino, quo eam sponsus suus lactat & sustentat, ac semper meliorem reddit, quo ipsam possit delicijs perfundere, vtque quotidie plura mereatur.

Quando vero iam ab illo somno & cælesti ebrietate expergiscitur, est velut consternata atque attonita, & sancta quadam stultitia affecta; vt mihi merito verba illa dicere posse videatur, *Meliora sunt vbera tua vino.* Nam quando in ebrietate hac erat, putabat se vlterius non posse ascendere: at cum se iam in altiore gradu constitutam, atque in immensa illa Dei magnitudine plane detentam conspexit, vt se iam magis corroboratam esse videat, eum tenerrimè & delicatissimè vberibus comparauit, dicens: *Meliora sunt vbera tua vino.* Nam quemadmodum infans nescit quomodo crescat, nec nouit quomodo sugat; nam eo mamillam etiam non quærente, & nihil ad hoc faciente, sæpe in os eius papilla ingeritur: ita & hic sese res habet, nam anima quid de se fiat, & num aliquid faciat, prorsus ignorat, & non scit quomodo, aut vnde (imo ne quidem intelligere id potest) magnum hoc bonum sibi aduenerit.

Noueritis porro, id, maximum bonum & gaudium esse, quod ab homine hac in vita gustari potest, tametsi omnes mundi voluptates & deliciæ simul conglobarentur. Videt quippe ipsa se enutritam & melioratam, ac nescit quando id promerita sit: magnas quoq; veritates edoctam, vt tamen magistrum à quo edocta sit, non videat, in virtutibus item corroboratam, ac delicijs deliburam ab eo qui & scit, & potest id facere. Nescit tamen, cui id comparet, nisi forte recreationi & dissuauiationi matris cuiuspiam, infantulum suum vnicè diligentis, eum enutrientis & deliciose habentis.

Det vtinam nobis, carissimæ, Dominus noster, vt intelligere, aut (vt melius dicam) gustare (aliter enim si dicatur, intelligi non potest) possimus, qualis sit animæ fruitio, quando sic est constituta. Adsint nunc homines mundani cum suis diuitijs & dominijs, cum omnibus suis voluptatibus, honoribus & epulis; qui licet omnibus his, sine laboribus ijs quos hæc includunt (quod prorsus impossibile est) frui possent, numquam tamen, ne per mille quidem annos, ad id gaudium & voluptatem pertingent, quod anima, quam Dominus

Rom. 8. huncad statum euehit, vno momento sentit. Si enim S. Paulus dicat, non

cat, nō esse condignas passiones & labores huius mundi ad gloriam quam exspectamus: ego sane dico, eas non esse condignas, nec mereri, vt vel vnam voluptatis, recreationis & gaudij illius, quam Dominus hic dat animæ, horam habeant; nec vllum gaudium ac voluptatem cum illis posse (prout mihi videtur) comparari, nec vllum hominem tam suauem Domini suauitatem atque vnionem tam vnitam, & amorem qui adeo declaret & ostendat, quam sint mundi huius res viles, posse promereri. Quasi vero labores illius sint aliquid, vt cum hac voluptate comparentur: nam si pro Deo hi non tolerentur, nihil iuuant, si vero pro eo tolerentur, Maiestas illius eos etiam pro virium nostrarum magnitudine solet immittere & temperare; adeo scilicet eos ipsi, vtpote miseri & pusillanimes, exhorreticimus.

Expergiscamur tandem, ô Christiani, ô filiæ meæ (per amorem Domini vos obsecro) ab hoc mundi somno; & consideremus, eum, quod ex eo amādo nos manet præmium, non reseruare vsque in alteram vitam, sed iam tum in hac præsente vita nobis id soluere incipere. Quis, ô mi Iesu, exponere & declarare posset commodum & bonum, quod in eo situm vt ipsi nos in Domini huius nostri brachia conijciamus, & quoddam cum Maiestate illius pactum ineamus, dicentes, *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* &, *Curam gerat ille rerum mearum, ego rerum illius*: nec tantum nos ipsos amemus, vt oculos nobis nostros eruamus, vti vulgo dici solet. Rursus ergo dico, Deus meus, & iterum te per filij tui sanguinem rogo, hanc vt mihi gratiam præstes, vt scilicet consequi merear vt ipse meoris sui osculo osculetur, & vbera tua mihi da Domine: sine te enim quid sum? & nisi tibi iuncta & vicina sim, ad quid valeo? si vel modicum à Maiestate tua recedam ac deflectam, vbi tandem desinam, Domine, misericordia mea, & bonum meum? & quod hac in vita melius bonum habere velim, quam vt ita tibi coniuncta sim, vt nulla sit inter te & me diuisio? Te socium habeo quid dari & esse laboriosum potest? quid non propter te suscipiet, qui te tā vicinum & propè habet? quid est, Domine, quod mihi aut ascribam aut acceptum referam? nihil, sed potius vt valde me culpem & reprehendam, eo quod tibi non seruiam? Vnde te cum sancto Augustino tota cum animi resolutione rogo, *mihi vt des quod iubes, iubeas autem quod voles*, & num quam, adiuuante tua gratia & auxilio, respiciam retro, aut tergum tibi obuertam.

CAPVT V.

DE AMORE CONSTANTE, SECVRO ET STABILI; QVI inde naſcitur, quòd ſe anima à diuinitatis vmbra protectam videat. hanc verò ordinariè ſolet Deus dare ijs qui in eius amore perſeuerarunt, afflictioneſq; & aduerſa propter eum paſſi ſunt. Nec non de ingenti fructu, quem amor hic producere ſolet.

Sub vmbra illius quem deſideraueram ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

PErcontemur iam ſponſam, & benedicta illa anima, quæ ad diuinũ hoc os admiſſa eſt, & cæleſtibus illis vberibus lactata & ſuſtentata diſcamus (vt ſcilicet id nouerimus, ſi fortè Dominus nos aliquando ad tantam gratiã euehat) quid nobis faciendũ ſit, aut quomodo nos gerere debeamus, & quid dicere? Quod autem nobis reſpondet, hoc eſt: *ſub vmbra illius quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo: introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* Dicit, ſedi ſub vmbra illius quem deſideraueram.

Declarantur illa nomina arbor & vmbra.

Quàm, ô Deus bone, anima hæc in ipſomet ſole poſita eſt, & ab eodem accenſa! dicit ſe ſediſſe ſub vmbra illius quem deſideraverat. Vocat eum hic ſolem, item arborem vel pomum, aitque fructum eius gutturi ſuo dulcem eſſe. Huc adſitis animæ, quæ orationi ſtudetis, omniaq; hæc verba ruminate. Quàm diuerſimode Dominum noſtrum conſiderare poſſumus, quàm diuerſum ex eo cibum facere? Ipſe quippe manna eſt, quod eum ſaporem habet, quem ipſi ex eo ſapere & habere volumus. Quam verò hæc vmbra cæleſtis eſt! & quis verbis explicet id, quod de illa ei Dominus declarat? Venit mihi hic in mentem eius quod Angelus olim ad Sacratiſſimam Virginem Mariam dixit: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quam ſe ergo protectam & obumbratam videre debet anima, quando à Domino in hac magnitudine collocatur? quare meritò reſidere & certa eſſe poteſt.

Luc. 1.

Iam vero notetis oportet, Deum vt plurimum, & penè ſemper, (niſi forte ſit aliqua perſona, quam Dominus peculiari quodammodo vocare vult, quemadmodum vocauit S. Paulum, quia eum ſtatim ad contemplationis culmen extulit, eiq; apparuit, & taliter eum allo-

allocutus est, vt valdè eleuatus manserit) has tam eminentes delicias statim non conferre, aut statim cuipiam tam magnas gratias facere; sed ijs dumtaxat qui in eius obsequio permultum laborarunt, amoremq; eius feruenter desiderarunt, seq; ipsos disponere sunt conati, vt in omnibus suis rebus Maiestati ipsius placerent, & quamdam iã inde à multis annis in mundi huius rebus nauseam habuere. Nam qui huiusmodi sunt, reuera sedent: nãq; consolationem, quietem, & recreationem alio in loco non quærunt, quàm vbi se eam in veritate habere posse intelligunt, & sub protectione Domini sese constituũt, & aliud non cupiunt. Quàm verò bene faciunt, quòd in Maiestate ipsius fiduciã collocent! quia quod illi desiderarunt, id ipse præstat. Quàm etiam beata illa est anima, quæ sub vmbra illius sedere promeretur, etiam quantum ad ea quæ hic in terra videri possunt: nam, quantum ad id quod anima intelligere potest, (prout sæpè intellexi) aliter se res habet. Nam cum anima in ea quam dixi voluptate agit, videtur sentire, se totam absorptam esse, & à quadam diuinitatis vmbra, & quasi nube, protectam & obũbratam, è qua tam iucundæ influentiæ & tam suauis ros depluunt, vt, quod res mundi huius illi dedere tædium & molestiam, hæ optimè & meritò auferant. Tunc quoque talem sentit quietem, eam vt etiam defatiget & malè habeat, quòd habitum adducere debeat: habetque potentias suas tam quietas & tranquillatas, vt voluntas ne vnam quidem cogitationem, esto bonam, vellet admittere; nec eam etiam admittat, ita vt hanc ipsa vltrò inquisisse aut procurasse videatur. neque enim opus est, vt (consideratio videlicet) manũ suam (vt ita dicam) moueat frustra, aut se eleuet: quoniam Dominus dat ei pomum (cui eum dilecta ipsius comparat) iam decorticatum, & coctum, quin etiam masticatum: vnde ait, *fructum eius gutturi suo dulcem esse*. Etenim anima nihil hic facit præterquàm gustare, idque sine vllo potentiarum labore.

Quibus Deus ordinariè hanc gratiam facit.

Quomodo sit anima quæ huc peruenit.

Cur vocetur vmbra.

Hæc autem diuinitatis vmbra, quàm aptè dicitur vmbra! quoniam apertè & clarè eam hic videre non possumus, sed tantùm sub nube hac: quo vsque rutilans & fulgens sol, mediante amore, quamdam insinuet notitiam: qua discat, Maiestatem ipsius adeò vicinam esse, vt dici nequeat, nec dictu possibile sit. Scio, enim qui hoc aliquando expertus erit, facilè intellecturum, quàm verè sensus hic verbis hisce sponsæ hoc loco dari & adaptari possit.

Cur hic spiritus affectus spiritui sancto attribuantur.

Videtur porro mihi, quòd spiritus sanctus mediator sit inter animam & Deum, & quòd ipse tam ardentibus desiderijs

siderijs eam impellebat & moueat, vt verum ac supremum ignem, qui tam propè est, eam accendere faciat. Quàm porro ingentes sint, ô Domine, misericordiæ, quibus hic erga animam vteris! esto proinde in æternum benedictus & laudatus, qui tam bonus amator es. Fierine potest, Deus meus & creator meus, esse aliquem qui te non ametreo quòd non meretur te cognoscere. Quomodo suos diuina illa malus ramos dimittit, quò anima poma eius decerpat, illius videlicet magnitudinem, necnon misericordiarum eius, quibus erga ipsam via est, multitudinem considerando, vtque fructum, quem Dominus noster Iesus Christus è sua passione, sanguine suo pretioso tam admirabili cum amore arborem hanc rigando, collegit, videat & fruatur.

CAPVT VI.

DE AMORE FORTI SVSPENSIONIS ET RAPTVVM: IN quo cum anima nihil se agere existimet (non intelligendo tamen, quomodo, aut qua ratione) Deus charitatem interea in illa ordinat, virtutes heroicas ei dando, è quibus spiritus egregiè proficit.

Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.

PAulò antè dixit anima, se nonnisi diuinorum vberum alimonia & lacte victitasse, tamquam quæ ingratijs hisce recipiendis adhuc paruula & incipiens esset: & sponsus eam sustentabat. nunc vero robustior ac prouectior est, eamque magis & magis ad plura ei dandum habilitat: vnde eam iam pomis enutrit. vult, inquam, illã intelligere, quantum ad ei seruiendum & patiendum obligata sit. Et ne hoc quidem ei satis est (quod certè mirandum, & quàm maximè considerandum est:) nã quãdo Dominus cernit, animam iam totam esse suam, ac sine vllo commodi proprij intuitu, nec ob vllam omnino rem, quæ eam per se sola moueat, sed dumtaxat ob id quod Deus suus est, nec non propter amorem, quo Deus ipsam prosequitur, sibi seruire: identidem sese illi communicat, idque tot tamq; diuersis modis, atq; is qui ipsamet sapientia est, nouit. Quare iam nihil amplius restare videbatur, quàm osculum in pace, & id quod prius de vmbra dictum est: quæ longè maior & eminentior est gratiã: tametsi id satis male & tenuiter à me declaratum sit, quòd nonnisi obiter & velut indicando percurrerim: porro in eo quem vobis dixi, libro, id lõgè maiore cũ claritate expositũ, inuenietis, carissime, dummo-

dummodo Domino, vt in lucem prodeat, videatur. An ergo iam plura desiderare non poterimus? Quam, Deus bone! tenuia ac nihil nostra sunt desiderta, vt ad tuarum magnitudinum fundum, Domine, pertingant! & quam pauca reciperemus, si nonnisi pro eo atque nos petimus, tu dares! Iam ergo videamus, quid posthæc sponsa dicat. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.*

Cum ergo iam sponsa sub tam desiderata, (& merito sane) vmbra requiescat, quid illi vltro reliquum est? quid amplius desiderabit anima, quæ huc peruenit? nisi forte, ne hoc bono in perpetuum careat. Illi quidem nihil amplius quod petat, superesse videtur, at Regi nostro sacratissimo multa, quæ det, adhuc supersunt: imo numquam quid aliud facere vellet, si inueniret, cui daret. Et, sicuti iam dixi, & sæpius dicere vellem, & vtinam, carissimæ, numquam rei huius obliuiscamini; satis Domino non est, tam pauca nobis dare ac quidem nos ab eo petimus. Ego id nonnullis in rebus hic obseruaui. Incipit, verbi gratia, quis à Domino petere, vt sibi aliquam merendi, & pro ipso quidpiam patiendi materiam det, vlterius suam intentionem non extendens, quam quousque vires suas pertingere existimat (cum tamen Maiestas illius has adaugere possit;) & ecce, in exigui illius, quod pro illo & pati & facere decreuit, compensationem tantos ei labores, persecutiones, & morbos immittit, vt miser homo nesciat vbi sit. Mihi ipsi adhuc admodum inueni hoc contigit, & subinde me dicere, *Ah Domine.* quia non tam multum habere nolebam: sed maiestas eius eas suppeditabat vires, & tantam patientiam, vt etiamnum admirer, quomodo id ferre possem. Et certè, afflictiones has cum omnibus mundi thesauris non commutarem.

Deus plures dat animæ gratias quam ipsæ petat.

Dicit ergo sponsa, *Introduxit me Rex in cellam vinariam*: ô quam mentem hic replet & afficit is hoc nomen Rex potens, & dum videt quod nullum superiorem is habeat, & regnatio eius finem non sit habitura! Dum autem anima ita certa est, non multum sibi, quo minus Regis huius, qui quæcumque in hac vita mortali possibilia sunt, adeo affecurat, magnitudinem cognoscat, deesse, dicit, *Introduxit me in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* Colligo hinc ipsa gratiæ huius magnitudinem permagnam esse. Nam sicuti de vino aliquo magis aut minus bibi potest, & de vno vino bono, & alio meliori, & hoc hominem magis aut minus inebriare: eodem modo in hisce domini gratijs fit. Nam huic quidem è vino deuotionis nonnisi modicum dat, illi autem amplius: alij vero ita abundanter, vt eum extra se, & sensualitatem suam, & extra omnia terrena rapere incipiat, alijs verò ingentem in obsequio suo dat feruorem, alijs impe-

Agit de suspensione & raptu: quid ea sint, & cur vocetur hic amor fortis, cella vinaria.

tus, alijs denique feruidam erga proximum caritatem. in quibus hi adeò absorpti sunt, vt magnos quos hic patiuntur, labores nõ sentiant. Verùm id quod sponsa dicit, huic proximè accedit, scilicet in cellam vinariam introducit, vt ibi, magis sine vlla mensura, locuples euadere possit.

Non videtur autem, quòd Rex illam ibi quidem esse, sed nihil dare ei velit; imò vero vult vt bibat & comedat quantum vult & desiderat, ac valdè inebrietur, ex omnibus illis, quæ in Dei cella sunt vinis bibendo, vtque hisce delicijs fruatur, illius magnitudines admiretur, vitam quoque amittere, aut vltra naturæ infirmitatem bibere non vereatur, denique in hocce voluptatum paradiso emoriatur. Beata vero illa mors, quæ sic viuere facit. Et verè sic mori facit: tam magna quippe sunt mirabilia, quæ anima intelligit, vt sic extra se sit; sicuti id ipsamet testatur, dum ait. *Ordinauit in me charitatem.*

O verba, quæ numquam animæ, quam ita Dominus delicijs perfundit, deberent excidere! O immensam ac supremam gratiam, quamq; per se nullus promereri potest, nisi magnum Dominus auxilium adhoc & subsidiũ concedat! Verum quoq; est, q̃ ne ad amandum quidem sese excitatã inueniat. Sed, ô beatũ somnum, ter felicem ebrietatẽ, quæ sponsum supplere eo agit, q̃ anima per se ipsa præstare non potest, dum scilicet mirabili quodã modo ordinat, vt, omnibus potentijs mortuis, aut dormitãtibus, amor maneat viuus, &, ipsomet non intelligente quomodo operetur, Dominus ordiner vt tã mirabiliter operetur, vt cum ipso amoris Domino, Deo in quam, per magnam quamdam vitæ puritatem vnum quid factus sit. quia nullus est, qui ipsum impediat, non ipsi sensus, non intellectus, vti nec memoria. sola vero voluntas se intelligit.

Intellectus recipit lucẽ, & intelligit at non discurrit voluntas verò amet, sed non aligit, itaq; anima per amorẽ operatur, & liberum arbitrium meretur.

Cogitabam hic ipsa mecum, num inter voluntatem & amorem aliquod esset discrimen: & videtur certè mihi, aliquod esse (nescio verò an fallar:) & amorẽ ceu sagittam quãdam videri, quã voluntas eiaculatur; quasi omni ea quã habet, violẽtia feratur, ab omnibus rebus terrenis liberat, at in solum Deum impensa, valdè ferio, & verè Maiestatẽ ipsius vulneret oportet; a deo vt in ipsũmet Deũ (qui amor est) acta, nonnisi maximis cũ fructibus (vti mox dicam) inde reuertatur. Et ita reuera fit, vti de nõnullis personis audiui, quas Dñs adtã sublimẽ in oratione gratiã euexit, vt ad sanctã hãc absorptionẽ per suspẽsionẽ quãdã eos peruenire faciat. nã licet exteriùs præsentes sibi esse videantur; rogati tñ quid sentiant, nullo modo id declarare sciũt, nec intelligere postea potuere aut valuere, quomodo amor illic operetur.

Fructus suspensionis.

Maximos fructus, quos anima hinc percipit, satis colligere est ex effectibus,

fectibus & virtutibus, & fide viua, quæ in de ei remanet, nec nō è mūdi contemptu. At non liquet, aut percipitur, quomodo hæc bona ei data sint, & quidnam anima hic fruatur, nisi fortè in principio, quando primùm incipit: est namq; suauitas hæc, & maxima & intensissima. Adeò vt clarè appareat, hoc ipsum esse quod sponsa hic ait; eò quòd Dei suauitas hic pro anima supplet, & ipse ordinat, vt ea tam eminentes gratias illo tempore sibi comparet.

Quomodo anima & operetur & mereatur, dum in suspensione est.

At dubium esse potest, quomodò, cum adeò extra se sit, & ita absorpta, vt potentiarum suarum exercitio nihil omnino operari posse videatur, mereri possit? ex alia verò parte non videtur fieri posse, vt Deus tam ingentem ei gratiam faciat ad hoc vt tempus illa suum inutiliter insumat, nihilque illo durante, merendo lucretur. Id certè minimè credibile est. Sed, ô diuina arcana! nihil aliud porro nobis hic agendum, quàm intellectum nostrum penitus submittere ac captiuare, & cogitare, ipsum, ad magnalia Dei intelligenda, frustra velut esse & nihil omnino iuuare. Recordemur verò, quomodo Beatissima Virgo Maria, esto eam, quam habebat, sapientiam haberet, id fecerit, quomodo Angelum rogarit, *Quomodo fiet istud* & illo ei dicente, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi*: vlteriùs inquirere destiterit: &, sicuti magna erat fide & sapientia, statim intelligebat, duabus illis hic rebus interuenientibus, nihil vlteriùs sibi sciendum aut dubitandum esse. Non verò sicut quidam docti, qui quòd per hunc orationis modum à Domino non conducantur, nec aliquod eius principium habeant, ita omnia ex rationis & ingeniorum suorum modulo mensuraq; intelligere volunt, vt per suas litteras & doctrinam omnia Dei magnalia comprehensuri videantur. Vtinam verò hi aliquid de sacratissimæ Virginis humilitate addiscerent! Quàm, ô Domina mea, perfectè in te videre possumus id quod cum sponsa sua facit Deus, prout quidē is in Canticis ait! vt videre potestis, carissimæ, in officio de Beata Virgine, quod singulis septimanis legimus, quàm nimirū ex his multa in huius Antiphonas & lectiones sint relata. Quoad alias verò animas, vnaquæq; id intelligere poterit, prout quidē id ei Dñs declarare volet: etenim clarissimè cernere poterit, num ex hisce gratijs aliquam receperit, iuxta id quod sponsa dicit, *Ordinauit in me charitatem.* *Luc. 1.*

Cetertùm declaremus iā, quomodo, animabus in illa ebrietate & somno constitutis, Deus in illis charitatē ordinet, quandoquidē nesciūt vbinā fuerint, aut quomodo in tā eminētib⁹ deliciis & voluptate Dño placuerint, neu quid fecerint, cū ei, pptera gratias nō egerint. Nō est porro, ô anima à Deo amata, qte crucies: cū enim Maiestas

eius huc te euehit, teq; tam deliciosè alloquitur, sicuti è multis verbis, quæ sponsæ in Canticis loquitur, ad oculum videbis (vti dum dicit, *Tota pulchra es amica mea*, & alia multa id genus, in quibus ostendit, quantopere sibi in illa placeat) credibile sanè est, minimè illum permissurum, vt illo in tempore eum offendat, sed potiùs eum ipsam in eo quod facere nó poterit, quò magis sibi in ea cõplaceat, adiuturum. Videte eam præ amore nimio erga illũ perditã, & à se velut abalienatam, & ab hac ipsa amoris vehementia intellectus discursum, in illa sublatum esse, quo eum magis amare possit; quomodo ergo ipse vicissim se non det ei, quæ se totam dat ipsi? non solet certè Maiestas eius sic facere.

Videtur porro mihi hic Maiestas eius super hoc aurum (quod iam persona sua præparauit & probauit, vt nimirum videat cuius pretij & valoris sit amor quo ipsum prosequitur) aliud quid artificiosè superinducere, & sexcentis in eo modis operari, quos anima quæ huc peruenit, declarare poterit. Hæc anima, aurum est: quæ illo in tempore ita constituta est, nullum prorsus vt edat motum; nec plus per se operatur, quàm si ipsum esset aurum, sed resignata est ad omne id, quod diuinus ille aurifaber, & diuina sapientia de ipsa facere voluerit; qui tali in statu eam videre gaudens (quod paucæ sint, quæ tam vehementer & ardenter eum ament) mille per labores, illo in auro, multas gemmas pretiosas & vermiculationes inducit. Quid ergo anima illa toto illo tempore facit? Hoc scilicet est, quod non saris intelligi potest, nec plura de eo sciri præter id quod sponsa dicit, *Ordinauit in me charitatem.*

Ipsa saltem, si amat, nescit quomodo amet, nec intelligit quid sit & amare: summus namq; ille amor, quo Rex ipsã prosequitur, taliter qui ad tã eminentẽ statũ eã deduxit, animæ huius amorem sibi vnierit oportet, vt intellectus ipsum intelligere non mereatur. Nisi duo hi amores fiant vnus, & amor animæ cum amore Dei tam intimè vereque coniungantur, quomodo eum intellectus percipere queat? nam toto eo tempore eum ex oculis perdit; quod certè numquam diu durat, sed breuis durationis est. Ac Deus ita hinc ibi eam ordinat, vt diuinæ eius Maiestati optimè tunc placere per omnia sciat, atque etiam postea, vt tamen intellectus id non intelligat, vti antè dictum est. Sed postea id satis intelligit, cùm animam hanc virtutum gemmis & margaritis adeo vermiculatam & condecoratam videt, vt illa ipsum in admirationẽ rapiat, & dicere possit, *Quæ est ista, quæ facta est sicut sol?* Quam te, ô vere Rex, sponsa hoc nomine merito compellare potest, quandoquidem potes vno momento diuitias dare, eas-

que in-

que in anima ponere, vtque ijs in perpetuum fruatur, efficere. nam amor animam illam ordinatam efficit.

Euidentia equidem rei huius proferre argumenta potero; etenim quædam in alijs conspexi. Memini me vnam vidisse, cui Dominus triduo vno tot tantaq; bona dedit, vt, nisi experientia (quia iam ab hinc annis aliquot ipsa in illis se exercuit, quin & semper indies in melius profecit) id me credere compelleret, id mihi impossibile videretur. Aliam verò, cui id trimestri spatio datum. Et ambæ verò erant adhuc satis iuuenes. Alias verò vidi, quibus nonnisi post multos annos hanc Deus gratiam præstat. Et sicuti de duabus illis dixi, possem & de aliquot alijs dicere. Et ideo hoc an noto, quòd hoc loco scripsi paucas esse animas, quibus, nisi ad multos annos afflictiones & pressuras passæ sint, has Dominus gratias conferat: vt sciatur, saltem esse aliquas. Tam potenti autem & magno Domino, & ad gratias dandas tam propenso, non est terminus aut taxa aliqua constituenda.

Contingit nonnumquam (imò penè ordinarium) Domino id genus gratias animæ faciente (gratias inquam, non verò illusiones, aut melancholicos humores, aut aliquas periclitationes quas ipsamet natura facit; hoc namque, vti & aliud illud, tempus ipsum tandem patefacit & declarat) virtutes tam validas esse, & amorem tam intensum, vt tegi nequeat: eo quòd, etiamsi fortè nolint, semper animabus nonnullis prosunt: vnde ait sponsa, *Ordinauit in me charitatem.*

Vt nimirum hæc ita ordinata sit, vt amor, quo in mundum prius ferebatur eam iam deserat, illique in odium & nauseam vertatur, amor verò eius in consanguineos & amicos ita temperetur, vt eos solùm diligat propter Deum: amor verò illius in proximum, & in ipsos inimicos, quantus sit, credi non poterit; nisi quis eum viderit: amor denique eius in Deum, valdè intensus est, & adeo illimitatus, vt subinde magis is eam vrgeat, quàm infirmum eius corpus ferre valeat. videns porro se iam deficere & languere, & præ amore mori, ait *fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* *De ordine Charitatis.*

CAPVT VII.

DE AMORE DEI VTILI, QVI SVMMVS AMORIS EST GRADVS, & is duas habet partes. Prima est, quando anima per solum Deo placendi desiderium, sine vllo alio respectu, magna seruitij ipsius opera exercet: vti sunt præcipue, purè viuere, glorificare & adorare Deum, zelus quoque proximorum animas ad cælum conducendi: quæ sunt tria florum quos sponsa petit genera. Altera, quando, quo Christum crucifixum quis pomus dicitur, imitetur, labores, tribulationes, & persecutiones petit ac desiderat, & illas si habeat, patienter fert.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

De primo genere amoris vtilis, qui est heroica opera facere.

QVæ lingua dari tam diuina potest, quæ proposito meo conueniat! quam te, ô sancta sponsa, enecat suauitas? (quia, vti intellexi, subinde ea tam excellua est, vt animam vsque adeo conficiat, vt iam nulla prorsus viuendi ratio suppetere videatur) & petis flores? qui porro sunt isti flores? neq; enim hi malum tuum curare possunt, nisi forte ideo eos petas, vt iam plane emori pergas. nam, vt verum fatear, quando anima huc pertingit, nihil magis desiderat. Sed id hoc loco non quadrat: ait enim, *fulcite me floribus.* Fulciri autem petere, non est (vt mihi quidem videtur) mortem petere, sed velle, vt viuendo aliquod præstet obsequium ei, cui tantum se debere videt. Nolite putare, carissimæ, me exaggeratiue locutam, cum dixi, eã languere & mori; sed vere id quod dixi, à parte rei ita contingere. Nam amor nonnumquam tam vehementer operatur, & ita superomnes corporis vires præualet ac prædominatur, vt norim quamdã personam, quæ cum in simili orationis genere versaretur, & suauem quemdam cantum audiret, assueuerit, nisi cantus iste cessaret, fore vt anima sua, præ delectationis & suauitatis, quam Dominus ei gustandam dabat, magnitudine è corpore exiret. Vnde Maiestas ipsius fecit vt cantor ille à cantando cessaret. Nam quæ in hac suspensione constituta erat, poterat quidem mori, at non dicere, vt cantor à canendo cessaret. etenim omnis illius motio exterior huiusmodi erat, vt nullam ipsa posset operationem facere, nec aliquatenus mouere se. Intelligebat quidem, quonam in periculo versaretur, at perinde ac sicut dum quis in profundo quodam rei afflictiuæ somnio constitutus est; qui quidem inde emergere vellet, at tamen, tametsi velit,

Amoris vehementia interdum enecat hominem.

Dulcis mors amoris.

lit, loqui non poteſt. Hic quidem anima inde digredi nollet: nec mori ei pænoſum aut graue foret, ſed voluptas ſumma & gaudium. hoc namq; eſt quod deſiderat. Et ſanè quam beata & optabilis mors foret, in huius domini & diuini ipſius amoris manibus mori! &, niſi Maieſtas eius ſubinde ei lucem daret & oſtenderet, expedire ipſam viuere, & hoc tolerare; imbecillum eius corpus id perferre non poſſet, ſi quidem id bonum diu duraret: quare aliud ab eo bonum hic poſtulat, quo maximo & ſingulariſſimo hoc bono egredi ſibi liceat: itaque ait, *fulcite me floribus.*

Quid ſunt flores. & melior eſt amor eius qui facit opera propter Deum quàm eius qui in oratione guſtus & ſuauitates percipit.

Alium flores hi ſpirant odorem, quam ij quos hic in terra odoramus: hic ergo ſponſa, (vt quidem ipſa intelligo) petit vt eximia magnaque in Domini noſtri ac proximi obſequio opera agere queat. hinc gaudet, ſi hanc recreationem & gaudia amittat: nam hi flores magis ad actiuam, quam contemplatiuam vitam ſpectant, vt per hoc aliquid perdere videatur, quare ſuæ petitionis ſit compos. cum enim anima hoc in ſtatu verſatur, ſemper operatur; & Martha ac Maria penè iunctim incedunt. nam in actiuo, (quod videtur ipſum exterius) operatur id quod interius eſt. Cum vero opera actiua ab hac radice oriuntur, ſunt mirabiles & odoriferi quidam flores, quia ab hac amoris Dei arbore procedunt, & ob eum ſolum, ſine vllo proprij commodi intuitu fiunt: florumque horum odor latè ſeſe diffundit, quo multis proſint. Eſt autem odor, qui duret, nec cito pertranſeat, ſed qui magnas operationes faciat.

Opera vitæ actiuæ dum cum contẽplatione iunguntur, & ex amore naſcuntur, ſumma ſunt perfectio.

Magis me ipſam declarare volo, vt rem melius intelligatis. Haber quis, verbi gratia, concionem, cum animarum proximorum iuuandarum propoſito, ſed, à reſpectu & commodis humanis adeo mortificatus ac abſtractus non eſt, quin ſimul aliquam auditoribus complacendi intentionem habeat quo aliquem tam honorem, aut auctoritatem ſibi paret, aut ſi Canonicatus aliquis conferendus ſit. Sic ſunt & alia opera, quæ multi in proximi vtilitatem, & bona cum intentione faciunt: ſed accuratè videntes, ne quam propterea ipſi iacturam faciant, aut hominibus in aliquo diſpliceant. Perſecutiones quidem aliquas habent, at cupiunt Regibus, proceribus & populo placere; & cum diſcretione procedunt, quam mundus tanti facit & honorat. hæc namq; plurimarum eſt imperfectionum excuſatrix & protectrix; etenim diſcretionis nomine id vocant, atq; vtinam diſcretio ſit! Hi quidem Maieſtati eius ſeruient, quin & alijs, multum proderunt: at hæc, non ſunt opera & flores quæ ſponſa poſtulat (vti mihi quidem videtur) ſed ſolum Dei honorem & gloriam

gloriam in omnibus intueri. Nam reuera crediderim, animas, quas Dominus huc conducit (prout quidem intellexi) non magis suiipsarum recordari, & ad se reflectere, quàm si de facto non essent, non videre inquam, iacturamne an lucrum facturæ sint: sed tantùm curare, vt Domino suo seruiant ac placeant. Et quoniam amorem, quo Deus famulos & filios suos prosequitur, perspectum habent: hinc volupe illis est proprio gustu & bono carere, quò illis satisfaciant & seruiant, ac veritates illis declarent, ad ipsorum animabus quàm possunt commodissimè consulendum: nec sicuti dixi, cogitant numquam ipsi hinc passuri sint iacturam. Vnicum proximi sui lucrum præ oculis habent, & aliud nihil: & quò Deo magis placeant, suiipsorum proximi causa obliuiscuntur, quin & vitam suam in petitione amittunt, &, verbis ipsorum, in sublimi hoc amore Dei inuolutis, cælesti hoc vino inebriati, sui non recordantur, &, si recordentur, parum curant an hominibus placeant. Huiusmodi qui sunt, multum prosunt alijs.

Samaritana exemplũ.

Venit hic mihi in mentem id, quod aliàs adhuc sæpè mecum cogitaui, scilicet factũ Sanctæ illius Samaritanę: quàm verò illa abhinc herba debebat saucia esse, quamq; bene in corde suo verba Saluatoris comprehendisse, cùm, quò ciues sui eum lucrarentur, & aliquatenus sibi ex illo prodessent, ipsummet Dominum reliquerit! quàm hæc bene & euidenter declarat id quod hic dico! Porro, in magnæ huius caritatis compensationem meruit, vt ei omnes crederent, ac magnum illum fructum, quem inter oppidanos illos Dominus fecit, suis ipsa oculis cerneret. Vnà è maximis, quæ quidem in terra haberi possunt, consolationibus (vt mihi videtur) esse debet, videre quòd nostra opera & adminiculo animæ nonnullæ ad bonam frugem profecerint. Tunc quippe mihi sapidus horum florum fructus comedi videtur. Beati verò illi, quibus Dominus hasce gratias præstat: qui ad ei seruiendum quàm maximè obligati sunt. Et sancta illa mulier, diuina illa ebrietate ebria, per plateas etiam vociferatur & clamat.

Quod verò quàm maximè miror, est, videre quomodo ciues ei crediderint, eò quòd ipsa, esset mulier. Et certe non debebat magnæ claritatis & æstimationis esse, quandoquidem aquatum ibat: attamen satis magnæ humilitatis, quoniam, quando Dominus sua ei peccata aperiebat, non est indignata, nec molestè tulit (vti hodie in mũdo fieri solet, quòd veritas audiri & ferri nequeat) sed dixit, quòd haud dubiè esset Propheta, tandem ei etiam fidem & creditum dederunt, &, ad solum eius verbum &, annuntiationem, plurimi

ad vi-

ad videndum Dominum vrbe egressi sunt. Ad eundem modum etiam multi proximo prosunt: nam postquam iam per aliquot annos cum Maiestate eius locuti sunt, esto, quòd delicias & recreationes eius habeant, in rebus asperis & laboriosis ei seruire omittere nolint, licet hæ deliciæ & recreationes nonnumquam impediantur, hi inquam flores, & eximia opera, & ab arbore tam feruentis amoris producta: illorum tamen odor multo diutiùs durat, & anima talis magis per verba & opera sua proximo prodest, quàm multi, qui ea faciunt puluere sensualitatis nostræ, & aliquo commodi proprij intuitu permixta & fœdata.

Hinc oritur róbur quoddam ad perferendas persecutiones: & hæc sunt poma, de quibus mox spõsa dicit, *stipate me malis*: quasi dicat Domine da mihi labores & persecutiones: & verè eas desiderat, quin etiam fructum inde refert: nam, quia non tam propriam delectationẽ respicit, quàm quomodo Deo suo placeat, hinc volupe illi est, laboriosissimã vitã quam Christus vixit in aliquo imitari. Equidem per pomum, arborem crucis designari existimo, eò quòd in alio Canticorum loco dicat, *sub arbore malo suscitaui te*. Et anima, quæ crucibus & laboribus varijs circumuallata est, magnum auxilium aciuuamen exspectat. in contemplationis quidem recreatione ordinariè non versatur, at magnam in patiendo voluptatem sentit: verùm virtus eam non consumit & destruit, quemadmodum suspensionem potentiarum in contemplatione facere verisimile est, si ea valdè frequens & ordinaria sit. Et non sine ratione ita petit, quia non semper debet esse fruitio, vt nihil seruiat, & nõ aliquid patiatur. Hoc ergo studiosè in nonnullis personis obseruaui (quia propter nostra peccata, non sunt multi tales) qui quò in oratione & delicijs DOMINI proiectiores sunt, eo in proximorum consolationem & salutem intensiores sunt, ac præsertim animarum: &, quò vel vnam è peccati mortalis statu, educant, multas daturi vitas videntur, quemadmodum initio dixi.

Quis hoc persuadeat ijs, quibus Dominus iam delicias dare incipit? imò verò putabant forsitan, alias illas parum in virtute proiectas esse, & in eo omnia sita esse, quòd ipsi in angulo suo illo fruantur. Prouidentiæ DOMINI, (vt mihi quidem videtur) est, hos non intelligere quonam aliæ illæ animæ perueniant, nam per suum quem in principio sentiunt, feruorem, vellent statim vsque eò, quò illi, saltum facere & pertingere. sed hoc illis minimè expedit, quia nondum satis corroborati sunt: sed lacte eo de quo initio dixi, eos adhuc diutiùs enutriri &

fustentari opus est. Stent ergo iuxta diuina illa vbera: Domino namque curæ erit, eos, cum iam robustiores erunt, ad altiora & maiora euehere; quia tunc eum non facerent fructum, quem sese alioqui facturos putant; imò verò sibiipsis nocerent. Sed quoniam in libro, quem vobis indicaui, animam alijs prodesse cupidam descriptam inuenietis, necnon quantum in eo situm sit periculum, vt ante debitum tempus prodeat, (& quidem satis diffuse;) hinc illud hic repetere nolo, nec pluribus in hac materia me diffundere: cum intentio mea (cum primum materiam hanc ordirer) fuerit, vobis declarare & docere, quomodo recreationem & consolationem percepturæ sitis, quando aliqua Canticorum verba audietis, & quomodo (esto ea vobis obscura videantur) magna, quæ in illis latent mysteria, reuoluere poteritis. Pluribus autem rem hanc pertractare velle, audaculum & temerarium forer. Det Dominus, audacia etiam non fuerit quidquid dixi hactenus; esto non alia hic mea fuerit intentio, quam obedire ei qui id mihi faciendum præscripsit. Maiestatis vero illius in obsequium omnia tendant: si quid in ijs benedictum appareat, credetis certè id meum non esse; cum sorores, quæ apud me sunt, videant, quanta ea cum celeritate scripserim, idque ob varias quibus opprimor, occupationes. Maiestatem eius rogo; vt eas ego per experientiam possim intelligere. Quæ vero, aliquid horum sese habere existimabit, Dominum laudet; & postremum hoc ab eo petat, ne ad ipsam solam fructus deriuetur. Vtinam nos Dominus in sua protectione habeat, suamque sanctam voluntatem semper adimplere nos doceat.

AMEN.

FINIS.

TRACTÆ

TRACTATVS
DE RATIONE VISITANDI CONVENTVS MONIALIVM DISCALCEATARVM Ordinis Carmelitani.

MONIALIBVS DISCALCEATIS ORDINIS CARMELITANI

F. Alfonsus De Iesu Maria Generalis salutem dicit.

QVoniam certum est, omnium Communitatum, & illarum præsertim quæ magnam perfectionem profitentur (vti Vestræ Reuerentiæ faciunt) bonum adeò dependere ab eo, vt Patres Prouinciales & Visitatores suis in Visitationibus (Domino adiuuante) rectè & prout oportet, magna cum prudentia & spiritu procedant, ac vicissim vt subditæ, ea quæ suæ sunt obligationis, ceu veræ & perfectæ obedientiæ filiæ, exequendo, debitè erga eos sese gerere sciant, in ipsis Christum Dominum, (cuius hi Vicarij sunt, & quorum interuentu Maiestas ipsius eas regit) intuendo; operæ pretium mihi facturus videor, si breuem hunc de Visitationibus tractatum (quem in Escuriali inter reliqua autographa S. Matris nostræ manu exarata, quæ Dominus noster Rex ibidem asseruat, reperi) prælo committam, & publici iuris faciam; quod huius doctrina huic intento, & proposito mirè deseruiat.

S. Bonauentura, agens de differentia doctrinæ, qua opus habent Superiores, & qua subditi, idque pro varia vtrorumque obligatione & officio, sic loquitur: *Magna enim differentia est inter scire humiliter subesse, pacifice coesse, & vtiliter præesse;* horum primum subditorum est, alterum æqualium, vltimum superiorum & rectorum erga subditos. Hanc porro differentiam, in qua varia dubia & difficultates inclusa sunt, sancta Mater nostra egregiè in breui hoc tractatulo pertractat: docet quippe in eo Superiores, quomodo se erga subditas gerere debeant; subditas vero, quomodo sese non solum erga Superiores suos, verum etiam inter se, in visitationibus gerant; quæ, inter eas occasiones, quæ in communitatibus, vt plurimum occurrunt, & maximi momenti sunt & principales; quæque etiam propterea, velut eminenter bonam ordinarij ipsarum viuendi modi directionem in se includunt.

Patres ergo Prouinciales & Visitatores hoc in tractatu modum & rationem inuenient, quo ipsos in suis Visitationibus erga Moniales vti oportet; videlicet propositum & traditum ab illa quæ eum tam bene scire & ponderare potuit, vt potuerit esse & mater & reformatrix status. Discent hic ergo, quomodo boni esse Pastores possint, idque ad imitationem Domini nostri Iesu Christi, vt sic adimpleant doctrinam, quam Maiestas ipsius nobis apud S. Ioannem Capite decimo tradidit, dicens: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me mea, & animam meam pono pro ouibus meis.* Hic ergo, ad hoc spectantia documenta & consilia, valdè particulatim & enucleatè proposita, quò oues suas melius cognoscant, inuenient; quibus ipsi vicissim, viscera sua, amoroso & vero de bono ipsarum, zelo plena (qui quidem ita potens esse debet, vt eos cogat & inducat, ad subditarum suarum commoda & consolationem non solum propriæ quieti & gustui, sed & sanitati, imo ipsi quoque vitæ, præponenda) exhibeant & patefaciant.

Notandum verò cum primis, quod Sancta Mater vsque adeò hic instet & vrgeat, vt penitus & valdè exactè intelligatur quidquid in communitate bonum æquè ac malum est,

paruum iuxtà ac magnum, admodum id conforme esse illi doctrinæ, quam in eo loco, quem iamiã citauimus, Redemptor noster Christus nos docet. Egregiè verò hoc ponderauit magnus ille Monachorum Pater Basilius, sic in suis Constitutionibus loquens: *Nouit qui intelligens moderator est, vniuscuiusque mores & affectus, & animi motus diligenter exquirere, & adhac accommodatum etiam in singulis remedium adhibere*, & medicinas necessitatibus vniuscuiusque proportionatas. Hanc quippe notitiam & prouidentiam exigunt partes & munia Medici, Iudicis, & Magistri, quas Superiores, qui Dei loco sunt, erga inferiores & subditos suos exercere & adimplere oportet; è quibus si quidem ritè peragantur, communitatum bona directio & pax postea resultat ac sequitur.

Ipsæ quoque Moniales hic inuenient, quomodo se erga suos Superiores gerere debeant, quò ipsorum gubernatio, in bonum ipsarum cedat, ea cum ipsis fidelitate, veritate, & sinceritate tractando, quæ ministris Christi Domini personam repræsentantibus, & locum supplentibus debetur; omnia quæ Sancta Mater nostra ipsas aperire vult, quàm clarissimè illis aperiendo, vt hac ratione officium Medicorum, Iudicũ, & Magistrorum, quod ipsi exercent, cùm integram, completam & veram relationem inuenient, magno cum tam Communitatum, quàm particularium, bono & vtilitate peragatur. Notandum vero, hanc S. Matris doctrinam generalem, & communẽ esse, omnibus temporibus & occasionibus conuenientem, & pro omnibus illis qui propriè ipsarum Superiores & Visitatores futuri sunt; ita tamen vt, quo hoc fiat, in particularibus vniuscuiusque proprietatibus & conditionibus, non multum sistatur: hoc antè omnia præsuppositio, opus non esse, vt hi, quò hac ratione cum illis procedatur, scientia & experiẽtia quidã sint Augustini aut Bernardi. Vnde Doctor Ioann. Gerson. conuenienter proposito nostro, in tractatu de Præparatione ad Missam, consideratione tertia, quãdã sibi obiectionẽ formãs dixit: *Dicet aliquis ex simplicioribus, Vtinã talis mihi esset Abbas aut Prior, qualis erat B. Bern. credere faciliter imperanti, eiq; obedire. Nunc verò de Superioris mei paruã sapientiã inspicio, nõ audeo meã conscientiã & salutẽ fidei eius tali pacto cõmittere. Quisquis ita dicis & sapis, decipis & erras: non .n. commisisti te & salutẽ tuã in manibus hominis, quia prudens est, & plurimã litteratus aut deuotus; sed quia tibi est secundũ*

regularem inſtitutionem præpoſitus & prælatus. quamobrem obedias, ſi vis, nõ vt homini, ſed vt Deo iubenti, ſi tamen non contra Deum.

Vt verò in hiſce viſitationibus ſubditæ inter ſe prout oportet, agant, zelum & integritatem cum pietate & prudentia iungendo, & quædam pericula & inconuenientia, quæ in id genus euentibus occurrere ſolent, euitando, inuenient Reuerentiæ Veſtræ hic prudentiſſima ad hoc conſilia ac documenta. Recipiant ergo Reuerentiæ Veſtræ antiquum hoc & nouum beneficium, quod ab illius manu deſcendit, à qua tot iam beneficia recepiſtis; certæ & ſecuræ ipſum, ſi ſolicitè & debitè vſurpetis, inter omnia, quæ S. Mater noſtra ad profectum veſtrum ſcripſit, futurum quod maximè, generales & communes in Communitatibus fructus cauſabitur. In bonæ autem illius voluntatis, qua ipſum ego prælo mandari iuſſi, compenſationem, hoc vnum à vobis peto, vt eo, quo viſitabimini, tempore loco librorum aliorum, quos Reuerentiæ Veſtræ quotidie legunt, hunc tractatum in communitate legatis; quò hæ veritates, & ſancta conſilia, vtilia æquè ac prudentia, ſecuræ æquè ac plena amoris & affectuoſæ veræque de ipſarum bono ſolicitudinis, in omnium memoria renouentur. Reuerentiæ porro veſtræ Domino me commendent, qui tantum ipſis de ſuo ſpiritu communicet, quantum ego ipſis & opto & voueo.

BREVIS

BREVIS DISCVRSVS, IN QVO Patres Prouinciales & Visitatores edocentur, quomodo se erga subditas suas in Visitationibus gerere debeant. his verò præcipitur, quales se tunc erga Superiores præbere, & inter se esse debeant, quò maior hinc fructus consequatur, à S. M. Nostra Teresa de Jesu compositus.

ANte omnia meam, quam in hoc scripto inchoando habui, fateor in obedientia imperfectionem: hanc namque virtutem plus quam aliud quid, habere desidero. Maximæ quippe id mihi fuit mortificationi &, summâ in hoc sensi repugnantiam; det Dominus, vt aliquid quod prosit possim dicere. in sola namque eius misericordia confido, nec non in humilitate eius, qui ipsum me scribere iussit: per ipsam namque Dominus, vt potens, aget & operabitur, nec ad me respiciet.

Etsi verò minimè conueniens videatur, à temporalibus, ordiri: hic tamé ab iis initium capere placuit: nam vt spiritualia semper incrementum capiant, permagni refert (etsi enim id in monasterijs paupertatem professis minimè referre videatur, vbique tamen & in omnibus id locum habet ad rerum omnium gubernationem directionemque seriò aduertere & reflectere Supposito ergo primo, opus maximè essent superior ita se erga subditas gerat, vt, licet ex vna parte sit affabilis, amoremque erga eas exhibeat, ex alia tamen, in rebus substantialibus, se rigidum, & nulla ratione flexibilem esse ostendat; nihil in mundo esse existimo, quod maius Superiori damnum adferat, quam quod non timeatur, & quod subditi cum eo, tamquam cum æquali, tractare se posse putent, præsertim mulieres. nam si semel aduerterint, tantam in Superiore suo facilitatem, lenitatem & suauitatem esse, vt in delictis & erratis ipsarum connineat & mutetur, ne videlicet ipsas contristet, quam difficillimè eas ipse regere & gubernare poterit.

Neceſſe

Necesse cumprimis est, intelligant, caput quoddam esse, idque non blandum, aut in re vlla quæ in Religionis despectum & vilipendium tendat, flexibile aut immutabile; ipsumque iudicem in iustitia administranda ita sincerum & rectum esse, vt subditæ de eo sibi persuadeant, eum in rebus ad maius Dei obsequium & maiorem perfectionem spectantibus nullatenus à debito declinaturum aut inflectendum, tametsi mundus fractus illabatur, & eatenus erga ipsas illum se præbiturum affabilem & blandum, quatenus illas in hoc non peccare percipiet. nam vti sese blandum, lenem & pium ostendere, & illas veluti pater diligere debet (& facit hoc inprimis ad rem, vt sic ipse consolationem sentiat, & hæ ab ipso alieniores non fiant) ita & prius illud necessarium est. Et, si vel in horum alterutrum ei peccandum sit, certè sine comparatione minus malum est, eum in posterius delinquere, lenitatem nimirum & facilitatem, quam in prius, æquitatem nempe & iustitiam. Nam quia visitatio semel dumtaxat in anno contingit, vt si quæ sunt errata ex amore corrigantur, & paulatim tollantur, nisi Moniales intelligant, illas, quæ deliquerunt, ad anni huius finem emendandas & castigandas; fiet vt annus vnus atque alter elabatur, & Religio à primæuo suo rigore paulatim relaxetur, ita vt, dum postea ei malo remedium adhibere & auxilium volent, minimè valeant. Et, quamuis ea imperfectio & delictum in sola Præposita sit; Monialibus ipsis ad relaxationem propendentibus, tametsi postea noua Præpositæ constituatur, terribile sane quid est in natura nostra ipsa consuetudo; ac paulatim, & in paruis rebus, irremediabilia Ordini damna & mala irrogantur. Atque horrendam Deo rationem reddet Superior ille, qui huic malo in tempore remedium non adferet.

Videor mihi hisce B. Virginis Mariæ monasterijs iniuriam facere quod de huiusmodi rebus tractem, cum quæ Domini bonitas est, ipsa sint eiusmodi, vt hoc erga illa rigore vti necesse non sit: at quia timeo, ne (quod per temporis diuturnitatem monasteria collabi, & à primæuo rigore recidere solent) tale quid hic accidat, hinc talia hic monere cogor: & quia video, quod quotidie (Dei beneficio) plura hinc inde exstruantur, in quorum aliquo fortasse quæpiam violatio & relaxatio iam contigisset, nisi Superiores id quod dico fecissent, hoc inquam rigore vsi fuissent paruas videlicet reculas & defectus corrigendo, & Prioriſſas, quas ad hoc munus ineptas videbant, deponendo. Hac siquidem in re particulariter, & singillatim nullam necesse est hi pietatem ostendant: etenim multæ, sanctissimæ quidem erunt vitæ, non tamen ad regendum idoneæ. Vnde statim huic rei,

rei remedium afferendum, & occurrendum est: nam cum tanta hic viget & exerceatur mortificatio, nec non exercitia humilitatis, graue id illi & molestum non erit: si verò id illi molestum sit, satis apparet, illam gubernationi ineptam esse. neque enim animas perfectionis vsque eo studiosas illa regat oportet, quæ tam paruę est perfectionis, vt Præposita esse desideret.

Qui ergo Visitatorem aget, Deum inprimis præ oculis habere debet, nec non gratiam, quam hisce domibus & monasterijs ille præstat, ne ipse in causa sit, vt hæ imminuantur, quasdam etiam deuotiúculas à se abdicare, quas vt plurimum diabolus, ad maius aliquod malum causat & producit, atque hæc maxima crudelitas est, qua is in subditas suas vti potest.

Fieri certè non potest, vt omnes quæ in Præpositas assumentur, necessarias adhoc munus dotes habeant: quod vbi cognitũ & intellectum fuerit, annum vnum elabi non sinant, quin eam quæ inepta est à munere suo deponãt. Nam vel vno anno multum illa damni inferre potest: &, si per tres annos regere sinatur, fieri posset vt monasterium prorsus destruat, si defectus & imperfectiones nimirum inoleant & consuetudo fiant. Tanti autem necessarium est & plurimi interest, hoc, quod dixi facere, vt, tametsi Superior se quodammodo conficiat, eò quod Præposita hæc illi videatur Sancta, & in sua intentione minimè errare, is sibi vim inferre debeat ad illam ab officio deponendam. Hoc eum ego per amorem Domini rogo & obtestor. atque, vbi viderit, illas, quæ Præpositæ eligendæ ius habent, siniſtra aliqua intentione, scopo aut passione (quod Deus auertat) ad eligendum duci, electionem hanc caſlam & nullius momenti habeat, ijsque Prępositam ex alijs quibusdam monasterijs eligendam nominet, & ex ijs hæ vnam eligant. nam ex electione quæ hoc modo facta fuerit, numquam bonus aliquis sperari successus potest. Nescio autem, an hoc quod iam dixi, temporale sit, an spirituale.

Quod autem dicere incipere volui hoc est, vt libri expensarum accuratè & magna cum animaduersione examinentur, nec leui manu & obiter tantum id fiat. Etenim in monasterijs censum habentibus, inprimis & quàm maximè conuenit, vt expensæ censum & reditum annuum non superent, sed ei conformes sint, esto viuant vtcumque possint; cum, Deo laus, omnia quæcumq; in reditibus fundata sunt, satis habeant vnde viuant: &, si moderatæ ordinatæque sint impensæ, satis commodè viuunt: sin minùs, paulatim, si debita contrahere incipiant, seipsa perdent & peribunt. Si enim hæc extrema cum necessitate conflictentur, Superioribus quædam videbi-

tur ſpecies inhumanitatis, ſuos illis labores non cedere, & non permittere vt à parentibus & conſanguineis vnaquæq; ſubſidiũ aliquod accipiat. & alia id genus, quæ alijs in locis hodie in vſu ſunt. nã ipſa multò & incomparabiliter potiùs videre vellem, vt monaſterium aliquod diſſolueretur, quàm vt ad talem ſtatum redigeretur. Et propterea dixi, à temporalibus magna ſpiritualibus damna oriri ſolere. Vnde hoc quàm maximè eſt obſeruandum.

In Monaſterijs autem in paupertate viuentibus illud ante omnia ei proſpiciendum & curandum, ne qua debita contrahant: ſi enim fiducia de Deo ibi vigeat, & Moniales Deo ſeruiant, nihil illis defuturum eſt, modò nimios ſumptus non faciant. Adhæc valdè particulatim tum in his, tum in caſum habentibus ſciendũ & inquirendum, quis cibus Monialibus detur, & quomodo morbidæ & valetudinariæ habeantur: & curandum; vt quæ neceſſaria ſunt, abunde ijs ſuppeditentur: illa enim ſemper Dominus dat, dummodò Præpoſita fiducialem animum & diligentiam præſeferat: vti iam per experientiam patet.

Aduertat adhæc & reflectat tam in his quàm in illis conuentibus ad opus quod Moniales operantur; nec non rationes ſubducat eius quod ſuis illæ manibus lucratę ſunt. E quo duo ſequuntur commoda. Primò namq; conducit id, vt ipſæ hac ratione ad laborandum animentur, & gratiæ quodammodo iis agantur pro opere quod operatæ ſunt. Deinde vt in locis, in quibus ad opus & operationem manualẽ tã ſollicitè non aduertitur (quòd non tanta ibi vrgeat neceſſitas) dicatur illis, quantũ alibi Moniales lucrẽtur. Nã hæc operationis inſpectio, & magnam eius rationem habere, vt temporale eius commodum taceam, per omnia vtiliſſima eſt: & ipſis dum laborant & operantur, ſolatio eſt, noſſe quòd Superior opus ipſarum ſit inſpecturus. Nam tametſi hoc magni momenti res non ſit, mulieres tamen ita concluſæ tolerari in nonnullis debent, &, vt omnis illarum voluptas ſit ſuperiori ſatisfacere, ſubinde in huiuſmodi ad noſtram imbecillitatem condeſcendendum eſt.

Inquirat, num ſuperflua quędam vigeant ſumptuũ oſtentationes. Habet hoc potiſſimùm locum in domibus cenſum ſtabilem habentibus, quæ magis in hoc peccare poterunt: & ſolent per id Monaſteria perire & recidere, quod parui alioqui momenti videtur eſſe. Si ergo Præpoſitæ, ſumptuum inutilium amatrices ſint, fieri poterit vt Moniales aliquando non habeant quod comedant, quòd id illæ in alios vſus expendant: quemadmodùm alibi videmus cõtingere. Quapropter videndum eſt, quidnam pro ratione cenſus & eleemoſynæ

quæ

quæ dari & subministrari potest, effici queat, & rebus omnibus terminum & modum præscribere oportet.

Non permittat vllam aut superfluitatem aut excessum, vt scilicet Monasteria æquo ampliora construantur; videat quoq;, ne quo aliqua in ijs vanitas elaboretur, nisi magna necessitate secùs fieri suadente, debitis grauentur. Ad hoc necesse foret, inhibere ne qua in ijs fabrica aut structura fiat, nisi id priùs Superiori significetur, nec non vndenam ei structuræ faciendæ pecunia paranda sit, proponatur, vt is, prout rem esse viderit, licentiam ad hoc aut det, aut neget. Non intelligitur hoc de paruis rebus, & hæ non multũ possint dãni inferre: sed, q̃ meliùs sit, aliquid Moniales subeãt molestiæ ex eo q̃ valdè bonã domũ nõ habeant, quã vt proptereà turbẽtur & inquietæ sint, alijs sint offendiculo, debitis grauentur, & victui necessaria illis desint.

Permagni quoque refert, vt semper domus tota & vndiquaq; inspiciatur, vt videat nimirum quænam seruetur in ea clausura, & quæ recollectio habeatur: consultum namque est, occasiones præscindere, & non fidere sanctitati, quantamcumque etiam in ea vigere videat, quia nescitur, quænam post futura sit. quare omnia, quæ succedere possent, mala recogitanda & perpendenda sunt, quo (sicuti dixi) eorum occasiones præscindantur. Et inprimis ipsa inspicienda locutoria, & curandum vt duplices ea habeant cancellos ferreos, & craticulam, vnam de foris, alteram intus, eęque foraminibus ita sint arctis, vt manus per transire non possit. Permagni hoc refert; vti & Confessionalia inspicere, quibus vela quædam clauis affixa oppandantur; adhæc feneſtellam, per quam sacra porrigitur communio, vt nimirum ea parua sit? quin & portariam, vt duplicem illa habeat seram, vti & duas clauis inter porta claustri (sicuti institutu & acta fieri iubent) quarum vnam seruet ianitrix, alteram Præposita. Video quidem ita iam passim practicari; sed ne ipsum vnquam obliuioni tradatur, ideo hoc loco id mihi visum referre. Hæc quippe sunt huiusmodi, vt semper ad illa respectum haberi oporteat, & moniales ipsas videre ad illa magnopere à Superioribus reflecti, ne qua in illis negligentia subrepat.

Præterea maximopere refert, inquirere, qui nam Monialiũ sint Confessarij, adhæc quis earum sit Capellanus: & circumspicere, vt magna vtrimque non sit communicatio, sed ea tantum conuersatio quæ necessaria est: & valdè singillatim hoc à Monialibus petere, vti etiam de vniuersali conuentus recollectione. Et si qua quoad hoc tentata fuerit, eam seriò examinare: nam licet ei sæpè aliquid ita videbitur esse, in quo à parte rei nihil subest, & in quo fallitur,

ipsumq; sit etiam exaggeraturus, potest tunc alias consulere, vt ex ijs rei veritatem cognoscat, id illis sub obedientiæ præcepto iniungendo, atq; id ipsum postea quàm rigidissimè reprehendere, vt, ne id amplius faciant, deterreantur & percellantur. Quando autem, nulla prorsus Præpositæ cum culpa, quępiam ad minutias respiciet, & officiosa & excessiua quædam dixerit; rigore quodam erga tales vtendū est, suaq; ipsis aperienda cæcitas, ne inquietæ incedant: nam videtes, nullum inde sibi posse fructum consequi, sed se detectas & cognitas esse, quiescent & tranquillabuntur. Nam, cùm maioris momenti res non erunt, semper se Præpositæ benevolas & fauentes eis exhibeat oportet, rametsi defectus etiam corrigantur; nam, quò quieti subditarum consulatur, ipsa perfectæ obedientiæ simplicitas magnum quid foret. Posset enim diabolus aliquas tentare, sibi vt persuadeant, meliùs id se intelligere quàm ipsa Præposita, vtq; semper ea quæ parui momenti sunt considerarent; itaq; permultū damni crearent. Hoc ipsum Prælati discretio facilè intelliget, quò illis consulat & prosit: quamquam, si melancholicæ sint, satis cum illis sit habiturus negotii. Erga tales autem blandum, exhibere se nō debet, si enim aliquid impetrare ab eo se posse sperent, identidem illum inquietabunt, nec vmquam quiescent: Sed semper cogitent, se se castigandas, & quòd propterea ipse Præpositæ fauebit.

Si fortè quæpiam instet & velit, vt ad aliud monasterium transferatur, ita ei respondendum est, vt & ipsa, & omnes, imposterum ac semper intelligant, id prorsus fieri non posse. Nemo enim, nisi qui suis oculis viderit, potest maxima quæ hac in re sita sunt, inconuenientia intelligere; nec non quanta diabolo porta aperiatur ad tentationes suggerendas, si fortè sibi illæ persuadeant, concedi & fieri aliquando posse, vt suo Monasterio egrediantur, idque ob magnas, quas ad hoc dare vellent, occasiones. Et dato, quod hoc aliquando futurum esset, non propterea tamen intelligant oportet, id idcirco factum esse quòd ipsæ id voluerunt, sed alia de causa & occasione. hæc enim Soror nullo in loco quiescet aut permanebit, atq; alijs maximū damnum inferret. Sed norit oportet ac sibi persuadeat, nūquam illam Monialem quæ monasterio suo ad aliud emigrare volet, vllam apud Superiorem suum aliqua in re auctoritatem & creditum habituram; & quòd, quamuis eam fortè legitimè educere indevellet, propter aliquam inquam necessitatem, aut ad fundationem aliquam ordiendam, propter hoc solum id non faceret. Itaverò si fiat, bene fiet; quia vix vmquam aliæ hacce tentatione tentantur, quàm quæ natura melancholicæ sunt, aut quæ huiusmodi sunt, vt ad nihil

quod-

quod magni momenti sit vtiles sint. Et forsan bonum foret, Superiorem priùs, quàm aliquapiã hac de re agere inciperet, aliquam rei huius praxin inducere, & ostendere quàm id sit malum, quamque malè sentiret de ea quæ huiusmodi tentatione tentaretur: nec non causas declarare, & quomodo iam nulli prorsus egredi liceat, eò quòd hactenus domus illis carere non potuerit, sed opus habuerit.

Inquirat, num Præposita particularem in aliquam amicitiam ostendat plus pro illa quàm pro alijs faciendo: nam alijs in rebus id non ita curandum est, nisi fortè valde in ijs excedat, & amicitia illa nimia sit: Præpositas namq; conuenit & oportet magis tractare cum illis quæ meliùs rerum intelligentes & discretionis maioris sunt. Et quoniam corrupta natura nostra non sinit nos ipsas tales reputare, quales sumus, hinc vnaquæq; se æquè aptam esse existimat. vnde fiet vt hanc nonnullis diabolus tentationem ingerat, quòd, vbi non sunt graues occasiones exteriùs, minutias consectetur interiùs, vt semper habeant bellum, & in resistendo meritum; itaque illis videbitur, quòd hæc aut illæ ipsam gubernent. Si quis in hoc sit excessus, eum necesse est moderari: est enim hæc magna imbecillibus tentatio, sed non oportet vt propterea illa auferatur: nam (sicuti dixi) fieri potest personæ sint tales vt sic fieri oporteat: nihilominus semper bonum est, singularem operam dare, vt Præposita non magnam in particulari amicitiam, cum aliqua habeat. Statim autem apparebit & intelligetur, quomodo se res habeat, & quid agatur.

Sunt nonnullæ, quæ adeò se perfectas in suo ipsarum iudicio, esse existimant, vt quidquid vident in alijs, id ipsis videatur imperfectio: & semper sunt illæ, quæ plures alijs imperfectiones habent, quas in sese non vident: & omnem illarum culpam miselle Præpositæ, aut alijs attribuunt. Et hæ decipere forte Superiorẽ possent, dũ is emendare aut corrigere conabitur id, quod in se bonum est. Quamobrem vni soli (dictum est) ad hoc, vt defectus aliquis emendetur, credendum non est, sed ab alijs quoque sciscitandum num ita se res habeat. Nam intolerabile certe & incongruum foret, si singulæ in singulis suis visitationibus Superiores noua conderent mandata, maximè in monasterijs, in quibus tum rigidè viuitur, quare non sunt vllæ rigidæ constitutiones & mandata eis faciendæ, nisi fortè in rebus maioris momenti, & (quemadmodum dixi) Præposita & aliis Monialibus priùs interrogatis circa id quod emendari cupiunt, & nisi sciuerint curant quomodo tale quid contingat: nam tam multa de nouo iis onera præscribi, & ipsę adeò grauari possent, vt cum ab illis ea ferri aequeant, delinquant, in id quod Regulæ essentiale est.

Hoc autem Superior antè omnia, & quàm maximè, curabit, vt Constitutiones ipsæ exactè seruentur, qui sicuti Præpositam videbit, quæ tanta sit libertate, vt eas parua de causa, aut etiam quadam è consuetudine violet, rata parum tam in hoc, quam illo situm esse; persuasum habeat, maximum illam monasterio damnum allaturam: &, licet fortè statim id ita esse ei non videatur, suo tamen tempore ita se rem habere, satis comperiet. Atque hæc est causa, cur monasteria, quin & ipsæ Religiones, alibi ita collapsæ sunt, dum scilicet parua parui fiunt: inde enim fit, vt etiam in maximis impingant.

Publicè & in communitate omnes seriò commoneat, vt, cum aliquem quoad hoc in monasterio defectum videbunt, ipsum indicent; etenim, si rem postea intellexerit, eam quæ illud non significarit, etiam castigatum iri. Hinc siquidem fiet, vt Præpositæ timore quædam percellendæ sint, & seduiò circumspecturæ. Neque vero vlla est cum illis dissimulatione vtendum, si fortè graue id illis futurum sit, nec ne: sed hæc norint oportet, ita semper fieri debere; & ideo præcipuè se Præpositas constitutas, vt Regulam & Constitutiones obseruari faciant, non vero vt, prout sibi videbitur, illis quid aut demant, aut addant: quin & aliquam esse debere, quæ super ipsam reflectat, & ad Superiorem omnia referat.

Fieri, meo iudicio, non potest, vt illa Præposita rectè suo officio fungatur, quæ aliquid faciet, quod Superiorem nescire ac videre nollet, ac ægrè ferret: hoc quippe signum est, non id esse per omnia diuino obsequio conforme & respondens, cuius eum, qui Dei locum supplet, conscium esse nolo. Vnde Superior quam maximè obseruare debet, num in ijs quæ cum ipso tractantur, in sinceritate & veritate procedatur. hæc enim si absint, quam grauissimè & acerrimè ipsas tractantes reprehendat, & vt ea adhibeantur procuret. Præpositam & alias officiales, ad hoc ipsum, vti par est, disponendo, vel alias diligentias adhibendo. Nam tametsi fortassis aperte non mentiantur, nonnulla tamen possunt celare; & minimè par est, ipsum, cum sit caput ex cuius præscripto & directione viuendum est, quidquam ignorare, & non omnia nosse. Etenim vix quidpiam boni, corpus sine capite suo agat: nam non minus malum est, dum quid eum celatur, quod corrigere debet. Concludo ergo & dico, dummodo Constitutiones seruentur, omnia sincerè ac rectè processura; at, si illarum vti & Regulæ obseruantia negligatur, ipsas visitationes parum profuturas: (nam hunc ad finem illæ tendere debent;) nisi forte Præpositas, quin & ipsas Moniales, (si quidem vsitatū id esset) mutando, & alias quæ in Religionis obseruantia integræ & perfectæ essent, in illarum locū inferendo (quod perinde foret ac si mo-

naste-

nasteriũ de nouo erigeretur) & singulas earum separatim per varia monasteria dispertiendo; nam vna aut duæ, in bene morato & ordinato monasterio parum poterunt nocere.

Notandum est, quasdam esse posse Præpositas, quæ aliquam sibi ad quædam quæ Constitutionibus repugnent, agenda libertatẽ dari petant: quin & ad hoc occationes quasdam hæc fortasse depromet, quæ sibi sufficientes videantur, propterea quòd ipsa aut plura non intelliget, aut (quod Deus auertat) Superiori, ita id expedire ac conuenire, persuadere cupiet. Quæ licet directè contra ipsas Constitutiones nõ sint, rectè tamẽ esse possũt, adeò vt illa acceptare & admittere perniciosum sit: nã, quoniã ipse non est præsẽs, hinc nescit quid sit; & plerũq; ea quæ euincere cupimus, nouimus exaggerare. Quo circa melius fortan & consultius est, nullo omnino rei inducendæ aliquod ostiũ patefacere, sed vniuersim talia negare, nisi ea sint conformia statui, qui quidem hodie vna die in illis monasterijs viget; cum ad oculum pateat, quã is bonus sit, & experientia doceat, Certa incertis esse potiora. His autem in casibus Superior immobilis & infractus esse debet, ac pro nihilo reputare ac parum curare petita negare, sed ea cum libertate quam dixi initio, & sancta quadã cũ auctoritate & dominio; vt non magis curet, vtrum Præpositis & Monialibus placeat, an displiceat in ijs è quibus suo tempore aliquod sequi posset incommodũ. Et sanè satis est, quo ipsum non introducatur, quod nouũ id sit & insolens. Licentiam porro ad Moniales in Ordine admittendas, vt Prælatus & Superior Præpositæ passim non concedat, permagni refert, nisi is prius de illis pluribus informetur & certior reddatur: &, si ipse in illo sit loco, vbi id per se possit inquirere, ipsum accuratè facere non negligat. Fieri enim potest, quasdam Præpositas tam esse in Monialibus suscipiendis faciles, vt paucis sint talentis earũ contentæ. Cùm verò id ipsæ volent, & se in rẽ inquisisse dicẽt, subditæ penè semper ad id q̃ ipsæ volunt, se se accomodãt & accedunt, posset vero fieri, vt vel ob amicitiã, vel consanguinitatẽ aut alium quem piã respectum, Præposita erga admittendam afficeretur, & rectè se facere cogitaret, & tamen interea grauissimè erraret. In admissione ad Ordinem quidẽ siquid peccetur, facilius emendari potest: sed in ipsis ad votorũ emissionem admittendis, maxima opus est diligentia, vtq; Prælatus tum cũ visitationem suam obit, inquirat num aliquę Nouitiæ sint, eæque sint tales quales oportet! nam si Ordini illa non conueniãt, tempore votorũ in facultate adhæc dãda cautè circũspecteq; procedat. Fieri n. poterit, vt Præpositę cũ Moniali bene sit, aut hæc sit quid ad ipsã pertinẽs, & subditæ suã de ea illi opinionem aperire non audeãt, q̃ tñ Superiori dicet. Quare

si fieri

si fieri posset, consultum esset, professionem (siquidem ea iam instaret, tam diu differri, vsque dum Superior visitationem faciat; quin etiam, si ita expedire censeret, significare, vt sibi secreta quoad hoc suffragia, sicuti in electione fieri solet, mittantur. Etenim permagni refert, domi non remanere aliquam, quæ tota vita sua laborem eis & inquietudinem sit allatura. nam quæcumque hac in re adhibebitur diligentia, optimè erit impensa.

In Laicis sororibus admittendis maxima etiam opus est animaduersione: etenim, omnes penè Præpositæ quam maximè cupiunt, multas habere laicas; itaque conuentum grauant, & subinde etiam talibus, quæ vix laborare & operari nouerunt, quare non sunt eæ ita statim & facilè admittendæ, nisi conuentum notabiliter ijs opus habere pareat; quin & inquirendum in eas, quæ iam de facto in conuentibus agunt: nisi enim cautè & circumspectè hac in re procedatur, magna hinc consequi possunt damna. Semper autem in singulis conuentibus procurari oportebat, ne designatus à Regula Monialium numerus compleatur, sed semper aliqua loca aperta relinquantur. Præsentari quippe postea Religiosa aliqua posset, quam admitti domui expediret, quæ ob numerum à n completum suscipi non posset: neque enim vllatenus permittendum & consentiendum, vt designatus numerus excedatur; hoc namq; erit, portam aperire ad totalem monasteriorum destructionem, & recta ad eandem tendere. Propterea satius est, ipsam vnius vtilitatem postponi & negligi, quam vt simul omnibus damnum creetur. fieri posset, si in aliquo fortè conuentu Monialium numerus completus non sit, illac quamdam Religiosam, quo alia quædam ingrederetur, pertransire, ac, si quidem dotem aliquam aut eleemosynam illa quæ ducitur secum tulerit, eam illi conuentum dare; quod id perpetuum futurum est. Itaque damno occurreretur; at si id non fuerit, perdatur quodcumque voluerit, & non incipiatur res omnibus adeò damnosa futura. Necesse est autem Superiorem, quando aliquę ingrediendi facultatem ab eo petent, inquirere ab illis quæ iam ibi agunt, de numero vt videat quid expediat: neque enim tanti momenti negotium æquum est vni Præpositæ committi.

Inquirendum præterea, num Præpositæ ad officium Ecclesiasticum, & ordinarias pœnitentias aliquid addant. Vnaquæque enim ad libitum his aliqua tam particularia posset addere, & in hoc tam molesta esse, vt Moniales plus æquo grauatæ valetudinem suam destruerent; & facere non possent id ad quod tenentur. Porro non ita hoc intelligi velim, quasi, dum aliqua pro certo quodam die occurrerit ne-

rerit necessitas, vt ita fieri non possit. Sed, quædam adeo possunt esse indiscretæ, vt id penè ceu consuetudinem quamdam inducant, vt fieri solet. ipsę verò Moniales nihil contra hæc opponere audebunt, ratæ, id si faciant, exiguæ deuotionis argumentum fore: neque etiam æquum est, vt de eo quid quam, nisi apud superiorē suum, loquātur.

Examinet quoque modum chori, tam ea quæ canendo, quàm quæ nonnisi recitando dicuntur, & inquiret, num hæc cum pausa quadam dicantur; cantus verò an submissa fiat voce, quiq; nostræ professioni sit conformis, & ædificet. Nam è voce nimium elata duo sequuntur damna; primum, quòd id indecens sit, eò quod ad mensuram non sit composita; alterum, quod nostræ viuendi rationis modestia & Spiritus depereat. Et, si accuratè ad hoc reflectatur, aliquis in hoc committi excessus potest, & omnis eas audientium tolletur deuotio: sed danda opera, vt voces potius cum mortificatione quadā proferantur, quam vt per eas audientibus se solum placere velle significent. hoc namq, iam penè vniuersale & commune est, &, prout quidem mos hic & consuetudo inualuit, nulli iam huius defectus tollendi ratio videtur affulgere. quamobrem id, quam impensissime inculcandum erit.

Inprimis autem ad rem faciet, Superiorem in virtute S. obediētiæ, coram Priorissa vni è Monialibus iniungere, vt, si quando quæ vt magni momenti obseruanda præscribet, non obseruantur, hoc sibi per litteras significet, vt sic Priorissa intelligat ac norit, nullatenus id se posse negligere. Hoc ex parte perinde erit, ac si Superior semper coram, adesset, vt sic illa maiore cum solicitudine & circumspectione procedat, ne qua in re per excessum peccet.

Expediet quoque quàm maximè, vt, antequam visitationem suam Superior incipiat, efficacibus verbis & impensè declaret, quā malum & pernicioſum sit, Præpositas animo alieniore ab ijs Monialibus esse, quæ defectus & imperfectiones, si quando in oculos illarum incurrunt, esto certæ non sint, Superioribus patefacient; nā, prout quidem sibi persuadent, ad hoc in conscientia, obligatæ sunt. Præposita autem gaudere debet, si quando sui mortificandæ aliqua sibi materia offertur: iuuant hæ namq; eam, ad melius suo officio fungendum, & Domino nostro seruiendum. Si verò ipsamet in causa sit, cur à Monialibus alienior fiat, certum id signum est, ipsam ad illas gubernandas minimè quadrare: quia posthac illæ non audebunt loqui, cogitantes Superiorem abire: sese vero in anguſtia & pressura remanere: itaq; tandē fieri poterit, vt omnia relaxētur. Quominus autem hoc moneat, auocare & impedire eum nō debet, quā-

tacumq; in Prioriſſis eluceat vitæ ſanctimonia, cui eum fidere non oportet. nam hæc natura noſtra talis eſt (quin & ipſe inimicus, quando aliud nihil habet in quo nos oppugnat hic manum inſerit) vt forſitan hic lucretur quod alibi perdit.

Magnopere verò & in primis, ſumma per omnia in Superiore requiritur cautio illorum reticentia, & vt Præpoſita, nullatenus intelligere queat, quænam ipſam accuſet: quia, ſicuti antè dictum eſt, adhuc agunt in terra: & (eſto aliud non foret) aliqua hac ratione tentatio euitetur, quanto magis, quòd per multum illæ nocumenti poſſunt adferre.

Si, quæ de Præpoſita dicuntur, parui admodum ſunt momenti, per aliquam ea circumlocutionem, & diſſimulanter indicari poſſunt, ita vt non intelligat ipſa, à Monialibus ea profecta eſſe: nam quo magis oſtendi ac fingi poteſt, nihil dictum eſſe, eò id melius & ſatius eſt. At quando maioris momenti res ſunt, lõge potius eſt, aliquod iis remedium adhiberi, quàm nullâ Præpoſitæ moleſtiâ creari.

Inquirat, num quas pecuñias Præpoſita recipiat, & aſſeruet, quas clauariæ non videant: quod magni refert (nam poſſent hoc inaduertenter facere) nec ipſa aliter eas vmquam poſſideat, quàm ſicuti Conſtitutiones id præcipiunt. Hoc quoque in monaſterijs in paupertate fundatis ſeruari oportet. Videor mihi hoc etiam alio in loco monuiſſe; itaque alia ibi erunt: ſed, quoniam exinde temporis aliquantulum elapſum eſt, hinc id memoria excidit, ne autem ijs relegendis me detineam, hinc plura non dico, & ſupersedeo.

Nimis quàm laborioſum & moleſtum Superiori erit, ad tot minutias quas hic produxi, reflectere, at longè illi credo moleſtius & grauius erit, quando videbit, quantum, niſi hæc exactè obſeruentur, hinc ſecuturum ſit diſpendium & defectus. Et, ſicuti dixi, quantumlibet ſanctæ ſint, cogitent & ſibi perſuadeant oportet, habere ſe caput (quod, ſicuti in principio monui, in gubernatione mulierum præcipuum & principale eſt) quod nulla terræ huius re poſſit & debeat moueri; ſed quod ſeruare, & vt ſeruetur & adimpleatur iubere debeat, quidquid ad Religionem vllo modo ſpectat, quòd verò ei contrarium eſt caſtigare: curare præterea vt hoc ipſum ſingulis in monaſterijs accuratiſſimè ſeruetur. Adhæc, non ſolùm ſingulis annis ſemel eum viſitaturum, ſed ſcire etiam debere quid ſingulis diebus faciant. Et hoc ſi fiat, ea quæ perfectionis ſunt, creſcent indies potiùs quàm decreſcant, eò quòd mulieres vt plurimum reuerentiales & timidæ ſunt. Quæ autem dicta ſunt,

maximoge-

maximopere iuuant, ad hoc, ne quis suiipsius præ negligentia obliuiscatur, vtque hæc aliquando, quando opus erit, non solùm dicantur, sed & fiant. nam ex vna re iudicium ferent de omnibus. Si autem è benignitate, aut alijs quibusdam respectibus secus fiat iam tum in principio quando nonnisi pauca erunt, postea id maiore cum rigore facere cogetur, itaq; hæ pietates maxima quædam fient crudelitas, & erit cur magnam ipse Domino Deo reddere rationem teneatur.

Nonnullæ verò ea sunt simplicitate, vt valdè se peccare creditura sint, si Præpositarum suarum defectus dicant in rebus quas corrigi oporteat: & licèt ipsæ id vile & sordidum reputent, nihilominus quid facere debeant, moneantur oportet: adhæc, vt cum humilitate quadam Præpositam antè moneant, quando eam aut contra Constitutiones, aut aliquas maioris momenti res peccare videbunt. fieri autem potest, vt in illas ipsa non peccet; continget autem, vt illæ ipsæ, quæ eam id dicunt committere, postea, si ab ipsa alieniores fiant, illius eam insimulent.

In iis autem, quæ in hisce visitationibus eas facere oportet, sciendis noscendisque magnam passim cernere est ignorantiam: quamobrem pro sua Superiorem necesse est, discretione eas eorum commonere & edocere.

Inquirere quoque oportet in id quod cum Confessarijs fit; idq; non ex vna, aut duabus tantùm, sed ex omnibus, & quomodo eas is moderetur ac dirigat: nam cùm Vicarius non sit, nec haberi debeat, & ideo id non practicetur, ne qua cum eo sit communicatio, nulla cum illis sit oportet communicatio nisi admodum moderatè: & quo minor, eo melior. In recreationibus autem & officiosis compellationibus magna adhibeatur circumspectio. tametsi aliquando quid interuenire possit, quod excusari commodè non queat.

Moneantur quoque Præpositæ, ne nimium sumptuosæ & effusæ sint, sed meminerint, teneri se seriò aduertere ac videre quomodo sua expendant, eo quod nonnisi velut quædam œconomæ sint & dispensatrices; & non debere se expensas velut de re propria facere, sed sicut ratio requirit, & æquũ erit, idq; valde circumspectè, ne quem excessum committant: vt taceam eas, ne quam offensionis occasionem alicui dent, id etiam in conscientia facere teneri, vti & temporalia conseruare & custodire: denique, vt in particulari ipsæ aliquid plus ceteris non habeant, nisi fortè aliquam arculæ cuiuspiam, in qua quædam chartæ, litteræ videlicet, asseruentur, clauem: nam si quædam Superiorum sunt monita & instructiones illa inprimis ab omnibus passim videri minimè par est.

Inſpiciat item campanæ ſonitum & veſtitus modum, an nimirum is Conſtitutionibus conformis ſit, &, ſi quid (quod Deus auertat) aliquando, quod aut curioſum, aut non tantæ ædificationis ſit, aduerterit, ipſum antè oculos ſuos vt comburatur, iubeat. Nam talis caſtigatio reddit eas attonitas & conſternatas, & tunc demum ſeſe corrigunt, & illam etiam in memoria conſeruant propter eas quæ pòſt venturæ ſunt.

Animaduertat quoque ad modum loquendi: vt nimirum is ſimplex, ſincerus, & religioſus ſit, & cuius ſtylus & phraſis magis Eremitas & homines ſolitudinis ſectatores redoleat, quàm vt noua & affectata verba atque elegantias quaſdam conſectetur; ſemper quippe ſunt aliquæ in verbis nouitates. vt malint hiſce in rebus agreſtes & inurbanæ, quàm curioſæ dici.

Quantum fieri poteſt, effugiant, ne quas habeant lites: ſi eas euitare omnino non valeant, eas habeant: etenim Dominus alia ipſis via prouidebit, & reddet, quod per hanc eas perdere continget. Inducat ſemper eas ad faciendum id quod perfectius eſt: iiſque iniungat, nullam vt litem intentent aut foueant, niſi Superiore ante certiore reddito, & niſi ſpeciale eius præceptum acceſſerit.

Vnde eas quas in ordinem admittet, commoneat, pluris vt faciant talenta & dotes perſonarum, quàm ipſam dotem pecuniariam: & ob nullius commodi intuitum ac reſpectum vllam admittant, niſi prout id Conſtitutiones fieri iubent & volunt, præſertim ſi aliquis ſit in ipſa perſonæ conditione defectus.

Neceſſe quoque eſt ad poſteros tranſmittere id quòd Superiores, quos Dominus nobis dedit, iam faciunt, & practicant; à quibus ego multa eorum quæ hic attuli, mutuando accepi, vides quomodo ipſi nos viſitarent: & ſpeciatim quoad hoc punctum, vt erga nullam Monialium particulariorem familiaritatem oſtendat quàm erga omnes, ſcilicet, vt cum illa clàm aliis agat, aut ei priuatim ſcribat, ſed erga omnes ſimul, ceu verus pater, amorem exhibeat. quando enim in monaſteriis particularis amicitia, erga aliquam ſpeciatim ſemel locum habere cæpit, tametſi ea ſit talis, qualis inter Sanct. Hieronymum & Sanct. Paulam fuit, diuerſis murmurationibus & obloquiis oſtium panderet, quemadmodum & illi ab hiſce immunes non fuere. Neque ſolùm illi domui damnum creabit, ſed omnibus; Nam diabolus, quò aliquid lucretur,

ſtatim

ſtatim id quocumque diſperget & innoteſcere faciet. Et, ob peccata noſtra, mundus quoad hoc ita iam perditus eſt, vt multa hinc conſequerentur incommoda, vti in præſentiarum vbinis cernere eſt. Hinc quoque fit, vt Superior minore in æſtimatione tum habeatur, & generalis amor, quo omnes eum, ſi eſt qualis eſſe debet, ſemper proſequentur, hac ratione tollitur; dum illis videbitur, quod amorem ipſe ſuum in aliquam perſonam alibi reſtrictum habeat. Permagnam autem vtilitatem in communi adfert, ſi ipſe ab omnibus vniuerſaliter dirigatur. Non id ſic intelligendum, quaſi id interdum, cum ita neceſſario fieri debet, contingere non poſſit, ſed in rebus & occurrentijs notabilibus & nimijs id fieri vetatur.

Quando autem monaſteria introrſum ingrediendo viſitabit, meminerit aduertere quomodo ſeſe habeat clauſura (nam numquam id eum omittere oportet) & (prout ante dictum eſt) domum omnem ſedulo excutiat & perſcrutetur. ſocius vero eius, cum Præpoſita, & aliquot alijs Monialibus, ſemper teſtes adſint & ſequantur. Adhæc nullo modo, eſto etiam manè, in monaſterio manendo, cibum ſumat. quantumuis inſtanter adhoc faciendum inuitaretur; ſed videat tantum quomodo ibi omnia ſeſe habeant, & ſtatim inde diſcedere ſatagat: vt enim loquatur, melius ad cancellos id aget. nam eſto id omni cum bonitate & ſimplicitate fieri poſſet, tantumdem tamen eſt, atque incipere, vt fortaſſe poſt futuris temporibus venturus ſit aliquis, cui tantam libertatem dari non conueniat, &, ſi fortaſſe maiorem quis attipere velit, Dominus, quæſo, id minimè permittat, at vt ſemper hæc quæ ædificant, fiant, necnon reliqua omnia ſicuti modo fiunt. Amen. Amen.

Nullas ſibi Viſitator in cibo nimietates aut ſuperfluitates dari permittat iis diebus quibus viſitabit, ſed id duntaxat quod æquum eſt & conueniat. Si verò quid in contrarium fieri videat, id quam maximè reprehendat. Neque enim profeſſioni Præpoſitarum, (quæ exigit, vt ſint pauperes) vti nec Monialium conuenit, neque etiam ad aliquid conducit, illos comedere aliud quam quod naturæ ſatis ſit; denique non ea quæ debet, Monialibus in hoc datur ædificatio. Modo quidem, tametſi aliquis forſan in hoc committeretur exceſſus, ipſum vix credo emendandum; quod iam Superiorem habemus, qui non reflectit, paucane ſibi an multa, malane an bona præbeantur: & neſcio, an id ipſe intellecturus eſſet, niſi valde ſpeciatim & particulariter ad hoc reflecteret. Hoc autem inprimis curat, nimirum vt ipſe ſolus ſine vllo ſocio ſcrutinium & informationem hanc faciat: neque vult enim, ſi quis in Monialibus occurrat defectus, hũc

ab illo audiri. quod certè notabile quid est, ne scilicet ineptiæ Monialium passim innotescant; si forte aliqua foret, quia hodiè (Deo laus) non multum ea dãni adferret; nam Superior id intuetur ceu pater, &, vt talis, ipsum reseruat, reique grauitatem ei Deus reuelat & detegit, quod illius sit loco. Ei vero qui talis non est, forsitan id quod nihil est, videbitur esse magnum, & quia vix id curat, hinc id monere negligit, & ipsum monasterij nomen & fama sine vlla causa deperit. Det Dominus, vt Superiores ad hoc aduertant, vt semper sic faciant.

Non expedit, vt Superior ostendat, se Præpositam diligere, aut bene sibi cum illa conuenire, saltem coram omnibus alijs; hoc enim eas intimidabit, ne illius imperfectiones Superiori aperire audeant. Meminerit vero, ipsas audire & intelligere oportere, se illam minimè excusare, & si quid emendandum habeant, se illas correcturum. Neque enim est desolatio vlla tam magna, atque est desolatio animæ quæ Dei & ordinis zelo mouetur; quando nimirum cum quadam animi amaritudine videt, defectus aliquos committi, & Prælatum exspectat, vt is ijs remedium adferat, & tamen nullam cernit emendationem sequi. Hoc namque in casu conuertit se ad Deum, & inposterum (esto omnia sursum deorsum verti videat) tacere constituit, videns quam parum monendo proficiat. Et quia puerculæ nonnisi semel audiuntur, quando nimirum ad scrutinium vocantur; Præpositæ autem multum temporis ad defectus suos excusandos, rationem eorum reddendam, & lapsuum vices moderandas habent; & forsitan etiam ad pauperculam illam traducendam & culpandam, quod id è passione dicat, & quod plus minusue; & licet id illi aperte non dicant, intelligit tamen Priorissa quænam illa sit, nec Prælatus debet esse testis: & res ita dicuntur, vt eas ipse non credere non posse videatur. itaque manent omnia in eodem statu, in quo prius erant. nam si ipse posset esse testis & coram videre, intra paucos dies rei veritatem intelligeret: Præpositæ autem putant se eam dicere: sed hic amor noster proprius talis est, vt mirum sit, si culpam ipsi nobis ascribamus, nec nos ipsas cognoscimus.

Hoc sæpè mihi contigit, & quidem cum Priorissis quæ magnæ Dei ancillæ erant, quibus ipsa tantum credebam ac fidebam, prorsus vt mihi impossibile videretur, rem aliter sese habere: cumque ad dies aliquot intra monasterium versarer, mirabar, quod viderem rem prorsus aliter esse atque ipsa mihi dixerat, & quidem in quodam magni momenti negotio, quod mihi dicebat quod esset passio. Et ferè media Conuentus pars sic censebat, cum tamen ipsa esset quę

se non

ſe non intelligebat, vti poſtea patuit. Credo equidem, cacodæmonem, quod non multas occaſiones, in quibus Moniales haſce tentet, habeat, ipſas Prioriſſas tentare, vt nonnullis in rebus ab ipſis diſſentiant, & videant quomodo eas ferant. Omnia vero eo tendunt, vt Dominus propterea laudetur. Vnde fixum & perſuaſum mihi iam eſt, nulli omnino credere, priuſquam in rem bene inquiram, vt eam quæ decipitur, intelligere faciam ac videre ſe decipi niſi. n. fic fiat, ægre remedium adhibetur. Non ſunt quidē omnia hæc in rebus gratuitis: ſed ab illis poteſt veniri ad maiora, niſi circumſpecte procedatur. Miror ſanè, quando diaboli ſubtilitatem & technam video, quomodo nimirum vnicuiq; perſuadeat, quod maximam mūdi veritatem dicat. Propterea dixi, vt nec Prioriſſæ, nec vni Monachæ in particulari plane fides adhibeatur, ſed vt amplius & vlterius à pluribus inquiratur, præſertim cùm res magni momenti eſt, vt certò euidenterq; ei remedium adhibeatur. Dignetur Dominus, ſemper nobis prudentes & ſanctos Superiores dare, ſi. n. tales hi ſint, Maieſtas ipſius haud dubiè illos illuminabit ac diriget, vt in omnibus rebus rectè debiteque procedant, & nos cognoſcant: ſic namque omnia quàm optimè gubernabuntur, & animæ, indies magis & magis in perfectione proficient, ad Dei honorem & gloriam.

FINIS.

Ad Maiorem Dei Opt. Max. Deiparæ Matris, S. Ioſephi & S. Matris Thereſæ de Jeſu gloriam.

SEPTEM

SEPTEM MEDITATIONES IN Orationem Dominicam ſeptem diebus hebdomadæ accommodatæ.

Admonitio ad Lectorem.

MEditationes iſtæ in orationem Dominicam repertæ ſunt inter fragmenta Concep. tuum in Cantica Canticorum S. Matris Tereſiæ, quæ apud D. Iſabellam de Auellaneda D. Dionyſij de Cardenas quondam Præſidentis Conſilij Ordinum vxorem, aſſeruabantur, quarum in vita ipſius nulla fit mentio, quia in perditis habebantur.

MEDITATIONES DE ORATIONE DOMINICA.

CReator omnium Dominus omnipotens ex quo fragilem plasmationem nostram perspectam habet, & agnoscit, animam nostram ob capacitatem eius infinitam per singulos dies ad noua postulanda & impetranda adspirare, nec quietam esse si vnum quid tantum recipiat: ideo Leu. cap. 6. imperat idem Dominus, nè ignis in altari suo aliquādò esse desineret, à Sacerdote nouis lignis suppositis eū manè per singulos dies enutriri, veluti, figuratè significans, ne calor deuotionis extinguatur, vel tepescat, sed perpetuò viuus, & ardens permanere possit, nouis, & viuis considerationibus tanquam lignis adiectis quotidie conseruari debere], & quamuis hoc imperfectio videatur, diuinę tamèn prouidentiæ adscribendum est, vt conditionem suam ducem habens anima nostra, assiduè diuinas perfectiones contempletur, nec contenta sit, donec à Deo, cuius ipsa est capax, expleantur eius desideria, etenim nihil præter ipsum amplitudinem eius satiare, aut replere potest.

Vnum est quòd conseruare intendimus, ignem s. amoris Dei sed multis opus est, ignis & quotidiè illa renouare necesse est, vt enutriatur quia calor, & efficacia nostræ voluntatis totum id absumit, & totum ei modicum videtur, vsque dum eo perueniat illo eodem igne, (bono videlicet infinito) quo solum saturari ad plenum possumus. Igitur cùm Oratio Dominica ad huius diuini ignis flammas alendas plurimùm conferat, ne ob eius frequentem vsum, & repetitionem refrigescat voluntas, & langueſcat, rationi consentaneum erit, modum exquirere, quo multoties indies illam recitando, intellectus noster, nouis considerationibus adhibitis, refoueatur, & hoc alimento diuino recreetur, igniſque sanctus, & calor in voluntate sustentari, & augeri valeat. Hoc commodè fieri poterit ipsius Orationis septem petitiones iuxta numerum septem dierum Hebdomadæ distribuendo, vnicuique diei suam petitionem sub titulo, & nomine ipsi Conuenienti assignando, ad quam referantur & reducantur, quæcunq; in ea petitione nobis concedi desideramus, totumq; quod à Deo obtinere possumus.

Petitiones nemo est, qui nesciat: nomina vero quibus Deus celebratur sunt hæc, Pater, Rex, sponsus, Pastor, Redemptor, Medicus, & Iudex: quilibet itaq; euigilet dicendo.

Die Lunæ: Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum.

Die Martis: Rex noster, adueniat regnum tuum.

Die Mercurij: sponse animæ meæ, fiat voluntas tua.

Die Iouis: Pastor noster, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Die Veneris: Redemptor noster, dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Die Sabbathi: Medicus noster, nè nos inducas in tentationem.

Die Dominico: Iudex noster: Libera nos à malo.

PRIMA PETITIO.

Pro die Lunæ.

TAmetsi nomen Patris melius quadret omnibus his petitionibus & maiorem nobis confidentiam præbeat, & per quod omnia quæcunq; petimus, se nobis daturum obligare dignatus sit dominus, eius tamen dispositioni, & mirabili ordini non aduersabimur reliquos enumeratos titulos, qui etiam tã vere quam propriè Deo attribuuntur, adiungendo; præterquam quod deuotio magis ac magis excitetur, & ignis perenniter custodiendus in altari cordis nostri subministratione lignorum viuificetur, & nostra confidentia corroboretur considerãdo quod illi qui Pater noster est tituli adeo honorifici nobisque fauorabiles competant. Vt igitur igni hac die Lunæ hoc Patris nomine fomentum in quod agat subijciatur: Cogitet quod Pater ipsius est Deus trinus in personis & vnus in essentia Principium, & Auctor omnium rerum qui est causa & fons inexhaustus à quo omne promanat, per quem mouemur, per quem viuimus, & per quem sumus, qui omnia sustentat, & fouet, & conseruat; & seipsum considereret filium huius Patris adeo Potentis qui creare adhuc posset plures mundos & infinitos; adeo sapientis, qui illos omnes optimè regere nosset, & gubernare, sicuti hunc, quem creauit nulla, quæ creaturarum in cælo & in terra à supremo Seraphin, vsq; ad minimum terræ vermiculum inueniri, cui eius Prouidentia desit. Tantæ denique Bonitatis, vt gratis dignetur se omnibus incessanter communicare iuxta vniuscuiusq; capacitatem & exigentiam: & singulariter homo meditetur, & dicat: Quam bonus est mihi talis Pater, nam sola permotus bonitate me de nihilo adesse producere voluit, & participem eximiæ huius dignitatis [Filiationis inquam eius] efficere, plurimos hominum relinquens in abysso profundissima suæ nihileitatis qui certe meliores, & fideliores quam ego fuissent. Hic perpende quam merito amari, & quam perfectè ipsi famulari dignus

dignus sit talis Pater qui propter suã munificẽtissimã bonitatẽ creauit omnia, quæ in vniuerso mundo continentur in mei obsequium, & vtilitatem; me autem vt ipsi seruirem, & ad ipsum possidendum in æterna beatitudine peruenirem. Tunc petes omnibus hominibus lumen concedi, vt illum agnoscant, & amorem, vt illum diligant; & gratias illi habeant pro immensis beneficijs, quibus semper ab eo cumulantur, & omnes sint adeo virtuosi, & sancti, vt in eis appareat Dei Patris imago; & vt in omnibus, ab omnibus glorificetur, & sanctificetur nomen eius, vti nomen Patris, qui filios habet Patri, qui eos creauit merito non absimiles.

Inde statim sequitur, in memoriam reuocando innumera peccata hominum, ingens dolor de offensis, & iniurijs quibus hic Pater tam dives in bonitate erga suos filios, qui eius in se meritis non respondent, afficitur: & efferri lætitia, quod plurimi serui Dei reperiantur, in quibus sanctitas sui Patris clarissimè resplendet; mærorem concipiendo ob peccata quæcumq;: & prauorum exempla, quæ videt; pariter exultando ob virtutes, quas oculis & auribus percipit in alijs; gratias Deo agendo, qu sanctos Martyres, Confessores, & Virgines qui se genuinos talis Patris filios demonstrarunt, creare dignatus est. Post hæc statim sequitur Confusio, præcipue quod eum in particulari offenderimus; quòd ei gratias pro beneficijs non retulerimus; quòd tàm indignè Filij Dei propter q generosos & magnos animos præfetre dignum esset nominemur. Hic etiam considerandæ parentũ proprietates, qualiter filios suos etsi deformes diligãt: qualiter eos, etsi vitijs deprauatos sustineant: qualiter eis domum reuertentibus, atq; seipsos obedientiæ Paternæ reddentib. ignoscãt, qualiter filijs nulla cura presis & in vtrãq; aurem dormientib. Patres anxij & solliciti primogenituras eorũ, & opes promoueri, & augeri curẽt. Et cõsiderando qualiter, singulæ huiusmodi proprietates in Deo reperiantur, ità vt nemo cæterorum secum conferri possit, ipse supetans omnes excessu infinito; quo fiet, vt tenerescat, & emolliatur anima & confidentiam concipiat, & spem veniæ recuperet tàm pro se, quam pro alijs, & neminem contemnat videns habere se Patrem, qui Angelis & hominibus communis sit.

Quo die hac petitione occupatus erit, res omnes & singulas ad hãc cõsiderationẽ reducat: sicuti imagines quas intuebitur Christi dicendo: Hic meus est Pater; Cælum quod oculis perlustrat,

Hæc est domus Patris mei: lectionem, quam audit: Hanc ad me literam mittit Pater meus: quo induitur, quod comedit, quod ei lætitiam parit, hoc totum ex manibus, & largitate Patris mei prouenit: quod ei tristitiam adfert, quod eum excruciat, & molestat, omnia per manus Patris mei, vt sint mihi causa maioris meriti, & vt ampliorem inde consequar coronam dispensantur; sicq; magno cum affectu subiungat, *sanctificetur nomen tuum.*

Hac cum consideratione, & Dei Præsentia anima totis viribus conatur dignitatis suæ præclarum specimen edere, vt filiam Dei, pro tot beneficijs acceptis gratissimam se ostendat, & probet: exultando præsertim, quia seipsam Dei Filiam, Iesu Christi sororem, hæredem Regni illius, & eidem Christo consortem in hæreditate contempletur, & videat: agnoscens autem amplissimum Dei Regnum ad ipsam spectare, omnes sanctos esse desiderat, vt bona illa crescant, quò enim plura, & maiora huiusmodi erunt bona, eò abundantius de illis ipsa percipiet. Hic bonũ est in mentem reuocare primum ex septem Verbis, quæ Christus in Cruce loquutus est *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt*: in quo quidem Verbo conditiones Paternarum viscerum Dei euidentissimè apparent: & hoc pacto actus charitatis in eos, à quibus iniurias aliquando passi sumus exercere par est & nosipsos ob varios rerũ eueutus ad sufferendum, si grauioribus in posterum iniurijs afficiamur, disponere: Quadrat hic historia filij Prodigi, in qua pietas Patris erga filium perditum, deindè inuentum, & in pristinam dignitatem restitutum ad viuum exprimitur.

SECVNDA PETITIO

Pro Die Martis

Rex noster Adueniat Regnum tuum:

POst peractum examen particulare in nocte, sicut in die lunæ factum est, sequitur animam ad Deum Patrem suum introire, & petita venia suæ tepiditatis & desidiæ, qua non pro eo ac debuit honorem, & gloriam ac Sanctificationem illius procurauit, præparet se pro hac ipsa die Martis Regem agnoscere & indubitanter confiteri illum, cum quo die præterita tanquàm cum Patre egit: sicq; cuigilans saluet illum dicendo. *Rex noster adueniat Regnum tuum.*

Aptissimè subsequitur hæc petitio præcedentem, filijs enim Regnum sui Patris debetur: dicatur itaq; in hunc modum: si Mundus, dæmon & Caro regnant in terra: tu ô Rex noster, cuius Regnum exoptamus, venias in nobis regnaturus, & hæc Auaritiæ, superbiæ, & sen-

& sensualitatis regna, penitus destrue, vt nullam potestatem & imperiū aliquando in nos obtineant. Duplex sensus est huius petitionis: vel vt petamus à Domino, nobis Regnum cælorum æternum, ad quod creati sumus, & Ius tanquam filij eius habemus, conferri; vel vt ipse regnet in nobis, nos autem Regnum eius efficiamur.

Intellectus vterq; Catholicus, & cum sacris scripturis cōueniens prout mihi Theologi dicunt: de primo n. dixit Dominus, *Venite benedicti patris mei, possidete Regnum, quod vobis parutum est ab origine mundi:* Matth. 25. De secundo verò S. Ioannes ait quod sancti concinent in gloria: Apoc. 1. *Redemisti nos Domine Deus in sanguine tuo, & fecisti nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri tuo.*

Huiusmodi Intellectus siue expositiones mirabiliter omnibus alijs antecellunt, & insignis in eis præfulget eminentia hæc nimirum, quod quando Deus loquitur nobiscum, vocat, & dicit seipsū Regnum nostrum; Nos veri loquentes cum eo, ipsum benedicimus, quia sumus Regnum eius; sicque alternatum, & per vices cæleſtis huius beneuolentiæ respectus & obsequia amoris plena cōmutamus. Nescio quæ maior sit hominis dignitas, an quod Deus glorietur & in summo pretio habeat possidere nos tanquam suum Regnum, eiusque Maiestas hac possessione (cum ipse sit qui est) ita contentetur; An quod ipse velit nostrum esse Regnum & nobis se tradere in possessionem, & hæreditatem opulentissimam: interim mihi magis probatur quod nos regnum eius simus, inde enim prouenit illum esse Regnum nostrū. Dixit aliquando Catharinæ Senensi, Tu de me cogita, & omnis mihi de te tuisque commodis erit cogitatio; Cuidā verò Matri dixit etiā, Tu rerum mearū curā habe & ego tuarū curā suscipiā. Ergo sollicite tales effici non negligamus in quib. magnificat Diuina illa Maiestas, & in delicijs habeat regnare, ipse n. pudebit & solicite curabit, vt nos in eo regnū possideamus. Et hoc est regnū de quo idē Dominus in Euangelio meminit dicens: *quarite primum* & ante omnia *Regnum Dei*, & obliuiscimini cæterorum; Nolite soliciti esse; scit enim Pater vester quibus indigeatis, & ipsi semper cura est de vobis. De hoc pariter Regno inquit S. Paulus quod sit *Gaudium & Pax in Spiritu Sancto.* Matth. 6 Rom. 14.

Consideremus igitur quales illos, quorū Deus gloriatur, se Regē esse, & qui vicissim Regnum ipsius sunt, oporteat esse, scilicet virtutibus ornatos, in verbis compositos, magnanimes, humiles, mites in aspectu, patientes in tribulationibus, mundos corde, in cogitationum puritate exquisitos, se inuicem amantes, in omnibus suis motibus pacem, & tranquillitatem redolentes, non inuidos, &

sed salutis ac bonorum proximi maximè cupidos.

Studiosè cogitemus quales sint optimi vasalli erga Regem suum & inde ad Regem Cælorum mentè eleuabimus, atq; sciemus quales nos ipsi præbere debeamus: & quid postulemus dicendo *Adueniat Regnum tuum*. omnes sub eisdem legibus viuimus quibus & parere debemus, & nos inuicem adiuuare, ea quæ habemus, ijs qui non habent amanter communicando. Tenemur omnes opes & facultates, & vitas amore nostri Regis exponere, in omnibus quæ eueneriut, ei placere cupientes. Dum iniustè grauamur ad eum confugimus, vt sit nobis iustitia: in necessitatibus, vt sit nobis remedio: omnes seruiunt i, quilibet suo modo, nemo alteri inuidens, miles in bello: officialis in officio suo; Artifex in suis laboribus: Nobiles, Litteratos, Nautas & qui nunquam eum nouerunt excitãs, vt ei seruiant, illumque videre desiderent: Messor qui in Augusto sudat lætatur quod Rex habeat intimos, atraque familiaritate sibi coniunctos, cum quibus alacri & erecto animo gaudeat, & exultet recreetur & quiescat: cum verò Rex vnicè diligit aliquem, omnes huic obsequuntur, & ipsum venerantur, & obseruant: omnes desiderant, & studiosè curant pacem ac quietem inter se fouere, insuper vt Regi omnes perfectè inseruiant, & gratissima ministeria ei exhibeant.

Per singulas istas Regni conditiones nunc discurramus, ad intentum nostrum illas applicando, & videbimus illud quòd à Deo postulamus esse vt leges eius seruentur; vt omnes ad obsequendum ei præsto sint; & vt eius Vasalli, in pace & tranquillitate iucundissimè viuant. Petimus etiam, quòd animæ nostræ, intra quas est Regnum Dei, ita dispositæ inueniri valeãt, vt sint Regnum eius; & quod potentiarum nostrarum Respublica voluntati eius per omnia sit obediens, Intellectus stabiliter in fide perseueret, Voluntas ad legum illius sanctarum custodiam omnino firmetur, etiam si vitam propterea sorti, ac fortunæ committere sit necesse, Potentiæ congruenter attemperatæ, & conformes, vt non diuinæ resistant voluntati: Passiones, & Cupiditates nostræ sint in pace vt ob præcepta charitatis imposita non indignentur, neque murmurent adeoq; sine bonorum proximi inuidia, vt si minus mihi, quam alijs Deus communicaret bonorum, non molestè feram, imò potiùs gaudeam ex hoc quod hic Dominus in cælo; & in terra dominetur, & regnet; ego verò, maiora non appetam, & hac sorte cõtentus scilicet ei tanquam mercenarius aut vulgaris aliquis famu-

lus

lus seruiendo sat mercedis me accepisse iudicabo, si vel ad aliquid in hoc Regno deseruire posse aptus inueniar. Denique, vt ipsi seruiatur, & obtemperetur, & intra nos regnet, atque de nobis omnibus & singulis tanquam Rex, & Dominus in omnes imperium habens ad libitum disponat.

Omnia quæcunque in hac die faciet, vel audiet ad hanc considerationem videlicet, Deum esse Regem nostrum referre debet, sicut in die præterito factum est, omnia referendo ad Deum tamquã ad Patrem: Hic conuenienter adaptatur mysterium in quo Pilatus post accusationem contra Redemptorum nostrum à Iudæis factam, adduxit eum foras in conspectu populi spinis coronatum, arundinem pro sceptro habentem in manu, & veste lacera purpurea circumdatum & dixit eis. Ecce Rex Iudæorum; Postquam igitur illum omni cum reuerentia adorauerimus, pro blasphemijs, & irrisionibus à militibus in eum coniectis, actus humilitatis exercebimus, honores, & laudes mundanas, Coronam spineam nobis esse cupientes.

TERTIA PETITIO.

Pro die Mercurij.

TErtia petitio est: *Fiat voluntas tua*: in omnibus diuinam adimpleri voluntatem desiderantes; insupet petimus illam in terra, sicut & in cælo cum amore, & charitate impleri. Pulchrè succedit hæc petitio duabus præcedentibus, iustum namque est, à Filijs æterni Patris, & à Vasallis superni Regis voluntatem in omnibus perfectissimè exequi.

Vt autem diuinæ huic Voluntati conformes effici auidius exoptemus Patrem istum, Regemq; Regum tanquam Sponsum nostrarum animarum amantissimum mente concipiamus; Qui enim indefesso secum animo perpendet hoc nomen, & quæ sub eo latét & comprehenduntur beneficia, fauores, & amoris oblectamenta intelliget, incredibili & admirabili desiderio efferetur adimplendę voluntatis Dei, qui cum sit Rex Maiestatis, splendor Patris illius, diuitiarum abyssus, & omnimodæ pulchritudinis pelagus, fortissimus, potentissimus, sapientissimus, & amari dignissimus, à nobis amari vult, & concupiscit, nosque vicissim amore tam delicioso prout indicatur hoc nomine sponsi prosequi non contemnit.

Mag-

Magnificat Dominus, & in summo habet pretio diuina Maiestas hoc nomine, appellari, sicque Ciuitatem Ierusalem fornicariam, & adulteram, ad pœnitentiam inuitans, rogat, vt conuersa illum Patrem nominet, & sponsum, vt sic fiduciam, & securitatem sperandæ pietatis ei largiretur.

Per hoc nomen sponsi omnia fidelis, & officiosi amoris, & beneuolentiæ singularis pignora, ac perpetuæ securitatis argumenta designantur; item vicissitudines voluntatum, & consensiones; omnem amorem tale nomen requirit, omnẽ curam deposcit; cor perfecte integrum efflagitat: sic Deus conuentione facta & sponsalibus cum Israel contractis in deserto requisiuit, & præcepit, vt illum ex toto corde suo, ex tota anima, ex tota mente, ex tota voluntate, & ex tota fortitudine sua diligeret. Vide igitur quam puram, Sanctam & immaculatam vitam agere oporteat, quàm circumspectè, beneque exterius & interius compositam incedere Sponsam, quam Rex excelsus tanto amore prosequitur?

Consideret lapides pretiosos, & inæstimabiles margaritas, apparatus, & ornamenta quibus hic Sponsus sponsas suas decorare solet: inde animam suam disponere festinet, vt donis tantis digna antè eum inueniri possit; non enim benignus dominus illam aut pauperem, aut nudam, aut indecenter compositam esse patietur: ideo petat ab eo, quæ magis ipsius Maiestati sunt placita: Prosternat se magna cum humilitate ante pedes illius, aliquando enim non dedignabitur hic Dominus ex sua inundanti clementia illam eleuare & in brachia sua quemadmodum Regem Assuerum cum Regina Esther fecisse nouimus, illam benignè recipere.

Meditari potetit paupertatem dotis, quam ad hæc Sponsalia contrahenda anima ipsa affert, & diuitias incomparabiles dotis cælestis Sponsi, qui sanguinis sui pretio animas nostras à Patre suo emit, vt illas, quæ priùs ancillæ dæmonis erant, & satanæ mancipatæ in Sponsas assumeret: & qualiter hac de causa iure optimo, Sponsus sanguinis ipse vocari possit: quæ quidem desponsatio facta est in Baptismo, dans ipse nobis fidem, cæteraque virtutes, & dona, quæ sunt ornatus animarum nostrarum. Præterea qualiter nostra sunt omnia Dei bona ratione huius admirandi connubij, quo anima per gratiam ipsi coniuncta est: & omnes nostræ miseriæ afflictiones, & tormenta ad hunc Sponsum dulcissimum pertinẽt, hanc enim communicationis conuentionem nobiscum egit, nobis bonorum suorum munificentissime facultatem, concedendo,

& ma-

& mala noſtra in ſe miſericordiſſime ſuſcipiendo. Qui hæc cogitatione percurret, quanto cum dolore videbit quod offendatur & quanta cum lætitia quod ipſi ſeruiatur? quis ſine compaſſione Sponſum illum ad columnam ligatum? Quis Cruci affixum & in ſepulchro poſitum abſque eo quod viſcera ipſius dolore rumpantur, intuebitur? & è contra quis illum triumphantem à mortuis ſuſcitatum & glorioſum aſpiciet quin gaudio perfundatur maximo?

Appoſite in hac die intuebimur Chriſtum in horto ante Patrem ſuum æternum proſtratum, ſanguinem ſudantem, & ipſi ſe offerentem perfectiſſima cum reſignatione, atque dicentem: Non mea, ſed tua voluntas fiat. Actus in hac die exercendi ſunt, magnæ mortificationis, propriam voluntatem in rebus omnibus abnegando, eiq; contradicendo, cum renouatione trium Votorum ſolemnium Religionis, ex toto corde gaudendo, quod ea emiſerimus & ipſum in ſponſum elegerimus, atque hæc ſponſalia ſacra in Religione innouauerimus, & confirmauerimus: Qui vero Religioſi non ſunt pariter ſua bona propoſita, fidelitatem, & verba toties reperita cum tali, tantæque authoritatis ſponſo renouabunt.

QVARTA PETITIO

Pro die Iouis.

QVarta Petitio eſt: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, Benè, & congruè huic diei adaptatur hæc Petitio cum titulo paſtoris, cuius partes ſunt paſcere gregem ſuum, panem nobis quotidianum concedendo; Patri enim, Regi, & Sponſo, Paſtoris officium exercere iure merito conuenit; debitoque naturali nos Filij eius, ſubditi, & ſponſæ vt nobis ſuſtentationem, & alimenta ſubminiſtret inſinuare poterimus, prout Maieſtatē ſuam, & noſtram dignitatem, et enim filij eius ſumus, decet; ideoque non dicimus vt hunc panem nobis accommodet, ſed vt det, nec ab eo panem alienum ſed noſtrum poſtulamus, quia enim filij ſumus, bona cuncta Patris noſtri, noſtra ſunt.

Mihi quidem numquam perſuaderi potuit quicquam temporaneum ad corporalem vitam ſuſtentandam neceſſarium in hac petitione ſed ſpirituale animę alimentum nos petere: namque ex ſeptem petitionibus in hac oratione comprehenſis tres primę ad

Deum ipsum referuntur, quæ sunt videlicet sanctificatio sui nominis, Regnum eius, & Voluntas; Ex quatuor ijs, quæ nobis petimus, hæc prima est in qua nobis aliquid dari postulamus; in alijs verò deleri peccata, tentationes & quicquid malorum est efflagitamus; ergo hoc vnum, & singulare, quod à Patre nostro nobis dari contendimus nihil temporale, quod ad corpus attineat, esse fatendum est, præterquam quod talis Patris filios, res adeo, viles vulgares, & communes, quas ipse Dominus & inferioribus creaturis elargitur, & hominibus absque eo quod illas petant postulare minimè deceat; præsertim cum nos admoneat diuina Maiestas, vt primo rebus ad suum Regnum pertinentibus intendamus, (ea nimirum quæ animas nostras concernunt:) atque de his assiduè cogitemus, cætera vero, vt nobis prouideantur, diuina Maiestas sollicitè curat; apud S. Matthæ. dicens: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie:* Adhæc petimus & expectamus in hac petitione Panem doctrinæ Euangelicæ, virtutes, sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, denique quidquid animas nostras, nutrit, atque corroborat, ad spiritualis vitæ consecutionem, & sustentationem.

Igitur hunc excelsum Patrem, Regem, & sponsum tanquam Pastorem verum inspiciamus, & omnes Pastorum proprietates in quibus æqualem non habet, & superat omnes, consideremus, prout ipsemet loquitur in Euang. dicens: *Ego sum Pastor bonus qui animam meam pono pro ouibus meis:* Hinc cognoscimus quanta cum eminentia bonorum Pastorum, quos scriptura diuina commemorat Iacob, & Dauid, conditiones præstantissimæ in Christo reperiantur: De Dauid ait quod in iuuentute sua cum Leonibus & vrsis lusit quasi cum agnis, & illorum mentum apprehendens suffocabat, vt stagnum aliquem ex faucibus eorum erueret, De Iacob autem refert, quod oues, & caprę, quas ipse custodiebat steriles nunquam fuerint, arietes gregis nunquam comederit, damnũ omne reddiderit, quicquid furto perierat, restituerit; die noctuq; æstu, & gelu vstus fuerit, fugeritque somnus ab oculis eius, vt socero suo Labam satisfaceret. Facile erit hinc mentem subleuare, & has conditiones diuino nostro Pastori adaptare, qui proprijs sumptibus, & viribus ferociſſimum Leonem infernalem, vt faucibus eius prædam erueret, & libertati restitueret, suffocauit: Et quæ ouis aliquã-

do sub

do sub eius potestate sterilis est inuenta? qualem illarum solicitudinem habuit? quem detrectauit, laborem, quas non subijt angustias, qui vitam pro illis ponere non recusauit? Quam Leo Infernalis abstulerat ei, & comederat, proprio soluit, & liberauit sanguine: nihil emolumenti ex eis ille reportat: quicquid lucratur, ipsis cedit quidquid ab ipsis habet & omnia illarum bona de sua manu habent. Amore tanto oues suas prosequitur, vt pro sola vnica quæ perierat, propriam ouium vestem assumpserit se, ne amictus sua Maiestate apparens, cæteras deterreret. Quis æstimare valeat pascua cælestis doctrinæ quibus illas pascit? Quis gratiâ virtutum, quibus illas corroborat? vim Sacramentorum quibus illas conseruat, & sustentat? si ouis ad vetita errabunda declinet, curat ipse sollicitè mediante sibilo sanctæ inspirationis perditam illam ad pascua vitæ reducere: quod si hæc non profint, & ad ouem reuocandam non sufficiant, sagittis tribulationis eam aggreditur, vt sic illam deterreat, non tamen feriat, nec occidat; Fortes sustentat, & progredi facit: debiles & minus robustas expectare dignatur: infirmas sanat, Ambulare non valentes in humeros recipit earum debilitates & lassitudines sufferendo. Ac deinde cum post pastum quieti se tradunt, & quod è doctrina collegerunt Euangelica ruminant, custodit illas dormientes. & in medio earum, per suauitatem consolationum, quibus illas perfundit, sedens, in animabus illarum dulcem musicam facit, instar pastoris fistula dulciter suis ouiculis cantantis. In hyeme caulas sollicitè, vt eis post labores quiescere liceat, inquirit: diligenter aduertit ne herbis, aut pabulis veneno infectis vescantur, admonens illas, ne occasionibus se exponant, Deducit illas per amœnas syluas, & pascua tuta, & selecta consiliorum suorum: & quamuis aliquando iter conficiant per loca puluerulenta, vel per turbines & tempestates, aut per inuia, & inaquosa ambulent: semper tamen illas ad limpidas & dulces aquas deducit, per has enim doctrina intelligitur, quæ clara semper, & vera esse debet.

Vidit S. Ioannes Diuinum hunc Pastorem ad instar Agni in medio ouium suarum, qui eas regebat, & per amæna vireta ad fontes aquarum viuentium minabat. O quàm dulce est Pastorem Agnum factum intueri. Pastor est, quia pascit, Agnus, quia ipsummet est pabulum. Pastor est, quia conseruat, & sustentat: Agnus

quia ipsummet est nutrimẽtum. Pastor itidem, quia procreat oues, Agnus, quia, ex eis natus est. Cum ergo petimus ab eo panem quotidianum vel supersubstantialem, idem est ac si dicamus vt ipsemet Pastor, noster panis & nutrimentum esse dignetur.

Gratissimum est diuinæ Maiestati, vt ipsam consideremus sicut aliquando cuidam ancillæ suæ apparuit, in habitu Pastoris hilari vultu, innixus Cruci, aliquas ex ouiculis ad se euocando, alias sibilo illiciendo. Verùm adhuc gratius ipsi est illum, in Crucem actũ sicut Agnum assum igni, & adcibum nobis attemperatum ad delicias, & solatium contemplari: Res iucunda est videre illum graui pondere crucis oneratũ, & instar Agni, qui ouẽ perditã in humeris suis portet nos gestare, & q; vti Pastor nos in caulas, & in viscera sua recipit, nosq; per vulnerũ suorũ aditus ad ipsa interiora introire pmittit, & vt Agnus se nostris viscerib. insinuat. Consideremus, quã tranquille, quàm securè quam beatè oues cum Pastore, & sub eius protectione commorentur, & à Pastore nostro nunquam recedamus, eiusque oculos fugiamus: oues enim Pastori adhærentes delicatioribus semper pascuis nutriuntur; buccellis melioribus, quibus ipse vescitur, refocillantur; Adhæc si Pastor se abscondat, vel recumbat, ouis immota consistit, nec alio se transfert, donec vel Pastor excitetur, vel ipsa continuo balatu eum excitet, tunc vero nouis delicijs recreatur.

Seipsam consideret anima in solitudine errantem, sine via, in tenebris, & obscuritate, circumseptam lupis, vrsis, & leonibus, nec cælo nec terra fauente sed solo pastore qui eam tuetur, & dirigit: ità nos sæpè sæpius videmus in tenebris constitutos, ambitione, amore proprio, innumerisque hostibus visibilibus, & inuisibilibus circumdatos, hoc solum remedij habentes, vt Diuinum hunc Pastorem inuocemus qui ex illis angustijs liberare nos potest.

Hac die considerabimus mysterium SS. Sacramenti; & cælestis huius pabuli excellentiam, est ènim ipsamet Patris æterni substantia, vnde beneficium hoc hominibus collatum Dauid exaggerans ait adipe viscerum Dei nos satiat.

Beneficium hoc maius est quam quod homo factus est: nam in Incarnatione propriam tantùm animam, & carnem personæ suæ vniendo Deificat: in hoc verò Sacramento omnes Deificare voluit, qui cibis quibus ab infantia enutriti fuerunt melius sustẽtari valent: & cum in Baptismo totaliter Deo regenerati simus, voluit vt pariter, ex ipso totaliter prout dignitatem filiationis, qua nos

nos decorauit, decebat, educaremur, & sustentaremur.

Hic examinãdus est amor, quo se nobis dat. Mandat enim sub interminatione mortis, vt omnes ipsum manducent. Ad hæc præuidens diuina Maiestas, quàm multi ad illum in statu peccati mortalis accessuri essent: amor nihilominus, quo nos prosequitur talis est, tantæque efficaciæ, vt frui exoptans amore, quo ab amicis recipitur, hæc minimè curet, & tantis iniuriis ab inimicis lacessiri sustineat: atque vt amorem quo erga nos flagrabat, magis demonstraret, voluit consecrare & instituere diuinum hunc cibum tunc, cum in mortem pro nobis sustinendam tradebatur, cumque sanguis eius, & caro pretiosa sub qualibet specierum, contineantur, attamen sub duabus distinctis speciebus panis, & vini illud consecrari mandauit, vt in hac diuisione, seu separatione ostenderet, quod toties pro nobis, si res exigeret, vitam libentissime profunderet, quoties panis, & vinum consecrantur, & quoties sacrum Missæ sacrificium in Ecclesia celebratur.

Amor iste quo nos Christus complectitur, quem in hac Sacramenti adinuentione patefecit, immensus, & ineffabilis est; etenim cum duo absque medio vtrinque participante, non satis firmo vinculo coniungi possint; quid meditatus est amor vt se cõiungeret, homini? ex nobis accepit carnem, sibi illam ad esse personale vitę diuinæ coniungens, sicque Deificatam, nobis illam in alimoniam confert & quasi restituit, vt nos secum nobis mediantibus secum vniret.

Hunc amorem cum Eucharistiam sacram recipimus, vult Dominus vt consideremus & in hoc omnis nostra cogitatio sistat, & hanc gratitudinem à nobis exigit, cum mandat vt quotiescumque communicamus passionis & mortis ipsius recordemur. Et benè apparet quo desiderio & affectu se nobis tradat, quia vocat hunc cibum Panem quotidianum; & vult: quod illum quotidie postulemus, sed diligentissimè animaduertendum est quæ puritas, quæue virtutes ad hoc Conuiuium dignè adeundum requirantur; Magna quædam Dei famula singulis diebus communicare desiderabat Dominus illi globum Cristallinum pellucidum, & candidum speciosissimum ostendit. dixitque ei: Quando eris sicut hoc crystallum id perficere poteris, confestim tamen vt ad Sacramentum accederet, facultatem largitus est. Considerare poteris hac die Verbum, quod Christus Dominus in Cruce pendens locutus est, dicens, sitio potumque amarulentum, quem

ei propinarunt; & conferre ſuauitatem, miramque dulcedinem, qua Dominus nobis cibum, & potum tribuit, cum ingrati animi noſtri amaritudine & in ſuauitate, qua eius ſiti, & expectationi reſpondemus.

QVINTA PETITIO.

Pro die Veneris.

Dimitte nobis debita noſtra.

DIei Veneris congruit quinta petitio, quæ eſt; *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*; vna cum titulo Redemptoris etenim, vt ait D. Paulus, ſi ius Dei factus eſt nobis Redẽptor, & peccatorum noſtrorum per ſanguinem ſuum Redemptio; ipſe eſt qui nos è poteſtate ſatanæ, cui ſubiecti eramus, liberauit, nobiſque Regnum filiorum Dei præparauit; & in eo Redemptionem habemus, id eſt, Remiſſionem peccatorum, ſimulq; pretium quod vt Redimeremur ab ipſo exſolutum.

Bona, quæcunque nobis optare poſſumus, in præterita petitione comprehenſa ſunt: & mala vniuerſa, à quibus nos liberari poſſumus, in tribus ſequentibus, continentur: & hæc prima eſt: Dimitte nobis domine, quæ tibi debemus ex hoc, quod es Deus, & Dominus vniuerſorum: & quæ tibi debemus ratione beneficiorum, quæ nobis præſtitiſti, & præſtaturus es; inſuper ea quæ contraximus ob peccata noſtra, & hæc Domine rata eſſe velis, atque fiant, ſicut & nos dimittimus, iis qui nos offendũt & noſtri debitores ſũt. Et nè quis exiſtimet nimis limitatam eſſe hanc remiſſionem debitorum, ſi miſericordiæ, quam nos exhibemus noſtris debitoribus comparetur, animaduertere oportet, duobus nodis hoc intelligi poſſe. Primò, vt quotieſcunque hanc orationem dicimus, imaginemur nobis quòd eam vna cum Chriſto Domino dicamus qui quotieſcunque oramus lateri noſtro aſtat, & ex parte ipſius petimus, & dicimus; Pater noſter, quòd cum ita ſit, perfecta erit remiſſio cum tam completè ipſe Dei filius pro hominibus ſatisfecerit. Poſſunt etiam verba hæc (prout quidem ſonant) in rigore intelligi, poſtulantes, vt nobis remittat ſicut nos dimittimus; quilibet enim, qui ad Deum exorandum accedit, præſumitur, quod omnibus dimiſerit, à quibus offenſus fuit & ipſo petendi modo expreſsè noſ-

sè nosmetipsos, qualiter petere, & quales in Dei conspectu venientes esse debeamus, admonemus; quare si nostris debitoribus offensas non dimiserimus, ipsimet in nos sententiam profe.imus, quod plane indigni simus remissione. Ait sapiens: *Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam? Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata illius seruans seruabit!* Huius petitionis materia vniuersalis est ad omnes pertinens, resque infinitas complectitur, debita enim sunt innumerabilia, Redemptio copiosissima, pretium condonationis, & gratiæ, quod est mors, & Passio Christi Redemptoris, infinitum, & inæstimabile.

Hic in memoriam reuocanda sunt peccata, propria & totius mundi: grauitas vnius peccati mortalis, quod, cum sit offensa Dei per alium satisfieri, aut exsolui non potest; Restauratio tantarum offensarum contra tantam, & infinitam Maiestatem Dei, vnde petenda: Debemus Deo amorem & timorem, & summam reuerentiam, quia est qui est, debemus offensas, & quid in horum omnium solutionem dabimus? Hæc omnia debita nobis condonari deposcimus quando dimitti nobis debita nostra postulamus. In operis huius executione, omnes diuitiæ eius positæ sunt & omnis nostra felicitas in his consistit, etenim ipse pars offensa, ipse & Redemptor, ipse denique pretium, satisfactio, & Redemptio:

Nullum ex mysteriis Passionis pro hodierna die assignari potest etenim passio tota, nostræ Redemptionis opus est; quæ in alijs libris minutim explicatur. Vnum tamen ad rem apprime conferens subiungam, & quod diuina Maiestas sicut vni ex ancillis suis significauit, gratissimum est: Apparuit ei Dominus in Cruce confixus, & dixit, vt extraheret illi tres clauos, quibus omnes homines eum configerent, qui sunt odium, quo infinitam bonitatem & pulchritudinem meam prosequuntur: Ingratitudo, & obliuio beneficiorum meorum. Durities qua inspirationibus meis correspondere contemnunt: postquam igitur mihi tres hos clauos refixeris, tribus alijs clauis affixus ego permaneo: sunt autem: Amor infinitus, Gratiarum actio pro beneficijs quæ mei intuitu Pater meus dat vobis: & tenerrima viscera ad vos recipiendum.

Hæc dies magni silentij, & asperitates aliquæ, & mortificationes in ea exercere oportet, & sanctorum, quibus specialiter deuoti sumus recordari, vt eorum intercessionibus veniam, quam precamur à Domino obtineamus: Oratio autem fiet peculiariter hoc die, pro ijs, qui

ijs qui in mortali peccato exiſtunt, pro ijs qui nos oderunt, & à quibus iniurias quomodolibet paſſi ſumus.

SEXTA PETITIO.

Pro die Sabbati.

EX quo aduerſarios nobis ſemper infenſos adeò, & importunos ad nos opprimendum & vexandum habemus, & ob nimiam fragilitatem & imbecillitatem noſtram ad corruendum, & tentationibus ſuccumbendum procliues ſumus, niſi qui omnipotens eſt, nobis opem ferat, ideo perſeueranter exorandus eſt, vt nobis ſubueniens, à tentationibus quibus impræſenti percutimur, nos ſuperari, & in peccata præterita relabi, non permittat.

Non petimus, nè patiatur nos tentari, ſed nè à tentationibus vincamur; tentatio enim, cuius ipſo adiuuante, & nobis cooperantibus victoriam conſequimur, ei proficit ad gloriam nobis aut ad meritum, & coronam: & hoc nobis præcipit, vt ab eius Maieſtate poſtulemus, in hæc verba: Ne nos inducas in tentationem; vt certò ſciamus, & intelligamus ipſo permittente nos tentari; vincimur autem, quia fragiles ſumus; & victoria ipſius eſt.

Hic igitur animo voluamus; quàm verum ſit omnes nos fragiles eſſe, ſauciatos, & imbecilles, tum quia hæc ſunt, quæ nobis à primis parentibus hæreditate obtigerunt, tum quia noſmetipſos peccatis, quæ commiſimus, prauiſque moribus infirmiores reddidimus, & à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in nobis ſanitas. Et ſic præſentemus nos medico cæleſti petentes, ne nos incidere in tentationem permittat, ſed omnipotenti manu ſua protegere dignetur, nec ſine cura & auxilio derelinquere.

Mirifice delectatur diuina Maieſtas hoc nomine Medici, quod officium vel maximè in hoc mundo exercuit curando infirmos incurabiles ab infirmitatibus corporalibus, & animas à peccatis inueteratis. vnde ſibi ipſe hoc nomen etiam impoſuit dicens: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus*: Hæc Medici munera exequi voluit diuina Maieſtas erga hominem, ſeipſum Samaritano comparans, qui oleo & vino eum, qui in latrones inciderat & ſpoliatus, vulneratus, & ſemimortuus relictus fuerat, curauit. Medicus, ac Redemptor vnum, & idem ſunt: tamen Redemptor dicitur *propter remiſſionem*, vt Sanctus Paulus loquitur, *præcidentium delictorum*: Medicus

Medicus verò propter curationem, vulnerum, & infirmitatum præsentium culparumue omnium futurarum.

Discutiamus conditiones Medicorum sæcularium qui non dignantur infirmos visitare nisi vocentur: & eos potius visitant à quibus plurimum lucrantur, quam, qui magis indigent: Infirmitates exaggerant: aliquando etiam, lucri maioris gratia curationes differunt: Pauperes curant verbotenus: Diuites personaliter & nec his nec illis de suo aliquid erogant. Adhæc medicinarum, quæ adhibentur impensæ vix ferri possunt; omnia denique sunt incerta. O cælestis Medice, conditiones tuæ quam longè ab huius mundi medicis, cum quibus præter nomen nullam similitudinem habes, discrepant, tu ad nos visitandum, etiam non vocatus, & libentius ad pauperes, quam ad diuites accedis, & omnes personaliter curas, nec aliud spectas quam vt infirmus se talem esse, & tua ope indigere agnoscat, & tantum abest vt curationem & ægritudinem exaggeres vt potius & facilem salutem ægris, (quantumuis infirmitas grauis sit) vt etiam ad vnum suspirium sanandi sint, spondeas. Nullum infirmum etsi horrida infirmitate laboret nauseas. Per Xenodochia vadis & pauperes & malè habentes qui sine cura relinquuntur, inquiris, & tibimetipsi mercedem exsoluis, propria pharmaca & medicinas adhibes, & quas medicinas? nisi præparatas & confectas ex sanguine & aqua fluentibus è latere tuo: Ex sanguine quidem ad nos curandum: Ex aqua ad nos lauandum, vt nos sine macula, & aliquo infirmitatis præteritæ signo relinqueres.

Fons erat in medio Paradisi, sic aquis abundans, vt inde diuideretur in quatuor capita, seu copiosissima flumina, quibus irrigabatur vniuersa superficies terræ; at de fonte Amoris, quo diuinum cor ardebat, quinque sanguinis riuos ex eius sacratis pedibus, manibus, & latere ad curationem, & sanitatem infirmitatum nostrarum, & vulnerum omniumque languorum, effluere, & pumanare videmus. Quot pereunt infirmi quia Medicum non habent, vel quia medicinas pro tollendis malis suis necessarias comparare nequeunt? sed hic tale periculum non imminet, Medicus etenim omni medicinarum genere abundantissimè refertus, & onustus, quas & secum affert ad omnia mala curanda, Et licet carissimo precio illas coemerit, gratuito tamen, volentibus illas concedit, imo precario offert & suis sumptibus salutem nostram faciliorem reddidit. ipse enim vitam suam exposuit, vt nos ipsum mortuum aspicientes sanitate donaremur; quemadmodum ab ignitis serpentibus percussi, serpentem mor- Gen. 2.

tuum æneum pro signo positum, aspiciendo, sanabantur. denique iam præparata sunt omnia, ille idem qui nos curare desiderat omnibus sese & omnia, quibus indigemus offert: præterea certi sumus medicinas expeditas esse, reliquum est, vt vulnera nostra, & infirmitates manifestemus, & effundamus coram illo corda nostra, in hac præsertim die, in qua se nobis hic dominus tanquam Medicum, curandi nos desiderio inflammatum, repræsentat.

Est hic locus optimus ad intellectus nostri cæcitatem, & voluntatis nostræ ad sui æstimationem adeo propensæ, perditionem agnoscendam, similiter ad diuinorum beneficiorum obliuionem; ad linguæ, vt impertinentias loquatur, procliuem facilitatem, ad cordis leuitatem & constantiam in disparatis cogitationibus, & breuem perseuerantiam in bonis & in omni eo quod bonum est, extollentiam suam & exiguam curam recessus; Denique nulla sint vulnera vel antiqua vel noua, quæ supremo medico, remedium ab eo postulantes, non aperiamus.

Cum infirmus quæ ipsi commendantur acceptare renuit, neque à vetitis abstinet, Medicus illum, dum tamen freneticus non sit, derelinquere consueuit; Medicus autem Cælestis nec immorigeros, contemnit, nec inobedientes dimittit; omnes curat vt freneticos mille modos vt ad se redeant inquirens.

Hac die conuenit memoriam sepulturæ domini habere, & illos quinquè fontes suorum vulnerum, quæ aperta vsque in diem resurrectionis generalis ad salutem nostrarum animarũ permanebunt, considerare; & cum vulneribus istis sanemur, curemus illa vngere amanter, & charitatiuè vnguento mortificationis, humilitatis, patientiæ, & mansuetudinis impendentes nos proximorum nostrorum vtilitati, cum illum ad manus habere, & ipsi visibiliter in propria persona ministrare non valemus. Nam quod vni ex proximis nostris præstamus, id sibi præstitum asserit.

SEPTIMA PETITIO.

Pro die Dominica.

Libera nos à malo. Amen.

SEptima Petitio est, vt nos à malo liberet; non postulamus ab vno vel altero malo tantum liberari, sed ab omni eo, quod verè, &

pre-

proprie obtinet rationem mali, quo bonorum gratiæ, & gloriæ iacturam facimus; Aliqua sunt mala pœnæ sicut tentationes ægritudines, afflictiones, labores, vituperia, &c. quæ tamẽ propriè mala, nisi prout occasio quod in peccata prolabamur esse solent, vocari non possunt: vnde diuitiæ, honores, & cuncta bona temporalia iure meritò mala, (sunt enim nobis offendendi Deum occasio) dici poterunt; Ab his omnibus malis & bonis, quæ nobis causa damnationis æternæ sunt liberari petimus; Et quoniam ad iudicem spectat hanc libertatem concedere, accommodè hic ponitur titulus Iudicis.

Huius petitionis materia amplissima est, quatuor enim Nouissima hominum, quæ sunt Mors, Iudicium extremum: Inferni, pœnæ; & Gloria beatitudinis, de quibus multa scripta sunt, ad eam reducuntur.

Possunt hic præcedentes considerationes repeti, & in mentem reuocari, etenim omnia & singula beneficia in sex superioribus gloriosis titulis enumerata magnificare ponduſque eorum illic sentire debemus; propterea accurate meditanda sunt, & vt confundamur, & vt confidamus; quanta enim confusio est, quod habentes talem tamque amabilem Patrem, Regem tam potentem, sponsum suauissimum, Pastorem optimum, adeo diuitem & misericordem Redemptorem, medicum adeo efficacem & pium simus tam ingrati & tam parum in omnibus profecerimus, & quem timorem merito nobis incutere debeat tam grauè tot beneficiorum pondus ex sua parte, & ex nostra tanta ingratitudo & exiguus amor. Ingẽs nihilominus & omni cõparatione maior fiducia, vt securi in iudicio cõpareamus, excitatur, considerãtes quod stabimus ante Iudicem, qui est Pater noster Rex &c. concludi potest iste dies cum gratiarum actionibus, quas Propheta Dauid quinque psalmi cuiusdam versibus quos Ecclesia in Primis officij de Feria recitare solet. sunt autem hi sequentes.

1. *Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* 2. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* 3. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.* 4. *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* 5. *Qui replet in bonis desiderium tuum, renouabitur, vt Aquilæ iuuentus tua.*

Itaque pijssimus hic Dominus misericorditer agens; pro peccatis, dat veniam, pro infirmitatibus, sanitatem, pro morte, vitam: pro miseria, protectionem perennem: pro defectibus, cunctorum bonorum abundantiam donec nos ad vitæ incomparabilis nouitatem perducat.

Videtur quodlibet verbis istis omnes tituli & supradicta Dei nomina tangantur: quod facile intelligetur, quælibet in particulari attente considerando. Licet autem verum sit hanc Orationem Dominicam inter omnes alias vocales orationes primum locum tenere, non ideo tamen reliquæ relinquendæ sunt; quia hac sola vtentes fastidium in nobis generari posset, sed valde ad rem erit alias interrexere, & maxime illas quæ in sacris scripturis, dictatis à Spiritu sancto inueniuntur, & à personis Sanctis vsurpatæ fuerũt, vt est illa publicani Euangelici, Annæ Matris Samuelis Hester: Iudith: Manassis Regis: Danielis, & Iudæ Machabei, in quibus verbis proprium sensu eorum sentimentum exprimentibus & proprio cũ affectu compositis, suas necessitates, calamitates, & miserias, Deo representabant; Hoc autem genus orationis ab ipsamet persona in necessitate constituta concinnatũ, maioris est efficaciæ & valoris, nam & mentem eleuat, voluntatem accendit, & ad lacrymas prouocat; quia enim verba sunt propria quæ in hunc modum proferuntur, & proprium laborem, & conatum declarant magis ex animo, & ex corde proferuntur. Hic modus orandi Deo plurimum placet, sicut enim Magnatibus rusticos, ab ipsis aliquid crasso & rustico modo petentes audire pergratum est & iucundum; sic Deo volupe est cùm ex abrupto verbis inconcinnis & indigestis aliquid postulamus, & paucis verbis necessitatem nostram proponimus, vti S. Petrus reliquique Apostoli submergi timentes clamabant: Domine salua nos perimus. Sic & Cananea misericordiam instãter petens: sic & filius Prodigus qui aiebat: Pater peccaui in cælũ, & coram te: sic & Mater Samuelis quæ dicebat. Domine exercituum, si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ, & dederis animæ meæ perfectam virtutem in obsequium tui perpetuum vltro dabo illam.

His orationibus vocalibus quæ à Deo, quæcunque petierunt, obtinuerunt, abundat diuina scriptura, quibus in nostris quoque afflictionibus, & angustijs remedium obtinebimus. Et quamuis Sanctorum consilium sit hoc melius orationibus mentalibus præ-

stari, nihilominus multorum SS. exempla, insuper propria experientia nos docet, quod sic cum Deo agentes, vocaliterque orantes excitat ille tepiditatem nostram, cor accendit, atque illud disponit, vt melius & perfectius progrediatur, & mentaliter oret.

LAVS DEO, ET VIRGINI.

Ex Commissione D. Vicarij Generalis, vidit M. Frater Vincentius Gomez: in Conuentu Praedicatorum 14. Augusti 1613.

Imprimatur
Doctor Victoria Vic. Generalis.

CANTIO S. MATRIS THERESIÆ QVA cor ſuum ignitis erga Sponſum ſuum deſiderijs plenum exhalare ſolebat.

VOX DILECTÆ.

Introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinauit in me caritatem, Fulcite me floribus, ſtipate me malis quia Amore langueo. Cant. 2.

VOX DILECTI.

Columba mea in Foraminibus Petræ, *in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam:* Sonet vox tua *in auribus meis.* Vox *enim* tua *dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2.

I.

VIrgo clamat, quantùm amat
Non iam ſui patiens;
Deum amat, Deum clamat,
Cor in illum iaciens:
Ita cecinit Thereſa,
Mundum, vitam, ſe pertœſa,
Et Sponſo vim faciens.
Viuo ego iam non ego;
Sine vita vitam dego,
Quodque viuam, morior.
Morior, dum ceſſo mori
Tacta ſpe ſublimiori
Vitæ, de qua glorior.

II.

Illa diæ caritatis
Vincla, quæ me implicant,
Deum meæ poteſtatis
Et captiuum indicant:
Indicant captiuum Deum,
Et in libertatem meum
Cor ligando vindicant.
Sed dum video captiuum,
Me tenente, Deum viuum,
Præ dolore morior.
Morior dum ceſſo mori, &c.

III.

Heu me vita, longa vita!
Heu durum exilium!
Heu, queis hæret irretita
Mens pertœſa vilium,
Carcer, compedes, cataſta,
Domus mortis, terra vaſta;
E quibus effugium
Dum iam ſpero, iam non ſpiro,
Omni voto dum requiro,
Præ dolore morior.
Morior. dum &c.

IV.

Vita triſtis, plena fellis,
Quæ Deo non paſcitur
Dulciori fauo mellis,
Quod Hyblæis naſcitur.
Amor dulcis amor Dei;
Sed amara mora ſpei;
Nec amor ſpem patitur.
Amans & amate, tolle
Onus ferro minus molle,
Nam dolore morior.
Morior, dum &c.

V.

Sola diu morientem
Spes mortis viuificat;
Illa flentem & lugentem
Sola ſpes lætificat.
Nam ſpem vitæ, quæ in Lvce,
Huius vitæ mors caducæ
Firmat & ratificat.
Datrix vitæ mors, feſtina:
Te vocantem ne declina;
Nam, quòd viuo, morior

Mo-

Morior, dum ceſſo mori
Tacta, &c.

VI.

Ecce, quanta vis amoris,
Quàm fortis dilectio!
In hac mihi intus foris
Omnis eſt refectio.
Fuge vita: ſatis fui:
Erigit iacentem tui
Sola me deiectio.
Perdam te, ne perdam. Veni,
Mors amica, luctum leni:
Nam, quòd viuo, morior.
Morior, dum &c.

VII.

Vita, quæ in cœlo ſita,
Quæ ſupernæ ſortis eſt,
Illa demum vera vita,
Et ignara mortis eſt.
Niſi vita moriatur,
Non eſt vita. Vita datur,
Quando mors in portis eſt.
Veni; ne fis mihi dura
Mortem mors abolitura;
Non viuo, ni morior.
Morior: dum &c.

VIII.

Quid in me viuenti dono,
Vita, Deo muneris,
Niſi te pro illo pono
Onus facta funeris?
Niſi cum iactura tui
Non licebit illo frui
Cum beatis numeris.
Vt hoc fruar, mori volo;
Eſt, quod volo, in hoc ſolo:
Niſi fruar, morior.
Morior, dum &c.

IX.

Quam te ſine vitam agam,
Deus vita mentium?
Vitam luctum; vitam plagam,
Vitam indigentium,
Quauis morte duriorem,
Quouis malo triſtiorem,
Vitam morientium,
Vt me mei puder, piget,
Dum ſic malum meum viget,
Vt dolore moriar!
Morior, dum &c.

X.

Piſcis aquâ deſtituti
Melior conditio,
Quàm, quæ vita pergo vti
Tanto cum ſupplicio.
Meta mors calamitatis
Sola mihi facit ſatis,
Eſtque pro delicio.
Nam quod vſquâ genus mortis,
Vt hæc vita, duræ ſortis?
Præ dolore morior.
Morior, dum &c.

XI.

Quoties in Sacramento
Te contemplans gaudeo,
Vnde me ſolari tento,
Inde pœnam augeo:
Nam videre te non plenè
Quàm ſit graue, quantæ pœnæ,
Promere non audeo.
Vndecunque creſcit luctus;
Dum cupitæ carpam fructus
Viſionis, morior.
Morior, dum &c.

XII.

Verum illa te videndi
Spe dum paſcor, Domine,
Spem tam bonam amittendi
Duplici me nomine

Timor

Timor angit & affligit:
Nam dum humi pedem figit,
Quid certum in homine?
Inter spem metumque sita
Lacrymosa pendet vita:
Spe metuque morior.
Morior, dum &c.

XIII.

Mortis huius me indignis
Erue de manibus,
Deus meus, ne malignis
Me permitte canibus.
Rumpe vinculum immite,
Solue tricas, dona vitæ
Satiari panibus.
Morior amore tui:
Nisi te, & in te frui
Vitâ licet, morior.
Morior, dum &c.

XIV.

Quid iam super, nisi flere,
Flendo contabescere?
Quando vetat mortis seræ
Mora me quiescere?
Heu me, stringor irretita
Illâ mortis instar vitâ!
Tu iube facessere,
Vita vitæ, vitam mortis.
Inseren da tuis hortis
Quando dicam: morior?
Morior, dum cesso mori,
Tácta &c.

Iesus, Maria, Ioseph.

FR. IO: MARIA A SANCTO IOSEPH PROVIN. cialis Prou.ª SSmi. Sacramenti in Germania F.rum Discalcalceatorum Ord.is B.mæ Virg.is Mariæ de Monte Carmelo Congreg.nis S.ti Eliæ.

CVm Diplomate Sacræ Cæs. Maiestatis Ferdinandi Secundi semper Augusti, omnibus & singulis Typographis Bibliopolis ac aliis quancunque librariam negotiationem exercentibus seriò inhibeatur, ne quu libros à Carmelitis Discalceatis editos, vel eosdem ab aliis hominibus in diuersas linguas translatos, aut in Compendium redactos, intra Sacri Romani Imperij regnorumq; & Dominiorum suæ Sacræ Maiestatis hereditariorum fines, simili vel alio characteris genere vel forma siue in toto, siue in parte excudere vel recudere, vel aliò excudendos vel recudendos mittere, aut alibi etiam impressos vel recusos adducere vendere vel distrahere clam seu palàm sine facultate Prouincialis nostri ordinis pro tempore existentes in scriptis habenda, sub pœna confiscationis omnium librorum & aliis grauioribus, audeat vel præsumat prout in ipso originali Diplomate super his omnibus Vienna Austriæ die 27. Februarij Anno 1627 benigne concesso latius continetur: Tenore præsentium facultatem concedimus Domino Ioanni Kinckio Bibliopolæ & Ciui Colonienſi, vt typis mandare valeat opera Sanctæ Matris nostræ Theresiæ à Domino Matthia Martinez latinitate donata. In quorum fidem præsentibus manu propria subscripsimus officij nostri Sigillum subimprimi curauimus.

Datum Coloniæ Agrippinæ die 3. Martij anno 1627.

Fr. Ioannes Maria à Sancto Ioseph
Prouincialis Carmelitarum Discal.

Fr Arnoldus à Natiuit. Secretarius

FINIS.